

HW 2MDB 0


Harvard·University·Library
VE RI TAS
LOWELL·MEMORIAL
LIBRARY·of·ROMANCE
LITERATURE

F. Parkman

C. PLINII CAECILII SECVNDI

EPISTOLARVM

LIBRI DECEM

ET

PANEGYRICVS

EX RECENSIONE ET CVM ADNOTATIONIBVS PERPETVIS

IO. MATTHIAE GESNERI

QVIBVS

IO. MICHAELIS HEVSINGERI

IO. CHRIST. THEOPH. ERNESTII

SVASQVE NOTAS ADDIDIT

GODOFR. HENR. SCHAEFER.

LIPSIAE

SVMTIBVS CASPARI FRITSCH

MDCCCV.

PRAEFATIO EDITORIS.

Editionis alterius Plinii Gesneriani exemplis distractis, cum nova certatim expeterentur, Fritſchius noſter, libri redemtor, Io. Chriſt. Theoph. Erneſtium, Profeſſorem Academiae Lipſienſis, rogaverat, ut tertiam curaret editionem, prioribusque correctiorem nec ſine acceſſione notarum emitteret. Susceperat provinciam vir doctiſſimus, iamque profligato recenſendi ac commentandi labore in eo erat, ut exemplar, quod typographus ſequeretur, inſtrueret, cum ecce morbo atroci, mox praematura morte telam paene detextam abrumpere cogitur. Qui caſus, acerbus ſane literarumque noſtrarum cauſſa lugendus, ne Pli-

nio officeret, neu novam moraretur editionem, quaeritur a bibliopola, qui in defuncti locum protinus ſuccedat, opusque inſtitutum cito abſolvat. Ita factum eſt, ut mihi necopinanti, vix exantlato aerumnoſiſſimo labore Gloſſarii Liviani ex ſchedis Aug. Guil. Erneſtii concinnandi, negotium Plinianum, iucundius illud quidem, ſed tamen, cum alia, ad quae meus me animus vocaret, agenda ſuppeterent, invito reluctantique imponeretur. Quod quomodo adminiſtraverim, priusquam lectores doceo, paucis quantumque mihi conſtitit, indicandum eſt, quae ratio Plinii repetendi Erneſtio placuerit.

In textu quidem recenſendo, ſi locos perpaucos excipias, Gesnerum erat religioſiſſime ſecuturus. Omnino Erneſtius noſter, perinde atque alter ille, Livii editor, a critica ſcriptorum veterum tractatione videtur fuiſſe paullo alienior. Longe maiore cura intentiorique ſtudio interpretationem Plinii complexus erat, ut, ſi quae a Gesnero in hac operis parte, qua maxime cenſentur editiones Gesnerianae, omiſſa eſſent, ea partim ex propriis theſauris expromta adderet, partim ex recentiorum, inprimis Gierigii, libris prudenter delibata repeteret. Itaque Erneſtii notae, ut criſin de textu conſtituendo non pror-

ſus negligant, maximam partem exegetici argumenti ſunt: ceterum et brevitate commendabiles, et vero etiam perſpicuitate. Minore religione, quam in textu reddendo, in notis Gesneri exhibendis verſaturus erat. Etſi enim longiſſime aberat a ratione parum probanda eorum, qui in veterum libris edendis priorum notas editorum cum ſuis ita commiſcent et confundunt, ut, quem quidque auctorem habeat, plane ignores: in Gesneri tamen commentarium paullo plus ſibi ſumſerat, quam ab homine ceteroqui tam circumſpecto facile exſpectaſſes. Quod ſi haec editio ab ipſo Erneſtio evulgata eſſet, Gesneriana haberemus hic atque illic ita vel refícta vel contracta adeoque truncata, ut, ſi qui integrum Gesnerum cognoſcere cuperent, ad priores editiones recurrere cogerentur.

Haec habui quae de Erneſtii inſtituto praefarer. A quo cum meum nonnihil discrepet, quam ego mihimet legem ſcripſerim, breviter oſtendam.

Cum primum in Erneſtii vices ſuffectus eſſem, integrum mihi datum eſt, ut novam Plinii editionem ex meo ſolius arbitrio adcurarem, dumne deſciſcerem a regula, ad quam editor Gottingenſis, plaudente orbe erudito, omne negotium exegiſſet. Mearum igitur

partium esse duxi, primum, ut textum, qualem Gesnerus, emunctae criticus naris, subsidiis suis perspecte usus dederat, mendis modo typographicis, quae editionem alteram sat crassae obsidebant, correctis, refictaque passim interpunctione, illibatum repeterem. Nam etsi probe intellexeram, non omnia in Plinianis sic constituta esse, nulla ut critico materia superesset, in qua elaboranda cum laude versaretur: malebam tamen, si quid critici generis incidisset, id in notis monere, quam manum ipsi textui continuo iniicere. Etenim pigebat taedebatque tumultuariae operae, qua nunc mihi, et tempore excluso, nec satis instructo subsidiis rei bene gerendae necessariis, defungendum fuisset, si ad novam textus recensionem descendere sustinuissem. Praeterea parum placebat, in libris scholarum usui dicatis, qualis hic Plinius est, multa identidem novari; praestabiliusque videbatur, textum probabiliter effictum fideliter retineri, donec novus a critico sagaci, omnibus affluente copiis, inque hoc unum intento, conderetur.

Gesneri notas integras repetii. Debebatur hoc memoriae viri optimi deque literis nostris praeclarissime meriti. Quamquam enim verendum mihi erat, ne in reprehen-

ſionem nonnullorum incurrerem, ſi ea quoque ſervarem, quibus nova editio recte carere poſſe illis videretur: tutius tamen putabam hoc ſubire aleae, quam omittendis aliis, aliis in brevius cogendis, quod Erneſtio facere placuerat, fidem meam ſubleſtam reddere, deſideriumque accendere ſuperiorum editionum.

Eadem et maiore etiam religione exhibui, quae nunc primum prodeunt, Erneſtii adnotationes. Correxi nihil niſi apertos calami lapſus. Si quid praeterea Erneſtius deliquiſſe videretur, intactum reliqui, ſatis habens tirones de erroribus verbo admonuiſſe.

Commode memineram, cum primum Plinio edendo manus admoviſſem, in Ioann. Mich. Heuſingeri, eruditiſſimi viri criticique in paucis egregii, Libris duobus Emendationum exquiſitas in libros ſex priores Epiſtolarum Plinii animadverſiones reperiri, a Gesnero bis*) tantum obiter commemoratas, a Gierigio plane neglectas. Harum nullam habere rationem piaculum fuiſſet. Itaque omnes ſuo quamque loco diligenter poſui. Quid moverit Heuſingerum, ut de poſterioribus libris nihil perſcriberet, ignoramus:

*) Ad 3, 5, 8. 6, 20, 15.

ſontem enim, unde ſua ad priores hauſerat, in ſequentibus non exaruiſſe, ipſe nos admonet*). Is fons qui fuerit, quaeque omnino ratio harum animadverſionum, ut ſciant lectores, apponam quae vir eximius illis praefatus eſt.

„Cum ſuis virtutibus pluribus commendantur, quae nunc quidem in omnium manibus ſunt, politiſſimae C. Plinii Epiſtolae: tum eo quoque nomine non poſſunt non cariſſimae eſſe veteris eloquentiae ſtudioſis, quod ex communi illo litterarum quaſi naufragio non ſalvae modo evaſerunt, verum inde etiam quam minimum vitii contraxerunt, germanamque illam argenteae aetatis Latinitatem prope illibatam conſervarunt**). Adeo, quod bonis libris aliis exitio, his etiam ſaluti fuit, quod medio aevo in bibliothecarum angulis neglectae iacuerunt, nec litteratis hominibus librariisque dignae viſae ſunt, quae a multis legerentur. Teſtis eſt Vincentius Bellovacenſis, ſaeculi XIII. ſcriptor ſuae aetatis doctiſſimus, qui *Plinii epiſtolas ad diverſos circiter centum reperire* ſe tantum

*) Ad 1, 10, 12.

**) [Conf. tamen, quae I. A. Erneſtius in fine Notularum ſuarum de multis magnisque librorum Plinii vitiis monuit.]

potuiſſe confitetur ſpeculi hiſtorialis lib. X. c. 67. reliquas, quae plures etiam numero ſunt, non vidit. Decimus liber ante ſaeculum XVI. in lucem non emerſit, nec libri VIII. et VIIII. omnes epiſtolae primis editionibus vulgari potuerunt. Hinc rara apud medii aevi ſcriptores Plinii minoris mentio ac prope nulla eſt. Quam male vero librarii de aliis meriti fuerint, quos ſaepius et in plura exemplaria transſcripſerunt, teſtes erunt ſempiterni Cicero, Salluſtius, Curtius, Valerius Maximus, Florus, Iuſtinus, Lactantius, quos ipſorum diſſimillimos nobis reliquerunt. Etſi vero in Plinii epiſtolas minus, quam in ceteros, quos dixi, ſcriptores antiquos, hominum illorum inſcitiae et audaciae licuit: non ita tamen incorruptas et incontaminatas eas ad nos perveniſſe apparet, ut nihil omnino labis inſederit. Multa quidem Catanaeus, plura poſt eum Henr. Stephanus, Caſaubonus, Gruterus, Barthius, Schefferus, Buchnerus, Gronovius, Thomaſius, Cellarius iure ſibi viſi ſunt emendaſſe: horum tamen omnium oculos non pauca fugerunt, quae Cortii nuper, et proxime Gesneri, viri celeberrimi, induſtria fuerunt reſtituenda. At ne horum quidem ingenio et cura, cuius me quidem admiratorem maximum profiteor, ita omnia

perpolita sunt, ut extremam tandem manum recepisse possint adfirmari. Illud potius, quod nolis, fatendum est, ab iis ipsis, qui maculas delere voluerunt, novas aliquando, ut fieri solet, adspersas esse, aliquas ita penitus insedisse, ut eluere difficile sit, et prope iam temerarium videatur. Non fallere me opinionem, e pluribus exemplis, quae in medium adferam, aliquot certe eos etiam adsentiri cogent, qui alia omnia sibi persuaserunt. In his vero emendandis veteri Plinii exemplari utar, quod in bibliothecam illustr. gymnasii Isenacensis a me illatum est, Romae a. CIƆCCCCLXXXX. typis exscriptum, cuius et Fabricius bibliothec. Lat. Lib. II. c. XXII. n. 3. meminit, quodque a Barthio *) adversar. lib. XVIIII. c. 25. *cascam editionem* appellari puto. Idem Brummero ad manus fuisse video ad L. Cinciam cap. VI. n. 6. ubi ad Plinium lib. V. ep. XXI. 3. ignotam antea lectionem profert. Id ex vetustis membranis expressum esse inde coniicio, quod in plerisque, e Mediceo codice quae primus vulgavit Cortius, et quorum in aliis vix ullum est vestigium, mirifice conspirat; in nonnullis non ab eo tantum, sed a ceteris etiam scriptis editisque

*) [Ad Plin. Epist. 1, 6, 1.]

libris non ſine ratione discrepat; in ſcribendi vero et interpungendi more priſcam ſimplicitatem refert, nec multa recentioris aut criticae manus veſtigia oſtendit."

Hactenus Heuſingerus. De meis in Plinium notis non habeo quod praeloquar, niſi ut lectores obteſter, humaniter benevoleque meminerint ſummae trepidationis meae, qui, nil tale animo praecipiens imparatusque, ad alienum negotium abſolvendum acceſſerim. Factum eſt hac ipſa trepidatione, ut alia e memoria elaberentur, alia ſero occurrerent, quae monere et potuiſſem, et vero etiam debuiſſem. Horum partem, cum paſſim ad *Addenda* provocaverim, nunc ſupplebo.

Epiſt. 1, 8, 2. *Petiturus ſum enim.* Solennis hic ordo verborum, quem vehementer miror Gierigio displicere potuiſſe. Tot eius exempla enim in optimis ſcriptoribus occurrunt, ut alterum, ab illo praelatum, aures Romanae parum probaſſe videantur. Si forte dubitas, en nubem exemplorum. *Aequati ſunt enim* Plin. Panegyr. 25, 2. *Alia eſt enim* Cic. de Orat. 2, 25. Senec. Epiſt. 87, 27. *Aliud eſt enim* Senec. Epiſt. 89, 14. *Animi eſt enim* Cic. de Orat. 3, 59. *Facilius eſt enim* Cic. de Orat. 2, 44. *Hic eſt*

enim Senec. Epiſt. 82, 11. 94, 69. *Hominis eſt enim* Plin. Epiſt. 8, 16, 4. *Incredibile eſt enim* Cic. de Orat. 1, 44. *Incredibilis eſt enim* Lactant. de Opif. D. 20, 3. Sic enim ibi ex libris ſcriptis editisque pluribus legendum. Deterior alter ordo, repertus ab I. M. Heuſingero in libro Colonienſi: *Incredibilis enim eſt. Indulgendum eſt enim* Senec. Epiſt. 104, 3. *Ingenioſior eſt enim* Plin. Panegyr. 55, 2. *Longum eſt enim* Cic. de Orat. 2, 27. *Minus eſt enim* Plin. Paneg. 88, 7. *Naturae eſt enim* Senec. Epiſt. 90, 3. *Naturale eſt enim* Plin. Epiſt. 4, 17, 3. *Neceſſe eſt enim* Cic. Epiſt. ad Aul. Torquatum 6, 2. ad Aul. Caecinam 6, 6. Senec. Epiſt. 109, 10. 114, 11. 121, 12. Natur. Quaeſt. 1. praef. *Nemo eſt enim* Cic. de Orat. 2, 82. Epiſt. ad Lentulum 1, 4. ad quem locum nuperus editor in Animadv. et Emendat. Libris, quos avidiſſime exſpectamus: „Sic ſcripti omnes mei cum Mediolanenſi 1472., Vetuſtâ in membranis, Aldinis Manutiique editionibus. *Nemo enim eſt* Veneta 1476., Veneta 1492., Mediolanenſis 1493. cum quibusdam aliis. Illud magis Tullianum. Ita etiam in interrogationibus, *quid eſt enim? quid eſt igitur?* ubique maluit, quam, quod in editis parum emendatis circumfertur, *quid enim eſt? quid igitur*

est?" *Nihil est enim* Cic. de Orat. 1, 28. 41. 2, 24. 42. 3, 27. 45. Plin. Epist. 9, 32. *Non est enim* Cic. de Orat. 3, 21. Senec. Epist. 85, 24. *Nostra est enim* Cic. de Orat. 3, 31. *Nullum est enim* Cic. de Orat. 1, 48. 3, 5. 57. Plin. Epist. 6, 21, 4. Panegyr. 26, 4. *Omnia sunt enim* Cic. de Orat. 1, 43. ut legendum ex codicibus Guelferb. vulgò perperam *Omnia enim sunt*. *Prima est enim* Cic. de Orat. 2, 78. *Propositum est enim* Plin. Paneg. 56, 1. *Prosecutus es enim* Plin. Paneg. 86, 3. ex verâ Baunii correctione. *Quae est enim* Cic. de Orat. 2, 89. *Quam speciosum est enim* Plin. Panegyr. 18, 1. ad quem locum v. Arntzen. *Quid est enim* Cic. de Orat. 1, 45. Plin. Paneg. 56, 2. *Scitum est enim* Cic. de Orat. 3, 61. *Tanta est enim* Cic. Epist. ad Leptam 6, 19. (20. M. L.) *Temerarium est enim* Plin. Epist. 4, 9, 10. *Una est enim* Cic. de Orat. 3, 6. *Unus est enim* Senec. Epist. 104, 22. *Visa est enim* Plin. Epist. 10, 97, 9. *Voluptates sunt enim* Plin. Panegyr. 82, 8. ex certâ Lipsii emendatione. Sufficient haec. Ad hanc normam vereor ne corrigendi sint illi loci, ubi particula verbo substantivo praeposita reperitur: veluti Caes. de B. C. 2, 32. Cic. de Orat. 1, 29. 2, 54. 3, 45. Plin. Epist. 6, 29, 3. — Idem, opi-

nor, de aliis particulis tenendum. *Liberum est autem* Plin. Paneg. 36, 5. *Non est autem* Senec. Epist. 82, 17. *Nemo est ergo* Plin. Paneg. 44, 3. *Adhibita est igitur* Cic. de Orat. 1, 42.

Epist. 1, 16, 2. Iure praetuli *acutae*. Secundus respexit Tullium suum de Orat. 2, 8. *Quid autem subtilius, quam acutae crebraeque sententiae?*

Epist. 2, 15, 2. *alioqui*. Sic *alioquin* sine *et* occurrit 6, 23, 1. 7, 31, 1. 10, 20, 1. qui loci Gierigium tandem docuerunt, fallere regulam Schwarzianam.

Epist. 3, 5, 8. *parcissimi* iterum defendit I. A. Ernestius in Clave Ciceron. v. *paratus*.

Not. ad Epist. 3, 6, 3. Tertium exemplum confusionis vocum *οἶνος* et *ὕπνος* reperi in collatione Porsoniana codicis Harleiani Odyss. B. 395. pag. 12. a.

Epist. 4, 1, 2. *adligamus*. Add. I. Fr. Gronovius ad Senec. Epist. 94. pag. 449.

Epist. 4, 13, 8. Locus hic tentari non debebat. Similis in negationis usu anomalia occurrit 5, 17, 6. ubi v. quae notavi.

Epist. 4, 27, 6. Locum Euripideum Sophocli tribuit insciteque interpretatur Devarius de particul. pag. 349. sq. ed. Reusm.

Epist. 6, 15, 3. *ius civile — respondet*. Notanda constructio. In Cicer. de Orat. 1, 45.

revocanda lectio antiqua: *in reſpondendo iure.* ubi male Erneſtius *in reſpondendo de iure,* quaerens in nota ſubiecta: „Quid porro eſt, *in reſpondendo iure?* ut vulgati habent. quis ita dixit?" Ciceronem ipſum et alibi ita dixiſſe, poterat ex Clave ſua diſcere. Horat. Epiſt. 1, 3, 23. ſq. *ſeu civica iura Reſpondere paras.*

Epiſt. 6, 19, 5. Conf. 8, 2, 1. *Vendideram vindemias certatim negotiatoribus ementibus.* unde liquet, *certatim* cum *emtitant* iungendum eſſe.

Epiſt. 8, 5, 2. *fruendis voluptatibus.* Cum in MS. *fruendi voluptatibus* reperiatur, Gudius ad Phaedr. 4, 25. probabiliter corrigit *fruendis diu voluptatibus.*

Epiſt. 10, 119, 1. De *certaminibus iselaſticis* cum obiter egiſſet Bouhierius, vir vere illuſtris, in Hagenbuchii Ep. Epigraph. p. 9., laudans Iſelini de illis diſſertationem in Hiſt. Acad. Inſcript. Pariſ. T. V. p. 277., ſic pergit p. 10. ſq.:

„Ce que je viens de dire des Jeux Iſélaſtiques me donne lieu de propoſer une conjecture ſur un endroit trés obſcur d' une Lettre du jeune Pline à l'Empereur Trajan, X. 119, dont voici le ſujet."

„Pendant que Pline gouvernoit la Bithynie, quelques Athlétes de cette Province, qui

étoient revenus vainqueurs d'un Jeu de cette eſpèce, demanderent á jouir de leurs privilèges, non ſeulement du jour, qu'ils étoient retournez triomphans en leurs patries, mais même de celui, qu'ils avoient été couronnez. *Nihil enim referre,* diſoient-ils, *quando ſint patriam invecti; ſed quando certamine vicerint, ex quo invehi poſſent.*"

„Pline en fit difficulté; et pour ne rien prendre ſur lui, il propoſa ſon doute à l'Empereur Trajan en ces termes: *Ego contra ſcribo Iſelaſticorum* (ou ſelon les anciennes Edit. *Iſelaſtici) nomine. Itaque eorum vehementer addubitem, an ſit potius id tempus, quo εἰςέλασαν, intuendum.*"

„Ces paroles ne font aucun ſens raiſonnable; en ſorte que les Commentateurs conviennent, que ce texte a été alteré. Ils ne propoſent neantmoins aucune conjecture, qui ſatisfaſſe l'eſprit, ſi ce n'eſt en ce que quelques uns diſent, qu'il faut corriger, *εἰςήλασαν*. Ce qui eſt indubitable. Du reſte les uns effacent *ſcribo,* et encore *itaque eorum;* les autres ſe contentent de corriger: *Ita tamen, ut vehementer etc.*"

„Mais la premiére de ces conjectures eſt trop hardie, et la ſeconde eſt contraire au ſens de ce paſſage, comme d'autres l'ont dé-

jà obſervé. D'ailleurs elle conſerve le mot, *Scribo,* qui ne peut ſubſiſter, ce me ſemble. Car il ſuppoſe une déciſion de la part de Pline, qui n'a voulu que propoſer un doute, et en laiſſer le Jugement à l'Empereur."

„Pour moi, en attendant que quelque MS. nous découvre la véritable Leçon, je lirois: *Ego contra, ipſo Iſelaſtici nomine, et Iſelaſticorum, vehementer addubitem etc.* Pline réfute en deux mots la raiſon, qu'alléguoient les Athlétes, en répondant, qu'elle ſe détruiſoit par le nom même *d'Iſélaſtiques,* lequel étoit donné tant à leurs Jeux, qu'à leurs priviléges. Ce nom ſuppoſoit en effet une entrée ſolemnelle dans la patrie du vainqueur. D'où il ſuivoit, que la récompenſe, dont il s'agiſſoit, ne lui étoit duë, que du jour de cette entrée, *quum quis in civitatem ſuam ipſe εἰςήλασεν,* ſuivant la ſage réponſe de Trajan."

„Ce ſens eſt clair, et naturel. Mais ces mots extraordinaires, *Iſelaſtici, et Iſelaſticorum,* n'étant point entendus des Copiſtes, ont ſans doute donné lieu à leur mépriſe, comme il n'eſt arrivé que trop ſouvent."

De eodem loco ipſe Hagenbuchius in Ep. ad Gorium pag. 451.:

„Pag. 11. *χριτιχώτατος Bouhierius* corruptum Plinii locum reſtituere adgreſſus eſt. quem locum quia editores Pliniani neſciverunt a Sam. Petito tentatum eſſe, eius verba *de Leg. Att. pag.* 62. *init.* ſubiicio. „Re-„ſcribo: *Ego cum tranſcribo,* Iſelaſticorum, „*nomine itaque eorum vehementer addubi-„tem, an ſit potius id tempus, quo* εἰςέλασαν, „*intuendum.* Nempe cum libellum ab *Iſe-„laſticis* ſibi oblatum Imperatori mittendum „tranſcriberet Plinius, ipſo eorum nomine „monitus facile vidit *Iſelaſticos* dictos fuiſſe, „non ex eo tempore, quo ſunt coronati, „ſed ex quo patriam invecti ſunt, εἰςέλα-„σαν." Editiones Plinii praeſtantiores, Hearniana, et noviſſima Longoliana, emendationem Schefferi habent: Ego *cuncta* ſcribo Iſelaſticorum nomine: *ita tamen ut* vehementer addubitem. Si *ita tamen ut* verior lectio eſſet, conarer legere: Ego *contracta* ſcribo, i. e. in compendium a me redacta. proconſulem enim ipſum ſua manu ex Iſelaſticorum charta in papyrum transſcripſiſſe, librariorum opera non uſum, quod Petitus voluit, credibile non ſit. Quid? ſi libellum

obtulerunt, Plinius ipſum eorum autographum Romam, credo, miſiſſet. Sed lectio *ita tamen ut* videtur orta ex corrupto, et non intellecto *itaque eorum*. In mentem mihi venit, forte Plinium ſic ſcripſiſſe: Ego contra *ſcilicet ipſo* Iſelaſtici (vel Iſelaſticorum) nomine *ita moveor* (vel *urgeor*), ut vehementer addubitem, cet. Si Plinii integrum *ſcilicet* librarii poſteriores more ſibi conſueto in *ſc.* contraxerunt, *ſcribo* facile naſutulus quidam pro *ſc. ipſo* obtruſit. Si Florentiae, quae eiusmodi *κειμηλίοις* membraneis vel chartaceis ſuperbit, codex Plinii MS. inveniatur, eum inſpicere ne dedigneris."

Nihil, quod nodum illum ſolvat, in theſauris Florentinarum bibliothecarum reperiri, amicum docet Gorius p. 466.

Panegyr. 76. init. Scripſit de hoc loco in Programmate Fikenſcherius, Rector Lycei Culmbacenſis. Deletis duabus vocibus, *tutum fuit*, mutataque interpunctione, ſic legit: *quum — ageres! Interrogavit: quisque, quod placuit, diſſentire, — facere.* Diſplicet haec ratio perinde, ac Schwarziana, I. Fr. Herelio, cui Plinius videtur ſcripſiſſe: *quum — ageres! Quisque quod placuit, diſſentire, — facere.* Vid. *Magazin für*

Philologen. Herausgegeben von G. A. Ruperti und H. Schlichthorſt. Zweiter Band. Bremen. 1797. pag. 227. ſqq.

Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. De ſiglis, quibus ad notas interpretum discernendas uſus ſum, vix opus eſt ut moneam, *E.* Erneſtii, *G.* Gesneri, *H.* Heuſingeri, *S.* meas indicare.

Scr. Lipſiae m. Februario 1805.

LECTVRIS

S.

AVGVSTVS GVILIELMVS ERNESTI.

Quum essem rogatus a librario, repetitionem huius Plinii Gesneriani paraturo, ut significarem, si quid esset, quod arbitrarer illi non invitis Manibus Gesneri accedere posse; meminissem autem opportune, in bibliotheca filii, Caroli Philippi Gesneri, Viri illustris, Dresdae me vidisse exemplum notatum manu beati Viri, nec dubitarem, quin facili Domino libri uti liceret: adii de voluntate librarii illum ipsum per litteras, ut ad usum novae editionis exemplum illud nobis concederet, rogavi. Ille vero, quo est in litteras amore, ipse litteratissimus, in meque favore singulari, statim non transmisit mihi solum, quod petieram, sed etiam donavit.

Hac ergo liberalitate, quam ipsae bonae litterae, si non diserto me, at grato saltem, interprete praedicant, ita usus sum, ut, praeter diligentem curam speciminum typographicorum, religiosissime tractarem accessiones animadversionum, easque totidem verbis suo quasque loco insererem; non nisi voculis singulis subinde necessario additis. Ac ne quis existimet, pauculas illas accessiones esse, comparet, quaesumus, utrius-

que editionis, vel in duobus epiſtolarum priori-bus libris 1, 3, 5. 1, 24, 4. 2, 3, 1. 2, 11, 6. 2, 12, 2. 2, 17, 1. it. 5. 2, 20, 12. ſimiliterque in ceteris, praecipue in Panegyrico, plura eſſe addita reperiet.

Poterant et textui Pliniano ſubiici, quae b. Gesnerus in Epiſtola ad Venerandum Patruum meum data paullo poſt evulgatam priorem editionem, velut auctarium, propoſuerat: ſed vitari tamen vix poſſe videbatur, quin, ſuo quibusque loco addendis, veluti luxationibus tentarentur animadverſiones. Itaque omiſſis modo, quae ad culpas operarum pertinebant, integra illa Epiſtola ſervata eſt; praeſertim quum religioni mihi ducerem, monumentum amicitiae, quod hic quoque b. Gesnerus in Venerandum Patruum meum exſtare voluiſſet, ſubvertere; adeo carum illud Patruo, ut ſui viciſſim in illum amoris teſtificandi gratia illi Epiſtolae, ſociumne dicam an aemulum? addiderit commentariolum ſuper locis quibusdam epiſtolarum libri decimi, Panegyrici item, ad quem eius olim ad Gesnerum litterae non pertinuiſſent.

His igitur fruere B. L. nobisque fave. Scr. Lipſiae in mercatu vernali A. O. S. CIↃIↃCCLXX.

PRAEFATIO SVPERIORIS EDITIONIS EADEMQVE EPISTOLA AD ILLVSTRISSIMVM COMITEM HENRICVM XI. RVTHENVM

RELL.

Non quaeris, cum ista tibi in manus traduntur, quod vehementer optabile est talem epistolam scribenti, Quis est iste Gesnerus? Quid sibi vult ista dedicatio? Quale est, quod mihi offertur? Nosti, quae magna mea felicitas est, Gesnerum; nosti, quod tu in aliqua felicitatis parte ponis merito, Plinium; recordaris, quamquam oblivisci soles tuorum benefactorum, quas ille caussas habeat ad te ablegandi exornatum praesenti opera Plinium; recordaris, inquam, quam generosa et liberali humanitate operam Plinio et mihi dederis, quantum legendo interpretandoque illius Panegyrico, quem Ciceronis epistolis et Taciti

Agricolae ſubiiciebamus, et voluptatis et utilitatis ceperis. Itaque non mirabere, meo quoque animo obverſari horas, quas in iucundiſſimis vitae meae reponere ſoleo, in quibus tuam et diſcendi cupiditatem, et ingenium feliciſſimum, et vere generoſum pectus, et propriam magnis animis, atque ut ſummo loco natis, ita ad ſumma omnia contendentibus, humanitatem intueri ex proximo admirarique mihi licuit. Quid ergo pronius mihi fuit, quam de te cogitare, Illuſtriſſime Comes, cum Plinium tractarem, aut quid videri iuſtius debuit, quam tuo nomini inſcribere monumentum ingenii illius, quod vehementer tibi probari, quod capi a te, quod amari, ſenſiſſem. Nemo enim capit Plinium, quin amet, ut Illuſtriſſimum Henricum XI. Ruthenum nemo novit, quin amandum colendumque iudicet. Equidem ob id ipſum, quod te noſſe mihi contigit, Illuſtriſſime Comes, ea ad te fiducia accedere ſuſtineo, ut neque refugiam liberius aliquanto apud te ipſum de hoc noſtro munuſculo, quo te et literatos reliquos afficere viſum eſt, disputare; quem norim, atque adeo expertus ſim, pro tuo in quidquid pulchrum eſt amore, huius etiam generis commentationibus delectari. Quem quidem amorem gentilicium tibi eſſe, ut ea modo commemorem, quae ex proximo et coram cognoſcere mihi licuit, non modo Illuſtriſſimus tutor tuus Henricus XXIV. me docuit, cuius decora in Buddeana Ienae et Vinariae in Marſchalliana Gryphum domo mihi innotuere, ſed tres etiam illius Illuſtriſſimi filii, in quibus Henricum VI. anno huius ſeculi XXIX. Ienae de ſuperiori cathedra disputantem non ſine ſumma omnium admiratione, et eorum maxime, qui recte iudicare poterant, audivi; Henricos IX.

atque X. vero in hac ipſa Academia nuper in laude atque amoribus omnium verſatos, quod ſic volebant, complexus ſum, quorum manibus ad me ſcripta excellentiſſimi ingenii et generoſiſſimae liberalitatis pignora ſervo, quos hoc ipſo tempore e Gallia reduces, et veteris obſequii noſtri memores, veterem ipſos benevolentiam erga me et indulgentiam ſervare, non ſine maximae et honeſtiſſimae voluptatis ſenſu paucis ante hebdomadibus expertus ſum. Pateris itaque pro gentilicio illo tuo in bonas literas amore, me de epiſtolarum Plinianarum, quod tibi hic offertur, opere pauca apud te, veteri praefationum more, disputare.

Ab ipſo ſcriptas Plinio, neque recentiori demum tempore a commenticia illa, quae Io. Harduini ingenio debetur, ſocietate confictas, accuratus ille conſenſus cum praeſtantiſſimis aevi, quo vixit, indubiisque monumentis, oſtendit, demonſtratus praeſertim a Io. Maſſono; qui conſenſus non ſane a mendacium et vanorum aliquot hominum ingeniis profectus eſſe potuit. Scriptas ergo has epiſtolas editasque ab ipſo Plinio, plane mihi non eſt dubium. Utrum autem miſſae omnes ſint ad eos, quorum praeſcripta ſunt nomina, ea vero alia quaeſtio eſt, non ita facile affirmanda. Primo diem adſcriptum nulla habet, quod in iis, quae re ipſa ad amicos mittuntur, epiſtolis intermitti vix ſolet. Et, ſi dicas, quod praefracte equidem non negaverim, diei mentionem detractam, cum ederentur, illud tamen apparet, argumenta epiſtolarum pleraque eſſe quaſi ad ipſam ſcribendi exercitationem quaeſita ac delecta; itaque omnia polita et ornata, eam quaeſitam varietatem, ut hoc ipſum

egisse illum appareat, uti relinqueret posteris quam pulcherrimam amabilissimamque sui ipsius imaginem. Cum enim gloriae bonis artibus parandae esset studiosissimus, et in hac quoque re Tullium, perpetuum et unicum suum sibi exemplum proponeret, cuius in epistolis vel maxime tantus animus comprehensus, et posteritati commendatus est: quid poterat facere elegantius ad simulacrum mentis suae, et factorum vitaeque suae memoriam tradendam posteris, quam si scriptas a se epistolas in vulgus ederet eas, quibus foras quasi prodierat, et conspiciendum se praebuerat ille cupitor et affectator immortalitatis animus; iisque adderet alias, eo ipso consilio scriptas, et forte missas privatim ad neminem, sed omni posteritati dicatas, quibus ea commemoraret, quae de se, de suis studiis, de toto vitae suae genere, de actionibus, de amicis suis, de rebus denique omnibus, quae ad ipsum ullo modo referrentur, scire et existimare vellet posteros. Illud de amicis quale sit, sic satis vel ex meo sensu arbitrari mihi videor, qui hoc ipso tempore non sine suavitate quadam illud tempus cogitatione praecipiam, cum videbunt homines, qui post aliquot aetates hunc ipsum libellum in manus sument, licuisse mihi tantum non familiariter cum Henrico XI. Rutheno agere, quem sua nobilitas, virtus, felicitas, res gestae ad ingens adeo fastigium extulerint. De Plinio quidem rem se ita, uti dixi, habere, ipse iudicabis, scio, si percurrere velis vitam illius, qualem ex his epistolis, aliunde enim paucissima constant, collegit Cellarius, cui a nobis tantumdem fere adiectum est. Sed illud quoque ipsis epistolis cognoscendis intelliges, si attendere volueris, (et attendis, quae magna adolescentiae tuae

laus est, quidquid agas) illud, inquam, pro magni illius et capacis ingenii tui vi agnosces, quaesitam esse studio varietatem et amoenitatem, lectorum lenocinia; non coniunctas unius temporis, vel ad unum hominem, vel unius argumenti epistolas, distracta potius studio, quae ad unum locum pertinent, suspensumque exspectatione lectorem, ut plures pervolvat epistolas, dum ad eam veniat, quae coeptam caussae alicuius aut negotii enarrationem absolvat. Illud quoque non sine consilio factum est, quod tot elogia hominum sui aevi, et praedicationem virtutis illorum intexuit: eo plurimum nempe et hominum et familiarum intererat, habere opus hoc, et suis posteris, ut imaginem aliquam, ut titulum nobilitatis suae, commendare. Huic, puto, inter alia consilio debetur, quod in tanta librorum eius aevi strage, quae totam paene Traiani, optimi principis, historiam abolevit, evasit hoc volumen, et cum auctoris sui, tum aliarum rerum, hominumque memoria nostra dignissimorum, conservavit memoriam. Successit enim deinde Sidonii Apollinaris studium, viri magni, qui cum Nostrum unice amaret, commendaret, in exemplum proponeret, quod ex subiectis testimoniis poteris intelligere, multiplicata huius operis exempla sequentem mox colluviem eo sustinere facilius potuerunt. Suavitate tecum, Illustrissime Comes, agendi provectus modum epistolae iam egressus sum. Sed neque intercedit tua humanitas, quo minus reliqua adiiciam, quae in fronte huius libri dicenda habeo, quaeque eo lubentius cognoscent lectores reliqui, si te una praesentem quasi animo suo habuerint. Quid? quod possum etiam in quibusdam ad conscientiam tuam provocare,

et testem te, maiorem exceptione, exhibere: ut in eo, quam saepe optarim, Panegyricum, ut nunc vocamus, sive gratiarum actionem Plinii nostri, pretiosum illud istius aevi monumentum, Celeberrimi Schwarzii studio expolitum, ante prodire, quam denuo mihi, post parvam illam editionem, una cum epistolis, sine eo minus gratiae habituris, proferendus esset. Illa viri doctissimi cunctatio (sed cunctator fuit etiam Fabius) facit, ut de fatis Plinii, ab eo inde tempore, quo publicis typis committi coepit (coniuncta enim fere Epistolarum et Panegyrici sors fuit) deque Manuscriptis, qui adhuc exstant, supersedeam dicere, cum facile praevideam, pleniora omnia et certiora illum suis ex thesauris dare posse. Quae eadem caussa fuit, ut eo facilius bibliopolae consilio obsequi in hac editione decreverim. Est autem, ut obiter eum tibi, Illustrissime Comes, commendem, *Caspar Fritschius*, frater *Thomae*, (quem principem sui generis hominem fuisse accepisti) talis vir, quo nemo magis intelligit negotiationis istius librariae rationes, nemo generosius illas liberaliusque tractat, indignus proinde iniuria, qua afficere illum nuper aliquis circa scriptores rei rusticae, ipsius sumtu, mea qualicunque opera, editos, conatus est: conatus est, inquam, non affecit. Per ipsum profecto et ipsius, dum viveret, fratrem non stetit, quo minus quidquid usquam esset praesidiorum compararetur ad exornandos illos rusticos. Si qua latent (ex iis, quae data sunt*), speciminibus nondum intelligi satis potuit, quantum ea momentum habeant) non ipsius,

*) Miscellan. Observatt. Vol. VII. pag. 274. sq.

iterum confirmo, et fide viri boni confirmo, culpa latent; proditura forte aliquando, nobis minime invitis, sed candide plaudentibus. *Casparis* igitur *Fritschii*, huc enim redeo, rationibus et consilio obsecutus sum, qui desiderari aiebat Pl nium, et emendate, quantum eius fieri posset, editum, et adnotationibus instructum iis, quibus apertior fieret illius sententia, non pueris quidem, et omnium rerum rudibus, sed his, quorum rationes non ferunt, semper ad alios libros ut recurrant, historias, antiquitatemque in promtu habeant, difficiles Grammaticorum nodos longa meditatione resolvant. Lectionis varietatem, eiusque rei disputationem, non totam ille quidem excludebat, sed optabat moderationem ea in re adhiberi, quae non deterreret homines, quales descripsimus, sed eadem, quae maxime necessaria videntur, non dissimularet. Hoc, ut per se honestum est et utile consilium, ita opportune iam locum habebat, cum ante annos non ita multos prodierint epistolae, Cortiana et Longoliana industria magno apparatu critico instructae; de Panegyrico autem non laudati modo Schwarzii opera in maxima proximaque exspectatione sit, sed egregia quoque omnia minetur Cl. Arntzenius: quorum industria quaesitis uti poterunt, qui toto, quod aiunt, sacco fundi sibi volent opes criticas. Nos ergo, quantum consequi studio atque intentione (quamquam saepe, ut ipse non ignoras, Illustrissime Comes, interpellati) potuimus, talem damus Plinium, qui utilis esse possit propius et accuratius ipsum, non librarios, cognoscere volentibus: qua in re illa praesertim habita ratio est, ut non eos modo locos interpretaremur, qui vehementer indigere ea opera viderentur; sed illos

etiam, in quibus adhaesisse, quamquam facilibus et apertis nostro iudicio, alios observabamus. Contigit etiam hic, quod nuper in Quinctiliano, ut dicenda essent, pro instituti nimirum ratione, non ea, quae ipse primus vidi, quae nescio quam multa sint; sed quae necessaria, aut commoda certe lectoribus, licet dicta ab aliis quoque, arbitrabar. Morem equidem illum tenui, nihil ut ponerem, nisi quod ita se habere, meis oculis, meo animo, cognovissem; si quod inventum commemoratu dignum videretur, auctori suo libenter adscriberem, Cortium praesertim Schwarziumque frequenter laudarem.

Hoc igitur quidquid est operae meae tibi, Illustrissime Comes, dicatum esse volo ea lege atque conditione, uti profitear, tua etiam humanitate, tua indulgentia excitatum libenter tractasse Plinium, quod cognoscerem, esse apud te in honore hasce literas, teque sapientissima ratione, ab optimis praeceptis et tuo ipsius excellentissimo ingenio profecta, arbitrari, vix, ut res sunt hodie, feliciter tractari ceteras doctrinae partes posse, nisi quis ab horum librorum usu diligenti iudicium, et quasi gustum quendam veri, pulchri, et honesti, quod tum in oratione tum in vita et consuetudine hominum conspicitur, retulerit.

Exstant, et suo tempore commemorabuntur apud posteros etiam, singularia plane excubantis pro te Providentiae divinae munera, quae orbitatem tuam ita gubernavit, ut merito suspicemur, praeparari te magnificum illius instrumentum ad salutem et felicitatem plurimorum hominum, tum qui in tua ditione sunt, tum aliorum quoque,

procurandam. Non puto errare me, ſi inter illa munera locum tribuam non poſtremum illi, quod comitem tibi et adoleſcentiae tuae rectorem adſignavit Conſultiſſimum iuris et omnis ſapientiae Riſenbeckium tuum, cuius cum prudentiam et fidem in ſuis pignoribus cognitam perſpectamque feliciter habuiſſet Illuſtriſſimus tutor tuus Henricus XXIV. quem ante laudavi, eum tibi adiunxit, cui aequam ſcilicet, quin, ut eſt religioſiſſimus, et officiorum omnium non peritiſſimus modo, ſed etiam obſervantiſſimus, maiorem ſolicitioremque curam ſe debere, quam ſuis filiis exiſtimaret, cum de his rationem reddendam praeter Deum et ſuam conſcientiam nemini, ſciret; de te autem etiam iudicia aliorum hominum revereatur. Huic igitur Riſenbeckio tuo, veriſſimo Phoenici, cum credideris, a me etiam aliquid diſci poſſe profuturum; vehementer mihi elaborandum eſt, ut, bonum me virum eſſe, quod illi credidiſti, tuo ipſius iudicio intelligas. Gratum quidem et non immemorem tuae in me indulgentiae, hic ipſe libellus teſtis ſemper exſtabit. Utinam etiam verum me vatem agnoſcas aliquando, cum praedicere tibi audeo, quod vehementiſſime opto, et e ſignis raro fallacibus colligere mihi videor, futurum, ut tui cives longa plenaque ſub te felicitate beati gratias decernant iis omnibus, quorum cura, ſtudio, conſiliis, opera, generoſiſſimum illud pectus virtutibus omnibus impletum, et ſapienter feliciterque adminiſtrandae reipublicae praeparatum erit, quarum rerum quandam quaſi auroram iam videmus in tot rebus, quas in Plinio, iam tuo, adhuc amamus hodie, in tot pueris, ut hoc utar, qui tua liberalitate cultu humanitatis et religionis imbuuntur, in tot miſeris, qui

benignitate tua foventur, in tot ſtudioſis iuvenibus, qui tibi ſe debere vitae et ſtudiorum praeſidia quaedam grati agnoſcunt, in familiae tuae diſciplina et tranquillitate, in honore eorum, quibus contigit, ut ad ingenii tui cultum aliquid conferant. Macte iſtis laudibus, Illuſtriſſime Comes, et iſtas praeclariſſimas rectricis virtutis meditationes ad ipſum reipublicae actum et civium tuorum felicitatem reliquorumque admirationem ſuo tempore fauſtis auſpiciis transfer. Ita Deus aetatem tuam bonis omnibus cumulet. Dab. in Academia, quam ornas, Georgia Auguſta Kal. Octobr. CIƆIƆCCXXXVIII.

IO. MATTHIAE GESNERI
AD
IO. AVGVSTVM ERNESTI
COLL. THOM. APVD LIPSIENSES RECTOREM
EPISTOLA
QVA SVAM PLINII IVNIORIS EDITIONEM VEL EMENDANDI VEL DEFENDENDI CAVSSA RETRACTAT.

Quo tempore reducem e Lipfienfi prelo Plinium accipio, una mihi redditur epiftola tua, ERNESTI, vir doctiffime, et animo meo cariffime. Non dico, iucundam fuiffe: fatis eft, quod a te fuit. Sed amplius quiddam in ea reperi, quod non ad meae tantum voluptatis fructum, fed ad aliorum quoque utilitatem referendum, ftatim iudicabam, cum una mihi fignificaret Cafpar Fritfchius nofter, fi quid Plinio adiiciendum haberem, tempus adhuc effe, pauciffimis eius exemplis manu quafi emiffis. Statim, inquam, confilium arripui errores vel meos vel operarum, de quibus nos admonuifti, fententiam de quibusdam locis tuam a mea difcedentem, et fi quid aliud occurreret

ſalutanti poſtliminio quaſi ad me redeuntem Plinium, ea omnia, epiſtola quadam comprehenſa, ad te mittendi: quod tanto magis mihi placuit conſilium, cum eodem tempore ad me perveniſſet, quem avide diu exſpectaveram, Panegyricus Plinianus, quem tu propter negotia tua non attigeras, a Cl. Arntzenio editus, e quo decerpere quaedam lectoribus Plinii profutura, et noſtra inde vel augere vel emendare, liceret.

Age igitur, quae addita, detracta, immutata, defenſa, vellem in Plinianis curis noſtris, apud te breviter perſequar; quod obverſans animo meo tua imago cum dulcius mihi, quidquid hoc eſt laboris, faciet, tum ſi qui ſunt igniculi in nobis ingenii, eos leni quaſi ſpiritu excitabit. Non vereor, ne voluntatem tuam offendam, ſicubi a tua ſententia diſceſſero. Melius inter nos de maximis rebus convenit, quam ut minuta diſputatiuncula animorum coniunctionem, ſanctiſſimis adſtrictam vinculis, labefactare poſſit aut convellere. Ceterum non eius modo brevitatis hic memor ero, quam ipſa quaſi imperat neceſſitas; ſed totius etiam conſilii huius editionis. Cum enim non eo ſpectet labor noſter, ut integritati Plinii ſcrupuloſa diligentia conſulatur, quam provinciam, quantum ad epiſtolas, pulchre ornatam ſciebam a Cortio, et qui ſuccenturiatus illi fuit Longolio; in Panegyrico autem, (ne de Cel. Schwarzio hic dicam) id quod ſperaveram futurum, praeclare eadem functum video doctiſſimum Arntzenium, qui viri ſuo labore in futurum quoque proſpexerunt, proſpicientque, ne temere, vel impune adeo, graſſari in Plinium poſſit critica licentia; ſed ut commodius legatur ſcriptor venuſtiſſimus, atque intelligatur, quod ipſum in epiſtola ad Illuſtriſſimum Ruthenum Comitem profeſſus ſum: propter has cauſſas venia nobis dabitur, quod non moroſe et ad unguem perſequi-

mur omnia, cum in libro ipso, tum in hoc quasi eius spicilegio. Sed ne faciamus ianuam domo maiorem, rem, age, ipsam aggrediamur.

1, 8, 12. Cum de *munere* hic sermo sit, placet tibi, Ernesti doctissime, non ad medicorum, de quibus alioquin hic agitur in protasi, pilulas referri verbum *inducere*; sed eo sumi intellectu, quo *inducuntur*, h. e. producuntur, ostenduntur, commendantur, spectatoribus ludorum publicorum personae, ipsaque adeo munera: cumque Graeci eadem ratione dicant εἰςάγειν, inde ais explicari forte non absurde posse locum in Epistola ad Hebraeos 1, 6.

1, 9, 1. Praefers *iunctisque*, aut *cunctisve*, pro diversa oppositionis ratione, ex qua singulis opponendi sint aut *plures iunctique*, h. e. plures, et ii quidem non singuli, sed iunctim considerati, aut *plures*, atque adeo cuncti, h. e. *cunctive*. Mihi crescere videbatur oratio. Singulis diebus per officia urbana transactis sic satis constat ratio; minus constat *pluribus*; omnium minime *cunctis*, h. e. vel simpliciter omnibus, vel certe pluribus illis in unam summam collectis. Sunt enim *cuncti*, quod Festus et Asconius docent, *simul omnes*, quasi *coniuncti*.

1, 9, 5. Pro *nisi unum me* iubet Cl. Arntzenius ad Paneg. 94, 3. legere nos, *nisi tamen me*.

1, 12, 1. Vetas me dubitare, vir doctissime, quo *iacturae* appellatio respiciat, cum doceat ipse Plinius 2, 1, 10. At ipsum hoc nempe dubitabam ego, utrum consolandi argumentum initio ponere voluerit, et in luctu desinere.

1, 20, 7. Ad *subscriptiones censorias* hic respici putas; nec intercedo, cum in hoc conveniat et *accusatoris*, δίκην γράφοντος, *subscriptio*, et *censoria*, ut caussa vel crimen breviter designetur.

1, 20, 10. *Orationis* retinendum censes, ubi ego *oratoris* praetuli. Neque profecto temere. Nempe h. l. *actio* non consideratur, ais, quatenus ab *oratore* pendet; sed quatenus ab *oratione*: defenditurque a Plinio, nunquam *bonam orationem* esse *sine bona actione*; et si bona *oratio* sit bona *actione* destituta, propter temporis ad agendum dati angustias, quibus actio frangatur, cum timeat orator, ne tempus constitutum excedat, non esse *orationis* culpam, neque propterea illud, quod posuerat de naturali bonae *orationis* et *actionis* coniunctione negandum; sed *iudicis*. Praeclare ista. Sed vide, ὦ φιλότης, qua parte ego con-

ſideraverim. Imaginabar hanc ſpeciem, brevem nimis diem conſtitutam oratori, non datum eſſe tempus domi otioſe commentandi et ſcribendi orationem; unde neceſſario ei ſit ex tempore agendum: qua re fiat, ut *actio* talis ſimilis eſſe *orationi* cuicunque ſcriptae, animo certe antea comprehenſae non poſſit. Hoc ergo tum non accidit culpa *oratoris*, qui volebat, niſi impeditus eſſet parare *orationem*, quam *actione* deinde exprimeret.

1, 20, 17. De Eupolidis in Periclem verbis etiam dicta quaedam ad Quinctil. 10, 1, 82.

2, 3, 2. *Ponit controverſias* tibi placet, cum alias non intelligatur, quomodo elegerint auditores. Mihi etiam ſine dubitatione placeret, niſi extemporalitatem laudaret Plinius: quae ſuſpecta ſane eſt, ſi ipſe declamator controverſias *ponit*: ſuſpecta etiam eſt, ſi de pluribus quas *popoſcit*, unam *ipſe eligat*; poteſt enim conſtitutum habere cum eo qui poſuit; poteſt certe facillimam deligere. Suſpicio omnis abeſt, ſi primo *poſcit* controverſias plures; tum de pluribus illis electionem permittit auditoribus, qui vel ſententiarum numero, vel forte adeo decidere poſſunt. Mea hic culpa eſt, qui, dum brevis eſſe volui, abrupte nimis locutus ſum, ut tu etiam dubitare poſſes, qui tot perplexa ſolvis quotidie.

2, 5, 6. Pro adverbio *laetius*, contra alterum *lautius*, propugnas hoc modo, non tantum ut illi locum hic eſſe oſtendas, quod facile dedi; ſed huic ut eſſe neges. Ponis autem, hic ſermonem eſſe de *copia* orationis, ad quam *lautus* vix referatur. Cum vero videas, hoc non ſatis firmum eſſe, et *lautos homines* etiam dici *copioſe ornatos*; nec de ſola hic copia agi: negas *ſevero* et *triſti* opponi poſſe *lautum*; opponi *laetum* a noſtro 3, 18, 10. Verum hoc quoque aliter ſe habere, mihi videbatur. *Severi* et *triſtes* iidem ſunt *ſqualidi*, *immundi*, ut in ieiunio Phariſaei: hilares contra *lauti*, *uncti*, *nitidi* etc. quales vult eſſe Salvator ſuos, cum ieiunant etiam. Denique non probabile eſt, pro *laetius* aliquem ſubſtituiſſe *lautius*: ſed hoc illi iuſſum cedere a correctoribus, vel ipſa tua diſputatio indicat.

p. 89, b, v. 23. Obſcure locutus ſum. Hoc volo, *tres clepſydras unius horae ſpatio effluxiſſe.*

2, 11, 25. Leg. *ſcribe, quid arbuſculae agant.* Quamquam enim ſatis frequens eſt, poſt interrogativa, obliqua etiam, poni indicativum: Cortius tamen, credo bonis auctoribus, *agant* poſuit.

2, 17. pr. Mones me, qui es oculus meus, consulenda etiam esse, quae de situ Laurentini contra Holstenium disputat Fabrettus Inscr. antt. p. 752.

p. 129, a. Abiecit heu! humana omnia Baierus. Itaque non est, quod parvulum illud ab eo speremus, qui multo maiora destituerit.

3, 5, 8. *Parcissimum somnum*, vigilantissimus homo, merito defendis contra eum, qui *paratissimo somno* se gaudere non diffitetur, his rationibus nixus, primo, quod verba, *erat sane parcissimi somni*, relationem ad antecedentia, et tanquam conclusionem indicent; ibi autem de *parco* somno, non *parato* actum sit: deinde quod *somnus inter studia et labores*, adeoque alieno tempore et loco, praeter opinionem, cum hoc non agitur, ut dormiamus, *instans*, non possit *paratus* dici, sed *obrepens*, *opprimens*; quod autem idem praeter opinionem instans et obrepens somnus cito deserat hominem, id ipsum non esse *parati* somni, sed *parci*; neque tam hic respici a Plinio ad id, quod etiam *inter studia instet*, sed quod, cum hominem oppresserit, *mox* tamen *deserat*. Haec tu pro *parcissimo somno*. Non autem de hoc inter nos disputatur, utrum *parcissimi somni* fuerit Plinius? hoc satis docet illius filius: sed an *paratissimus* dici potuerit somnus, qui *instat* ille quidem semper, ut *gravis adversaria exspectatio constituta et parata Curioni* ap. Cic. Fam. 2, 4. ut *paratus moechus* ap. Ter. Andr. 2, 1, 16. sed etiam *deserit*; commoda sane natura in homine negotioso, qui sit *parci* ille quidem somni, et vigilans; verum idem etiam *parati*, quod fere consequens esse in hominibus sanis solet. Neque enim molles pulvillos exspectat, qui post moderatum somnum multis horis vel animo vel corpore agitato atque exercito fuit etc. Non puto ego nimis me somniculosum hominem; sed gratias ago naturae meae auctori, quod *paratum* illum semper blandum insidiatorem experior, satis tamen modestum eundem, qui recedere, cum opus est, soleat.

3, 14, 2. *Fervens pavimentum* explicari debebat, quod bene mones, duobus verbis, si quis forte non meminisset, balnea illa fuisse ὑπόκαυστα, pensilia, fornicibus imposita, in quibus accensus ignis pavimentum primo calefaceret. Pictura passim prostat, v. g. apud Fabricium ad Sext. Empir. p. 30.

3, 16, 11. Praeclare obſervas, *male mori* alias dici, qui in aqua, aut a turpi imbellique beſtia pereant, de quo Cuper. Obſſ. 1, 8.

4, 7, 1. Crebra repetitio τοῦ *illum* ſcholaſtica tibi non magis, φιλτάτη κεφαλή, quam mihi videtur. Nempe bona pars Plinii eſt ſcholaſtica, h. e. ornatius ſtudioſiusque, quam ſolet in promiſcuo epiſtolarum uſu fieri, ſcripta: ſcripta nempe non amicis, ſed poſteritati, cuius ſe faſtidio illa ſua accuratiore oratione mederi putabat. Pone igitur tantiſper, non epiſtolam eſſe, ſed ſatiram, quam legimus, et anaphoran illam pronominis facilius concoques. Peccat, ſi ita vis, Plinius; ſed peccat, dum nimis placere nobis poſtulat.

4, 16, 2. Nihil mirum ais, adſtare aliquem tunica ſciſſa, ſalva tamen, qua illa tegatur, toga. Quid enim illum pudeat ſciſſurae repentinae, ſed tamen toga tectae? Quomodo vero tectam toga ſciſſuram inter agendum vidit Plinius? At id ipſum indecorum, ſuſpectum, ſingulare certe et obſervabile, aliquem ita ſe involvere toga, ut tunica nusquam appareat. Cogita Comicas perſonas in Molerii Avaro maculas et ſciſſuras veſtium pileo, patina, habitu corporis tegentes etc.

4, 27, 6. Mavis Plinio tribui voces redundantes γινώσκων ὅτι, quam indocto librario, quem vix credibile ſit, eas adieciſſe: et eodem modo redundare τὸ *inquit* 6, 33, 1. Videndi ergo Codices.

4, 30, 1. Putavit hanc quaeſtionem altiſſima eruditione ſua digniſſimam coniunctiſſimus collega meus I. A. Segnerus, quem apud te, qui noveris, laudare ſupervacuum eſt. Duobus enim programmatis illam explicatam dedit, inter inauguralia Academiae noſtrae ſacra auctumno ſuperioris anni editis, in quibus acutiſſime perſecutus eſt, qua ratione, conſervatis naturae motusque legibus, effici atque exſiſtere ſtati illi auctus atque deminutiones potuerint, atque eo demum evadit, ſiphonis cuiusdam a natura inter lapides et argillas fabrefacti ope totum illud peractum fuiſſe. Ponam ipſius verba ea, e quibus, qui non alieni ſunt ab geometricis, hydraulicisque rationibus, tu praeſertim, vir doctiſſime, de ſumma rei iudicare poterunt.

„Vas cape quodlibet perforatum ad aliquam a fundo „altitudinem, et ſi lubet, non longe a ſupremo margine „per foramen ſiphonem transmitte, ita ut crus eius bre„vius intra vas, ad aliquam a fundo diſtantiam, pateat, „longius extra illud habeatur, et foramen circa ſiphonem,

„occlude. Adfluat deinde in vas aqua aequali celeritate. „Assurget in vase pedetentim, donec siphonem totum te-„gat, itaque eum replebit, ac iam aqua per siphonem „effundetur. Quodsi ergo sipho eius fuerit structurae, ut „eodem tempore plus aquae fundat quam in vas accedit, „decrescet pedetentim aquae altitudo, donec a siphone „non amplius contingatur. Iam enim aëre repletus sipho „agere desinet, et aqua in vase assurget denuo, dum eae, „quas iam diximus conditiones, redeant. Sicque, si ad-„fluxus perpetuus fuerit, etiam alterna aquae in vase in-„crementa atque decrementa absque fine redibunt. Sed „aqua ex vase constanti tenore non effluet: quod ipsum „tamen, si velis, efficere possis facile. Insculpe vasi, quod „diximus, foramen aliud, circa fundum, quod, ubi aqua „vasis summum tenet, minus tamen eius reddat, quam „influit; ita tamen, ut, si aqua per siphonem et foramen „coniunctim fluat, plus eius effluat, quam in vas eodem „tempore influit: quod qua ratione obtineri possit, harum „rerum periti facile perspicient: efficietur, ut, influente „in vas aqua, primum per foramen circa fundum solum „effluat: quod cum minus transmittat, quam adfluit, as-„surget aquae in vase superficies, sed paullatim, si exces-„sus eius, quod influit, supra id, quod effluit, parvus „fuerit. Sed tamen siphonem tandem teget, efficietque, „ut per eum quoque aqua fluat, eoque facto cum plus „effluat, quam influit, descendet vicissim ea superficies, „lente pariter, si sipho cum foramine ad fundum paullo „tantum plus effluere patitur, quam in vas advenit. Si „vas aquam ex priori effluentem excipiat, et retentam „transmittat per foramen aliquod, aut rimam superne „apertam, in isto aqua augebitur tum, cum in priori „vase minuitur, minuetur, cum in priori augetur, sicque „hic quoque, quae PLINIVS in fonte observat, omnia „perfecte contingent. Stata erunt augmenta imminutio-„nesque, ad eandem surget aqua altitudinem, aequalibus „absolventur die nocteque temporibus, et pro diversa „viarum magnitudine, quocunque numero et tempore „redire poterunt periodi, ut rem leviter consideranti „patescit."

„Cum ergo reliquae caussae quas finximus omnes, et „quarum plures excogitari non posse videntur, nihil no-„stro fonti simile producant; ea vero, quam iam posui-„mus, ita ea, quae de eo commemorantur, efficere pos-„sit, ut nihil plane relinquat: veram esse hanc rei caus-„sam, existimandum est. Neque enim id obesse potest,

„quod ſiphones concipimus, qui artis opus, non naturae, „haberi debeant. Cum enim ſiphonem conſtituere poſſit „quilibet meatus inter lapides, aſſurgens paullulum, in„deque aliquantum magis deſcendens, quales maximo „numero inter petras reperias, nec praeter hunc quid„quam requiratur, quam ut aqua ad ſcaturiginem, vel „in antro, vel in aperto fonticulo colligatur: nihil aſſum„tum eſt, quod non efficere natura poſſit, et multis lo„cis effecerit ſeparata, ut coniuncta quoque nihil habeant „mirandum." Atque ſic explicatum arbitror egregie, quomodo exſiſtere talis fons potuerit. Utrum conciliari iſta cum *libramento abdito et caeco* Plinii poſſint? quod aliquando probabile nobis videbatur, iam valde dubito. Nimis aperte ille putat, aquam adfluentem viam ſibi non nunquam praecludere etc.

5, 6, 36. *Acanthum hinc inde lubricum et flexuoſum* quomodo explices, ut cognoſcant lectores, patere. Ratio, inquis, dicendi petita eſt a ſerpente, qui eſt lubricus, et flexuoſus, cum ſpiralis lineae figuram aſſumit. Sic acanthus ſatus fuit primo lineis curvis et ſpiralibus, ſed nulla certa figura, mox in certas figuras vocatus per aliquantum ſpatii, mox iterum ſine figura curvus et inflexus, ſicuti velorum aulaeorumque fines ſilamentis ſericis diverſi coloris ornantur, ut mox flexuoſa ſint et ſpiralia, mox figurata etc.

p. 285, a. Quod hic negabam *κατςεριτμῶν* nomen a me obſervatum, feſtinabam. Laudavi ipſe, cum vix Lipſiam iſta miſſa eſſent, in programmate quod habes de Diva Carolina Eratoſthenis *κατας‐ριςμοὺς*, inter opuſcula mythologica, phyſica, ethica, Galei p. 97. ſqq. editos.

5, 20, 4 Quae eſſet *rigida* periodus, explicari negabat poſſe Cortius. Tibi *frigus* de periodis, qua ſunt periodi, et quatenus pronuntiantur, dici non videtur. Age ponamus, quae tibi ſit *rigida* periodus; quam ego *frigidam* interpreter: cetera, in auctoritate manuſcriptorum fere pari, permittamus lectoribus. Eſt tibi igitur *rigida periodus*, in qua ita ſibi implicata eſt et pendet oratio, ut non poſſint voce tamquam inciſiones fieri, ſed tota ſit, quamvis longa, uno ſpiritu contorquenda. Quaedam contra periodi, quamquam longae, tamen flexibiles ſunt, ſi non pendet per totas oratio, adeoque non uno ſpiritu pronuntiandae ſunt. Mihi *volubilitas* non ſatis convenire *rigido; frigida* porro *periodus* videbatur fieri ipſa longitudine et productione non neceſſaria, qua perit et diſperditur dicentis impetus, et auditoris attentio; cum

otiosa epitheta, periphrases, exergasiae, otiosam, tardam, et inefficacem re vera reddant orationem, quantumvis magna volubilitate contorqueatur.

6, 2, 3. *Quasi deprehensum* non satis, ut video, explicavi. *Deprehensi* quidem notio satis clara, et si quis dubitat, inspicere licet Quinctil. 1, 12, 4. 6, 3, 100. 10, 7, 29. 12, 9, 20. Ergo *quasi deprehensus* est, qui habet eandem excusationem, veniam, commoditatem, quam deprehensus. Qui ex tempore dicere cogitur, hoc est enim *deprehendi*, culpam coniicit in eos, qui coegerunt ipsum dicere: qui cum Regulo dicunt, quidquid peccatur, in ipsum possunt coniicere, longas moras, corrogatos auditores etc.

6, 20, 15. Elegans est, quod tibi in mentem venit, forte dedisse Plinium, *Aderant, qui Misenum fuisse* etc. ex illo poëtae, *Fuit Ilium*. Ceterum verba, *Aderant qui* antiquo, quem typographi vocant, charactere, non cursivo, debebant in contexto Plinianae epistolae exprimi.

6, 32, 2. De h. l. nos nuper disputare vidisti ad Quinctilianum praef. §. 9. et 11.

7, 12, 2. Rectum videtur tibi ὑμεῖς γὰρ κακόζηλοι. Nimirum ut *disperdendi* verbo iocose usus est, sic etiam κακόζηλον vocat, te iudice, Minucium, h. e. nimis studiosum siccitatis, et salubritatis Atticae. Et sane κακοζηλίαν etiam in Atticismi illa nimia affectatione inesse posse, certum est. Pendeo; et ad te transirem, nisi scirem, me tui amore etiam corrumpi posse.

7, 17, 13. *Emendator acerrimus* cum Ciceronianum esse putas et comparas cum *acerrimo aurium iudicio*, mecum, ut in sexcentis aliis, sentis.

7, 27. Ad hanc epistolam responsum esse a personato Gustavo Iansono in Nova Bibl. Hal. 34, 2. bene facis cum me admones.

8, 14, 6. Vis, Vir Clarissime, non tam illam *distinctionem sententiarum* ab uno dictarum intelligi; quae a me post Catanaeum explicata est, et cui favet §. 15.: quam illam, quae propius ad quaestionem et speciem in hac epistola propositam pertinet; de qua praesertim §. 21. ubi plures *pugnantes sententiae* ad superandam unam iunguntur. Et facile tibi assentior, magis ad hanc respici, quod *pugnantes* vocantur, i. e. quae una consistere non possunt, quod de priori genere ita simpliciter dici non

poteſt; poteſt tamen cum relatione ad alios, qui duas eiusdem hominis ſententias, uno quaſi ſpiritu prolatas, ſimul probare nolunt.

8, 23, 5. Pro *intellexit* malle te ſcribis *dilexit.* Ego putabam ſignificare Plinium hoc, *intellexit* Avitus, et aſſecutus eſt, quantus vir eſſet Servianus, quam dignus obſervatione atque obſequio.

9, 13, 4. Quod pro *deferviſſet* malis, ſi addicerent libri, *reſediſſet*; in eo tibi aſſentior.

9, 23, 5. Verbo *noſcitare* poſt Cortium tribuis vim demonſtrandi, ut et *τῷ noſcere* Panegyr. 22, 3.: non, quo proprie hanc poteſtatem habeat; ſed quod infantes, pueri, plebs, cum *noſcunt*, ſolent digito id, quod *noſcunt*, ſimul demonſtrare. Sic, ais, mulier, cum agnoſceret Demoſthenem, alteri demonſtrabat etc. Mihi videtur, Plautinis locis et aliis ita ſtabilitam vim, quam hic tribui verbo, ut dubitare equidem non poſſim: demonſtrandi ſignificationem adhuc deſidero aliunde adſeri. Certe in Panegyrico quam illud convenit, *parvulos*, qui nondum vidiſſent, videre certe meminiſſent, peregrinatum adhuc Traianum, *noſcere* h. e. cognoſcere velle, interrogare, *quis eſt? hicne eſt? Iuvenes* autem illum *oſtentare?* Si *noſcere* eſt *oſtentare*, pueri et iuvenes hic idem faciunt. Epiſt. 6, 20, 4. *vocibus ſuos noſcitant*, non profecto demonſtrant; res enim agitur in tenebris, ſed aut agnoſcunt, aut, quod malim, attendendo, requirendo, agnoſcere cupiunt. Inſpice locum utrumque, candidiſſima anima mea, et vide an dubitare poſſis. Poteſt *monſtrare* digito, qui *noſcitat* aliquem; ſed ideo *noſcitare* non ſignificat proprie *demonſtrare.* Nempe neque tu hoc vis.

10, 2, 3. Non attendi ad temporum conſecutionem, cum pro *malui* ſuſpicatus ſum, legendum *maluit* vel *malim.* Libenter tibi, ut plurima, hoc debeo, mi Erneſti, quod feſtinationem emendare licet in ipſo adhuc libello. Si coniecturae locus ſit, *maluere* vel *maluerunt* ſubſtituendum fuerit.

10, 18, 2. *Teſtimonium retribuerunt.* Melius iam videtur, quod ex antiquis editionibus hic protulit Cortius *pertribuerunt*, cum etiam Panegyr. 95, 1. *pertribuiſtis* e Voſſiano dederit Cl. Arntzenius, pro aliorum *perhibuiſtis.* Utroque in loco ea vis eſſe poteſt, ad unum omnes, a primo ad ultimum, teſtimonium tribuiſſe.

10, 48, 5. Ita emendandum cenſes, *quam buleutae qui ſunt beneficio tuo*: eleganter profecto; et

quod meae coniecturae, si non praetulerim, certe nec ausim posthabere.

10, 50, 4. De Bithynicis aliquem *regem* intelligere malle te ais. Quaerendi otium iam deest, et forte est hoc e numero τῶν ἅπαξ λεγομένων.

Iam ad Panegyricum veniamus, in quo nihil tuae adnotationis nobis impertiisti; sed tanto plura dedit Cl. Arntzenius, qui, quod humane, et ut decet literas nostras, mecum egit, gratias ago; quod a scripto se vix ac ne vix quidem demoveri patitur, laudo, et commode accidere Plinio arbitror; quod seorsim a me sentit aliquoties, non miror; non aegre fero quaedam paullo inclementius dicta; si quid ipsi excidit, non exagito. Sed neque futurum puto, ut irascatur vir humanissimus, si eodem candore, quo mea ipsius errata non dissimulo, eademque, qua ipse in meis utitur, libertate nec mihi undique probari, quae ipse dixit, omnia, profitear, et quaedam eorum hic indicem, ut statim illud, quod

2, 5. retinet quidem *dignosque nos illius usu probemus*; sed ortam suspicatur hanc lectionem ex repetitis, more alias solenni, duabus literis VS in vocibus duabus perpetuo tenore scriptis ILLIUSU, cum tamen simpliciter legi debuerit *illi usu*. Non vereor, ne hoc probes prae ea lectione, quam nos dedimus, quamque Perizonio etiam probatam, Cl. Arntzenius docet, qui

3, 1. *aemulemur* dedit, ubi nos, Livineio et Lipsio auctoribus, *aemuletur*, quod melius nimirum intelligebam, et intellecturos sperabam alios. Plane autem laudo, quod

4, 1. ex libris antiquis posuit, *sed parendum est senatusconsulto, quod* etc.

4, 3. tuetur vulgatum, *sed ab agentibus habetur*, et quaerit, Cur talis honor agentibus gratias a Traiano non sit habitus alias quoque? Respondeo, quia de illis privatis gratiis non intercesserat SCtum, intercesserat de publicis. Senatui ergo honorem habet, cum ipsius auctoritati, etiam contra naturam suam et commodum, cedit. Firmat sententiam nostram, quod sequitur, *tibi audire necesse est*.

5, 8. *illum tumultum praesaeviisse* ex Vossiano libro dedit vir celeb. quod elegans sane et vix a librarii ingenio profectum. Sic placet, cum

5, 9. *ex adversis secunda nascantur* etiam ideo praefert, quia *feminum* statim mentio subiicitur.

9, 2. Non satis accurate rationes subduxi in *Patricii* explicatione, cum post locum Taciti subieci verba, *quis autem consule clarior?* Hoc enim in Traianum patrem an conveniat, vehementer incertum est, cum non constet, an eius quoque pater, id est avus Principis optimi, consulatu functus fuerit? tacentibus Fastis, tacente ipso Plinio. Itaque solicitor legere h. l. *Credentne posteri, Patricium, et Consulari — genitum.* Nihil fuit facilius, quam conformari sibi a librario casus proximos. Sed necessaria tamen haec coniectura non est: intercedit illud *aut* Taciti.

11, 4. Verba, *cuius pulsi fugatique* etc. per σύνεσιν ad *hostes* refert Cl. Arntzenius, et non vult sub iniquissima saepe Grammaticorum tyrannide servire. At hic quidem, quod sciam, non de Grammatica sermo est. Synesin eiusmodi, sive synthesin malimus, generosissimi quique scriptores usurparunt. Verum sententia multum sit acrior, et ad satiram magis accedit, h. e. ad Plinianum in talibus characterem, si dicas, ex ipso triumpho (ut hodie, cum Ambrosiano Hymno Deum iussi cives non nunquam laudant) intellexisse homines, *pulsum fugatumque* esse *imperium* h. e. cum exercitu suo Imperatorem, ut hodie *Portam Turcicam*, vel *Imperium Russorum* qui victum, pulsum, fugatum diceret, in sublimiori praesertim oratione, ab omnibus intelligeretur, reprehenderetur forte a nemine.

14, 1. In vexato loco de *ferocia Parthorum* an *barbarorum?* laudat Schwarzianam coniecturam merito, sed tamen suo more lectionem vulgatam retinet, et hoc modo interpretari conatur: „Iam eas res gesse„ras, propter quas eodem iure ex devicta gente „agnomen assumere potuisses, quo postea id fecisti de „Germanis." Vide, perspicacissime vir, an videre hic aliquid possis. Sic possessione longi temporis tuetur etiam illud, quod statim sequitur, et legit

14, 2. *Germaniamque (quam cum — dirimuntque) per hoc omne spatium* etc. ut sit hyperbaton a parenthesi. Neque tamen repugnare se ait, si quis malit brevius, *Germaniam, quam* etc. Mihi ea ratio nimis contorta, et a politula illa Plinii facilitate aliena videtur. Sed ingeniosum, quod

15, 2. coniicit vir Cl. *brevemque militiam quasi transsilisse contentus*, pro vulgato *transisse*.

17, 3. *Nec* non *modo telorum tuorum*: omittit *non*; nec habeo, quo defendam, praeter rationem Grammati-

cam, quae negationem ante vel poſt *non modo* non omitti ſuadet, niſi in proximo membro aliud *non*, vel *ne quidem* ſequatur. Vid. ad Quinctil. 11, 1, 2. Sed ſcilicet, ſi plura id genus loca inveniantur, et aſſerantur, cedet merito Grammatica. Hic quidem, ſublato illo *non*, videtur hic eſſe nexus propoſitionum, *ſi quis regum venire in manus audeat, et non* (illud enim eſt *nec) modo telorum tuorum, ſed etiam oculorum — coniectum — perhorreſcat*: quod ſententiae aperte contrarium eſt.

17, 4. Pro *quandocunque*, quod habent omnes editi, recte reponit ex MS. *quandoque*, eodem intellectu.

19, 4. Ubi nos *probabantur* poſt Lipſium et alios, *probantur* legit, quod patior: ſed quomodo nexus orationis, quod dicit, illud poſtulet, non video.

23, 5. *Anguſta victimis cuncta* bene ſe habere nihil dubitabam: videtur enim ipſa multitudo hoſtiarum ad religioſam quandam reverentiam aliquod momentum habere. Sed vide, vir doctiſſime, an non melius ſit, quod Cl. Arntzenius e MS. Guelf. dedit *anguſta*. Laudare poterat ad firmandam hanc lectionem intra 52, 7.

24, 2. Servat *eademque omnia illa* etc. ſed me nondum poenitet dediſſe *eadem quae*. Iudicabis, uter melius. Hic nullum in libris praeſidium eſſe, probe intelligis, cum neque voces ſeparent, neque diphthongos explanent.

24. extr. Bene legit *humus iſta communis* pro *ita* aliorum. Sic etiam

25, 4. *exſpectatus eſt*, quod ſine cauſſa accommodarunt ſequenti *proviſumque*. Quod

30, 3. *mergi repararique palanti amne*, combinatis diverſorum codicum lectionibus dedimus; non probabile videtur Cl. viro, quosdam librarios hanc, alios alteram vocem omiſiſſe. Mihi adhuc placet illa ratio, quod *palanti*, in quibusdam libris repertum, eruditius eſt, quam ut librario tribui poſſit: *repararique* autem et ipſum magnis auctoritatibus aſſeritur. Mox

30, 4. pro *detinenti ſolo* dedit ex MS. *clementi*, quod damnare non auſim certe: multo minus

31, 1. *campumque praeſterni*, pro altero *proſterni*: duriusculum autem, quod

31, 6. *Ita beneficio tuo nec benigna tellus et obſequens Nilus* legit pro *maligna*: duriusculum, inquam, ſed ex MSS. tamen; et ita explicat, etiam non benigna tellus obſequens eſt non minus quam Nilus.

33, 3. Legit Arntzenius, *Nemo et ſpectator et ſpectaculum factus.* Vide, an non incommodum hoc habeat ea lectio, quod *ſpectator* nullo ſenſu etiam ad *factus* ſic refertur. Quanto lenius et propius ad Schwarzianum codicem, *e ſpectatore ſpectaculum factus?*

35, 4. Nondum poenitet dediſſe, *tot res illis adiecisti, propter quas* etc. licet *illi* tueatur Cl. Arntzenius: qui etiam in eo mihi non ſatisfacit, quod mox legit, *perquam magna quaedam edicto tibi adſtruxerat, nihilque reliquiſſe, niſi tibi videbatur*; atque illud *niſi* argutum putat, et valde Plinianum. Equidem conciliare eam exceptionem, illud *niſi*, non poſſum cum verbis *hoc magis arduum fuit.* Difficile eſt rebus, quae ad faſtigium iam perductae videntur, aliquid addere: ceſſat admiratio, ſi addat is, cui reſervatum conſilio eſt, ut addat. Conf. c. 38, 1.

36, 4. Ne admittenda ſit emendatio ſoli coniecturae debita, Cl. Arntzenius *tribunal excogitatum cruciatui*, ſuspenſo pede (laudo modeſtiam) ita tentat exponere: *tribunal* illud, in quo ſub ſuperioribus Imperatoribus fiſcales cauſſae agebantur, *excogitatum cruciatui*, h. e. inventum ad vexandos et lacerandos miſeros reos, ſub optimo principe nunc *par eſt ceteris* etc. Non voluit profecto intelligi a poſteris Plinius, ſi hoc illis verbis dicere voluit. Eadem puto de eo, qui iam ponetur loco,

40, 1. ubi retinet vitioſam, ut mihi videtur, ſcripturam, *cuiuscunque modi ea pecunia* etc. et ita explicat, Quocunque iure aut nomine ad aliquem pervenerit pecunia.'

45, 5. Ponit, *quod fruſtra ſperaverunt diſſimiles*, pro *ſperaverint*, quod Gruteri et Bongarſii coniecturae debitum ſecuti ſunt ceteri. Et pulchram atque veram hic dicit ſententiam contra nimiam emendandi libidinem: ſed quae me tamen non deterreat, ut non malim hic legi *ſperaverint.* Nec ignoro, aoriſtorum Graecorum vim habere, apud Senecam praeſertim, interdum praeterita. Non multo poſt illam in criticos orationem, nempe ad

48, 3. ubi *immaniſſima bellua* Domitianus vocatur, „Eam, inquit, elegantiam" (neſcio autem, quae elegantia ſit, homini *belluae* nomen tribuere) „credo periſſe apud „Senecam Suaſ. 6. p. 36. *Videbis illum non hominis, ſed* „*belluae civilis vultum.* Editur nunc *belli,* ſed ita non „ſatisfacit oppoſitio, quae apertior eſt *hominem* inter et „*belluam.*" Sermo eſt de Antonio triumviro; quaeritur, an Cicero illum adire, illi ſupplicare debeat? Sed potes-

ne tu, humanissime Ernesti, hic non aliquantulum ridere *belluae civilis vultum?* Equidem non loquor de impuris manibus, quibus laceretur Seneca, ut aliquis ad hunc Panegyricum 90, 6. Redeamus in viam, h. e. ad Plinium et humanitatem. De 49, 4. dicemus ad 56, 2.

49, 6. *plenus ipse et ructans,* quod placuit Livineio, Perizonio, Schwarzio, mihi quoque, non patitur venire in locum compositi et ἀσυνδέτου *plenus ipse eructans.*

49, 8. *peregrinae superstitionis mysteria* e MS. Guelf. mutat in *ministeria*, intelligitque pueros ex Aegypto, superstitiosa procul dubio gente. Sed num superstitionis caussa arcessiti? *Alexandrinas delicias* ad alia omnia petitas novimus. An ita pauper est Plinius, ut solius augendae orationis et epitheti caussa *superstitionis* mentionem inculcaverit? Sed hoc ipse sentit vir doctus: et hanc ipsam mutandi caussam fuisse putat descriptoribus. Contra apud Petronium c. 118. *Deorum illa ministeria*, per quae *praecipitandus* est *liber* poëtae *spiritus*, simplici coniectura, qua severe adeo interdicit aliis, in *mysteria* mutatum it, in quo minus etiam illi assentiar. Nimirum neque ille Gronovio, Schwarzio, mihi, cum ex optimis libris

50, 4. legimus *domini scientis*, quod severe damnat, neque putat, Romanum quemquam sic loqui potuisse. Sed

50, 5. retinet vulgatum, *quod sit detestanda avaritia* etc. aitque, sine ulla difficultate recte posse exponi. Vellem fecisset. Nam laborarunt Livineius, Lipsius, reliqui. qui *quo sit* maluere: laboravit Perizonius, cui videbatur legendum *quo sit.* Vide, ὦ Φιλότης, an non

51, 1. legendum sit *Idem tam parcus es?* Verbum es facile absorpsit syllaba praecedens. Quamquam arctior sit transitio ellipsi.

51, 2. ex MSS. dedit *Magnum reiicere aliquid* etc. Cl. Arntzenius, et in loco vexato

52, 2. *cum deorum ipse non sis adeptus*, in quo adsentitur Celeb. Schwarzio. Iuvat explicationem nostram illud, quod observat vir diligentissimus, *Dei* plur. et *Deis* in libris antiquis inveniri.

52, 5. Pro *abiectas* legit Arntzenius optimis auctoribus *obiectas*, et iungit cum *flammis.*

56, 2. Cum scripsi, non statim ad manus esse exemplum, ubi *num* pro *nonne* ponatur, alterius auctoris putavi, et indubium. Alioquin enim erat in proximo, nempe 49, 4. ubi ipse dedi ex editione Salmur. 1671,

12. *num remissionibus tuis eadem frequentia* etc. Quo in loco non illud modo membrum, sed reliqua omnia a *num* incipiunt in antiquis editionibus. Minime autem probabile est, *num* politiores fuisse primos editores, si *non* invenissent in suis libris. Verum Faber, alii, et iam Cl. Arntzenius ibi quoque *non* dederunt. Hic *nonne* ea caussa magis placuit, quia ob sequentem vocalem facile inter dictandum excidere potuisse encliticam *ne* arbitrabar. Ceterum eiusdem originis, certe significationis, eiusdemque fere pronuntiationis vocabula *num* et *non* ita misceri certum est, ut vix unquam in interrogationibus certum sit, utra sit praeferenda. *Non* hoc intellectu occurrit etiam 58, 3. it. 63, 3.

57, 4. Pro *sexies* coniicit vir Cl. *septies*, ut referatur ad C. Marium. At hunc excludunt verba ipsa Plinii, qui neget de iis se agere, *qui exspirante iam libertate per vim ac tumultum creati sint.*

61, 2. Suspicor legendum, pro *decrescant, decrescunt*, priusque *ut* similitudinis tantum et comparationis esse.

61, 8. Servat vir Cl. et contra Schwarzium i. e. codicem Parisiensem meque defendit veterem lectionem, *indulgentiam tuam necessitatis aemuletur*, eamque magis cum panegyrico laudandi genere putat convenire. Sed si vera est illa lectio, aemulata est necessitas illud, quod nondum fuit. Nonne vero indulgentis est, ea ultro dare, quae alias sola extorqueat necessitas? Necessitas non imitatur, non circumspicit exempla, sed ruit, rumpit, frangit, sine lege, sine more modoque, omnia.

63, 7. Pro *spatiosissima* iam priore editione coniiciebam legendum *speciosissima*, quod in altera hic monere oblitus sum: monuit me, cum probat, vir doctissimus. Sed idem

64, 1. non persuadet, cum praefert *Vides, quam necessarium fuit.* Nimis facile est apicem post *fu'*, quo syllabam *er* notant librarii, perisse.

70, 6. Sic constituit locum mihi dubium ex bonis libris Cl. Arntzenius: *Vides enim, si quid bene fecero sciet Caesar? aut si scierit, testimonium reddet?* Et illud *Vides enim* eleganter inservire ait sententiae. At ego, culpa forte mea, elegantiam nondum video. Nec magis mihi satisfit iis, quae de διαλογισμῷ Schwarzius.

71, 3. Locum vexatum bene h. e. quam proxime ad MSS. constituit; quem proponam cum intersectis supplementis, et interpretatione nostra. *Contigit ergo ocu-*

lis nostris insolita ante facies, Princeps et candidatus, aequi tum (aequales in ea cerimonia) *et simul stantes; intueri* (contigit) *parem* (privatis) *accipientibus honorem* (et magistratum, Principem) *qui* (honorem illum) *dabat.*

80, 6. *Qua nunc parte liber*, omisso nomine *curarum*, edi curavit vir doctus, et inutilem plane vocat vocem, quae invito auctori obtrudatur. Sed non soli Cuspiniano deberi, satis apparet ex his, quae ipse recudenda curavit.

81, 3. Pro *claustris* ex MS. ponit *clathris*: recte. Non item, puto, quod

81, 4. extr. pro *transire obstantia freta* ponit *transfretare*, quae glossa totius formulae videtur. Sic

82, 1. *Teporem* ponit pro *torporem* ex duobus MSS. contra omnes reliquos. Et facile illi fuit probare, a calore et *tepore* celebrari Baias; huc facere *teporem* prae *torpore*, illud vero non ostendit.

82, 9. Illud *incidat*, quod, a Grutero et Cellario acceptum, mihi non satisfacere dixi, mutat in *insideat* ex MS. Guelf. et coniectura Perizonii. Aldus et alii, *insidat*. Fateor tamen, mihi adhuc placere meum *insit; at* etc.

86, 6. dedit, *ut maxima fructus* (s. fruitus est) *suscepti* etc. nempe *maxima* iungit cum *gloria*. Nondum adducor, ut haec praeferam ei lectioni, quam e Cl. Schwarzii libro edidi. Nec facere possum, ut probem

90, 6. lectionem, quam repraesentat, *etsi minus ut bonos promovere vellet*. Iactantiam ait vir doctus admiratione dignam, si Plinius se et collegam *bonos* viros vocet. Quid audio? Et voluitne Nerva promovere *minus bonos?* vel ne calumniari videar, potuitne alio respectu eos promovere, quam *ut bonos?* et nonne *bonos* vel inde collegit, quod invisi essent malo principi? Egregia laus boni principis, si solo quasi studio contradicendi suo antecessori promoveat quosdam, non *ut bonos*, sed ut illi invisos. Deinde quorsum referemus illud, quod statim sequitur de voto latendi? Non ausim ego iurare, Plinium totidem syllabis scripsisse, quod coniecit Lipsius; sed in hanc sententiam si scripsit, incommode scripsisse nego, et melius scripsisse aio, quam ut modo restitutum est. Non irascor, mi carissime Ernesti, optimo Arntzenio, quod tuetur integritatem Plinii; laudo, quod non patitur pro Plinii verbis ad posteritatem dari cogitata vel eruditissimorum hominum. Sed *impuras manus*, et *varios sententiarum gurgites* impingi viris de sententia scriptorum, propter quam solam totus ille noster apparatus cri-

ticus adhibetur, optime meritis, illud leniter certe, et ſervata literarum noſtrarum verecundia, animadvertendum mihi videbatur. Ultra fere, quam pro huius editionis ratione non nunquam provectus ſum, dulcedine tecum, ὦ Φιλότης, ut alias coram ſolebamus, disputandi, cuius me quaſi praeſentis cogitatio, quod futurum praevidebam, ſuſtentavit, ut non nimis iucundo labore, mea quaſi vineta caedendi, et retractandi ea, quae manu emiſſa gaudebam, alacrius deſungerer. Quae alias in fine epiſtolarum dici ſolent, iis facile caret amicitia noſtra. Itaque vale, et mei memoriam Lipſienſibus amicis, praeſertim Patrono noſtro illuſtri STIGLIZIO, viro immortaliter de patria ſua merenti, commendare ne deſine. Scr. Kal. Nov. CIↃIↃCCXXXVIII. Gottingae.

LECTORI
AEQVO ET DOCTO
IO. AVG. ERNESTI
S. P. D.

In inſtitutis eloquentiae praeceptis exemplisque per lectiones publicas tradendae, ſemper hoc uſi ſumus, ut poſt praecepta, ſecundum noſtrum initiorum rhetoricorum libellum aut Ciceronis Oratorem explicata, primum orationes quasdam proponeremus, quibus enarrandis et inveniendi viae et eloquendi artificia demonſtrarentur et ad intelligendum et ad imitandum planius; deinde hiſtoricum aliquem librum, ut *Salluſtii*, *Livii*, *Suetonii*, denique philoſophicum, *Ciceronis* fere de officio opusculum, quibus interpretandis ſcribendi genus hiſtoricum et dogmaticum proprie cognoſceretur. Et in primo quidem genere plerumque uſi ſumus Ciceronianis orationibus, ſed hoc delectu, ut ratio haberetur praecipua earum, quibus intelligendis etiam rerum cognitio comparari poſſet a ſtudioſis, quarum eſſet in aliis diſciplinis uſus, inprimisque in iure vetere Romano, in cognoſcendis artibus reipublicae Romanae pace ac bello, domi foriſque,

administrandae. Itaque etiam *Verrinas* saepius ceteris enarravimus, ipso semestri superiori; quibus legendis tota ratio iurisdictionis Romanae, tum urbanae, tum provincialis, sociorum provincialiumque, magistratuum in urbe et in provinciis, civium item utrobique iura, cognosci possunt. Eandemque ob caussam interdum vel *Ciceronis* illam claram *ad Quintum fratrem* epistolam, de provinciali administratione, vel Plinianarum librum decimum explicavi; in quibus ratio provinciarum sub Caesaribus administrandarum multis et perspicuis vestigiis exemplisque expressa est, ut a studiosis utriusque discrimina cognoscerentur: quae res inprimis necessaria est, non modo iuris studiosis, sed etiam interpretibus graecorum Novi Testamenti librorum, nec minus iis, qui historiam veterem Ecclesiae accurate cognoscere cupiunt. Atque ea res primam hanc vim habuit, ut allicerentur magis iuvenes ad illas lectiones audiendas, praesertim ex eo numero, qui in aliis Academiis illa contemnit, quod audiendis latinorum scriptorum interpretibus nihil se praeter formulas verborum latinas, aut sententias bellas discere posse putat, quarum sibi aut nullus aut parvus usus futurus sit, eamque ob caussam iis relinquit lectiones in scriptores veteres latinos, qui scholarum latinarum magistri futuri sint. Nec illum parvum fructum iudicamus, quod apud nos semper fuerunt plures, qui iuris eam, quam elegantiorem vulgo vocant, scientiam amarent, et tenerent, nec modo, ut alibi fit, fori usum in discendo iure sequerentur. Sed, ut ad instituta nostra redeamus, in parte illius quasi orbis oratorii ea, quae prima a nobis commemorata est, bis Plinianum Panegyricum proposuimus, tum ea de caussa, ut tota ratio imperii a Caesaribus administrati intelligeretur, tum ut modus hominum

apte laudandorum, primum per delectum actionum eventorumque, deinde utriusque generis per locos communes sententiasque exornationem, cognosceretur. Ea autem omnia cum saepius ac diligentius tractaremus, exigeremusque omnia ad analogiam rerum et verborum, visi nobis sumus subinde animadvertere, ubi aut aliter, quam ante factum esset, intelligi verba, aut etiam corrigi deberent. In quo genere etiam hoc facere consuevimus, ut ad animadvertendum excitaremus auditores, non modo ita re explicanda, ut ipsi in viam reperiendi deducerentur, sed etiam demonstrandis locis, quae vitiosa putaremus, et vitii latentis tum animadversionem, tum correctionem iis relinqueremus. Quae res ita bene cessit, ut non raro, primo verae correctiones a pluribus scriptae nobis traderentur, post etiam statim, cum iussissemus dicere palam, si quis videret, quid vitiosum esset, quomodo corrigi deberet, quod verum esset, vel ipse in animo haberem, a nonnullis reperiretur et pronunciaretur.

Haec a nobis hoc loco dicta sunt, non tam ut rationem redderemus institutorum nostrorum, aut ut alios ad eorum imitationem vocaremus: quamquam hoc quoque a persona nostra non alienum foret: sed ut intelligeretur, quomodo nata sint ea, quae hoc tempore repetitae Plinianorum scriptorum editioni Gesnerianae addenda permisimus, cum librarius eam habere aliquid nostri cuperet, cuius etiam prima aliquid habuisset. Pertinent autem pleraque vel ad sensum verborum, vel ad emendationem eorum, in quibus nobis aliquid inesse vitii videbatur: adspersa tamen etiam sunt quaedam ad intelligentiam rerum, itemque ad iudicium oratorium pertinentia. In quibus omnibus si quid est, in quo verum vidimus,

aut quod *Plinii* lectoribus prodeſſe ad intelligendum et iudicandum poſſit, bene nos operam navaſſe putabimus.

AD L. X. EPISTOLARVM NOTVLAE.

Epiſt. 1. In verbis: *feſtinaverunt virtutes tuas ad gubernacula reipublicae*, quam ſusceperas, *admovere*. Semper offendor in verbis, *quam ſusceperas*: non quo non recte ſuscipi respublica dicatur, ſed quod id hic non bene convenit cum *gubernaculis* reipublicae. Non ſuscipitur navis ab eo, qui ad gubernacula admotus eſt. Interim poteſt eſſe a Plinio: ego non imiter.

et privatim et publice) Fluctuat *Gesnerus*, utrum ad *ſortem et hilarem*, an ad *opto* referendum putet: ſed magis inclinat illuc. Ego ſine dubitatione ad *opto* refero. Decernat ipſe *Plinius*. Ep. 9. *et tuo nomine et reipublicae gratulor*, h. e. publice privatimque.

Ep. 2. *Malui hoc potius)* Agnovit *Gesnerus*, correctionem ſuam *malunt* ſtare non poſſe. itaque in nota ad h. l. nunc bene correctum eſt, *maluerunt*. Ego *maluere* ſine haeſitatione reſcripſerim. *Malui* nec per grammaticam rationem ſtare poteſt: deberet enim ſequi, *pater fieri*, non, *me patrem fieri*: nec per ſententiam; quia de Deorum beneficio ſermo eſt, non de *Plinii* voluntate.

Ep. 3. *liberalitatem ſeſtertii quadringenties)* Nimis grandis ſumma videtur etiam *Gesnero*, qui ſane ingenioſe coniicit CCCCHS: *quadringentorum ſeſtertiorum*, ſc. pondo; ut ſit pars cenſus ſenatorii, qui Voconio deerat ad locum in ſenatu tenendum, quem petebat. Vix tamen poſſum intelligere, quomodo librarii ex his ſignis fecerint *ſeſtertii quadringenties*: cum ſatis conſtet, eos in numeris, ad rem pecuniariam pertinentibus, explanate ſcribendis, ſicut noſtri vulgo in enunciandis, in illam difficiliorem formam, quae a *I. F. Gronovio* demum liquido explicata eſt, nunquam incidiſſe. Magnitudo ſummae me non ita movet, ut vitioſam decernam. Nam illis et ſecutis temporibus illa pecunia non nimis grandis fuit. vid. *Salmaſius* ad *Vopiſci Tacitum* c. 10. ubi Tacitus, cum privatus eſſet, *in reditibus* habuiſſe dicitur *ſeſtertii bis millies quadringenties*.

Ep. 5. praefectum Aegypti, *amicum tuum*) Verba poſteriora ſunt ex ep. 23., ubi Traianus eum appellat

amicum ſuum; in qua ſcilicet hoc Traianus promiſerat, quod *Plinius* petit. *Plinius*, an librarius ea verba repetierit, vix decernam: ſaltem non ſatis apte et decore repetita ſunt.

Ep. 7. *ſumma integritas* in paupertate) Paupertatis commemoratio quomodo hic fiat, intelligi non poteſt. Sane integritas (i. e. abstinentia a pecuniis alienis) eſt maxime apta magiſtratui, inprimisque praeturae: et eſt magna virtus, ſi ſit in paupere: ſed paupertatis nulla vis eſt ad impellendum hominem abstinentem, ut magiſtratum petat. Immo ſi pauper erat, Senator eſſe, et praeturam petere non poterat. Adhaeſitne ex alio loco, ubi ad augendam integritatis laudem addita erat paupertatis commemoratio; an *Plinius* deceptus eſt illius νοήσεως dulcedine, ut alibi?

Ep. 13. cum tabellario mittendum *putavi*, ut *poſſis* ex Lycormae — epiſtolis cognoſcere, quae — ſcire *deberes.*) Sine dubitatione in textu reſcribendum eſt, *poſſes.* Hoc genere vitii et alibi textus *Plinii* laborat, ut videbimus. Sed ad id videndum Germani vulgo non ſunt ſatis acuti. Impediuntur enim, ut quondam librarii, linguae ſuae ſive vitio, ſive conſuetudine.

Ep. 16. Perductum ad magiſtratus indicaſſe, *ſerviſſe* aliquando Laberio etc.) Potuit *ſe* poſt *ſerviſſe* abſorberi a clauſula verbi: ſed et alibi *Plinius* omittit, ut ep. 30. extr. etc.

Ep. 18. Teſtimonium ei — retribuerunt) *Gesnero* in ſecundis curis magis placuit *pertribuerunt*, quod *Cortius* et *Arntzenius* in libris repererunt; idque adeo verbum ex hoc loco et ſimili *Paneg.* 95, 1., ubi *Arntzenius* pro *perhibuiſtis* e libris reſcribit *pertribuiſtis*, in *Theſ. L. L.* intulit. Non auſim ego verbum, cuius nullum aliud exemplum exſtet, in textum ex aliquot libris editis inferre. Homines offendit *retribuerunt*, pro tribuerunt, haerentes in etymologia. Sed habet hoc verbum in hac ſignificatione characterem aetatis Plinianae, quae, ut multis *Taciti*, *Suetonii*, locis intelligitur, formae huius verba pro ſimplicibus dixit, contra conſuetudinem veterem. Sed in hoc verbo bonus auctor eſt *Cicero* pro *Roſc. Com.* 15., ubi *detrahere* et *retribuere* ex adverſum ſibi reſpondent, eſtque *retribuere* pro tribuere.

Ep. 19. Nymphidium Lupum *primipilarem*). *Primipilaris* quid ſit, explicant quidam de Interpretibus: alii non attingunt, velut hic nihil ſit, in quo haerere poſſis. Sed quomodo Lupus primipilaris dicitur, ſive tu militem

intelligas, ſive centurionem, ſi ille iam praefectus cohortis fuit, cum Plinius tribunus militum eſſet? Non magis videtur Lupus centurio fuiſſe, quam Plinius; ne in iuventute quidem, nedum in illa aetate. Nam et filius iam erat praefectus cohortis, ut ex hac epiſtola patet. Utrum delendum omnino ſit verbum, an in eo aliud quid lateat, non decerno.

Ep. 26. Me Epheſum — navigaſſe) Cur hoc narrat? ſcil. quia ibi appellere primum Praeſides debebant. vid. *Ulpian.* §. 4. de Off. Proconſ. Inde terra ibant ad provincias deſtinatas in iſtis regionibus. cf. ep. 28.

Ep. 28. Aliquanto tardius, i. e. XV. Kal. Octobr. Bithyniam intravi) An illa *i. e. — Octobres* ſunt e gloſſa, addita e ſequentibus temere? Cur enim dicatur bis eadem res? Mox: *quinto decimo Kal. Oct. provinciam intravi* etc.

quod ipſo *tractu* magis ac magis neceſſarium intelligo) Semper pro errore typographico habui *tractu*. Video tamen viros doctiſſimos dubitare et *tractu* tueri. Non bene faciunt. *Rationes* non dicuntur *trahi*, ſed *tractari*, vid. Ep. 28. Probo *Cortii* iudicium, qui de *Rittershuſii* coniectura recepit *tractatu*, quod et infra occurrit.

ibid. ſi fideliter aguntur) Aures meae deſiderant *agantur*: quod etiam in editionibus pluribus reperitur. Senſit et *Gesnerus*, ſed fundamentum ſenſus non vidit. Illud *videntur poſſe* coniunctivum requirit.

Ep. 40. Et ego quaeſivi, ſed nihil comperi, quod adfirmare tibi *poſſum*) Senſerat *Gesnerus*, non bene dici hic *poſſum*, et ei verius videbatur *poſſim*: forte tamen hic aetatis ſuae conſuetudini indulſiſſe. Immo ſcribendum eſt *poſſem* ſecundum legitimam rationem; nec in hoc indulgere *Plinius* aetati potuit: etſi ſcio, paullatim coepiſſe aberrare Latinos a legitima conſuetudine, ſed eos, qui a Germanicis nationibus infecti eſſent.

Ep. 46. In numeris impenſarum haeſit *Gesnerus*, ſive potius in modo numerorum, qui per ſigna ſcripta ſunt, enunciandorum; putatque in primo HS. XXX exprimendum eſſe *tricies*, in altero CC *ducenties*, ut ſummae aptae operi, de quo ſermo eſt, fiant. Sed ei rei refragatur, in altero quidem, latinitas: *curſus in alium ductum erogata ſunt HS. CC.* Deberet eſſe *erogatum eſt HS. CC.* Si ſeſtertia intelligimus, ut ſecundum hoc debemus, minores quidem, quam pro operum iſto-

rum modo, summae exsistunt: sed inchoata tantum opera erant, et relicta: unde tamen magna est pecunia, quae perierat.

Ep. 47. Ne, *quum* inter se gratificantur) Recte iudicavit *I. F. Gronovius*, hic rescribendum esse *dum*, quod ego sine haesitatione in textum intulerim. Ortum est vitium a librariis imperitis, ad suae linguae modum refingentibus. Nam et nostri imperite dicunt interdum *quum* pro *dum*.

ibid. *ad hoc opus)* Libri quidam editi habent *ad hoc tempus*. *Operi* sane non convenit *perdiderint*: forte totum est a librariis, et e superiori *hoc opus* huc tractum. Id si non est, sane *tempus* legendum.

ibid. *Quid* itaque compereris, perfer in notitiam nostram) *Quid* sine dubio vitiosum est, corrigendumque *Quod*. Sermo est enim de futuro. Iubet cognoscere rem, et ad ipsum referre, quod repererit. Etiam infra hoc genus vitii in libris notavi.

Ep. 48. Neque enim ratio *plus* excussa est) Credo *plus* esse vitiosum, rescribendumque *dum*. Ratio nondum excussa erat. Habebat enim tantum de auditu. *Ut audio*, inquit, *HS. amplius centies hausit*. Cl. *Longolius* nos amandat ad *Perizonii* dicta de usu verbi *plus* ad Sanctii Minervam IV, 2, 1. sed ea nihil efficiunt.

ibid. *descendit* et hiat) Frustra haesere viri docti in primo verbo, tentaruntque *discedit*. *Descendit* refertur ad *solum*, quo subsidente, a mole aedificii, rimae aguntur.

ibid. Gymnasium — longe *numerosius* et laxius) Non videtur *numerosius* adhuc recte intellectum esse. Nam nec multitudo cubiculorum et membrorum, nec multitudo hominum, quam capiebat, satis apta est sequentibus. *Incompositum est et sparsum*, i. e. cuius partes, quae et ipse aedificiorum instar habebant, non aptae inter se nexae erant, sed dissitae et per interualla structae: nisi vero huc *membra* in Gronoviana interpretatione trahas.

ibid. Quam buleutae *addunt* beneficio tuo) *Addunt* esse vitiosum, in eo fere consentiunt. Conieci *qui sunt*, quod non displicebat *Gesnero* (vid. Epist. ad h. l.), qui coniecerat *adiuncti*. Id verbum in hac re non est usitatum. Forte plane spurium et insititium est verbum.

Ep. 49. Sed oportet *illos* eo contentos esse, quod possit *illis* sufficere) Alterutrum vel *illos* vel *illis* delendum: malim prius.

Ep. 50. Sed *hoc opus* multas manus poſcit: *at* hae etc.) Quod opus intelligatur, ex antecedentibus intelligi non poteſt: nec ulla res commemorata eſt, ad quam *hoc opus* referatur. Videtur aliquid excidiſſe, v. c. *Itaque mari committere cupiunt*, ex epiſtola ſequente. Tum pro *at* melius fuerit: *et* hae pro re non deſunt.

ibid. *A rege* percuſſam) Maneo in ſententia, de Bithyniae rege quodam eſſe capiendum.

Ep. 52. Quae viatici nomine *annua* dabantur legato) *Annua* mihi ſuſpectum verbum eſt. Dicitur enim de ſtipendiis perpetuis, non de eo, quod datur ſingulis, non iisdem: nec opus erat dici iterum, quod ante iam dictum eſſet *annis omnibus*; vel, quia id ad aliud pertinet, in *terna*. An fuit *antea*? cui reſpondet *inpoſterum*?

Ep. 56. Pleraque *ex illo* ad id, de quo quaeritur, non pertinere) *Ex illo*, quod refertur ad *libello*, mihi valde ſuſpectum eſt; adeo inutile et inelegans eſt. Arbitror delendum eſſe.

Ep. 57. Propter quae *videri volunt eos*, qui Proconſules hanc provinciam obtinuerunt, abſtinuiſſe etc.) Non deſiderarem *videri*, ſi abeſſet: ſed ferri poteſt. *volunt eos — abstinuiſſe videri*. ſed *volunt* durius eſt poſt *eſſent*. Legitima ratio poſtulat *eſſent*. Si maxime *Plinius [Traianus]* dedit *volunt*, quod non credo, ab interprete debent moneri adoleſcentes, id eſſe per ſe vitioſum, dicendumque fuiſſe *vellent*: ut ipſi adſueſcant legitimae rationi dicendi.

ibid. cum *ipſum te, ut* eas inſpiceres, non recuſaverint.) Probo lectionem Cod. Voſſ. *ipſi*: quo et inclinat ed. Catan. *ipſe* — recuſaverim.

Ep. 58. Quod eſt multo depreſſior *opere eo*, quod nunc maxime ſurgit.) *Cum maxime*, quod *Cortius* ſecutus eſt, melius ſane eſt in ſe, nec ipſe aliter dixerim: ſed et *nunc maxime* rectum. *Opus* autem recte *Gesnerus* interpretatur forum, quod non area modo lata, ſecundum noſtrum morem, ſed vel maxime aedificiis ambientibus aream cenſetur, ut baſilicis, tabernis etc. *Suetonius* in Caeſ. c. 25. clare diſtinguit aream a reliquo foro. Ad intelligendam rem planius profuerit ſtudioſis cognoſcere, quae de *foro Lugdunenſi* traduntur apud ſcriptores ſeculi noni, quod a Caeſaribus aedificatum, ea aetate repente corruit. Ea reperiant in *Antiquitatibus Urbis Lugdunenſis*, quae ſunt in capite operis, quod *Hiſt. liter. Lugdun.* inſcribitur francice.

Ep. 60. Praeiimus — iurantibus) Fluctuant libri in hoc loco, qui sane non est satis elegans. Suspectum mihi est ultimum verbum *iurantibus*; quo sublato, elegantior multo fit oratio. Adscripsisse videtur aliquis, scil. *iurantibus*: quod deinde adhaesit. — Ceterum, an ex hoc loco colligi possit, Plinium in provincia Bithynica habuisse *imperium consulare* (nam *de potestate* non dubitatur, quae et in inscriptione vetere diserte commemoratur) disputari video inter *Norisium* et *Pagium*, quem consulent, qui de ea re cognoscere velint, in Critica Baron. ad a. C. 69. T. I. p. 63. Hic de ea re disputari nihil attinet.

Ep. 62. Nec inveniuntur, qui velint debere, reipublicae praesertim [*duodenis*] *assibus*, quanti a privatis mutuantur) Locus hic sine dubio vitiosus est. *Salmasius* et *I. F. Gronovius* pro *duodenis* rescribunt *usuris*, ut sint *usurae asses*, sicut dicuntur *usurae semisses* in iure. *Noodtius* rem et sensum probabat, sed simpliciter *assibus* scribi volebat, deletis *duodenis*. Eleganter. Nam et *Cicero* dicit, *semissibus magna copia est*, pro *usuris semissibus*; quem locum commemorat etiam *Gesnerus*: qui tamen sibi non liquere ostendit, utrum sequatur id, quod secundum veterem et veram latinitatem rectum est, an *Plinii* aetate iam deflecti coeperint homines a vetere ratione usurarum secundum menses ducendarum, et annua ratione uti. In quo tamen opus foret aliquo indicio historiae veteris: quod sane nullum mihi occurrit: immo contraria omnia et in historicis latinis, Plinio iunioribus, et in libris iuris civilis. Si ergo e Gronoviana et Noodtiana ratione deligenda esset, quae maxime probabilis videretur; secundum hanc decernerem: quia durior est aberratio ab *usuris* ad *duodenis*. Mihi, fateor, totum illud *duodenis assibus* delendum videtur. Ita Plinius simpliciter dixit, nolle quem pecuniam debere publico, quanti deberi soleat privatis; ut adeo nil lucretur in aere, cum durior sit conditio debendi reipublicae. Quia vero ordinarius modus usurarum olim fuit hic, ut duodeni pro centenis darentur, in provinciis inprimis, quae sunt usurae asses; aliquis adscripsit modum usurarum, et quidem secundum consuetudinem recentiorem, quae tum invaluerat.

Ep. 64. Quod inter maximas occupationes, *iis*, de quibus — me — regere dignatus es) Aut intelligendum aut addendum *in*.

Ep. 66. In *edicto Nervae* locus valde scaber est in his verbis: *ut mihi potius debeat, si illa rata et*

certa (fecero): nec gratulatio ullius instauratis eget precibus, (et qui non habent, me) quem fortuna vultu meliore respexit. Haec sic refingenda puto: *debeat. Sint illa rata et certa: nec — precibus; quem — respexit, me — novis beneficiis vacare patiantur.* Emendationi *sint* pro *si* favent Codd. in quibus est *sine. Fecero* item, et *qui non habent me,* sunt ex interpolationibus recentioribus, ut bene *Gesnerus* vidit, nec habentur in edd. primis. Ita arbitror locum planum factum.

Ep. 68. Quum ei honor toties decretus sit ab iis, *qui ignorabant*, quid de illo Paullus Proc. pronunciasset.) Immo, *non ignorabant*: idque res et contextus et argumenti ratio requirit.

Ep. 76. Nam si facta aedes *esset,* licet collapsa sit, religio eius *occupavit* solum.) In his aut *est* legendum pro *esset*, aut *occupasset.* Sed illud habent Cod. Voss. et ed. pr.

Ep. 79. Primum in his: utrum — putarem, an instituendos quinquennales agonas, qui Traiani *appellentur*, pro ultimo debet esse *appellarentur.* Tum pro *debeam* in sequentibus *deberem.* Nam et sic est ep. 93. *dispiceres,* quid et quatenus aut permittendum, aut prohibendum *putares*: non *putes.*

Ep. 84. Novatam esse legem Pompeiam, ut magistratum capere *possint* ii, qui — *essent,* et qui accepissent, in senatum c. c. *pervenirent.)* Vel paullum attendenti patet, rescribendum esse *possent.* Secus est in sequentibus, ubi mera praesentia sunt, recteque adeo, capere *possint.*

Ep. 85. In principio huius epistolae interpunctio vitiosa est, sensumque turbat: eaque sic mutanda: *appellatum me a Claudio Eumolpo.* (Hinc incipit narratio caussae.) *Quum Coçceianus Dio in bule* etc.

ibid. n. 7. In quo *ducuntur* sepulti filius et n. D.) *Aldus* et alii, quos sequitur *Cortius,* habent *dicuntur*; quod rectius puto.

Ep. 97. n. 5. Totam hanc ῥῆσιν vitiose interpungi in editis arbitror. Ego sic interpungam: *Propositus est libellus sine auctore multorum nomina continens, qui se negarent esse Christianos, aut fuisse. Quum praeeunte me — quorum nihil cogi posse dicuntur, qui sunt* (vel *sint*) *revera Christiani: ego dimittendos putavi.*

Ep. 107. Centurio *cohortis equestris.)* Bene *Gesnerus* novum hoc esse monet, cum olim cohortes peditum modo fuerint. Vestigium rei etiam supra est Ep. 32.

vid. *Schelium* ad *Hyginum* p. 86. *Hygino* est *cohors equitata*, quo nomine et in inscriptionibus occurrit.

Ep. 114. Durius mihi visum est hoc: *Id ergo, quod semper tutissimum est, sequendam cuiusque civitatis legem, puto:* mollius fuerit sic: *Id ergo, quod semper tutissimum est, sequendum, cuiusque civitatis legem, puto:* intellecto *i. e.*

Ep. 115. Adscribere sibi, quos *vellent*, cives, dum civitatis non *sint* alienae.) Corrige *velint*. Ceterum in *Cod. Theod.* L. XII. tit 1. de decurionibus, est l. 5. ad Bithynos, ad quos pertinet etiam l. 119.: sed ad Praef. P. directa. ad l. 5. *I. Gothofredus* memorat hunc *Plinii* locum, sive has epistolas, sed negligentius epistolas inspexit.

Ep. 118. Ut formandis istius provinciae moribus ipse *moderareris, et* ea *constituas*, quae — *essent* profutura) Hic quidem *constitueres* esse rescribendum, unusquisque, admonitus praesertim, videat.

Ep. 120. Si ante Iselastica non fuerunt) Importuna videtur *Gesnero* particula *si*, quam vel delendam, vel cum *quae* permutandam putat. Ego totam propositionem deleverim.

Ep. 122. Usum eorum intentioni non *profuisse.)* Debebat esse, *non profuturum fuisse.* Fallor an et alia exempla mihi occurrerunt perfecti sic positi pro futuro.

AD PANEGYRICVM PLINII NOTVLAE.

C. 2. pr. Sed omnibus civibus *enitendum* reor, ne quid de Principe nostro ita dicant, ut *idem illud* de alio dici potuisse videatur.) Hic locus non una de caussa displicet. Primum *enitendum* est ab sententia alienum, et aut *videndum* scripsit *Plinius*, aut non bene scripsit. Nam requiritur hic significatio cavendi, quae non est in verbo enitendi. Deinde nec alterum placet, quod dicit, ne quid — *ita* dicant, ut *idem illud de alio* dici potuisse videatur. Nam sententia requirit, *ut id eodem modo* de alio dici potuisse videatur. Et si maxime simpliciter dicatur, ne *idem* dici potuisse videatur, tamen *illud* plane languet, et alienum est.

c. 4. Non enim a te ipso tibi honor iste, sed agentibus habetur) Olim etiam erat *ab agentibus*. vid. notulam *Gesneri*. Et *Schwarzius* malebat, non improbante *Gesnero*, *ipsi tibi*, ut oppositio clarior esset. Locus ne sic quidem satis placet. Quid enim illud *a te?* quid *a*

te tibi honor habetur? quis honor iste, quem videri possit Traianus sibi habere? Locus elegans forte, si sic legeretur, *non enim tibi honor iste, sed a te agentibus habetur*, sc. non tam tibi hoc modo habetur honos gratiis agendis, sed tu honorem tribuis senatui, cum admittendis gratiis ostendis reverentiam senatus. Sive porro addatur in capite ipso, sive post scribatur *a te ipso*, non multum refert: neutrum admodum elegans est, et pro concinnitate alia *Plinii*. Nam ut plena et accurata oppositio esset, necessarium foret, *non enim a senatu tibi honor iste, sed a te agentibus habetur.*

c. 5. quorum in te iudicium et favor tunc statim insitato indicio *enituit*) Verbum *enituit* non est aptum neque iudicio, neque favori. Hinc quaesitum videtur *enotuit*, quod nec ipsum commodum est. Verba propria favori sunt *eminere* et *emicare*. Confunduntur autem saepe in libris *eminere* et *enitere*. vid. v. c. *Burmannum* ad *Sueton*. Calig. 15.

ibid. obstinatum tibi, non suscipere imperium, nisi servandum *fuisset*) In *obstinatum* intelligendum *erat*. Itaque sequi debet *esset* vel *foret*. Alterutrum sequendum. Mox *praesaevisse* melius est, quam *praecessisse*. Utrum *Plinii* verbum sit, an aliquis in margine Vossiani libri scripserit, ut melius Pliniano verbo, non dixerim.

c. 8. *tua* — adoptio peracta est) *Arntzenio* bene *tui* placet.

ibid. *Utique* qui *adoptaret* etc.) *Utique* bene restitutum pro *Uterque*. Qui *adoptaret*, non debebat a *Schwarzio* mutari in *adoptarat*. Est enim contra latinitatem. Nam temporis ratio non admittit plusquamperfectum. Potius scribam *adoptabat*: sed *adoptaret* commode manet, propter relationem ad *paruit*, unde pendet.

ibid. Simul filius, simul Caesar, mox Imperator et consors tribunitiae potestatis, et omnia pariter etc.) Haec oratorie dicta videntur. Nam, ut *Tillemontius* docet in Nerva p. 147. 148. non omnia pariter et simul factus est. Tum *Imperatoris* nomen quomodo dicatur, disputari video. *Pagius* in Crit. Baron. T. I. p. 115. 119. intelligi disputat proconsulare imperium, hoc est, ius in omnes provincias cum potestate belli gerendi. item p. 90, b. 93, a. ubi numi Nerva vivo cusi, in quibus Traianus Imperator dicitur. Sed in iis numis *Imperatoris* nomen est victoriae indicium, quia nomini et ceteris honoribus postponitur, non ante nomen ponitur, ut fit in aliis. Forte

Imperatoris nomen et tribunitia potestas idem sunt. Nam et praenomen illud nititur tribunitia potestate. Capite quidem 23. dicitur Traianus imperator salutatus esse a populo in ipsa adoptione. Sed in oratione illa non sunt ad vivum resecanda.

c. 9. nihil agitasse, nihil *fecisse*, *nisi quod* meruit et paruit) Cicero dixisset, *nihil nisi meruisse et paruisse.*

ibid. Magnum videretur — patri!) In his est lusus merus, sed quod genus auribus illorum temporum placebat: quemadmodum et illa c. 10. sententia inepta est, qua rationem reddit, quare statim ab adoptione mortuus Nerva: *ut quandoque inter posteros quaereretur, an illud iam Deus fecisset.*

c. 11. non imitatus illos, qui hoc idem, sed alia mente, *fecerunt)* Ferri posse arbitror: sed rectius foret *fecerant.*

ibid. *cuius pulsi fugatique* non aliud maius habebatur indicium) In hoc loco explicando valde se torsere ingenia. *Io. Fr. Gronovius*, cum sentiret, aliquid deesse, unde penderet, *cuius p. f.* etc. supplevit, *quoniam imperabat is*, quod olim probabat *Schwarzius*. vid. not. *Gesneri*, qui auctoritatem codicis desiderabat. Nos in Act. Erud. 1740. mens. Febr. e lectione Codicis Salisburgensis, *quoniam imperatoris*, fecimus: *quoniam imperator is*, quod probavit deinde, et suae editioni intulit *Schwarzius*. Utrum mox legatur *triumpharetur*, an *triumpharet*, quod praetulit *Schwarzius*, nihil ad sensum refert.

c. 13. Cominus *vibrares)* Praefero *librares* cum *Schwarzio*: non modo propter auctoritatem librorum, sed etiam, quia verbum hoc est efficacius. Nec tamen propterea cum *Lipsio* in altero legam: *nunc* librata *fusciperes*. Nam nec necessarium est idem in utroque verbum esse, et potuit consulto efficacius verbum Traiano tribuisse.

c. 14. *munere alio* dignus invenireris) *Schwarzius* e libris reposuit *itinere illo* scil. in Germaniam. Tota haec appendix melius abesset: sed a Plinio esse concedo. *Dignus itinere* sane mirificum est: *par itineri* recte aliquis dicat, non *dignus itinere*. Sicut nemo dixerit *dignus labore*. Itaque *munere alio dignus* melius est: et est durum, expeditionem bellicam iter simpliciter dici.

c. 15. tempus, quo posteri visere, visendumque tradere *minoribus suis* gestient) Delendum *suis*: quod est a librario Germano. — Mox in *quis sudores tuos hauserit campus*, corrigi debet *qui*. Ultima litera adhaesit e sequente verbo: nam et mox *quod* tectum, non *quid*: estque plane puerile vitium, quod mirandum est tamdiu latuisse viros doctos.

ibid. *quod tectum magnus hospes impleveris.)* Bella sententia, sed poëticae fere formae. Fundus eius est apud *Virgilium*, ubi angusti limina tecti ingentem Aeneam excipiunt. *Aen.* VIII.

c. 16. Sed Imperatorem, veram ac solidam gloriam reportantem, pacem, tranquillitatem) Ista tanta multitudo accusativorum sane parum elegans est. Nam remedium a libris, qui habent *Imperatore — reportante*, nullum est. Capitolium non accipit pacem et tranquillitatem, sed imperatorem, qui veram pacem reportet.

c. 17. nec *non* modo) Bene sic edidit *Gesnerus*; et omissio *τοῦ non*, et transpositio Schwarziana improbanda est. Quid in coniunctione *nec* et *non* durius sit, non sentio.

c. 20. Principis transitus? si tamen *ille* non populatio fuit) Sic editum in ed. pr. *Gesneri*. *Schwarzius* monuit, si *transitus* post *tamen* non repetatur, elegantiae aliquid decedere. Immo deberet esse *illa*. Est autem *transitus* per errorem operarum omissus: nec id animadvertit *Gesnerus*. In editione altera sine notis est verbum hoc restitutum a *Gesnero*. Porro mox: *cum abactus hospitum exerceret*, legendum est, *exerceretur*, vel *exercerentur*. nam et passiva sequuntur: omniaque dextra laevaque *perusta et adtrita, ut si* etc.

c. 21. extr. et hoc tantum ceteris maior, quo melior) Dudum legendum credideram *quod*, cum id et doctis placuisse inveni: idque sine dubitatione in textum inferendum erat. Decepit homines, quod *hoc* retulere ad *maior*: cum sit manifeste *in hoc, hac in re, modo*.

c. 22. ac ne eum quidem vacantem locum, qui non nisi suspensum et instabile vestigium caperet) Hoc minutius est, quam pro cetera descriptionis magnificentia.

ibid. tam *aequalis* ab omnibus laetitia percepta est) Libri editi veteres fere habent *aequaliter*, sed scripti fere *aequalis*, quos secutus est, post longam dubitationem, *Schwarzius*, usus hac ratione, quod *par gaudium* et *par clamor* praecedit. Nec dubitari potest, recte dici *aequalem laetitiam*: sed *aequaliter* magis convenit extremis,

quae id prope flagitant. Senfus manifefte eft: tam aequaliter omnes laetati funt, quam aequaliter, vel pariter omnibus venifti. In ultimo omittitur verbum et intelligitur e primo membro. Nam, *quam aequalis omnibus venifti*, ineptum h. l. foret. Secundum haec neceffarium eft, fcripfiffe *Plinium* non *aequalis*, fed *aequaliter*.

c. 23. *Refpectantium* turba — populus te quoque, te immo maxime *adftaret*.) In *refpectantium* intelligo fimpliciter *fpectantes*; tarde inceffit, ut omnes per moram ingrediendi eum videre poffent. vid. ad Ep. X, 18. Pro *adftaret Schwarzius* volebat *artaret*, dolebatque in Obf. 28. quod id non recepiffet in textum: quod fecit *Gesnerus* in ed. pofteriori Panegyrici. Id ego non imiter. Non hoc potuit gratum effe et placere, quod populus Caefarem arctaret, premeret, dum ingrederetur: fed quod Caefar pateretur, unumquemque de populo ita prope adftare, et os e proximo intueri: hoc pati, eft comitatis, quae placeat.

ibid. Deum ipfum *tunc* p. v. *operis* fui percepiffe crediderim.) Quod *Schwarzius* hic recepit, Deum *tuum*, idque *Gesnerus* imitatus eft in ed. min. non probo, etfi in edd. vett. reperitur. Non bene, credo, dicatur Nerva Deus Traiani. Et fi maxime fic dici bene latine et apte poffet, tamen effet alienum, cum fupra *Plinius* diferte dixerit, adoptionem non fuiffe Nervae opus, fed Dei, fed Deorum c. 8. quorum nomine et ipfo Iovem Capitol. intelligit.

ibid. *Augufta* victimis cuncta) *Arntzenius* et *Schwarzius* edidere e MSS. *angufta*, quos et in ed. min. imitatus eft *Gesnerus*. Mihi adhuc ambigua res videtur, nec audeo decernere. Verbum *angufta* ad multitudinem victimarum intelligendam aptius, *augufta* maius aliquid fonat.

c. 24. *Eadem*, quae — nihil in *te ipfo* Fortuna mutavit) Arbitror hunc locum bene a *Gesnero* conftitutum, pro *eademque* refcribendo: *eadem*, *quae*: et miror, quomodo ille tamen correctionem *Schwarzii*: *nihil* ipfa *te* F. m. aliis forte magis placituram, dicere potuerit: fed magis, quomodo ea coniectura *Schwarzio* ita placere, ut etiam in textum reciperet, cum fit nimis abfurda. Quid enim eft *eadem ipfa Fortuna*? Clarum eft voluiffe dicere, Fortunam circa Traianum, extrinfecus, omnia mutaffe, fed in ipfo eius animo, moribus, intrinfecus, nihil: quae eft belliffima fententia.

ibid. humus *ita* communis) Dimifit *ita* cum *Arntzenio Schwarzius*, repofito *ifta*, quamquam oftendit aegre a fe factum. Mea de fententia *ita* retineri debet, quod non minus bonos libros habet auctores: et quia, *ifta*

quem hic ſenſum habeat, intelligi nequit, nec habere commodum poteſt, ut opinor. Non *humus* indiget demonſtratione, ſed *communis* habere poteſt particulam αὐξητικήν. Contra bene c. 26. n. 5. reſtituit *educandi* pro *educandis*, quod miror *Gesnerum* non in textum editionis minoris recepiſſe. nam vel ſua ſponte videre licet, ita legi debere.

c. 27. Contra largiatur et auferat, alat et occidat) In *largiatur* aut *ſi* vel *qui* intelligendum, aut addendum: nam id conſequens, *nae ille* etc. poſtulat. Secus eſt in praecedente, ubi alia forma eſt orationis. In ceteris *nae ille iam brevi tempore* etc. melius ſimpliciter eſſet: *nae iam brevi tempore.* Lectio quidem vulgata in *tam* b. t. abſurda eſt.

ibid. extr. quamquam *nec* hunc *quidem) Gesnerus* ait, mollius fore, *ne hunc quidem.* Immo ſic ſine haeſitatione ſcribendum, poſteaquam toties demonſtratum eſt e libris bonis, *nec quidem* vitioſe ſubſtitutum eſſe alteri *ne quidem.*

c. 32, 2. Quae ubique *feruntur)* Non poſſum concoquere in hac ſententia *feruntur*, eſtque aut *efferuntur* legendum: nam prima ſyllaba in concurſu hoc finalis et primae literae facile excidere potuit: aut *feruntur.* cf. c. 29, 2. *quod genitum eſſet usquam, id apud omnes natum eſſe videretur.*

c. 34, 1. delatorum *iudicium) del. agmen inductum* recte receptum ab *Arntzenio*, *Schwarzio* et *Gesnero* in ed. ſec. min. idque et in hac editione exprimi debebat. De ſpectaculis hic ſermo eſt, non iudiciis.

ibid. nulla iam teſtamenta ſecura, *nullius* ſtatus certus) Hoc melius puto, quam *nullus*, quod ſervavit *Schwarzius*, etſi alterum non improbat, immo contra *Arntzenii* rationes defendit. Sane genitivus cum *ſtatu* ſolet iungi. *Sueton. Veſp.* 8. de *ſtatu defunctorum* quaerere. *Tacitus* A. 3, 28. *multorum ſtatus* exciſi.

c. 36. Ac toto in orbe terrarum adhuc locus unus) *Gesnerus* hoc male accepit adfirmandi ſenſu. Immo e praecedentibus intelligendum *non; ac non toto* etc. Hoc pulcre vidit, et more ſuo, verbis multis explicavit *Schwarzius.*

ibid. Dicitur actori atque etiam procuratori) Notulam ad haec verba, quae hinc intelligi patet, Procuratorem eſſe maiorem actore, deletam vellem. Non hic de dignitate ſermo eſt. Nihil aliud dicitur, quam fiſcum ſive miniſtros fiſci, non meliori eſſe conditione in controverſiis fiſci, quam privatos: eosque ad magiſtratum in ius vocari a privatis poſſe, ſicut privatos ab ipſis.

c. 37. maximum beneficium vertebatur in grauiſſimam iniuriam) Scil. quod, cum Latini eſſent, ei vectigali obnoxii non fuerant, in nova conditione civitatis id pendere cogebantur.

c. 38. Qui non habet luctus). Legendum eſſe *quem*, conſentio viris doctiſſimis: nam ratio Schwarziana per ſupplementa tria explicandae ſententiae admodum dura eſt: *nec* (fiſcum) *ſocium hereditatis habeat, qui* (eum) *non habet* (ſocium) *luctus*.

c. 41. Sola ſufficiat?) Hic videtur intelligendum: *immo ſufficit*: quod deinde firmatur rebus ipſis. In ſequentibus verba: *nihil detinuiſſent*, vel *retinuiſſent*, abſunt a MSS. edd. antiquiſſimis apud *Schwarzium*, etiam antiquiſſima mea Germanica ſ. l. et a. neo ſunt neceſſaria, etſi a Plinii ingenio non aliena.

c. 43. Donavit pater tuus *multa*, et ipſe donaſti) Verbum *multa* repetendum videtur: *donavit p. t. multa; multa et ipſe donaſti*.

ibid. Caeſarum munera *illitos* cibis hamos — arbitrabantur) Miror nemini vitium huius ſcripturae animadverſum. Hami non illinuntur cibis, eſca, ſed induntur. Scribe: *inditos* cibis hamos. Ex *inditos* factum *inlitos*. Sic *Curtius* 10, 10. *inditum potioni venenum*. Apud *Horatium* hami dicuntur *occulti* et *operti*, h. e. inditi eſcae.

c. 44. *privato iudicio* principem geris) i. e. iudicio privati, quod privatus tenebas, privati tenent. Sic c. 43. *facultates privatae* pro *facult. privatorum*.

ibid. *rectosque* ac vividos animos non contundis ac deprimis, ſed foves et *attollis*) *Waſſius* ad *Sall. Catil.* 7. corrigit *erectos*: idque veriſſimum puto, propter verbum *deprimis*, et contrarium *attollis*, etiam *conſtantiam*, quae non conveniunt *rectis*. Male *Schwarzius* reiicit iſtam correctionem, vulgatamque male interpretatur, nec bene cum ceteris verbis conciliat.

ibid. *ingenio valent*) i. e. ſapientia. nove dictum. Mox in bene *ac* ſecus *ceſſit*, *Schwarzius* male reiicit *Bentleii* correctionem, *aut* pro *ac*: quia eſt etiam: *turpe honeſtumque*. Nam iudicium pravum illud in utroque genere fit: unde *que* neceſſarium: at in hoc *aut* eſt neceſſarium, quia de ſingulis rebus intelligitur: unde et poſt eſt *expetant fugiantve*, non *fugiantque*. Atque etiam ſecundum ἀκρίβειαν latinitatis eſſe debebat *ceſſerit*.

c. 45. otio *aut* ſitu) *Aut* vel copulative dicitur, vel in *ac* mutandum: non ſunt enim contraria et disiuncta, ſed eadem et ſaltem vicina: in otio diuturno ſitus ducitur.

c. 45. Ut prope omnes *homines* unius moribus vivamus) *Homines* redundat. Videtur explendae et rotundandae orationis cauſſa additum: *prope omnes homines — unius moribus vivamus.*

c. 48. Ut periculum capitis adituri *tarditate)* Recte tuetur *tarditate Schwarzius*, i. e. per tarditatem, ſed non ſatis e contextu. Reſpicit verbum ea, quae ſequuntur, *cum commodum eſt*, item inprimis mox: *interdum eſt aliquid, quod nos domi teneat*, ſcil. ut tardius veniamus.

c. 49. *Num* remiſſionibus tuis eadem frequentia) Dudum correxeram *non.* Idem vidi repoſitum e MSS. a *Schwarzio.* Sic eſt etiam in veterrima editione German. ſ. l. et a.

c. 50. Quae priores Principes *occupabant*, non ut fruerentur) An *occuparant?*

ibid. *Ita*, inquam, donas) Arridet *Gesnero* correctio *Lipſii: iſta.* Nempe quo referatur *ita*, non eſt: atque id debebat oſtendere *Schwarzius*, ſi volebat recte defendere. Sed ego tamen malim *ipſa*, quam *iſta.*

c. 54. Ludis etiam et *commiſſionibus)* Vera lectio haec: ſed non arbitror bene intelligi de certaminibus poëtarum et oratorum. Immo ſunt ipſi ludi, ut ſequentia facile oſtendunt, in quibus mox etiam ſola ſcena commemoratur. Similiter dicitur ap. *Cicer.* ad Att. 16, 5. *Sueton.* Aug. 43.

c. 55. Praeterea, ut quisquis factus eſt Princeps — aeterna eſt.) Haec particula, quam in nullo Codice ſcripto reperit *Schwarzius*, etiam abeſt ab noſtra vetere Germanica ſ. l. et a. ortaque eſt a Codice *Cuſpiniani.* Genuinam credo cum *Schwarzio*, quod ſine ea ratio ſubiecta intelligi non poteſt, nec habet, quo referatur. Ceterum male editur a recentioribus *quisquis*, reſcribendumque *quisque*, ut dedit *Schwarzius*, quamquam nihil de eo admonens.

c. 56. Propoſitum mihi eſt Principem laudare, non Principis facta) Eſt ſententia acuta, ſed oratorie acuta, et ſupra captum vitae communis. nam factis laudandis laudatur Princeps, et in iis laudandis oratio prope tota conſumitur: quamquam et ea commemorantur, quae proprie non ſunt in factis, ſed tamen demonſtrantur per facta.

c. 58. Oneróſum neſcio quid — quoties ſenator tuus: nimia modeſtia iſtud etiam privatus recuſaſſes.) In hac particula aliquid duri et ſcabri ineſſe videtur. Quidam molliendi cauſſa in altero membro addi volunt *cum*; nec id diſplicet *Schwarzio*: ſed id libros auctores non habet. Nec profecto de *Plinii* more neceſſarium eſt. Sed etiam in primo membro ſoleo haerere. *Oneroſum neſcio quid*, extra contextum intelligo: nempe eſt illa formula rei minuen-

dae. Ea quomodo hic apta sit, non satis video. Quanto facilior esset oratio, si esset: *onerosum quid — senator tuus? Nimia modestia* etc. Si tamen *onerosum nescio quid* accipimus, *aliquid oneris*, quod ferri posse non omnino negaverim, tamen per interrogationem enuncianda est oratio.

c. 59. Ut maiorem eum suscipiendo, gerendoque *angustiorem* facias.) Verbum *angustiorem* in uno libro repertum est; idque recepit *Gesnerus*: quod ego non imiter: estque ab interpolatore, quamquam non absurdo.

ibid. *nunc* vero postulamus) Quia libri antiquiores editi et scripti habent *cum*, *Schwarzius* supplementum de coniectura addidit: *c. v. p. ut suscipias gerasque consulatum, postulamus*, quod tamen uncis inclusit. Non lenius est, *cum* mutare in *num*, ut alii fecere? Et id supplementum orationem reddit languidam.

ibid. ascendere curulem, quam *detineant*) *Quam detineant* est obtineant, nec ad alium pervenire sinant.

c. 60. *Adi*) Quicquid dicatur huius verbi defendendi caussa, vere iudicavit *Lipsius*, esse frigidum et alienum. Quare adeat et quorsum, si iam sedet in tribunali? Tum illud *adi* ad proxime praecedens debet necessario referri, ut *ascende* ad praecedens tribunal. Quo igitur referemus? ad postulantes profecto inprimis et totum iurisdictionis actum, ut eius exemplo discant alii bene ius dicere, et modeste petere ac postulare? Hoc fit, non adeundo, sed cognoscendo. Hoc commode exprimitur per *audi*, praesertim seculo Pliniano, quo verbum audiendi, auditorii, in iure frequentari coepit. In editione vetere Germanica f. l. et a. est *adire*. Si pro imperativo passivo accipiamus, i. e. sine te adiri, pro tribunali sc. non opus esset correctione ista.

ibid. singularibus viris) Ad h. l. *Gesnerus* e Fastis Consul. Almelovenianis ponit Consules a. C. 100. et in notula, quae nunc accessit, addit, recte positos in Fastis illis consules esse, patere e c. 61, 6. unde colligi possit, Traianum primis duobus mensibus cum Frontone, alteris cum collega consulem fuisse. Id ambigue dictum. Nam in illo capite nulla consulum nomina. Res sic habet: *Almelovenii* in Fastis sunt Consules cum Traiano, primum *M. Cornelius Fronto* III. Ex Kal. Mart. *Sextus Pomponius Collega* III. etc. Sed in nominibus hic nihil certi est. Nam pro *M. Corn. Frontone* accuratiores Fasti, *Norisius* et *Blanchinus* (T. II. Anastasii) dant *S. Iulium Frontinum* III. *Frontonem* autem suffectum facit *Stampa* (in Fastis *Sigon.*) *S. Pomponius Collega* est e coniectura *Pan-*

vinii, quem *Almelovenius* ſine iudicio ſequitur, eaque incerta, immo falſa. Omnino illis Faſtis ad Panvinianos factis fides haberi tuto non poteſt: quos ex omnibus recentiorum obſervatis, numis, inſcriptionibus etc. correximus et locupletavimus, praeſertim ſeculis Caeſareis, per multos deinceps annos: ſed abſolvendi et edendi tempus nos habituros, vix audemus ſperare.

c. 61. ut corpora — *decreſcant) Gesnerus* in ed. min. 2. edidit *decreſcunt,* et *decreſcant* locum habere negavit. Recte. *Ut* in hoc membro eſt comparantis. *Schwarzii* defenſio non placet. Librarii putavere, *ut* pendere ab *accidit.*

ibid. i. e. *quanto minus* quam a te datum.) Quia in huius formae ſenſu interpretes aberraverunt, brevi notula erat explicandus. *Quanto minus* in interrogando idem eſt, quod extra interrogationem, apud eiusdem aetatis ſcriptores, *paullo minus,* i. e. propemodum. Senſus ergo eſt: pater quidem dedit, ſed id non multo ſecus eſt, quam ſi tu ipſe dediſſes, quia ſcil. patri et filio communia ſunt omnia. *Schwarzius* bene aſſecutus eſt, ſed eius verboſitas implicet magis ſtudioſos, quam explicet.

c. 63. In illa *ſpatioſiſſima* ſede etc.) Semper in voce *ſpatioſiſſima* haeſi; quam non ſatis aptam ſententiae Plinianae ſentiebam. Melius eſt *ſpecioſiſſima,* quod in Codd. repertum dedere *Arntzenius* et *Schwarzius,* ante per coniecturam viderat *Gesnerus.* vid. Epiſt. Sed tamen neſcio quid reſidet ſcrupuli.

c. 64. Si *ſciens* fefelliſſet) Sic contra libros omnes reſcripſerat *Gesnerus,* cum crederet, ita in nonnullis reperiri. At in ed. 2. min. reſtituit *ſcienter,* quod et *A.* et *S.* ſervaſſent, etſi exemplum verbi ſic dicti apud veteres nullum extet. Ego tamen certum puto, *Plinium* dixiſſe, *ſi ſciens fefelliſſet. Scienter* eſt a ſcriba germanizante, qui *wiſſentlich* exprimeret. Et ſunt plura talia in codicibus reperta, quae ferri non debent.

c. 66. Miſera illa ex periculis *facta* prudentia) *Facta* ſine dubio eſt a gloſſatore. Nec Plinianae brevitati conſentit, nec exemplum antiquitatis habet *prudentia facta ex periculis.*

ibid. *Obſepta* diutina ſervitute ora reſeramus) Nemo interpretum hic haeſit. Me offendit ſemper *obſepta.* Reperi deinde, etiam *N. Heinſium* offenſum eſſe illo verbo. Sed correctio eius *obſuta* (ad *Virg. G.* IV, 301. ubi verbum *obſuere* de ore bene reſtituit *Virgilio,*) mihi non placuit. Nam quid commune habent ac ſimile *obſuere* et *reſerare? Obſepta* bene dicuntur, quae munita ſunt;

ſed adverſus vim externam, ut *obſepta pudicitia*, et ſimilia.Leniſſimum foret *obſerata*.

ibid. Non ſine periculo fallentis) Haec appendicula ſententiae ſuperioris ſemper mihi inepta viſa eſt: adeo aliena a re praeſenti eſt, adeo abſona a concinnitate reliqua. Quid enim opus erat dicere Traiano, Principes, ſi fallant, non ſine periculo ſuo fallere, et quam abſurdum, ei obiter minari? Hic una laus Traiani agitur, quae eſt h. l. in eius fide et integritate. Ergo hanc laciniam reſectam velim.

c. 67. Ut te, ſi *mereberis*, ſervent) In oratione hac obliqua *mereberis* locum non habet, auresque latinae *merearis* deſiderant, quod *Sichardus* et *Gryphius* edidere: ex ingenio, ut opinor, ſed recte. Sic mox c. 68. ubi non eſt, *ſi bene remp. — reges*, ſed *rexeris*.

ibid. Aut ſi ſuſceperit invita, *ne debeat.*) Hoc *debeat* ſic explicari debebat: ſi invita reſp. ſuſcepit, tum, quamvis laeto eventu, liber eſto a ſolvendi neceſſitate. Sed alias *debere vota* eſt, cum ſit, quod erat in votis, cuius cauſſa vota facta ſunt: quod eſt etiam *damnari voti* etc. Hoc tamen non optabit Traianus, ne eveniant, quorum cauſſa vota facta ſint: nec hoc ſenſit *Plinius*. Eſt ergo *ne debeat* h. l. nove dictum, et in eo aliquid acuminis quaeſitum.

c. 68. Nemo hoc ſibi non praeſtat) Recte monet *Schwarzius*, nimis hic argutari *Plinium*, idque ad totum reliquum locum pertinet: ſunt enim iſta contra ſenſum communem et παράδοξα. Inprimis durius eſt verbum *tutelae*, cum tota illa ſententia: unde et in ea interpretanda non conſentiunt viri docti: *Schwarzius* etiam tentabat corrigere, reſcripto pro *cui, Principi*. Quid ſi: *turpis tutela principi, cui poteſt imputari*. Senſus eſt: turpe eſt principi, ſi ei tutela, i. e. fides civium, in qua eſt ſecuritas eius, pro beneficio imputari poteſt, non officii rationem habet, quod ei pro beneficio praeſtetur et propter utilitatem civium.

ibid. *Scires* molliſſimis illis auribus parci) Nimis in hoc loco argutatur *Schwarzius*, et difficultates nectit. Mihi cum *Gesnero* omnia plana ſunt. Si ſecreta noſtra cerneres et audires, videres, illam parſimoniam laudum tuarum hanc habere cauſſam, quod tuis auribus parcimus. Nam *molles aures* ſunt, quae acrem ſenſum habent in utramque partem: ſentiunt bona et mala, quae aliae non ſentiunt.

c. 69. Debitum generi honorem, ſed ante, quam deberetur, offerres) Acumen quaerit in verbo debendi:

et, ut magis acutum esset, *deberetur* posuit simpliciter. intelligendum est *ipsis*.

c. 69. cuius est, ut) *Schwarzius* e vestigiis librorum addit *hoc*: *cuius hoc est;* quod sane est latinius. nam sine *hoc*, debebat esse, *nobiles efficere*. Sed aetas *Plinii* in hoc discesserat paullum a vera ratione: supra c. 60. *parum est, ut in curiam venias*, pro, *in curiam venire*.

c. 70. Praefuerat provinciae quaestor) Bene *Schwarzius* docet e contextu, de provincia quaestoria intelligi debere, secus ac *Gesnero* visum, qui et de quaestore provinciae consularis intelligi posse putabat.

ibid. Vides enim) Torsere se in hoc viri docti. Putem rectum esse. *Enim* est dubitantis et obiicientis aliquid vel sibi vel aliis. Inducitur veluti disputans iuvenis cum alio, ad laudem hortante, et ei hoc obiiciente, quod praemia a Principe sperare non possit. Ceterum sequentia ita incerta sunt in libris, ut nihil supra. Interea teneamus, quod est in hac editione; nam id saltem intelligi potest, et aptum est rei. *Schwarzius* dedit: *si quid* bene fecero; *scietne* Caesar? aut, si scierit, testimonium reddet? Haec magis consentiunt libris scriptis, et similiora acrius disputanti: illa quaerenti et desperanti.

ibid. Nam si *profuerint)* Probo hic *Gesneri* iudicium, praeferentis alteri, quod sequitur *Schwarzius, praefuerint*. Illud quidem, quod et veterrima mea Germ. ed. habet, contextui aptius: si laudes et gratiae provincialium profuerint magistratibus apud Caesarem, sicut profuere illi quaestori; nemo post magistratus committet, ut querantur.

c. 71. Cum *suffragatorum* nomina — *exciperentur)* Bene *Schwarzius suffragatores* et *exciperent* correxit; sed quod *candidatorum* inseruit ante *nomina*, non probo. Nam intelligi potest, de candidatorum nominibus sermonem esse, ex contextu, et vero vel *suffragatorum* verbo.

c. 72. Vel, si brevius sit optandum, ut *Uni Tibi* etc.) Haerere soleo in *uni*: quod non aptum formulae precandi. sed si haec oratio narrantis est, *uni* locum iure tenet.

ibid. Ita ab illis amari velis) Refertur ad *diis;* debebatque esse *his*. Sed et de proximo illud pronomen interdum usurpatur.

ibid. Ut haec fateremur) exquisite pro *diceremus*; ut responderet magis τῷ *fingeremus* e contrario.

c. 73. *Quis tunc non — sensit)* Haec mihi nimis tenuia videntur: nec apta magnificentiae orationis praecedentis. Nec vero placent ista: *tantumque sanguinis in ore, quantum in animo pudoris*.

c. 73. *Viderintne unquam* Principis lacrimas?) Viderat ſane Curia lacrimas Auguſti, cum Pater Patriae appellabatur, *Sueton.* Aug. 58. ſed talia non ad veritatem hiſtoricam nimis ſevere exigenda ſunt.

c. 74. Quod cum *diceremus* etc.) Debet eſſe *dicebamus.* Cetera elegantiſſima: *non opes tuas, ſed animum mirabamur,* pro, non dicebamus propter opes tuas etc.

ibid. Religionibus dedita) Dicitur h. l. in partem meliorem, quod alias fere in deteriorem dicitur, ut apud *Ciceronem* Dom. 49. *homo religionibus deditus.*

c. 78. extr. quorum *potens es* ipſe, votorum compotes facias) *Potes* e libris ſcr. et edd. dedit *Schwarzius.* Recte. *Potens es* plane alienum eſt, nec habet eundem, quem *potes,* ſenſum. Senſus eſt, compotes redde votorum nos, quia eſt in tua poteſtate, nos compotes reddere. At *potens es ipſe votorum,* ſignificat, quorum votorum ipſe compos factus es. Nam hoc eſt *potens voti,* nihil aliud. vid. *Ovid.* Met. 8, 80. 409.

c. 80. *Facta mortalium* inter divina opera numerare) Recte *facta* retinet et explicat *Gesnerus*: mirorque *Schwarzium* recepiſſe *fata,* quae hic ſenſum commodum habere non poſſunt. *Plinius* dicit, Traianum facere, quae Deus, cum per curam rerum humanarum *(oculos demittens in terras)* i. e. fatorum humanorum, faciat, quae homines facere poſſunt ac debent: haec ſunt facta mortalia vel mortalium, quae ſiunt facta vel opera divina, cum ea Deus ipſe peragit.

c. 81. mentita ſagacitate *colligerent)* Pronum eſt coniicere cum *Gesnero* et aliis *conficerent,* quod eſt verbum proprium rei venatoriae, etiam in amphitheatro. Nec *Suetonius* et alii in tali ſpectaculo *collectas,* ſed *confectas* feras memorant. Sed ſagacitatis verbum obſtat huic coniecturae. Nam in conficiendo nulla eſt ſagacitas, ſed artificium bene feriendi: at in colligendo et cogendo. Tum in ſequentibus tantum ſermo eſt de quaerendo et inveniendo. Colligendi, ſaltem in unum locum cogendi in ludicris venationibus feras, exemplum habet *Plinius H. N.* de elephantis, in munere Pompeii 8, 6.

c. 82. quam quod hoſtium proſpectarent. Hoſtium etc.) Corrigenda eſt interpunctio ed. Gesn. ſic: *hoſtium proſpectarent; hoſtium* etc. Sic *Schwarzius* recte, ut edd. vett.

ibid. Alteram partem capitis parum integram eſſe, video. Nec ſine melioribus libris reſtitui poteſt. n. 8. pro *voluptates* eſſe debere *occupationes,* facile largior *Gesnero.* n. 9. autem ſervanda eſt cum *Schwarzio* librorum veterum lectio, *inſideat,* quod pro *inſit* dixit, ut eſſet

exquisitius verbum. *Incidat* esset, interdum et velut casu adhaerescat et contingat; quod est h. l. alienum. Tum *otio prodimur*, ut abruptius, ita efficacius est, quam, *at otio pr.*

c. 83. Si Pontifici Max. deligenda sit coniux) *Schwarzius* hic, ut opinor, difficultates sibi ipse finxit, existimans, haec non apta esse Traiano, qui tum Pontifex fuerit. Est sententia generalis, comparata ad exprimendam magnitudinem castitatis et modestiae in uxore Traiani: si ei, ut Pontifici Maximo, nunc demum eligenda sit uxor nondum marito, hanc delegerit utique, sive similem etc. Itaque *Flamini Maximo* Schwarzii non opus. Nec Flamen Maximus ausus sit Traiani uxorem sibi deligere.

ibid. Probatis ex aequo) Semper iudicavi *probati* legendum esse, quod et *Perizonio* placuisse e *Schwarzio* didici; qui recte in textum, etiam sine libris, quorum alias tenacissimus est, recepit.

ibid. Nulla ambitio) Est h. l. quae σεμνότης Graecis dicitur, et φιλοτιμία, quae est in magnificentia externa vitae ad captandam admirationem etc.

c. 84. *seu* quod plus esse) Alterum *seu* intellige in praecedente membro, quamquam alius figurae; quamdiu appellationem etc. In scriptoribus huius aetatis frequens est, e particulis talibus priorem omittere.

c. 85. nec *unquam persuadeatur*, humile esse Principi, nisi *odisse)* Ordinem et sensum faciunt hunc: nec credas aliquid tibi humile esse, praeter unum odium. Sed potest etiam hic esse: noli credere iis, qui tibi dicunt, amicitias et familiaritates esse humiles et parum decoras Principi: odium esse generosum et regium. Id saltem melius est.

c. 86. Praefectum Praetorii non ex *ingerentibus*, sed ex subtrahentibus legere) Credo, post *ingerentibus* excidisse *se*, per occasionem sequentis particulae *sed*. Id iam vidit *Schwarzius*.

ibid. Non quietis *gloriam* cuiquam invidere) *Schwarzius* vellet in libris esse *gratiam*, quam esse aptiorem *gloria*. Ego autem legerim *copiam*; id arbitror esse et rei et sententiae exadversum respondenti: *cum sis ipse distentus imperii curis*, i. e. careas quiete, aptius.

ibid. Precatusque maria) Hic desidero epitheton, ut placata, tranquilla. nam *maria precari* simpliciter, sensum definitum non habet. itaque non displicet coniectura *Schwarzii*, e vestigiis Codd. in quibus est *spectansque maria*, legentis: *spectans maria*, *precatusque c. r.*

ibid. Nisi quod — incundiusque *est, desiderare* principem desiderantem) Sic locum dedit *Schwarzius*, restituto e MSS. *desiderantem.* Atque hanc lectionem tentant et explicant varie. *Gesnerus* coniicit *desideraret. Nisi, quod — est, desideraret*: quae est sane mollis correctio. Ego arbitror, vitium loci ortum esse ex *est*, quod irrepsit pro *esset*: ad id iuvandum insertum *quod: nisi paene ipso contubernio principis felicius iucundiusque esset, desiderare principem desiderantem. Schwarzii* interpretatio durior est, nec apta sunt loca allata defendendi caussa, praeter unum fortasse locum *Ovidii* ex *Heroidd.* 18, 11. *ascensurus eram, nisi quod, cum vincula navis Solveret, in speculisomnis Abydos erat.*

c. 87. Absentia *veniat)* Recte *Schwarzius* e Codd. duobus recepit *venit*: quod et sequentibus aptius.

c. 90. Gratiarum actione *perlata)* Semper credidi hic legendum esse *peracta*, quod et *Schwarzius* sibi aliquando in mentem venisse dicit. *Perlata* male ab eo defenditur formulis, *legationem perferre, perferre quod susceptum est, impositam personam perferre*, scil. ad finem usque.

ibid. Ut nos etsi minus *notos*, ut bonos tamen promovere vellet) *Notos* e coniectura *Lipsii* addidit *Gesnerus.* Male et contorte vulgatum *etsi minus, ut bonos t.* etc. defendunt *Arntzenius* et *Schwarzius*, alter ad *bonos*, alter ad *promovere* referens. Nam *minus bonos* non habet, quo referatur, quo vel quibus minus boni sint: nec magis *minus promovere.* Si esset: *etsi minus bonos, at bonos tamen*; bene haberet: nisi quod ambiguitas esset in *bonos.*

c. 91. Vera esse, quae de nobis, praesertim tam *magnifica*, dixisti*)* Tentor legere *magnifice*: quod est latinius.

c. 93. Nec *disiunctos* nos et quasi dimissos consulatu, sed quasi adstrictos et devinctos putemus) Haeserunt quidam in *disiunctos.* Sed male facere tentarunt *defunctos*, quod non aptum ceteris est. Ego non dubito, *Plinium* dedisse *diiunctos*; quod verbum saepe in libris mutatum est in *disiunctos.* Equus dicitur *diiungi* a iugo, curru. *Diiunctus ab exercitu* et similia sunt apud *Livium.* Sic hi *diiuncti consulatu*: idque adeo bene opponitur *adstricto.*

Haec ſunt, quae ex notatis a nobis in margine exempli noſtri et notis adſcriptis delegimus hoc tempore, ut hic inſererentur. Difficilis ſane et lubrica eſt haec emendandi *Plinii* ratio, quia in iſtis ſententiis acutis et quaeſitis non ſemper ἀκρίβειαν ſervatam animadvertimus ab ſcriptoribus iſtius aetatis, ut omnino non accuratior lex ſcribendi. Sed tamen, ut ſupra monui, a doctore in lectionibus omnia ad ἀκρίβειαν in ſententiis et in ſcribendo debent exigi. Et vero etiam *Plinii* libri valde ſunt vitiati a librariis, et, ut opinor, etiam Grammaticis: denique non habemus libros ſcriptos ſatis antiquos aut bonos. Nam antiquiſſimus *Schwarzii* quarto demum abhinc ſeculo ſcriptus putabatur; nempe iis temporibus, quibus incipiebant quaeri libri veteres in angulis bibliothecarum monaſticarum. Sed quae de libris *Plinii* et editionibus dicere habeo, differam ad *Fabricii* Bibliothecam Latinam a nobis caſtigandam et locupletandam. Scrib. Kal. Maiis.

VITA
C. PLINII CAECILII SECVNDI
AVCTORE
CHRISTOPHORO CELLARIO.

Caius Plinius Caecilius Secundus municipio Como, ad Larium lacum in Transpadana sito, ortus fuit. Patria enim municipium erat IV, 13, 3, circa Larium lacum [a], quem idcirco *suum* appellat II, 8, 1. et VI, 24, 2, iuxta quem villas amoenissimas possidebat IX, 7, qui situs *Comum* abunde designat, quod *delicias suas* I, 3, 1. vocat, ut nihil de inscriptionibus infra producendis [b] referam, in agro et oppido Comensi repertis. Veronenses quidem ipse *suos* dixit VI, 34, 1, verum adoptionis lege, quia avunculus Plinius, adoptione pater, Veronensis fuit, ut post Onuphrii probationes vel unus lapis, in ripa Benaci inventus, et ab Reinesio Inscript. XI, 11. expressus, satis clare his verbis ostendit:

C. PLINI - 7 - VERONENSIS
- - - - HISTORIARVM H. L - -

a Apertus in primis locus est 4. 30, 1. ubi ex *patria sua* quaestionem se attulisse ait, quae pertinet ad viciniam Lacus Larii.

b Subiicientur statim huic vitae.

Annum, quo natus fuit, non obſcure indicavit, quum Veſuvio ardente duodevicesimum ſe habuiſſe tradit VI, 20, 5., qui Titi Caeſaris primus fuit, Dione Caſſio memorante. Si addis novem annos Veſpaſiani, et unum, ac quod excurrit, ſcenicorum principum; circiter ſexto Neronis [c] natum Plinium, et quum iſte interficeretur, fere octennem fuiſſe apparebit. Pater C. Caecilius [d] Comenſis erat, de quo nihil reperimus, niſi quod eius gentis fuit, ex qua Caecilium, poëtam tenerum, ſodalem ſuum, et ipſum quoque Novocomenſem, Catullus laudat carmine XXXIII. Mater Plinia, C. Plinii Veronenſis, qui Naturalem Hiſtoriam reliquit, ſoror, quae amiſſo marito, in domo fratris manſit VI, 16, 4. et ep. 20., a quo filius adoptatus fuerat, V, 8, 5. qui ideo in nomen *C. Plinii Secundi* ſucceſſit, quum antea Caecilius eſſet. [e] Patrem Caecilium mature amiſit, educatus cura matris et avunculi, nec non tutoris Verginii Rufi, II, 1, 8. [f] Studiis impenſe a puero addictus adeo, ut decimo quarto

c Aerae vulgaris 62. Urbis Cond. Varron. 815. Maſſonus ad 17. et 25. (Nimirum ſic laudabimus ſemper viri doctiſſimi vitam Plinii, ut iterum edita eſt, adſcriptis annis aetatis, et, quoties opus eſt, paragraphis.)

d Quae gens plebeia, ſed nobilis eadem, Maſſon. 1, 2. De illius antiquitate ipſe noſter 8, 10, 3. cum *non ſubitas imagines* a ſuo etiam latere commemorat. An huc referri debeant ſtatuae principum in agris *per plures ſucceſſiones* traditae 10, 24, 1. forte diſputari poſſit.

e Ita tamen, ut *Caecilii* nomen non immutaret, aut produceret in *Caecilianum*, quod libera rep. fieri ſolebat. Etiam retinuit ſenatoriam patris dignitatem, cum intra equeſtrem ſubſtitiſſet avunculus. v. Maſſon. 1, 6. Ceterum huic ſuo patri adoptivo immortalitatem adiuvit, libros et vitae illius rationem commemorando 3, 5., et mortis genus celebrando 6, 16.

f Nec diu adoptivo patre frui illi licuit, qui A. C. 79., cum XVIII. aetatis annum ageret, incendio Veſuvii perierit. Quid ipſe interim Miſeni egerit, narrat 6, 20.

aetatis anno tragoediam Graecam ſcriberet VII, 4, 2., Livium adoleſcentulus legeret VI, 20, 5., Ciceronem etiam adultus aemularetur IV, 8, 4., non contentus ſeculi eloquentia I, 5, 12., in cuius ſtudio praeceptore Quintiliano uſus eſt II, 14, 9. et Nicete Sacerdote VI, 6, 3. [g] ac in philoſophia, praeter alios, Euphrate Stoico, quem in Syria miles audivit I, 10, 2. [h] Nec alienus a poëſi fuit VII, 4, 2. ingenium ſortitus hilare ac poëticum V, 3, 2., [i] cuius tum alia ſpecimina dedit, in epiſtolis reliqua VII, 4. et 9. tum maxime Hendecaſyllaborum librum IV, 14, 8. [k] Sic indole capaciſſima omnium literarum, et inexhauſto labore, id tandem conſequutus fuit, ut omnes eruditi illum amarent I, 13, 6. eumque ac Tacitum pro doctiſſimis ſuorum temporum haberent VII, 20, 5. et IX, 23, 3. Recitationes in primis urgebat propter multiplicem uſum V, 3, 8., nec ipſe ſolum aliis auditor frequens aderat I, 13, 6. VIII, 12, 1., ſed ſua quoque poëmata recitabat V, 3, 7. IX, 34. etiam

g De Quintiliano nuper diſputavimus, in praef. §. 9. ſq. de Nicete vid. Maſſon. 14, 4. Quam iucunde illius temporis et ſcholae memoriam uſurpaverit noſter, ipſe docet 2, 18, 1. Condiſcipulos habuit Voconium Romanum 2, 13, 5. et Romanum Firmum, erga quem liberalis eſt 1, 19. Alios quoque memorat, qui adoleſcentiam ſuam formaverint, ut Corellium Rufum 1, 12, 12., Hiſpullam eius uxorem 4, 19, 7., Arulenum Ruſticum 1, 14, 1. Spem de ſe magnam concitaſſe noſtrum, inde quoque apparet, quod *oppidum praediis* ipſius *vicinum*, *Tiſernum Tiberinum* (quod *Città di Caſtello*) *paene adhuc puerum patronum cooptavit* 4, 1, 4.

h Etiam Artemidoro, de quo 3, 11.

i Solum forte crimen, quod adhaereſcere in viro laude omni cumulatiſſimo poſſe videtur, illud eſt, quod in hac ipſa epiſtola 5, 3. item 4, 14. et 4, 27. defendere ſtudet, verſus laſcivi. Quam male ipſi defenſio ſucceſſerit, ad 4, 27, 4. indicamus. Quin parum etiam poetam fuiſſe puto. Vid. adſcripta ad 7, 4.

k De hiſtoriis etiam ſcribendis illum cogitaſſe apparet ex 5, 8. Ediderītne aliquid, non liquet.

actiones seu forenses orationes II, 19. [l] et Panegyricum Traiano dictum III, 8, 4. Orator clarissimus fuit, ut nemo facile illi praeferatur. Nam undevicesimo anno dicere in foro coepit V, 8, 8. [m] et per omnem aetatem [n] caussas egit tam apud Centumviros I, 18, 3. et IX, 23, 1., quorum iudicia *suam arenam* vocat VI, 12, 2. [o] etsi indigna saepe eius ingenio erant II, 14, 1., quam in senatu nobiliores, ut contra [p] Baebium Massam VII, ult. Caecilium Classicum III, 4. et 9. et Marium Priscum II, 11. ac pro Iulio Basso IV, 9. et Ruso Vareno V, 20., quas in summam collegit VI, 29, 8. sq. [q] Honores gessit amplissimos. Fuit enim quaestor Caesaris VII, 16, 2. Tribunus militum III, 11, 5. [r] Tribunus plebis I, 23, 2. et P. 95, 1. Praetor III, 11, 2. et VII, 16, 2, [s] Praefectus aerarii Saturni V, 15, 5. P. 92, 1. [t]

l Quam diligentiam adhibuerit, ut etiam orationes suae quam emendatissimae in manus hominum venirent, docet ipse 7, 17.

m Inter primas forte fuit caussa Iulii Pastoris, quam egit *adolescentulus* ille quidem, sed qui uxorem tamen iam haberet, 1, 18, 3. eandem caussam dum commemorat 4, 23, 1. *iuvenem* se ait fuisse.

n Etiam post Consulatum gessum. Vid. 4, 17, 3.

o Quanto plausu auditus sit, ostendit 4, 16.

p Publicium Certum 9, 13. pro Clario 9, 28, 5.

q In caussis autem agendis non pactione modo, dono, et munere, sed xeniis etiam abstinuit 5, 14. 8.

r Add. 10, 19, 1. 1, 10, 2. ubi adolescentulum se in Syria ait militasse. Reditum e militia hac suum memorat 7, 4, 3. Cf. 8, 14, 7. et 8. Circa annum aetatis XXV., quae legitima aetas est, Quaestorem factum probabile est. Fuit autem Quaestor Caesaris cum Calestrio Tirone. vid. 7, 16, 2. Quaestor nempe Caesaris, in quantum is Consul: Quaestor porro annuus, quae erudite demonstrat Masson. 25, 2.

s Gessit Praeturam anno suae aetatis 31. et 32., Christi 93. quod luculenter et ingeniose demonstratum dedit Massonus.

t Add. 10, 20, 1. et 24, 3. ubi plurium numero *indulgentia* VESTRA, et *delegati a vobis officii cura*, memoratur. Tamen Massonus 36, 7. post obitum Nervae a Traiano solo illud delegatum, e temporum rationibus ostendit. Quid si in scriniis et commentariis Nervae in-

Praefectus aerarii militaris (de quo VII, 14. n. [u]) Inscript. Consul III, 13, 1. et ep. 18, 1. et P. 91. [x] Augur IV, 8. [y] Propraetor provinciae Ponticae consulari potestate X, 77. n. et Inscript. [z] Curator alvei

ventum Plinium honore auxit Traianus? ut ad ambos referri factum posset. De occupationibus huius officii conqueritur 1, 10, 9. Menstruas tamen eius vices intelligimus ex 10, 24, 3.

x Nempe ostendit Cellarius ad l. c. vicesimam hereditatum ad aerarium militare pertinuisse. *Aerario militari praefectum*, etiam inscriptiones memorant. Plinius quidem nusquam, ut, diversi a praefectura aerarii Saturni, muneris meminit.

z In quo consulatu, (bimestri pro consuetudine illius temporis in privatis, de qua ad Paneg. 92, 4.) et quidem mense Septembri, Gratiarum actionem, sive Panegyricum habuit, qui exstat. Ceterum circa haec tempora etiam fuit Quinquevir sumtibus publicis minuendis, Virginio Rufo illum eligente, per quem ipse excusaretur 2, 1, 9.

y Petierat Auguratum, vel aliud sacerdotium a Traiano 10, 8. Factum id anno Plinii circiter 41. probat Massonus §. 2.

z Cur *Propraetor* Plinius, cum ante ipsum Bithyniam rexissent *Proconsules*: quam vim habeat *consularis* illa, quae ipsi tribuitur in inscriptione, *potestas?* eruditissime disputat ad hunc annum, h. e. 41. et 42. Plinii, Christi 103. Massonus, qui etiam illud ostendit, non integrum biennium in provincia commoratum esse Plinium. Ceterum fabulam de Plinio ad Christianismum converso ad reditum ipsius e provincia refert Pseudo-Dexter in Chronico, et illius commentator Bivarius. Iussu enim Traiani appulisse ad Cretam, aedificationis cuiusdam caussa, ibique a S. Tito Episcopo conversum ad fidem. Addit Dexter, *Nec desunt, qui putent, septima Sextilis, ad Novocomum esse passum.* Sed puduit merito commenti illepidi (incrustati licet in fictis Luitprandi adversariis n. 292. sq. p. 512.) viros doctissimos, qui acta SS. mensis Augusti Antverpiae ediderunt, qui ne verbo quidem mentionem illius rei iniicere dignantur: neque opus nimirum erat, cum ipsam sinistri illius Dextri fidem in universum iam damnassent. Neque vero erat, quod refutaret illud Boxhornius in iudicio de Plinio, quod epistolis a se editis praemisit: multo minus refellendum erat ex 10, 97. ubi *exitiabilem* vocet *superstitionem* Christianorum. Parum enim hoc ad fabulam, quae postea in reditu ex provincia contigisse dicitur: nec appellat Plinius *exitiabilem superstitionem* (quae Taciti vox est An. 15, 44.) sed pravam et immodicam 10, 97, 8. Si omnino placeat refutare, illud est apertum, epistolas eius pertinere ad annum aetatis Plinii 55. tredecim

Tiberis V, 15, 2. n. et Inſcription. Matrimonium bis contraxit: de priore nihil exſtat ante viduitatem IX, 13, 4.; [a] alterum cum Calpurnia iniit, Calpurnii Fabati [b] ex filio nepte, IV, 1, 1., quae abortum fecit VIII, 10., nec alio partu maritum beaſſe legitur: ipſa vero docta et ſtudiis exculta IV, 19, 2. et VI, 7, 1. mariti, quamquam aetate maioris, amantiſſima IV, 19, 2. et 5. [c] ita ab amita Hiſpulla inſtituta, ibidem 1. et 6. Pater enim pridem deceſſerat V, 12, 2., cuius memoriae porticum avus dedicavit V, 12, 1., ipſe vero avus, quum in Bithynia [d] Plinius cum uxore eſſet, mortem obiit X, 121., poſtquam ſenectutem in Transpadana exegerat VII, 16, 3. Frugalis et abstinens Plinius fuit II, 4, 3. et ep. 6, 4., ut voluptates etiam ſtudiis condiret, IX, 36, 4. et inter venandum ſtuderet I, 6. V, 18, 2. IX, 36, 6., [e] nec vero minus diligens pater familiae, qui

nimium annos ultra reditum ex provincia: v. n. 1. Potuitne autem de tanta immutatione tacere?

a Niſi quod ſocrus meminit 1, 18, 3. cum eſſet adoleſcentulus, Domitianus adhuc imperaret. Et ſtatim a morte Domitiani uxorem lugebat 9, 13, 4. cuius vitricus erat Vectius Proculus 9, 13, 13. Sic duo ſe matrimonia Domitiano imperante contraxiſſe ait 10, 2, 2. De quo loco Maſſon. 36, 3.

b Novocomenſem et ipſum Fabatum fuiſſe ſatis apparet non tantum ex veteri inſcriptione in Comenſi agro reperta, quam poſt alios exhibet Grut. 382, 6. quamque ad noſtrum pertinere non improbabile eſt: ſed ex ipſo noſtro 5, 12, 2. 7, 16, 32, 1. coll. 7, 16, 4. et 7, 23, 1.

c Quae epiſtola non diu poſt initum matrimonium ſcripta. Amoris ſui vehementiam aliis quoque epiſtolis declaravit, ut 6, 4. et 7. it. 7, 5.

d Non ſatis certo hoc ex laudata epiſtola colligitur, ubi excuſat Plinius, quod iter uxoris diplomate iuverit. Non eſt credibile, mulierem delicatam et infirmam tantum iter, ea celeritate, ſine marito confeciſſe. Potuit Plinius ut curator alvei Tiberis, vel alio quocunque nomine diplomatum poteſtatem habuiſſe. Haec etiam Maſſoni eſt ſententia ad 43, 8.

e Hac ipſa epiſtola 9, 36. rationem totam in praediis ſuis vivendi aeſtivam percenſet, ut ep. 40. hibernam perſequitur.

praedia sua mirifice tum coluit, tum aedificavit, quod de Laurentino ipse narrat II, 17.; de Tuscis V, 6.; de Transpadanis ad Larium IX, 7., quam industriam et aliis praediis suis, V, 6, 45. enumeratis, adhibuisse non dubitandum est. [f] Mitis in servos I, 4, 4., adeo ut nullos *vinctos* haberet III, 19, 7. suisque domum permitteret instar civitatis esse, ac peculium morte ad familiares transmittere VIII, 16, 2. Iustitiam non tam ex legum rigore, quam aequitatis modulo persequebatur II, 16. et IV, 10. redemtoribus remissiones ob sterilitatem faciens VIII, 2. et X, 24, 5. Munificus in primis [ff], quod variis operibus ostendit. Templum enim Tifernatibus exstruxit pecunia sua IV, 1, 5. et aedem Cereris in praediis suis IX, 39. Patriae sumtus partem in praeceptores publicos dedit IV, 13, 6., et ingenuis pueris alimenta annua constituit I, 8, 10. Etiam bibliothecam patriae publicam dedicavit I, 8, 2. II, 5. [g] Praeterea in multos privatos admodum liberalis, in Curianum Cratillae filium, cui legatum remisit V, 1, 10. in Voconium Firmum, cui censum equestrem supplevit I, 19., in Martialem, quem viati-

f Fortis fuit, in caussis etiam illis suscipiendis, quibus invisum se Domitiano et obnoxium delatoribus fieri, sciebat. Vid. 1, 5, 5. sq. Itaque etiam reus futurus erat, nisi interfectus esset Domitianus 7, 27, 14. Eo defuncto, Helvidii Prisci ultionem fortiter suscepit. Totam rem enarrat 9, 13. add. 4, 21, 3. Quam non metuerit Artemidorum, philosophiae nomine ab urbe semotum, adiuvare, et quo suo cum periculo, refert 3, 11. Quo animo Corelliae caussam contra C. Caecilium COS. designatum susceperit, narrat 4, 17. Add. 6, 8, 3.

ff In caussis agendis non modo pactione, dono, munere, verum etiam xeniis semper abstinuit. 5, 14, 8.

g De sua in publicam rem liberalitate agit etiam 5, 7. ubi *undecies* h. e. 55000 florenos Rhenanos se reipublicae contulisse, gloriatur. Sic prosocero, cuius heres futurus erat, publicam liberalitatem commendat 5, 12.

co iuvit III, 21, 2., in Artemidorum philosophum, cui urbe excedere iusso, quae Domitiani saevitia fuit, pecuniam, qua opus erat, a locupletibus negatam, ipse mutuatus, gratuitam dedit, III, 11, 2., in Quintiliani praeceptoris filiam, cuius dotem auxit VI, 32., in Corelliam, cui agrum minori pretio vendidit VII, 11. et 14., in Calvinam, cui patris debita remisit II, 4, 2. [h] His moribus [i] omnium bonorum benevolentiam conciliavit, [k] Traiani in primis, apud quem gratia valuit, [l] qua ad aliorum magis commoda, quam ad sua usus est. [m] Multa enim multis impetravit, peregrinis ius civitatis X, 4. et 6.; libertis ius Quiritium X, 4. et 105.; Voconio Romano condiscipulo ius trium liberorum II, 13, 8., et senatoriam dignitatem X, 3, 2.; Accio Surae praeturam X, 7. et aliis alia. Amicitiam cum optimo quoque coluit, [n] etiam periculo suo III, 11, 2. sq. [o] maxime cum literatis et studiorum sociis, in quibus Tacitum primo loco, et prope unum habuit, quem e vivis aemularetur, quod paul-

h In Metilium Crispum, cui ordines impetraverat, et quadraginta millia numum (2000 fl. Rhen.) ad instruendum se ornandumque donaverat 6, 25, 2.: in Modestum, cui libertatem dubie legatam ultro dedit 4, 10.: in nutricem suam, cui agellum centum millium numum (5000 flor. Rhen.) donavit 6, 3.

i Quos gloriae studio incitatos fuisse, non dissimulat 7, 33. (ubi Ciceronem suum imitatur fam. 5, 12.) conf. 6, 29, 3. Quam tamen ea in re moderationem adhiberi velit, docet 1, 8, 13. sq. Ceterum Imperatoris quoque gloriae se studiosum ostendit praesertim 10, 50.

k Quanti illum Corellius fecerit, explicat 4, 17, 8.: esse, qui se imitentur, gaudet 6, 11.

l Qui ipsum in consilium non nunquam adhibuit in cognitionibus, v. g. 4, 22, 1, et in rescriptis suis, libro decimo comprehensis, tractat amantissime.

m Tamen etiam ad sua: ut ad ius trium liberorum 10, 2. ad auguratum 10, 8. etc.

n Suum in laudandis amicis studium suavissime excusat 7, 28.

o Vid. ad proximam notam f.

lo maior aetate erat, VII, 20, 4., quem etiam ingenio, doctrina, honoribus est adsequutus, isque vicissim tanti Plinium fecit, ut libros suos emendandos ei crederet VII, 20, 1. Hi duumviri principatum in literis tenuere, ut una nominarentur, quum de studiis sermo esset VII, 20, 5., in hos coniectura ferretur, si de doctis non nominatis esset ferenda IX, 23, 3. Ceterorum amicitiae epistolis illustratae sunt. [p] Corpore fuit imbecillo et minus robusto, quod *corpusculum* Traianus dixit X, 29, 1., et intentius caussam orantem per libertum admonuit, ut lateri consuleret II, 11, 15. Aliquando lippitudine laboravit VII, 21, 1., honestissimis caussis, lucubrationibus contracta, quibus et ceterae imbecillitates maiorem forte partem imputandae sunt. [q] De morte nihil certo constat: simile autem vero habetur, per plurimum imperii Traiani tempus, aut paullo ultra, vitam produxisse. [r]

[p] Vid. Index hominum, cui intexuimus catalogum eorum, quibus inscriptae sunt epistolae.

[q] Aegrotasse illum etiam circa Nervae mortis tempus, apparet ex 10, 24, 3. et gravissime quidem 10, 4. Forte idem fuit morbus, in quo abstinentiam suam et moderationem probavit 7, 1, 4. sq.

[r] Certe inter epistolas eius, ut nulla habet characterem temporis prioris anno Plinii 36. (vid. Masson. h. a. §. 10.) ita nec ulla recentior anno aetatis illius 55. certis indiciis deprehendi a Massono potuit. Ceterum, quoniam hic sumus, illud etiam adnotare iucundum est, quod nec annli sui ἀποσφράγισμα s. typum ignorare nos voluit, *quadrigas* 10, 16, 3. Tandem illud forte huc referendum superest, librum octavum editum videri post nonum Massono 44, 5. nonum autem ipsum aliquo post sex priores intervallo editum, ad 45, 2. colligit ex 9, 19, 1. coll. 6, 10, 4. Cetera, quae ad literariam epistolarum historiam pertinent e Fabriciana Bibliotheca petenda sunt, cui quod adiiciamus, in tanta praesertim Schwarziani operis exspectatione, iam non habemus.

INSCRIPTIONES ANTIQVAE DE PLINIO.

I.

COMI in exteriori ſtructura templi maximi.

(Neſcio unde acceptam dedere editores a ſeculo inde plerique.)

C. PLINIO L. * F. O. ** V. F. CAECILIO SECVNDO
COS. AVG. CVRAT. TIBER.

* *Lucii Filio*, quod probat Maſſonus prae aliorum *C.* ſive *Caii.*

** Sic vitioſe dant pro OVF. quod eſt in aliis, h. e. *Ouſentina tribu.* Vid. Maſſon. 1, 9.

II.

In AGRO COMENSI ap. Gruter. p. 454, 5.

C. P L I N I O L. F.
O V F. C A E C I L I O
S E C V N D O. C O S
A V G V R. C V R. A L V. T I B
E R. E T. C L O A C. V R B
P R A E F. A E R. S A T. P R A E F
A E R. M I L. Q. * I M P
S E V I R. ** E Q. R O M
***L E G. I I I. G A L L. X V I R O
STL. IVD. FL. **** DIVIT. AVG
— — — — R C E L I E N S

* *Quaeſtori Imperatoris* ſive Caeſaris.

** h. e. uni de ſex turmis equitum Rom. praefecto. v. Maſſon. 22.

*** Supplendum TRIBVNO, volunt Fabrettus inſcr. c. 5. p. 411. et Maſſonus; quod Gudius voluiſſe dicitur LEGATO, forte non tam ita legi, quam ſuppleri voluit.

**** *Flamini Divi Titi Aug.* Maſſon. 19, 1.

III.

MEDIOLANI in aede S. Ambrosii apud Grut. p. 454, 3. et plenius 1028, 5. nec sine aliqua varietate, quae tamen fidei antiquitatis derogare non debet. Tabula lapidea in partes secta, et formata in sarcophagum, a posterioribus, lacunis et coniecturis occasionem dedit. Fundus quasi et substantia bona. Nempe priori loco sic:

C. PLINIVS. C. * F. C. N.
CAECILIVS. SECVNDVS
COS. ** AVGVR. LEGAT. PRO *** PRAET
PROVINC. PONTI. CONSVLARI PO
TESTATE. IN. EAM. PROVINCIAM. AB
IMP. CAESARE. NERVA. TRAIANO
AVG. GERMANICO. MISSVS ****
CVRAT. ALVEI. TIBERIS. ET. RIPAR
PRAEF. AERARI. SATVRNI. PRAEF
AERARI. MILIT. LEG. LEG. VI. GALLIC.
X. VIR STLIT. IVDICANDIS

Posteriore loco eadem fere, h. e. tenui modo, et quae descriptorum ingeniis tribui possit, varietate; sed a versu penultimo et voce MILIT. sic pergitur:

QVAEST. IMP. SEVIR. EQVITVM - - - - - - - - - - -
TRIB. MILIT. LEG. III. GALLICAE - - - - - - - - -
X. VIR. STLITIB. IVDICANDIS. THER † - - - - -
ADIECTIS. IN. ORNATVM. H-S CCC - - - - - -
AMPLIVS. IN. TVTELA. H-S CC. T. F. I.
ET. LIBERTORVM. SVORVM. NOMIN. H-S | XVIII | LXVI. DCLVI. REI
INCREMENT. POSTEA. AD. EPVLVM. PLEB. VRBAN. VOLVIT. PERTIN
AMPLIVS. DEDIT. IN. ALIMEN. PVEROR. ET. PVELLAR. PLEB. VRB. H-S -
IN. TVTELAM. BYBLIOTHECAE. H-S. C. - - - - - -

* Vid. ad Inscr. I. not. a. Et sic quoque apud Gruterum posteriore loco legitur, nempe; L. F. OVF. CAECILIVS etc.

** om. cos. Grut. p. 1028.

*** PROC. PR. Grut. p. 1028. vitiose.

**** om. Grut. p. 1028.

† Haec ita supplet Alciatus in hist. Mediol. L. 2. *Thermas adiectis in ornatum sestertiis trecentis, et eo amplius in tutela* (f. tutelam) *sestertiis ducentis testamento fieri iussit.* Reliquae viri interpretationes non sunt magni momenti, quas videre licet etiam ap. Massonum. Et multum sane passam esse ultimam inscriptionis partem, apparet. Operae pretium fuerit, eam cum archetypo, si adhuc exstat, iterum conferri.

TESTIMONIA ET IVDICIA
ALIORVM SCRIPTORVM VETERVM.

MARTIALIS *lib. X. Epigram. XIX.*

Nec doctum ſatis, et parum ſeverum,
Sed non ruſticulum nimis libellum
Facundo mea Plinio Thalia,
I, perfer.

Poſteriora Epigrammatis verba noſter epiſtola ultima libri III. repetiit.

Ponitur hic vulgo QVINCTIL. 12, 10, 11.

Hinc vim Caeſaris, indolem Caecilii, ſubtilitatem Callidii, gravitatem Bruti, acumen Sulpicii, acerbitatem Caſſii, diligentiam Pollionis, dignitatem Meſſallae, ſanctitatem Calvi reperiemus. In his etiam, quos ipſi vidimus, (*ſic eſt, non videmus, ut quidam dedere*) copiam Senecae, vires Africani, maturitatem Afri, iucunditatem Criſpi, ſonum Tracchalli, elegantiam Secundi.

Sed obſervavimus ad h. l. non *Plinium Secundum* hic laudari, ſed *Iulium Secundum*, de quo 10, 1, 120. Ibidem ſ. 122. ea dicit, quae ad Secundum noſtrum vel maxime pertinent:

Habebunt, qui poſt nos de oratoribus ſcribent, magnam eos, qui nunc vigent, materiam vere laudandi. Sunt enim ſumma hodie, quibus illuſtratur forum, ingenia. Namque et conſummati iam patroni veteribus aemulantur, et eos iuvenum ad optima tendentium imitatur ac ſequitur induſtria.

MACROBIUS *lib. V. Saturn. cap. I.*

Quatuor ſunt genera dicendi: copioſum, in quo Cicero dominatur; breve, in quo Salluſtius regnat; ſiccum, quod Frontoni adſcribitur; pingue et floridum, in quo Plinius Secundus quondam, et nunc nullo veterum minor Symmachus luxuriatur.

SIDONIUS APOLLINARIS *lib. I. ep. I.*

Epiſtolas omnes, retractatis exemplaribus enucleatisque, uno volumine includam, Q. Symmachi rotunditatem, C. Plinii diſciplinam maturitatemque, veſtigiis praeſumtuoſis inſequuturus.

IDEM *lib. IV. epiſt. III. ad Claudianum, Mamerti, Viennenſis epiſcopi, fratrem, ut ex epiſt. XI. apparet.*

Si reare quemquam mortalium (cui tamen ſermocinari Latialiter cordi eſt) non pavere, quum in examen aurium tuarum, quippe ſcriptus, adducitur, tuarum, inquam, aurium, quarum peritiae, ſi me decurſorum ad hoc aevi temporum praerogativa non obruat, nec Frontonianae gravitatis, aut ponderis Apuleiani fulmen aequiparem, cui Varrones, vel Atacinus, vel Terentius, Plinii vel avunculus vel Secundus, compoſiti impraeſentiarum ruſticabuntur.

Eodem libro, epiſt. XXII.

Ego Plinio, ut diſcipulus, adſurgo.

Perpetuus enim imitator Plinii eſt Sidonius, ut doctiſſimus interpres Io. Sauaro paſſim obſervavit.

IDEM *lib. VIII. epiſt. X.*

C. Plinius pro Accia Variola plus gloriae de centumvirali ſuggeſtu domum retulit, quam quum

Marco Ulpio, incomparabili principi, comparabilem panegyricum dixit.

AVRELIVS CASSIODORVS *in Chronico, sub Traiano.*

CELSVS ET CRISPINVS. His consulibus Plinius Secundus Novocomensis orator et historicus insignis habetur, cuius ingenii plurima opera exstant.

[Recentioribus temporibus Secundus, qua civis, qua scriptor, iudicia expertus est satis severa, et quae eius φιλαυτία non speraslet. Alfierus quidem, clari apud Italos nominis scriptor, quid de Panegyrico senserit, in vulgus notum est. Burmanno ad Ovid. Metam. 15, 848. Plinius dicitur aulicae adsentationis princeps et pudendum posteris exemplar: Gierigio ad Epist. T. 2. p. 122. b. magnorum simius virorum, et in Argum. ad Epist. 33. l. 7. simius Ciceronis. Ipse Gesnerus, sincerus ille virtutum eius admirator et praeco, in epistola ad I. A. Ernestium bonam partem Plinii scholasticam esse fatetur. De meo sensu si quid adiicere licet, non nego, me, a Tullianarum Epistolarum lectione recentem, Plinianas fastidire; Panegyrici autem nihil propemodum legere posse, quin miseratione commovear hominis, cuius spiritus, si quos unquam habuit, temporum infelicitas adeo fregerat, ut, rebus in meliorem statum conversis, de principe bono vix aliter, ac vilissimum mancipium idemque astutissimum de domino truculento, loqui et scribere auderet. Sane facilius erat flosculos carpere orationis, quam magnanimitatem referre generosorum Romuli nepotum. *S.*]

C. PLINII CAECILII
SECVNDI
EPISTOLAE

C. PLINII CAECILII
SECVNDI
EPISTOLARVM
LIBER PRIMVS

I.

Septicio Epiſtolarum opus, eiusdem hortatu collectum, dedicat.

C. PLINIVS SECVNDVS SEPTICIO SVO S.

Frequenter hortatus es, ut epiſtolas, ſi quas paullo
accuratius ſcripſiſſem, colligerem publicaremque.
Collegi, non ſervato temporis ordine, (neque enim
hiſtoriam componebam) ſed ut quaeque in manus
venerat. Supereſt, ut nec te conſilii, nec me poe- 2
niteat obſequii. Ita enim fiet, ut eas, quae adhuc
neglectae iacent, requiram: et ſi quas addidero,
non ſupprimam. Vale.

I. 1 *ſi quas paullo accuratius*) Bene tuentur VV. DD. *ſi quas.* Codd. Bodl. et Excerpta Brumm. male *quas.* Ita Latini ad Graecorum morem, quorum in libris *εἴ τις* ſimiliter in *ὅς τις* ſaepe depravatum fuit. *S.* In Rom. legitur: *ſi quas paulo cura maiore* [non *curatius*, ut vulgo] *ſcripſiſſem*, ut Cortius edidit. — Mox in eadem: *ſed ut quaeque in manus venerant*, ut Barthii codex. *H.*

2 *ut eas*) Malim *ut* et *eas.* *S.*

II.

Librum ſuum emendandum mittit.

C. PLINIVS ARRIANO SVO S.

Quia tardiorem adventum tuum proſpicio, librum, quem prioribus epiſtolis promiſeram, exhibeo. Hunc, rogo, ex conſuetudine tua et legas et emendes: eo magis, quod nihil ante peraeque eodem
2 ζήλῳ ſcripſiſſe videor. Tentavi enim imitari Demoſthenem, ſemper tuum, Calvum, nuper meum,

II. ARRIANO) Arrianum eſſe Maturium Gierigius putat, a Plinio mire laudatum III, 2. Idem dudum placuerat Catanaeo. Minus certa res Gesnero viſa. vid. Indic. Homin. Illuſtr. *S.*

1 *librum, quem — promiſeram)* *Actionem pro Accia Variola Catanaeus intelligit, de qua 6, 35 int. ſed nullum in ea huius rei veſtigium; eſt etiam contra aliquid. Haec *tota prope in contentione dicendi;* illic maior longe varietas. Compara utramque epiſtolam. *G.*

Facile aſſentior Gesnero. Sed Gierigii idem probantis ratio, quod Plinius in illa pro Accia Variola actione ſibi mirifice placeat, de hoc autem libro ſatis modeſte iudicet, parum ponderis videtur habere. Potuit aliter ſcribere Romano, cui liber legendus et *admirandus*, aliter Arriano, cui legendus et *emendandus* mitteretur. *S.*

Liber, cuius hic mentio fit, non fuit *actio pro Variola:* ſed vel in Publicium Certum, de qua lib. VIIII. ep. 13. vel alia. Antea enim longae deſidiae ſub Domitiano indormierat. Vid. lib. VIII. ep. 14. 8. Actio pro Variola edita eſt, cum iam multae Plinii orationes exſtarent. Vid. lib. VI. ep. 33. 11. *H.*

eodem ζήλῳ) Ardore, ſtudio, contentione, vt ſolent nimirum, qui aemulari aliquem, et ſi poſſint, ſuperare conantur. *Altera lectio, *ſtilo*, non abſurda illa quidem, ſed nemo ſtilo in ζήλῳ mutaturus erat. *G.*

Sed poterat aliquis *ſtilo* appoſuiſſe, interpretandi cauſa. Nam ζῆλον hoc ſenſu dictum eſſe, patet ex Plutarch. Anton. cap. 2. *ἐχρῆτο δὲ τῷ καλουμένῳ μὲν Ἀσιανῷ ζήλῳ τῶν λόγων, ἀνθοῦντι μάλιστα κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον* etc. *E.*

Non erravit, ſiquis *ſtilo* interpretandi cauſa appoſuit. Ζῆλος enim hic non eſt, ut nonnullis placet, *ardor;* ſed *imitatio, aemulatio*. Lege quae ſequuntur. *S.*

2 *Tentavi enim — — orationis)* Rom. *Tentavi enim imitari Demoſthenem, ſemper tuum, nuper meum, dumtaxat figuris orationis*. Tertius ergo Romanus hic teſtis veterem lectionem confirmat, quam aperte corrumpunt, qui *Calvum nuper meum* ſcribunt. Recte etiam *dumtaxat* cum Pariſ. codice praeponit, ut ſemper fere Plinius. Vid. lib. III. 9. 26. lib. IIII. 9. 7. lib. V. 21. 4. lib. VIIII. 16. 2. ep. 13. 4. ep. 34. 1. lib. X. 13. ep. 64. 4. ep. 113. 2. *H.*

Calvum, nuper meum) Indicat ſe non ita pridem imitari Calvum coepiſſe, laudatque Arrianum perpetuum Demoſthenis aemulum. De utroque in Indice agitur. *Ceterum fere eſt, ut prae-

figuris dumtaxat orationis. Nam vim tantorum virorum pauci, quos aequus amavit, adſequi poſ-

feram lectionem a Cortio prolatam firmatamque e MSS. *Tentavi enim imitari Demoſthenem ſemper tuum, nuper meum, figuris dumtaxat orationis. Nam vim tantam verborum pauci, quos aequus amavit, ſequi poſſunt.* Sed quod non apparet, quomodo *Calvum*, ſi non fuerit in libris antiquis, intrudere aliquis potuerit · facile contra eſt vocem quamcunque excidere: nihil auſus ſum mutare. *G.*

Audaciorem criticum hic locus poſtea nactus eſt Wagnerum, Conrect. Merſeb. diſſert. 1781. edita. Is igitur, cum *Calvum* in h. l. ferri non poſſe aliquot argumentis docuiſſet, pro ea voce graecam ἐγχόλπιον inferendam, omnemque locum ita legendum ſtatuit: *Tentavi enim imitari Demoſthenen, ἐγχόλπιον ſemper tuum, nuper meum, figuris duntaxat orationis. Nam vim tantam verborum pauci, quos aequus amavit, adſequi poſſunt* Nullam ego ſententiam dico. Illa · una *vis verborum*, quam lectionem illa criſis neceſſariam facit, me male habet. *Vim* Demoſtheni tributam ſcio, et intelligo, ſed cur *verborum?* Nullane Demoſthenis in ſententiis vis erat? Imo vero maxime in his et in omni non tam verborum quam rerum ſenſorumque tractatione. cf. not. ſeq. *E.*

vim tantorum virorum) Cogitent, qui haec legunt, omnem virtutem oratoriam, quae inventione, acumine, ſpiritu, et vehementia dicendi continetur, et maxime argumentando, perſuadendo, commovendisque animis ſe exſerit. Ab ea differt facultas eloquendi, quae maxime figuris orationis, et elocutionis virtutibus cernitur. *E.*

Rom. *Nam vim tantam verborum qui poſſunt?* In vulgata lectione primum nihil ſignificant vorba *tantorum virorum*, eaque ita, ut in Romana eſt, iam Cortius e Mediceo correxit: poſtrema vero gloſſa laborant, *pauci quos aequus amavit adſequi poſſunt.* Mirum eſt, quam in his libri varient: uni Mediceo plurimum tribuit Cortius, in quo reperit, *Nam vim tam* [compendio ſcripturae, pro *tantam*] *verborum* [illegible] *vit, qui poſſunt.* Sed Mediceus veram quidem lectionem, ſed eam gloſſa oneratam, ſervat: ceteri utramquo corruperunt. Cortius quidem pronomen *qui* in Mediceo ex *ſequi* putat eſſe truncatum: ſed hoc minus ſignificat, quam *adſequi*, quod in ceteris eſt; nec ſaepo Plinius Virgilianis verſibus pro ſuis utitur, quod ter fortaſſe fecit, lib. VI. ep. 20. et 33. lib. VIIII. ep. 13. Itaque omnibus vulgatis Romanam lectionem praefero: *Nam vim tantam verborum qui poſſunt?* in qua ex ſuperioribus verbum *imitari* ſubintelligitur. Cic. lib. II. de leg. c. 7. *Quis enim id poteſt, aut umquam poterit imitari?* Quintil. lib. X. cap. 2. 12. *Imitabilia non ſunt ingenium, inventio, vis, facilitas.* Quoniam Plinius interrogans ſcripſit: *Nam vim tantam verborum qui poſſunt?* reſponſi loco aliquis Virgilianum verſum adiecit: *pauci quos aequus amavit.* Is poſtquam a librariis cum Plinianis verbis contextus, (ut in Mediceo) cum ſequentibus vero male cohaerere viſus fuit: in aliis exemplaribus *qui* manſit, in aliis inductum, et fulciendo hiatui *adſequi* arceſſitum fuit. Hinc omnis illa lectionis varietas, quam Cortius adnotavit: qua vero facile nunc carere poſſumus, poſtquam erroris fontem reperire contigit. *H.*

Praeclara criſis Heuſingeri. Quam qui convelli eo poſſo opi-

3 sunt. Nec materia ipsa huic (vereor, ne improbe dicam) aemulationi repugnavit: erat enim prope tota in contentione dicendi, quod me longae desidiae indormientem excitavit, si modo is sum
4 ego, qui excitari possim. Non tamen omnino Marci nostri λημύθους fugimus, quoties paullulum

nantur, quod vis Demosthenis non in solis verbis fuerit, dubito an satis expenderint, qua oppositione Plinius hic utatur. Ne- [illegible] opponit, sed *vim* verborum *figuris* orationis. Verborum autem vim maxime ex sententiis, uberrimo fonte *τῆς τοῦ λόγου δεινότητος*, manare, nemo nescit. Itaque locus sic constituendus: *Tentavi enim imitari Demosthenem, semper tuum, nuper meum, dumtaxat figuris orationis. Nam vim tantam verborum qui possunt?* S.

pauci, quos aequus) Proverbii formam dat Virgiliano ex Aen. 6, 129. *Pauci, quos aequus amavit Iuppiter, atque ardens evexit ad aethera virtus.* G.

3 *ne improbe dicam)* Excusat verbum *aemulationi*, quod arrogans videri potest et *improbum* h. e. impudens, nimis audax, quae frequens verbi notio. G.

si modo is sum ego, qui excitari possim) Rom. et Medic. *si modo is sum ego, ut excitari possim.* Utrumque Ciceronianum est. Cicer. lib. V. ep. 8. med. *Is enim tu vir es, et eum me esse cupio, ut — coniunctionem amicitiamque nostram utrique nostrûm laudi sperem fore.* Et Brut. ep. 15. *nec tamen is sum, ut mea me maxime delectent.* Vid. Horat. Tursell. Schwartzianum cap. CXXII. 13. p. 450. a quo haec sumsi. Non dissimile est illud infra ep. 13. 6. *Neque enim quisquam est fere, qui studia, ut non simul et nos amet.* H.

Magis tamen Tullianum puto *qui.* Discas id ex elaboratissima epistola ad Lucceium V, 12. p. 121. ed. Ernest. *Neque enim tu is es, qui, qui sis, nescias.* Minus, ut videtur, suaviter ad aurium sensum. S.

4 *Non tamen — admonebamur)* Rom. *Non tamen omnino Marci nostri τὰς λημύθους fugimus, ut etiam paulum itinere cedendo in tempestivis amoenitatibus submovemur.* Parum hinc abit Mediceus, ut his auctoribus legi possit: *ut etiam paullum itinere, cedendo non intempestivis amoenitatibus, submoveremur.* Sed si per libros liceret, *cedendo* carere possemus. H.

Bene servavit articulum ante λημύθους, in aliis quoque editionibus Cortio repertum. S.

Marci nostri) Ipso praenomine familiaritatem, quae sibi cum Cicerone intercedat, significat, ut ille: *O Tite, si quid ego adiuro* etc. *Gaudent praenomine molles Auriculae.* G.

λημύθους) Ab ipso cum Tullio sumserit λημύθους noster, non dubium est, illas ea qua Tullium significatione posuisse. Aperte autem ad pictores, qui pigmenta in hoc vasis genere habent, ille refert ad Att. 1, 14. ubi de Crasso: *Totum hunc locum, quem ego varie meis orationibus soleo* pingere, *de flamma, de ferro (nosti illas λημύθους) valde graviter pertexuit.* Nescio, quam bene huc referat Cresollius dulcia illa vel eclegmata vel sorbitiunculas, quibus laevorem quendam et splendorem voci conciliarent Sophistae. Vid. illius Theatr. rhetor. 3, 18. et Vacatt. auctumn. 3, 9, 2. p. 504. G.

itinere decedere non intempeſtivis amoenitatibus
admonebamur: acres enim eſſe, non triſtes, vo-
lebamus. Nec eſt quod putes, me ſub hac ex- 5
ceptione veniam poſtulare. Immo, quo magis
intendam limam tuam, confitebor et ipſum me et
contubernales ab editione non abhorrere, ſi modo
tu fortaſſe errori noſtro album calculum adiece-
ris. Eſt enim plane aliquid edendum, atque uti- 6
nam hoc potiſſimum, quod paratum eſt! (audis
deſidiae votum,) edendum autem ex pluribus cauſ-
ſis: maxime quod libelli, quos emiſimus, dicuntur
in manibus eſſe, quamvis iam gratiam novitatis
exuerint; niſi tamen auribus noſtris bibliopolae
blandiuntur. Sed ſane blandiantur, dum per
hoc mendacium nobis ſtudia noſtra commendent.
Vale.

III.

Caninium occaſione amoenitatum patriae hortatur, ut omiſſa rei familiaris cura, ſtudiis ſe literarum a mortalitate vindicet.

C. PLINIVS CANINIO RVFO SVO S.

Quid agit Comum, tuae meaeque deliciae? quid ſuburbanum amoeniſſimum? quid illa porticus,

Non aberrabit a ſenſu, qui λήκυθον non tantum *pigmentis*, ſed et *unguentis* ſerviiſſe cogitet. Nam et *pictam*, et *unctam* orationem veteres eodem fere ſenſu dixere. De utroque cf. Lex. technol. rhet. v. *pigmenta; pingere; unctus. E.*

itinere decedere) quod fit in oratione digreſſionibus, quae varietate rerum delectant, et quaſi reficiunt lectorem, ut locorum *amoenitates* viatorem. Simili metaphora Livius 9. 17. *amoena legentibus diverticula* dixit. *E.*

acres enim eſſe, non triſtes, volebamus) *Acrem* dicit, qui ita eſt vehemens et ſeverus in oratione, ut tamen a ſplendore, et cultu laetiori et iucundiori non abhorreat; quo ſenſu Graeci dixerunt *τὸ δριμύ*, vel *δριμύτητα*, quam Euſtath. ad Hom. Il. *γ*. p. 433. ait apud Rhetores eſſe *ἐπίτασιν τῆς γλυκύτητος*. *Triſtem*, ſemper et continuo ſeverum, horridum, nihilque dantem delectationi aut venuſtati. Cf. Epiſt. 2, 5 et Cic. Brut. 30. ubi *triſte* et *ſeverum* dicendi genus iungitur. *E.*

Vid. Erneſt. Lex. Techn. Graec. Rhetor. v. *Δριμύ. Δριμύτης. S.*

verna ſemper? quid πλατανὼν opaciſſimus? quid Euripus viridis et gemmeus? quid ſubiectus et ſerviens lacus? quid illa mollis, et tamen ſolida, geſtatio? quid balineum illud, quod plurimus ſol implet et circumit? quid triclinia illa popularia? quid illa paucorum? quid cubicula diurna nocturnaque? Poſſidentne te, et per vices partiuntur?
2 An, ut ſolebas, intentione rei familiaris obeundae, crebris excurſionibus avocaris? Si te poſſident, felix beatusque es: ſin minus, unus ex multis.
3 Quin tu (tempus eſt enim) humiles et ſordidas curas aliis mandas; et ipſe te in alto iſto pinguique ſeceſſu ſtudiis adſeris? Hoc ſit negotium tuum, hoc otium: hic labor, haec quies: in his vigilia, in his

III, 1 *Euripus viridis et gemmeus*) Non ipſius aquae per ambages et anfractus derivatae atque (inſtar Chalcidici illius *Euripi* adfluentis refluentisque colores intelligo; ſed ripae, quam non arenoſam, ſed herbis floribusque amoenam indicat: ut nempe *gemmea* alias *prata* dicit vid. Ind. De *Euripis* illis aliquoties Seneca, et quos praeterea laudat Davieſ. ad Cic de nat. Deor. 2, 1, ubi cum *Nilis* coniunguntur. *G.*

ſubiectus et ſerviens lacus) Prius ad viciniam et continentiam, ſi fas eſt ita vocari, refero; de quo quidem dubium nullum eſt: alterum vero ad uſum, quem quid praeſtat per id ipſum, quod vicinum eſt: ut hic *ſervit lacus Euripo*, vel implendo, vel, (ſi *ſubiacere* ad humiliorem neceſſario locum referendum putes) exonerando recipiendoque. Ita 5, 6, 23. *Piſcina feneſtris ſervit* h. e. proſpectum illis amoeniorem praebet; cui ſimillimum illud Statii ſilv. 2, 2, 75. *Servit ſua terra feneſtris.* Sic Quinctil. 9, 4, 63. *Non enim cohaerent aliis, neque praecedentibus ſerviunt*, illuſtrandis nimirum, confirmandis etc. Laudavit iſta Cortius, ſed ſimpliciter ad viciniam retulit. Utrum attulerit aliquid Marklandus ad l. c. Statii, quod ab hac ſententia nos demovere poſſit, non licet iam arbitrari. *G.*

Nihil eiusmodi Marklandus affert, modo laudans, praeter Plin. 5, 6., Senecam Herc. Oet. 776. *Phryxeum mare ſcandit Caphareus:* ſervit *hoc* Auſtro *latus.* Ceterum dubitare noli, quin *ſubiectus* ad humiliorem locum referendum ſit. *S.*

quid triclinia — paucorum?) *Quid triclinia illa popularia, illa paucorum?* Rom. bene: et ſic Brummer. cod. A. et Neapolitan. *H.*

diurna nocturnaque) Bene cod., copula neglecta, *diurna, nocturna.* Augetur ſic vis orationis. — Mox malim ex codd. *Poſſident te et per vices partiuntur, an, ut ſolebas* etc. *S.*

3 *in his — reponatur*) Rom. *in his vigilia, in his etiam ſomnus reponetur.* *H.*

Perperam. Sed placet *vigiliae* e quinque codd. enotatum. Vulgatae fontem Cortius perite oſtendit. Contrario modo peccat cod. Haverk. in Liv. I, 47, 4. Vid. infra ad 2, 8, 1. *S.*

etiam ſomnus reponatur. Effinge aliquid et excu- 4
de, quod ſit perpetuo tuum. Nam reliqua rerum tuarum poſt te alium atque alium dominum ſortientur: hoc numquam tuum deſinet eſſe, ſi ſemel coeperit. Scio, quem animum, quod horter ingenium. 5
Tu modo enitere, ut tibi ipſe ſis tanti, quanti videberis aliis, ſi tibi fueris. Vale.

IV.

Laudata rerum copia in villis ſocrus ſuae, et ſervorum diligentia, illam ad ſua praedia invitat.

C. PLINIVS POMPEIAE CELERINAE SOCRVI S.

Quantum copiarum in Ocriculano, in Narnienſi, in Carſulano, in Peruſino tuo! In Narnienſi vero

4 *excude*) *Exclude,* quod habent quidam Codices, ſi ideo praeferendum putant viri docti, quia ſit commoda et nitens translatio ab avium fetu ſumta; fugit eos ratio: cum *excudendi* verbum ea in re et ipſum ſatis frequenter uſurpari, ruſtici noſtri doceant. Deinde *excude* ad nobiliſſima etiam ſtatuariorum ex aere opera refertur; et creſcit oratio, cum alteri *effinge,* quod ad plaſtas et figulos, in cera et argilla occupatos, pertinet, *excude* ſubiicitur. *G.*

Graecorum hunc uſum loquendi, latino ſimillimum, confirmavit Heyn. ad Pind. Ol. 6. 161. et Eichſtädt. Ep. ad Aſt. p. 177. *E.*

Rom. *Effinge aliquid et excude,* non *exclude,* ut Medic. quod non placet. Et mox: *hoc numquam deſinet eſſe, ſi ſemel coeperit, tuum.* Hoc et Cortio adridet, quod ita et Medic. *H.*

5 *ut tibi ipſe ſis tanti*) Cic. ad Q. Fr. 3, 6. *Ceſſator eſſe noli, et illud γνῶθι σεαυτὸν noli putare ad arrogantiam minuendam ſolum eſſe dictum, verum etiam, ut bona noſtra norimus. G.*

Leg. *ut tibi* ipſi *ſis tanti* —. *S.*

IV, 1 *Quantum copiarum — ſufficit*) Haec eſſe abrupta, et ne ſatis latina quidem, recte monuit Gierigius, qui, donec meliora proferantur, ita legendum putat: *Quam me copiae tuae in Ocriculano, in Narnienſi, in Carſulano, in Peruſino tuo delectent, in Narnienſi vero etiam balineum, ex epiſtolis meis intellexiſti, quamquam pluribus opus non eſt, ſed una illa brevis et vetus ſufficit.* Haec planam quidem et probabilem ſententiam habent: ſed vereor, ut Plinius nunc illa ſic ſcripſerit. Amat Plinius et abrupta, praeſertim cum quaedam admiratur et laudat, et in brevioribus epiſtolis, qualis haec eſt. Fortaſſe una interpunctione locus adiuvandus hoc modo: *Quantum copiarum in Ocriculano, in Narnienſi, in Carſulnno, in Peruſino tuo! In Narnienſi etiam balineum! ex epiſtolis meis (nam pluribus opus non eſt) una illa brevis et vetus ſufficit.* Socrus haec,

etiam balineum! Ex epiſtolis meis (nam iam tuis 2 opus non eſt) una illa brevis et vetus ſufficit. Non, me hercule, tam mea ſunt, quae mea ſunt, quam quae tua: hoc tamen differunt, quod ſolicitius et 3 intentius tui me, quam mei excipiunt. Idem fortaſſe eveniet tibi, ſi quando in noſtra diverteris. Quod velim facias: primum, ut perinde noſtris rebus, ac nos tuis, perfruaris: deinde, ut mei expergiſcantur aliquando, qui me ſecure ac prope negli-
4 genter exſpectant. Nam mitium dominorum apud ſervos ipſa conſuetudine metus exoleſcit: novitatibus excitantur, probarique dominis per alios magis quam per ipſos laborant. Vale.

V.

Mores ſubdolos M. Reguli cauſſidici oſtendit.

C. PLINIVS VOCONIO ROMANO SVO S.

Vidiſtine quemquam Marco Regulo timidiorem humilioremque poſt Domitiani mortem? ſub quo

quamvis abrupta, ſine dubio recte intelligebat. Scilicet illi, non nobis, ſcripſerat Plinius. Laetabar, cum diu poſt, quam haec ſcripſeram, viderem viri docti, qui in Ephem. lit. Ienenſ. huius loci cenſuram poſuerat, ſententiam illi meae plane ſimilem eſſe. *E.*

Idem et mihi in mentem venerat, antequam Erneſtii notam vidiſſem. Itaque ſic interpunxi. Certe Gierigii interpolatio reprobanda, incidens illa nervos orationis. Quod autem Erneſtius ante *etiam* omiſit *vero*, et *iam tuis* mutavit in *pluribus*, imprudentis calamo videtur excidiſſe. *S.*

in Carſulano) Rom. *in Carſeolano*, ut in quibusdam Catanaeus legit. *H.*

Ex epiſtolis meis) Significatne alias a ſe epiſtolas editas? Certe provocat ad eam, quam olim ſcripſerit ad ſocrum. *G.*

3 *diverteris*) Gierigius *deverteris;* et ſic Erneſtius editurus erat. Bene. Perpetua horum verborum confuſio. Vid. Drakenborch. ad Liv. 1, 51, 8. *S.*

4 *per ipſos*) Sic optimi libri; intelligo autem *dominos*. *Per ſe ipſos* fecerunt, qui ad *ſervos* referrent, quod etiam ſi ponas, tamen illud *ſe* minus neceſſarium eſt. *G.*

Rom. *quam per ſe ipſi*, non *ipſos*, ut multi. Malunt dominis per alios probari, quam ipſi per ſe. *H.*

Recte interpretatur Heuſingerus; idque ipſum ſignificat vulgata, *quam per ipſos*, quae lectio non ſolicitanda. *ſe* librarii, ut locis aliis, invexerunt. Vid. Drakenborch. ad Liv. Praefat. 3., ubi et de hoc Plinii loco. *S.*

non minora flagitia commiserat, quam sub Nerone, sed tectiora. Coepit vereri, ne sibi irascerer: nec fallebatur; irascebar. Rustici Aruleni periculum 2
foverat, exsultaverat morte: adeo ut librum recitaret publicaretque, in quo Rusticum insectatur, atque etiam *Stoicorum simiam* appellat. Adiicit *Vitelliana cicatrice stigmosum.* Agnoscis eloquentiam 3
Reguli. Lacerat Herennium Senecionem, tam intemperanter quidem, ut dixerit ei Metius Carus, *Quid tibi cum meis mortuis? numquid ego aut Crasso aut Camerino molestus sum?* quos ille sub Nerone accusaverat. Haec me Regulus dolenter 4
tulisse credebat, ideoque etiam, quum recitaret librum, non adhibuerat. Praeterea reminiscebatur, quam capitaliter ipsum me apud centumviros lacessisset. Aderam Arionillae, Timonis uxori, ro- 5
gatu Aruleni Rustici. Regulus contra. Nitebamur nos in parte caussae sententia Metii Modesti, optimi viri: is tunc in exsilio erat, a Domitiano relegatus. Ecce tibi Regulus, *Quaero,* inquit, *Secunde, quid de Modesto sentias.* Vides, quod periculum, si respondissem, *bene:* quod flagitium, si, *male.* Non possum dicere aliud tunc mihi, quam deos ad-

V, 2 *Vitelliana cicatrice*) Praetor cum esset Vitellii ad Vespasianum missus, vulneratus est Rusticus. Vid. Tac. Hist. 3, 80. Hoc ignominiae imputat Regulus viro optimo, et officium functo; ac servili stigmati comparat honestam cicatricem. *G.*

3 *eloquentiam Reguli*) scil. illis conviciorum sordibus excellentem. cf. Epist. 4, 7. 4. *E.*

Herennium Senecionem) Quem Metio Caro accusante interfecerat Domitianus. Vid. 7, 19. Contra Regulo delatore perierat Crassus, de quo Tac. H. 1, 48, 2; et Camerinus, Tac. A. 13, 52, 1. *G.*

4 *ideoque — adhibuerat*) Rom. *eo quod etiam, cum recitaret librum, non adhibuerat.* Librarius *eoque* scriptum vidit, ut in Medic. pro *eo eo quod* scripsit. *H.*

Verissime Heusingerus: nihil profecto frequentius confusione vocularum *que* et *quod*. Ceterum Cortius *eoque* iure adscivit. Etiam alibi haec particulae *eo* significatio librariis fraudi fuit. Cf. Drakenb. ad Liv. 1, 11, 8. *S.*

5 *Nitebamur nos*) Cellarius et Gesnerus cur vocabulo *nos* uncos adhibuerint, ignoro. Igitur delevi. *S.*

is tunc in exsilio erat) Rom. *is tum in exsilio erat.* *H.*

Confusionis huius exempla ubivis reperias. *S.*

deos adfuisse) verba mihi quasi ab aliquo deo, vel bono genio suppeditata esse. *E.*

fuiſſe. *Reſpondebo*, inquam, *quid ſentiam, ſi de*
6 *hoc centumviri iudicaturi ſunt.* Rurſus ille, *Quaero, quid de Modeſto ſentias.* Iterum ego, *Solebant*
teſtes in reos, non in damnatos, interrogari. Tertio
ille, *Non iam quid de Modeſto, ſed quid de pietate*
7 *Modeſti ſentias. Quaeris*, inquam, *quid ſentiam?*
At ego ne interrogare quidem fas puto, de quo
pronuntiatum eſt. Conticuit: me laus et gratulatio ſequuta eſt; quod nec famam meam aliquo reſponſo, utili fortaſſe, inhoneſto tamen, laeſeram;
nec me laqueis tam inſidioſae interrogationis invol-
8 veram. Nunc ergo conſcientia exterritus apprehendit Caecilium Celerem; mox Fabium Iuſtum rogat,
ut me ſibi reconcilient. Nec contentus, pervenit
ad Spurinnam. Huic ſuppliciter, (ut eſt, quum
timet, abiectiſſimus,) *Rogo*, inquit, *mane videas*
Plinium domi: ſed plane mane; neque enim diutius ferre ſolicitudinem poſſum; et quoquo modo
9 *efficias, ne mihi iraſcatur.* Evigilaveram. Nuntius a Spurinna: *Venio ad te. Immo ego ad te.*

centumviri) Deeſt in codice bonae notae, ſpuriumque puto. *S.*

6 *Solebant*) Olim, apud maiores noſtros, quin paullo ante, quum nondum ea, quae nunc regnat, corruptio morum invaluiſſet. Ipſum igitur tempus imperfectum reprehenſionem acerbam continet. *G.*

Egregie; ſed idem dudum Catanaeus monuerat. *S.*

de pietate) in Auguſtum. Vid. Gesner. ad Panegyr. 11, 1. et Ind. Graec. in Dion. Caſſ. v. ἀσέβεια. — Mox poſt *ſentias* alii addunt *quaero*. Laudo. Apte nec ſine vi hoc verbum repetitur. *S.*

8 *Rogo, inquit, mane*) Rom. *Rogo, inquit mane. H.*

Talia vix digna erant, quae enotarentur: ſed demonſtrant laudabilem Heuſingeri diligentiam in conferendo. — Paullo ante in Gesneriana *ſimpliciter* pro *ſuppliciter*, errore, puto, operarum. *S.*

9 *Immo ego ad te*) Occupare uterque officium ſtudet, et honorem alteri exhibere. Talis concertatio etiam eſt apud Ciceronem in prooemio Academicorum. *G.*

Coimus in porticum etc.) Rom. *Coimus in porticu Liviae, cum alter ad alterum tenderemus.* Ita Plinio ſcribendum fuit, qui locum ſignificat, ubi forte alter alteri occurrit. *H.*

Recte Heuſingerus. Itaque Gierigius fallitur: cuius interpretatio ſi vera eſſet, quae ſequuntur, *cum alter ad alterum tenderemus*, intolerabiliter languerent. *Venio ad te*, non ſunt ipſius verba Spurinnae, amico iam obviam facti, ſed nuntius Plinio allatus, Spurinnam venturum. Cui cum Plinius renuntiari iuſſiſ-

Coimus in porticum Liviae, cum alter ad alterum
tenderemus. Exponit Reguli mandata, addit pre-
ces ſuas, ut decebat optimum virum pro diſſimilli-
mo, parce. Cui ego: *Diſpicies ipſe, quid renun-* 10
tiandum Regulo putes: te decipi a me non opor-
tet. Exſpecto Mauricum, (nondum enim ab ex-
ſilio venerat) *ideo nihil alterutram in partem re-*
ſpondere tibi poſſum, facturus quidquid ille decre-
verit. Illum enim eſſe huius conſilii ducem, me
comitem, decet. Paucos poſt dies ipſe me Regulus 11
convenit in praetoris officio: illuc me perſequutus
ſecretum petit. Ait, *timere ſe, ne animo meo*
penitus haereret, quod in centumvirali iudicio
aliquando dixiſſet, quum reſponderet mihi et Satrio
Rufo: *Satrius Rufus, et cui eſt cum Cicerone ae-*
mulatio, et contentus non eſt eloquentia ſeculi no-
ſtri. Reſpondi, *nunc me intelligere maligne di-* 12
ctum, quia ipſe confiteretur: ceterum potuiſſe ho-
norificum exiſtimari. Eſt enim, inquam, *mihi cum*
Cicerone aemulatio, nec ſum contentus eloquentia
ſeculi noſtri. Nam ſtultiſſimum credo, ad imitan- 13

ſet, *Immo ego ad te*, alter ad alterum tendit: quod dum ſit, coëunt in porticu Liviae. Sic locum intellexit etiam I. Fr. Gronovius ad Liv. 37, 10, 5. *S.*

parce) Mihi dubium non eſt, quin, ut monuit iam Caſaubonus, *parce* adverbium ſit, *πεφεισμένως*, moderate, et ſuſpenſa quaſi manu. Imperativus *Parce* abrupte hic nimis et abſciſſe poneretur. *G.*

10 *Diſpicies*) Quod codd. dant *deſpicies*, tam mendoſum eſt, ut mirer, Cortium de vera lectione dubitare potuiſſe. Sed et alibi nimia codicum ſuorum reverentia homini Latinitatis callentiſſimo obſuit. Catullus LXVI. 1. *Omnia qui magni diſpexit lumina mundi*, ubi codd. non minus vitioſe *deſpexit*. Vid. de his verbis egregiam Valckenarii notam in Callimacheis p. 62. ſſ. *S.*

nondum enim ab exſilio venerat) Rom. *nondum ab exſilio venerat*, ſine *enim*. *H.*

Deeſt etiam in cod. apud Cortium: fereque eſt, ut Plinium omiſiſſe putem. *S.*

11 *in praetoris officio*) Cum novo praetori officii cauſſa adeſſem, deducturus eum in publicum. Sic *novorum Conſulum officium relinquunt* homines apud Sueton. Caeſ. 15. *G.*

haereret) Gierigius: „E legibus melioris latinitatis debebat eſſe *haereat.*" Itane? *S.*

13 *Expalluit — Interrogavi*) Rom. *Expalluit notabiliter, quamvis palleat ſemper, et haeſitabundus: Interrogavi.* Vulgo barbare *et haeſitabundus inquit*, quaſi verbum hoc toti orationi a Plinio praeponi ſoleat. Sed et Argentor. Cratand. et alii id omiſerunt. *H.*

dum non optima quaeque proponere. Sed tu, qui huius iudicii meminifti, cur illius oblitus es, in quo me interrogafti, quid de Metii Modefti pietate fentirem? Expalluit notabiliter, quamvis palleat femper: et haefitabundus inquit, *Interrogavi, non ut tibi nocerem, fed ut Modefto.* Vide hominis crudelitatem, qui fe non diffimulet exfuli
14 nocere voluiffe. Subiunxit egregiam cauffam: *Scripfit*, inquit, *in epiftola quadam, quae apud Domitianum recitata eft, Regulus omnium bipedum nequiffimus;* quod quidem Modeftus veriffime
15 fcripferat. Hic fere nobis fermonis terminus. Neque enim volui progredi longius, ut mihi omnia libera fervarem, dum Mauricus venit. Nec me praeterit, effe Regulum δυσκαθαίρετον. Eft enim locuples, factiofus; curatur a multis, timetur a pluribus, quod plerumque fortius amore eft. Poteft tamen fieri, ut haec concuffa labantur. Nam
16 gratia malorum tam infida eft, quam ipfi. Verum, ut idem faepius dicam, exfpecto Mauricum. Vir eft gravis, prudens, multis experimentis eruditus, et qui futura poffit ex praeteritis providere. Mihi et tentandi aliquid et quiefcendi illo auctore
17 ratio conftabit. Haec tibi fcripfi, quia aequum

Eundem barbarifmum ex Curtio exemit vir egregius, Emendat. p. 226. Cf. Nolten. Lexic. Antib. col. 1526. *S.*

15 *effe Regulum* δυσκαθαίρετον) Rom. *effe Regulum* καθαίρετον ἀκατάστατον, quod interpretamentum eft. *H.*

Videtur voluiffe librarius ἀκαθαίρετον ἀμετάστατον. *S.*

δυσκαθαίρετον) qui non facile de fortuna, et dignitate fua deiici poteft. Proprie vox ufurpata de domo, quae non facile concuti vel everti poteft. Hinc illa, quae fequuntur, quibus metaphoram continuat Plinius: *poteft tamen fieri, ut haec concuffa labantur. E.*

16 *ex praeteritis providere*) Rom. *ex praeteritis praevidere. H.*

Sat frequens confufio. vid. Burmann. ad Valer. Flacc. 2, 442. Oudendorp. ad Sueton. Octav. 10. *S.*

ratio conftabit) Vt *ratio* pecuniaria *conftet*, opus eft aera fingula, quae inducuntur, auctoritate, apocha, teftimonio, probari. Mauricum igitur fi auctorem habeat facti fui Plinius, non metuit reprehenforem. *G.*

17 *quia aequum erat, te pro amore mutuo*) Rom. *quem aequum erat te pro amore mutuo.* Medic. *qui mecum erat.* Hi voluerunt fortaffe, *quem ae-*

erat, te pro amore mutuo non solum omnia mea facta dictaque, verum etiam consilia cognoscere. Vale.

VI.

Tacitum monet, ipsum exemplo suo in silvis posse studere et venari percommode.

C. PLINIVS CORNELIO TACITO SVO S.

Ridebis, et licet rideas. Ego ille, quem nosti, apros tres, et quidem pulcherrimos, cepi. Ipse? inquis. Ipse: non tamen ut omnino ab inertia mea et quiete discederem. Ad retia sedebam. Erant in proximo, non venabulum aut lancea, sed stilus et pugillares. Meditabar aliquid enotabamque, ut, si manus vacuas, plenas tamen ceras reportarem. Non est, quod contemnas hoc studendi 2
genus. Mirum est, ut animus agitatione motuque corporis excitetur. Iam undique silvae et solitudo, ipsumque illud silentium, quod venationi datur, magna cogitationis incitamenta sunt. Proinde 3
quum venabere, licebit, auctore me, ut panarium et lagunculam, sic etiam pugillares feras. Experieris non Dianam magis montibus, quam Minervam inerrare. Vale.

quum erat pro amore mutuo. Duplex certe lectio in unam coaluit. *H.*

VI, 1 *Ego ille, quem nosti*) Rom. *Ego ille, quem nosti,* sine vulgari additamento *Plinius. H.*

tres) Cort. ex cod. *tris.* Sic Heusingerus ad 1, 7, 4. ex Rom. enotavit *Octobris,* quod et Brummeriana excerpta habent. Cortius ad 1, 10, 5. ex Riccard. *repugnantis.* Taceo alia eiusdem modi a Cortio in libris reperta, quibus tamen, quod in homine talium callentissimo mirere, usus non est. More haec Tulliano, a Lagrina nuper in epistolis Ciceronis diligenter servato. Idem si quis futurus Plinii editor facere instituet, me plaudentem habebit. Cf. Cort. ad Sallust. p. 264. ad Plin. 1, 12, 5. *S.*

Erant in proximo) Rom. *Frat in proximo.* Deinde *Meditabar aliqua,* ut iam Barthius adnotavit. *H.*

VII.

Negat roganti Octavio, se posse Gallo contra Baeticos adesse, quos semper defenderit. Dein Octavii carmina desiderat.

C. PLINIVS OCTAVIO RVFO SVO S.

Vide, in quo me fastigio collocaris, quum mihi
idem potestatis idemque regni dederis, quod Homerus Iovi Optimo Maximo.

Τῷ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πατὴρ, ἕτερον δ' ἀνένευσεν.

2 Nam ego quoque simili nutu ac renutu respondere
voto tuo possum. Etenim sicut fas est mihi, praesertim te exigente, excusare Baeticis contra unum
hominem advocationem: ita nec fidei nostrae, nec
constantiae, quam diligis, convenit adesse contra
provinciam, quam tot officiis, tot laboribus, tot
3 etiam periculis meis aliquando devinxerim. Tenebo ergo hoc temperamentum, ut ex duobus, quorum alterum petis, eligam id potius, in quo non
solum studio tuo, verum etiam iudicio satisfaciam.

VII, 1 *Homerus*) Versus est Il. π, 250. Imitatus est, et explicavit Virgilius 11, 794. *Audiit et voti Phoebus succedere partem Mente dedit: partem volucres dispersit in auras.* Nec omiserunt hoc observare Ursinus atque Clarkius. *G.*

2 *renutu*) ἅπαξ, opinor, λεγόμενον, fictumque a Plinio, ut responderet Graeco ἀνάνευσις. Gloffar. H. Stephani: Renuit, Ἀνανεύει. *S.*

excusare — advocationem) Negare possum Baeticis, ne illis adsim contra unum Gallum, cum alias tueri illos soleam contra quosvis: sed non possum Gallo adesse contra Baeticos. Haec monere visum, ne cui mira Schefferi adnotatio imponeret, quam in alias derivatam editiones video. *G.*

convenit adesse contra provinciam) omnino adesse contra Baeticos, seu unus sit, sive plures, qui illos iudicio lacessant. Ne cum Gierigio *uni* excidisse putes. Opponuntur sibi, non *provincia* et *unus*, sed *Baetici* et *Gallus*. *S.*

tot officiis) v. g. in Classico accusando, de quo 3. 9. item contra Massam Baebium 7, 33, 4. *G.*

3 *quorum alterum petis*) Rom. *quorum alterutrum petis*, ut iam Cortius rescripsit. *H.*

Non opus est sic rescribi. *Alter* pro *alteruter* optimi scriptores dicunt. Livius 1, 13. *Melius peribimus, quam sine alteris vestrum viduae aut orbae vivemus.* adeoque ipse Cicero: vid. Clav. Cicer. v. alter. *S.*

Neque enim tanto opere mihi considerandum est,
quid vir optimus in praesentia velis, quam quid
semper sis probaturus. Me circa Idus Octobres 4
spero Romae futurum, eademque haec praesentem
quoque tua meaque fide Gallo confirmaturum: cui
tamen nunc iam licet spondeas de animo meo.

Ἦ, καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων.

Cur enim non usquequaque Homericis versibus 5
agam tecum? quatenus tu me tuis agere non pateris:
quorum tanta cupiditate ardeo, ut videar mihi
hac sola mercede posse corrumpi, ut vel contra
Baeticos adsim. Paene praeterii, quod minime 6
praetereundum fuit, accepisse me caryotas optimas,
quae nunc ficis et boletis certandum habent. Vale.

4 *tua meaque fide*) Et ipse fidem potes illi dare, et de mea etiam fide spondere. *Quamquam considerata varietate lectionis a Cortio proposita malim, *eademque haec praesentem tuo meoque Gallo confirmaturum.* G.

Rom. *Me circa idus Octobris spero Romae futurum eademque haec praesentem causa tua Aquilio Gallo confirmaturum.* In vulgata *tua meaque fide* nihil significant. Hinc atque ex Mediceo vera fortasse lectio aliquando restituetur, quae nondum reperta est, etsi Gesneriana coniectura ad eam proxime accedere videtur: *eademque haec praesentem quoque tuo meoque Gallo confirmaturum.* Ex *quoque* factum est *causa*, fallente scripturae compendio. Nam *causa tua* non placet. Sequitur in Rom. *cui tamen iam nunc*, bene. *H.*

Scripserit Plinius: *eademque haec praesentem quoque tuo Gallo confirmaturum.* Deinde *iam nunc* (quod et in excerptis Brummer.) bonum, quamquam nec in vulgata est quod iure reprehendas: uterque enim ordo usu receptus. De *nunc iam* vid. Drakenb. ad Liv. 7, 32, 14. de *iam nunc* idem ad eund. 31, 32, 3. *S.*

Ἦ, καὶ κυανέῃσιν etc.) Ex Hom. Il. α', 528. *E.*

5 *ut videar mihi hac sola mercede*) Rom. *ut videar hac sola mercede*, sine *mihi*. *H.*

Pronomen melius adest. *S.*

6 *accepisse me caryotas optimas*) Rom. *accepisse cariotas optimas*, omisso *me*. *H.*

Haud displicet. Certe locis plurimis manus inepte sedulae librariorum, quibus aliquid ad orationis integritatem deesse videretur, talia provocabula invexerunt. Vid. infra Cortius ad ep. 19, 3. Drakenb. ad Liv. 1, 23, 5. Vechner. Hellenol. p. 120 s. cum notis Heusingeri. *S.*

caryotas) Graecorum φοίνικες καρυωτοὶ, de quibus v. Diodor. Sic. 2, 53. ibique Wesseling. p. 165. *S.*

ficis et boletis) *Sic recte edidit, et scribi, omissa *cum*, docuit Cortius. De formula *certandum habent* vid. Ind. *G.*

Rom. *quae nunc cum ficis et boletis certandum abeunt*, vitiose in ultimo verbo. Praepositionem *cum* Cortius unius Medicei auctoritate delevit, quam saepius Plinius adiecit, si unum lo-

VIII.

Petit emendationem orationis in patria habitae, quum bibliothecam dicasset, et alimenta ingenuis decrevisset: de cuius editione sollicitius disquirit.

C. PLINIVS POMPEIO SATVRNINO SVO S.

Peropportune mihi redditae sunt literae tuae, qui-
bus flagitabas, ut tibi aliquid ex scriptis meis mit-
terem, quum ego id ipsum destinassem. Addidisti
ergo calcaria sponte currenti, pariterque et tibi
veniam recusandi laboris, et mihi exigendi vere-
2 cundiam sustulisti. Nam nec me timide uti decet
eo, quod oblatum est: nec te gravari, quod depo-
poscisti. Non est tamen, quod ab homine desidio-
so aliquid novi operis exspectes. Petiturus sum
enim, ut rursus vaces sermoni, quem apud municipes
3 meos habui, bibliothecam dedicaturus. Memini
quidem, te iam quaedam adnotasse, sed generali-
ter: ideo nunc rogo, ut non tantum universitati
eius attendas, verum etiam particulas, qua soles
lima, persequaris. Erit enim et post emendationem
4 liberum nobis vel publicare vel continere. Quin
immo fortasse hanc ipsam cunctationem nostram
in alterutram sententiam emendationis ratio dedu-
cet, quae aut indignum editione, dum saepius

cum excipias lib. VIII. ep. VIII. 4. ubi dixit, *rigor aquae certaverit nivibus.* Hic post *nunc* facile excidere potuit. *Cum ficis et boletis certandum habent* nemo explicat. Fortasse hoc dicit: periclitantur, ne fici et boleti, quos pro illis reddo, se multo gratiores tibi sint. *H.*

Temere negat Gierigius, Plinium verbo *certare* dativum iungere. Cautius Heusingerus, qui loco illo altero iam in notis ad Vechner. Hellenol. p. 336. usus fuerat. — *fungis* in excerpt. Brummer. glossa videtur vocis *boletis.* — *certandum habent* non est, certare possunt, sed certare debent. *S.*

VIII, 2 *Non est tamen*) Sic etiam Rom. *H.*

Petiturus sum enim) Non habet hic ordo verborum, quod aures offendat: immo mollior videtur illo altero, quem Gierigius praeferret, *Petiturus enim sum.* Similis locus in Horat. Tursell. cap. LXVIII. 3. ex Cicerone laudatur, Or. pro l. Manil. 2, 4. *Genus est enim eiusmodi, quod* etc. Vid. supra 3, 3. *S.*

retractat, iuveniet: aut dignum, dum id ipſum ex-
peritur, efficiet. Quamquam huius cunctationis 5
meae cauſſae non tam in ſcriptis, quam in ipſo
materiae genere conſiſtunt. Eſt enim paullo glo-
rioſius et elatius. Onerabit hoc modeſtiam no-
ſtram, etiamſi ſtilus ipſe fuerit preſſus demiſſus-
que, propterea quod cogimur cum de munificentia
parentum noſtrorum, tum de noſtra disputare.
Anceps hic et lubricus locus eſt, etiam quum illi 6
neceſſitas lenocinatur. Etenim ſi alienae quoque
laudes parum aequis auribus accipi ſolent; quam
difficile eſt obtinere, ne moleſta videatur oratio
de ſe aut de ſuis differentis? Nam cum ipſi ho-
neſtati, tum aliquanto magis gloriae eius praedi-
cationique invidemus: atque ea demum recte facta
minus detorquemus et carpimus, quae in obſcu-
ritate et ſilentio reponuntur. Qua ex cauſſa ſaepe 7
ipſe mecum, nobisne tantum, quidquid illud eſt,
compoſuiſſe, an et aliis debeamus? Ut nobis,
admonet iſtud, quod pleraque, quae ſunt agen-
dae rei neceſſaria, eadem peracta nec utilitatem
parem nec gratiam retinent. Ac, ne longius ex- 8
empla repetamus, quid utilius fuit, quam muni-

5 *paullo glorioſius*) 'Interiectam inter haec duo verba *quaſi* Cortio auctore omiſimus. *G.*

etiamſi — demiſſusque) Rom. *etiamſi ſtilus ipſe preſſus demiſſusque fuerit*, non *fuerat*, quod cum pluribus Cortius retinuit. *H.*

preſſus) Vid. Erneſt. Lexic. Technol. Lat. Rhetor. h. v. *S.*

6 *differentis*) Cortius mallet, ſi per membranas liceret, *differens.* Male. *S.*

7 *an et aliis debeamus?*) Proponit dubitationem: deinde oſtendit, quae cauſſa impellat ſe ad priorem illius partem ſequendam. 'Nimirum ingenioſam Barthii diſtinctionem recipere nihil dubitavimus et probabit, ſpero, factum, quisquis diligenter animum adverterit. Vulgati, *an et aliis debeamus ut nobis? Admonet iſtud quoque.* Retinuit hanc lectionem Cortius: ſed idem Barthii emendationem laudavit, et ultimam *quoque* ab optimo Codice Mediceo abeſſe teſtatus eſt.' *G.*

Rom. *nobisne tantum, quicquid eſt iſtud* [non *illud*], *compoſuiſſe, an et aliis, debeamus. Ut nobis, admonet illud, quod pleraque.* Ita verba ipſa, plane ut Cortius voluerat, ſcripta ſunt: ſola interpunctio ab ea, quam adhibui, diſcrepat, ac potius neglecta eſt. Nam nec poſt *debeamus,* nec poſt *nobis* inciditur. *H.*

ſicentiae rationem etiam ſtilo proſequi? Per hoc enim adſequebamur, primum ut honeſtis cogitationibus immoraremur; deinde ut pulchritudinem illarum longiore tractatu pervideremus; poſtremo, ut ſubitae largitionis comitem poenitentiam caveremus. Naſcebatur ex his exercitatio quaedam
9 contemnendae pecuniae. Nam quum homines ad cuſtodiam eius natura reſtrinxerit; nos contra multum ac diu penſitatus amor liberalitatis communibus avaritiae vinculis eximebat: tantoque laudabilior munificentia noſtra fore videbatur, quod ad illam non impetu quodam, ſed conſilio
10 trahebamur. Accedebat his cauſſis, quod non ludos aut gladiatores, ſed annuos ſumtus in alimenta ingenuorum pollicebamur. Oculorum porro et aurium voluptates adeo non egent commendatione, ut non tam incitari debeant oratione, quam
11 reprimi: ut vero aliquis libenter educationis taedium laboremque ſuſcipiat, non praemiis modo, verum etiam exquiſitis adhortationibus impetran-
12 dum eſt. Nam ſi medici ſalubres, ſed voluptate carentes cibos, blandioribus alloquiis proſequuntur; quanto magis decuit publice conſulentem, utiliſſimum munus, ſed non perinde populare, comitate orationis inducere? praeſertim quum

8 *longiore tractatu pervideremus*) Sic et Rom. *H.*

Longiorem tractatum dixit rerum eam tractationem, qua diutius iis immoramur, per ſingulas euntes, ſingulas expendentes, id quod ſupra dixerat *ſtilo proſequi*. *E.*

pervideremus) Habet in hoc verbo eam vim ἡ per, quam in *perſpicio*; ubi accuratam diligentemque curam et continuatam inſpiciendi diligentiam notari, ſatis conſtat. *G.*

poenitentiam caveremus) Hoc fit, cum largitionis utilitatem ac pulcritudinem accurate et diu perpendimus. Nam honeſtatis cogitatio moleſtum iacturae factae ſenſum mitigat aut plane expellit. *E.*

9 *tantoque laudabilior munificentia noſtra*) Rom. *tantoque laudatior munificentia noſtra*. *H.*

10 *in alimenta ingenuorum*) In veteri Inſcript. apud Grut. p. 1028. n. 5. (de cuius diverſis exemplis et lectionibus Io. Maſſonus in praef. vitae Plinii) IN ALIMENT. PVEROR. ET PVELLAR. PLEB. VRB. H-S . . . IN TVTELAM BIBLIOTHECAE H-S. C. . . Add. infra 7, 18, 2. *G.*

12 *inducere*) Ex eo vocis uſu

enitendum haberemus, ut, quod parentibus datur, et orbis probaretur; honoremque paucorum ce-

accipiendum, quo *inducunt* medici pilulas auro vel argento; ut *inducuntur* crusta vel tectorio parietes, ut pigmento tabulae: medicorum aperta hic mentio: de quibus Lucret. 1, 935 et 4, 13. *Nam veluti pueris absinthia tetra medentes Cum dare conantur prius oras pocula circum Contingunt mellis dulci flavoque liquore* etc. Poterat etiam *inducunt*. C.

Argutatus erat cum aliis l. l. Gesnerus, qui monuerat vocem illam eo sensu accipiendam, quo *inducunt* medici pilulas auro vel argento, aut *inducuntur* crusta vel tectorio parietes, vel pigmento tabulae. Sed simpliciorem sensum contextus docet. Ut enim in prothesi Plinius dixerat *cibos alloquiis prosequi*, ita in apodosi, *munus*, a se propositum, *comitate orationis inducere*, h. e. ita exhibere, ut id simul oratione blanda et comi prosequaris et commendes. Hoc enim munus, quo annuos sumtus in alimenta ingenuorum pollicebatur, quia *non* erat *populare*, h. e. non ita gratum populo, ut munera gladiatoria aut ludi oculorum auriumque voluptatibus servientes, *egebat commendatione et incitatione quadam orationis*, ut recte acciperetur et placeret. *E.*

Placuit eadem ratio I. A. Ernestio: vid. Gesneri ad eum epistola Plinianis praefixa. Altera illa interpretatio, inepta magis quam arguta, a gravitate orationis mirum quantum abhorret. *S.*

quod parentibus datur) Plinius alimenta promisit pueris ingenuis: hoc munus proprie ad eorum parentes pertinet, qui alendorum liberorum suorum onere levarentur: hoc *orbis* etiam, qui numquam suscepissent liberos, vel amisissent susceptos, probari cupit, ad quos fructus illius liberalitatis non pertineret. * Talia adnotare superfluum videri poterat, nisi unus itemque alter eorum, qui hac provincia ante nos functi sunt, loco per se claro tenebras sedulo offudisset; id quod semel monitum ad plures observationes nostras aequus lector transferet, et si qua in facili nimis re explicanda operam nos abuti videat, hanc esse caussam suspicetur, quod aliquis male, nostro quidem iudicio, eundem locum interpretatus sit. G.

Rom. *quod parentibus dabatur*, recte. *H.*

Sic et Cortius. Laudo. *S.*

et exspectarent et mererentur) Haec optimorum quorumque librorum lectio, sed aliter, quam adhuc factum, interpretanda. Beneficium Plinii primo non ad *orbos* liberis pertinet, sed ad solos *parentes* ingenuorum, quibus alimenta destinavit. Porro plures erant in hac altera etiam classe, quam ut ad omnes pervenire eodem tempore liberalitas illa, quantumvis magna, posset. Enitendum igitur sibi fuisse ait Secundus noster, ut plures illi, qui non statim frui possent beneficio suo, *paucorum honorem et exspectarent patienter*, dum ad ipsos quoque volventibus annis perveniret, et interim dignos se illo praestarent, eumque *mererentur*. *Haec puto plana, neque monenda adeo, nisi *de orbis*, qui liberos sibi nasciuros sperarent, ac de his, qui beneficio Principis ius liberorum consequerentur, hic commentari alicui visum esset. G.

Rom. *ceteri patienter et exspectarent et mirarentur*, quod non damno. *H.*

Quod olim legebatur, *ceteri patienter et spectarent et mirarentur*, tantum abest, ut absonum putem, ut nostrae lectioni paene praeferam. *Imitarentur*

13 teri patienter et exſpectarent et mererentur. Sed
ut tunc communibus magis commodis quam privatae iactantiae ſtudebamus, quum intentionem adfectumque muneris noſtri vellemus intelligi; ita nunc in ratione edendi veremur, ne forte non aliorum utilitatibus, ſed propriae laudi ſerviſſe
14 videamur. Praeterea meminimus, quanto maiore animo honeſtatis fructus in conſcientia, quam in fama, reponatur. Sequi enim gloria, non appeti, debet; nec, ſi caſu aliquo non ſequatur, idcirco quod gloriam non meruit, minus pulchrum
15 eſt. Ii vero, qui benefacta ſua verbis adornant,
non ideo praedicare, quia fecerint, ſed ut praedicarent, feciſſe creduntur. Sic, quod magniſi-

a Catanaeo enotatum, pro quo in aliis corrupte *incitarentur*, gloſſema eſt ineptum grammatici, qui *mirarentur* explicare vellet. Servius ad Virgil. Aen. VIII, 517.: „*Miretur*. Imitetur. Lucanus IX, „807. *Miratoremque Catonis*, „id eſt, imitatorem: optima enim „ingenia neceſſe eſt ut ea, quae „mirantur, imitentur." *S.*

13 *intentionem adfectumque muneris noſtri*) Rom. *intentionem effectumque muneris noſtri. H.*

Eſt haec omnium codd. lectio, cui male, opinor, Iacobi Bononienſis coniecturam praetulerunt. Plinius enim ut privatae ſuſpicionem iactantiae effugeret, largitionis ſuae et conſilium et effectum Comenſibus explicare debebat. *Intentio* de conſilio dictum rarum puto: an iure Noltenius Lex. Antib. col. 585. ſ. et Schwarzius ad Plin. Panegyr. p. 353. ſuſpectae latinitatis exemplis annumerent, dubito. Terentius Andr. IV, 3, 18.: *Repudio, quod conſilium primum intenderam.* Salluſtius Iug. c. 107.: *Deinde paucis diebus, quo ire intenderant, perventum. S.*

14 *quanto maiore — fama*) Rom. *quanto maiore animo honeſtatis in conſcientia fructus, quam in fama. H.*

gloriam non meruit) Notabilis locus, de quo iam obſervavit Caſaubonus, *mereri* hic non ad dignitatem et mercedem referri, ſed ſimpliciter eſſe *conſequi*, τυγχάνειν. Confirmat hanc notionem Cortius: ſed mavult tamen codicis Medicei fide negationem omittere, quo facto vis conſueta verbi *meruit* retinetur. *G.*

Rom. *quod gloriam meruit. H.*

Delenda negatio huius aliorumque librorum auctoritate. Optime Heuſingerus in Obſervat. Antibarb. p. 414. ſ.: „*Merere*, pro „conſequi, Plinio tribuunt invito „lib. I. epiſt. VIII. 14. ubi ediderunt: *Sequi enim gloria*, „*non appeti, debet; nec, ſi* „*caſu aliquo non ſequatur, id*„*circo, quod gloriam non meru*„*it, minus pulchrum eſt.* Legen„dum enim eſt, *quod gloriam* „*meruit*, idque in optimis exem„plaribus exſtat. Plinii aetate illa „ſignificatio nondum ita erat per„vulgata: etſi eam ſibi in Plauto „quoque, Terentio et Cicerone „reperiſſe viſus eſt Gronovius ob„ſervat. in ſcriptor. eccleſ. cap. „VII. p. 76." *S.*

eum referente alio fuiſſet, ipſo qui geſſerat re-
cenſente, vaneſcit. Homines enim quum rem
deſtruere non poſſunt, iactationem eius inceſſunt.
Ita ſi ſilenda feceris, factum ipſum; ſi laudanda,
quod non ſileas ipſe, culpatur. Me vero peculiaris 16
quaedam impedit ratio. Etenim hunc ipſum ſer-
monem non apud populum, ſed apud decuriones
habui; nec in propatulo, ſed in curia. Vereor 17
ergo, ut ſit ſatis congruens, quum in dicendo
adſentationem vulgi acclamationemque defugerim;
nunc eadem illa editione ſectari: quumque ple-
bem ipſam, cui conſulebatur, limine curiae pa-
rietibusque diſcreverim, ne quam in ſpeciem am-
bitionis inciderem; nunc eos etiam, ad quos ex
munere noſtro nihil pertinet praeter exemplum,
velut obvia oſtentatione conquirere. Habes cun- 18
ctationis meae cauſſas: obſequar tamen conſilio
tuo, cuius mihi auctoritas pro ratione ſufficit.
Vale.

IX.

Hortatur ad ſeceſſum, propter ſtudia, et innocentiam ruris, urbanae vitae nugis praeferendum.

C. PLINIVS MINVTIO FVNDANO SVO S.

Mirum eſt, quam ſingulis diebus in urbe ratio aut conſtet aut conſtare videatur, pluribus cunctisque

15 *ipſo qui geſſerat recenſente*) Rom. *ipſo qui geſſerit recenſente.* Deinde: *ſi laudanda non ſileas, ipſe culparis,* quod unice verum eſt, dum modo *quod non ſileas* retinueris, et prius *ipſum* deleveris. *H.*

Amplector criſin Heuſingeri, quam et alii libri ex parte tuentur. *S.*

17 *obvia oſtentatione*) Quae ultro occurrit omnibus, iisque ſe iactat atque ingerit, quod ambitionis eſt. *Adeo nihili non videtur vox e bonis libris prolata, ut potius alterum *adſentatione* a mala manu eſſe appareat. Cui enim *adſentaretur* editione, de qua hic ſermo eſt? Sed *oſtentator* conquirere et cogere ſtudet homines, qui ſe admirentur, ſibi plaudant. *G.*

Rom. *velut obvia aſſentatione*, male. *H.*

18 *pro ratione ſufficit*) Rom. *pro ratione ſufficiet. H.*

Sic et Cortius. Probo. *S.*

IX, 1 *ratio — conſtet*) Finge tempus eſſe primo in tabulis accepti; deinde negotia diei uniuscuiusque, in quantum ſuam ſibi

2 non constet. Nam, si quem interroges, *Hodie quid egisti?* respondeat, *Officio togae virilis interfui; sponsalia aut nuptias frequentavi; ille me ad signandum testamentum, ille in advocationem, ille*
3 *in consilium rogavit.* Haec quo die feceris, necessaria; eadem, si quotidie fecisse te reputes, inania videntur, multo magis quum secesseris.

temporis particulam unumquodque poscit, in expensis induci: si igitur illa acceptorum et expensorum aera aequales summas efficient; *constare* dicetur *ratio*. Atque hoc ita fit, si singula utriusque capitis aera inter se conferantur. Verum si *menses* et *annos* et *vitam* cum quantumvis magno numero negotiorum eiusmodi compares, *ratio non amplius constat*, sed expensa videtur nimia. *G.*

Simplicior tamen mihi videtur, et huic loco aptior Gierigii sententia, *rationem constare*, quando quis finito die reperiat, omnia negotia fuisse necessaria et probanda. Nempe diebus singulis negotia urbana, ut necessaria, probamus; sed si quotidie eadem fecisse reputamus, tum inania et *frigida* illa nobis videntur, h. e. ea, quibus nihil proficitur, cum nec animum iuvent, nec ingenium acuant, neque honestate et liberalitate sua delectent. *E.*

Meo quidem sensu Gesneri ratio praestat. *S.*

cunctisque) *Et maioribus auctoritatibus nixa est haec lectio, et sententiam parit meliorem. *Cunctis* est universis simul sumtis. Eodem sensu legitur *cunctaque* in Mediceo libro, intell. *ratio*, quod probat Cortius. *iunctisque*, vulgatum, non ita commodum est. *G.*

Haec puto rectius se habere, quam rationes eorum, qui *iunctisque* defendunt vel ediderunt. Nempe in *pluribus*, si a singulis distinguuntur, iam inest notio *iunctorum*, nam hac coniunctione fit, ut singulae dies plures fiant. *Cuncti* autem ab utroque illo genere differunt, suntque universi. Hos *cunctos* etiam Plinius expressit his verbis: *si quotidie fecisse te reputes.* Nam quod quotidie fit, id nec singulis nec pluribus, sed *cunctis* diebus fieri solet. *E.*

Rom. *pluribus cunctaque non constat*, ut solus praeterea Mediceus. *H.*

Paene assentior Cortio hanc lectionem vulgata longe doctiorem et prorsus Plinianam dicenti. Sic omnis de hoc loco fluctuatio facile sedatur. Quid I. A. Ernestio visum fuerit, vide in Gesneri ad eum epistola. Ceterum de confusione vocum *cunctus* et *iunctus* vid. Drakenb. ad Liv. 3, 66, 5. *S.*

2 *Officio togae virilis*) Quam sollenne fuerit, illum diem, quo, posita praetexta, virilem togam s. puram sumerent, officio et celebritate amicorum obire, notum v. g. ex Sueton. Claud. 2. *Togae virilis die, circa mediam noctem, sine sollemni officio lectica in Capitolium latus est.* Idem auctor de Caligula ut peculiare notat c. 10. *Uno atque eodem die togam sumsit, barbamque posuit: sine ullo honore, qualis contigerat tirocinio fratrum eius.* Verum Augustus ob id ipsum officium Consulatum bis sumsit, *ut Caium et Lucium filios, amplissimo praeditus magistratu, suo quemque tirocinio deduceret in forum.* Sueton. Aug. c. 26. *G.*

Tunc enim ſubit recordatio, *Quot dies quam fri-*
gidis rebus abſumſi? Quod evenit mihi, poſt- 4
quam in Laurentino meo aut lego aliquid, aut
ſcribo, aut etiam corpori vaco, cuius fulturis
animus ſuſtinetur. Nihil audio, quod audiſſe, 5
nihil dico, quod dixiſſe poeniteat: nemo apud
me quemquam ſiniſtris ſermonibus carpit; nemi-
nem ipſe reprehendo, niſi unum me, quum pa-
rum commode ſcribo: nulla ſpe, nullo timore
ſolicitor, nullis rumoribus inquietor. Mecum
tantum et cum libellis loquor. Rectam ſince- 6
ramque vitam! dulce otium, honeſtumque, ac
paene omni negotio pulchrius! O mare, o lit-
tus, verum ſecretumque μουσεῖον! quam multa
invenitis, quam multa dictatis! Proinde tu quo- 7
que ſtrepitum iſtum inanemque diſcurſum, et
multum ineptos labores, ut primum fuerit occa-
ſio, relinque, teque ſtudiis vel otio trade. Sa- 8
tius eſt enim, ut Attilius noſter eruditiſſime ſimul
et faceti ſſime dixit, otioſum eſſe, quam nihil
agere. Vale.

3 *frigidis rebus*) *inanibus*. *Frigida* et *inania* iungit Plinius 4, 17, 4. Sic et Graeci. Herodotus p. 715. de Mardonio: ὁ δὲ, περιχαρὴς γενόμενος, καὶ ἐπαρθεὶς ψυχρῇ νίκῃ, ἐπῆκε κ. τ. λ. ubi interpres perite: *et frigida victoria elatus*. *S.*

5 *ſiniſtris ſermonibus carpit*) Sic et Rom. *H.*

unum) *tamen* Arntzen. ad Paneg. 93, 3. et ait vitioſe eſſe in editis *tum*. *G.*

Non Arntzenius, ſed Livineius. *S.*

6 *Rectam ſinceramque vitam*) Rom. *O rectam ſinceramque vitam*. Proxime inde: *verum ſecretumque μουσεῖον*. *H.*

8 *Attilius*) Praeſtat *Atilius*. vid. infra ad 2, 14, 2. *S.*

eruditiſſime) addidit, opinor, Plinius, quod vox illa Attilii faceta otium *literatum* ac *ſtudia* commendaret. Vertas igitur *ganz im gelehrten Sinne*. *Facetius* et *eruditius* ſimiliter iunxit Columella I, 1, 14. p. 429. ed. Gesn. *S.*

otioſum eſſe) Quieti animi et bonis literis vacare, nullis negotiis moleſtis impeditum, potius eſt, quam *nihil agere*, h. e. fruſtra et nequidquam occupari, movere, ſed nihil promovere etc. Iam laudarunt hic viri docti Scipionis vocem ex Cic. off. 3, 1. *Se nunquam minus otioſum eſſe, quam cum otioſus ſit*. *G.*

X.

Euphratem philoſophum laudat, quem ut audiat Atrius, hortatur, doletque non crebrius ſe per occupationes illum audire poſſe.

C. PLINIVS ATRIO CLEMENTI SVO S.

Si quando urbs noſtra liberalibus ſtudiis floruit, nunc maxime floret. Multa claraque exempla ſunt. Suffecerit unum, Euphrates philoſophus.
2 Hunc ego in Syria, quum adoleſcentulus militarem, penitus et domi inſpexi, amarique ab eo laboravi, etſi non erat laborandum. Eſt enim obvius et expoſitus, plenusque humanitate, quam
3 praecipit. Atque utinam ſic ipſe, quam ſpem tunc ille de me concepit, impleverim, ut ille multum virtutibus ſuis addidit! Aut ego nunc illas magis miror, quia magis intelligo: quamquam
4 ne nunc quidem ſatis intelligo. Ut enim de pictore, ſculptore, fictore, niſi artifex, iudicare; ita,

X, 1 *Suffecerit unum*) Rom. *Sufficerit nobis unum*, unde *ſufficeret* factum, quod Cortius praetulit, cum utrumque ex *ſuffecerit* corruptum ſit. *H.*

2 *obvius et expoſitus*) de eo, qui ſuam mentem, ſuos ſenſus omnibus aperit, et offert, nihil diſſimulat. Sic *candidiſſimum et maxime expoſitum* iunxit Quintil. 2, 5. 19. ubi plura huius loquendi formae hac aetate inprimis frequentis exempla dedit Spalding. *E.*

Immo eſt h. l. is, qui ſtudioſos ſui comiter, *plenus humanitate* excipit. Gierigius apte laudat Senecam Ep. 108. T. 2. p. 530. ed. Amſtel.: *Attalum — — non tantum paratum diſcentibus, ſed obvium. S.*

3 *Atque utinam — impleverim*) Rom. *Atque utinam ſic ſpem ipſe, quam tunc et de me concepit, impleverim. H.*

virtutibus ſuis addidit) Nempe *virtutibus ſuis addere* dicuntur ii, qui indies magis proficiunt virtutibus, et quas nondum habebant, eas comparare ſibi annituntur. *E.*

Aut ego) *Sic legendum, non *At ego.* Dixerat, *Ille multum virtutibus ſuis addidit.* Hoc nunc retractat ex aliqua parte, et fieri ait poſſe, ut olim talis fuerit Euphrates, ſed tum non ita bene ſibi notus. *G.*

Rom. *Aut ego nunc illas magis miror, quia intelligo, quamquam ne nunc quidem ſatis. Ut enim.* Merito poſtremum verbum *intelligo* omiſſum eſt, quod vulgati habent, in quibus vero antea rectius eſt, *quia nunc magis intelligo*, iterato adverbio. *H.*

4 *Ut enim — fictore*) Rom. *Ut enim de pictore, ſcalptore, fictore. H.*

nisi ſapiens, non poteſt perſpicere ſapientem.
Quantum mihi tamen cernere datur, multa in 5
Euphrate ſic eminent et elucent, ut mediocriter
quoque doctos advertant et adficiant. Disputat
ſubtiliter, graviter, ornate: frequenter etiam Pla-
tonicam illam ſublimitatem et latitudinem effingit.
Sermo eſt copioſus et varius: dulcis in primis,
et qui repugnantes quoque ducat et impellat.
Ad hoc, proceritas corporis, decora facies, de- 6
miſſus capillus, ingens et cana barba: quae licet
fortuita et inania putentur, illi tamen plurimum
venerationis adquirunt. Nullus horror in cultu, 7
nulla triſtitia, multum ſeveritatis: reverearis oc-
curſum, non reformides. Vitae ſanctitas ſumma,

5 *Quantum — eminent*) Rom. *Quantum tamen datur mihi in Euphrate cernere, multa ſic eminent.* *H.*

eminent et elucent) ut in pictura, quae multo lumine inſtructa ſunt et umbrae adiuncta. Cf. Lib. 3, 13. 4. ubi *elata* et *excelſa* in oratione comparantur iis, quae in pictura lumen et umbra commendat. *E.*

latitudinem) Catanaei obſervatio eſt non inelegans, *latitudinem* tribui *Platoni* cum reſpectu ad etymon nominis illius. πλάτος enim *latitudo* eſt. *Lata* porro oratio preſſae adſtrictaeque opponitur. Vid. mox 1, 20, 19. *G.*

Ibi *lata*, *magnifica*, *excelſa* oratio iunctim dicitur. Suidas etiam in Θεόφραστος, διὰ πλάτος ἐν λόγοις, Platonem appellatum notat. Alii tamen Platonem a lato pectore aut fronte nomen accepiſſe dixerunt. Diog. Laërt. Plat. cap. 5. ὅτι πλατὺς ἦν τὸ μέτωπον, ὥς φησι Νεάνθης. Seneca Epiſt. 58. *Erat quidem corpus validum et forte ſortitus, et illi nomen latitudo pectoris fecerat.* *E.*

Diog. Laërt. III. 4. p. 166. ed. Amſtel. ἔνιοι δὲ, διὰ τὴν πλατύτητα τῆς ἑρμηνείας οὕτως ὀνομασθῆναι. Timoni Phliaſio dicitur (Anal. Brunck. T. II. p. 70. XIV.) πλατύστατος, ἀλλ' ἀγορητὴς ἡδυεπής κ. τ. λ. qui et Ἀκαδημαϊκῶν πλατυρημοσύνην notat. (Ibid. p. 71. XVI.) *S.*

6 *Ad hoc, proceritas*) Rom. *Ad haec proceritas*, optime. *H.*

Sic et Cortius, quem Gesnerus et Gierigius ſequi debebant. *hoc* Excerpta Brummer. habent. Ceterum perpetua confuſio vocum *ad hoc*, *ad haec*, *adhuc*. Vid. Cort. ad Salluſt. Catil. 14, 3. 44, 6. ad Plin. Ep. I, 22, 4. Drakenb. ad Liv. 21, 52, 10. *S.*

demiſſus capillus) Graecorum καθειμένη κόμη. Variatâ ad helleniſmi rationem ſtructurâ Lucian. T. III. p. 492. de Homero: τὸν καθειμένον τὰς κόμας. *S.*

ingens et cana barba) Apollonius Tyan. epiſt. 3. p. 386. ed. Olear. Euphratae fuiſſe ait πώγωνα λευκὸν καὶ μέγαν, acerbiſſime addens: πλέον δὲ οὐδέν. *S.*

7 *Nullus horror in cultu*) Rom. *Nullus horror in vultu*, probe: quod huic opponitur *ſeveritas*, quae in *vultu* utique eſt potius, quam in *cultu*. *H.*

Accedo. Sic et alibi codices fluctuant, velut in Claudian. de IV. Conſ. Honor. v. 591. Vid. Burmann. ad Anthol. Lat. T. I. p. 631. *S.*

comitas par. Infectatur vitia, non homines: nec caftigat errantes, fed emendat. Sequaris monentem attentus et pendens: et perfuadere tibi, etiam
8 quum perfuaferit, cupias. Iam vero liberi tres, duo mares, quos diligentiffime inftituit. Socer Pompeius Iulianus, cum cetera vita, tum vel hoc uno magnus et clarus, quod, ipfe provinciae princeps, inter altiffimas conditiones, generum, non honoribus principem, fed fapientia, elegit.
9 Quamquam quid ego plura de viro, quo mihi frui non licet? An ut magis angar, quod non licet? Nam diftringor officio, ut maximo, fic molestiffimo. Sedeo pro tribunali, fubnoto libellos, conficio tabulas: fcribo plurimas,

nec caftigat errantes) Non exprobrat errorem verbis afperis, fed rationibus revincit, et per hoc ipfum emendat et eximit. *G.*

pendens) fc. ab ore dicentis, nota dicendi formula, de iis, qui cupide dicta alterius arripiunt, nec verbulum perire patiuntur. Sequens fententia acumen habet ex quadam repugnantia: *et perfuadere — cupias*, h. e. non poffis exfatiari eius oratione et praeceptis; etiam cum fentias eum tibi aliquid perfuafiffe, tamen optes, ut eadem repetat. *E.*

Similiter Graeci. Chariton p. 59. edit. Amftel. *ἀναρτήσας ἑαυτὸν τῆς ἀκροάσεως*. ad q. l. vid. Dorvill. p. 342. fq. *S.*

et perfuadere — cupias) Rom. *et perfuaderi tibi, etiam cum perfuaferit, cupias*, plane ut Medic. *H.*

Praeftat vulgata, quam mutarunt, quibus pronominis ellipfis durior vifa effet. Sed exempla eius ubivis obvia. Vid. Cort. ad Salluft. Catil. 31, 7. *S.*

8 *provinciae — conditiones*) Rom. *provinciae princeps hunc inter altiffimas conditiones*. Iterum et hic cum Medic. confentit. *H.*

hunc, etfi Cortio probatum, nolim in ordinem recipere. Vix credas, quot locis manus librariorum inepte fedulae talia pronomina, ad fenfus fcilicet integritatem neceffaria, intulerint. *S.*

inter altiffimas conditiones) Imitaturne Nepotem Cornelium Att. 12, 1. de Agrippa: *Cum propter fuam gratiam et Caefaris potentiam nullius conditionis non haberet poteftatem, potiffimum eius delegit affinitatem* etc. *G.*

Senfus eft: cum poffet generum fibi eligere honoribus et divitiis praeditum, Euphratem elegit fola fapientia praeftantem. *E.*

Conditio de matrimonio eft latinitatis iureconfultorum. Hinc formula repudii: *conditione tua non utor*. Vid. Drakenborch. ad Liv. 3, 45, 11. Bofii ind. in Cornel. Nepot. v. *Conditio*. *S.*

9 *officio, ut maximo*) Praefectura aerarii, quam geffit aetatis anno XXXVI et proximo ex Maffoni rationibus, quem vide: praefertim vero noftrum 5, 15, 5. et 10, 20, 1. Paneg. 91, 1. *G.*

pro tribunali) h. e. *in tribunali*. Sic *pro fuggeftu*, *pro roftris*, alia. Vid. Cort. ad Salluft. Iug. 67, 1. Eodem modo Graeci *πρὸ* ufurpant. Vid. Duker. ad Flor. 4, 2, 91. *S.*

ſed illiteratiſſimas literas. Soleo nonnunquam 10
(nam id ipſum quando contingit!) de his occupationibus apud Euphratem queri. Ille me conſolatur; adſirmat etiam eſſe hanc philoſophiae, et quidem pulcherrimam partem, agere negotium publicum, cognoſcere, iudicare, promere et exercere iuſtitiam; quaeque ipſi doceant, in uſu habere. Mihi tamen hoc unum non perſuadet, 11
ſatius eſſe iſta facere, quam cum illo dies totos audiendo diſcendoque conſumere. Quo magis te, cui vacat, hortor, quum in urbem proxime veneris, (venias autem ob hoc maturius), illi te expoliendum limandumque permittas. Neque enim 12
ego, ut multi, invideo aliis bono, quo ipſe careo; ſed contra ſenſum quendam voluptatemque

10 *quaeque ipſi doceant*) Non ſatis perſpicuum eſt, quo hoc *ipſi* pertineat. Contextus quidem omnis, et proxima commemoratio philoſophiae ſuadet, ut *philoſophos* intelligamus, ſed manet tamen abrupta et hians oratio. Si quid libri veterea adiuvarent, ego legerem *quaeque ipſa doceat*, ſc. philoſophia, *in uſu habere*, h. e. praecepta philoſophiae uſu et factis exſequi. *E.*

Locus ſaniſſimus, in quo quid hiet, non intelligo. Novandi libidinem coërcere debebat Cortii annotatio, cui, ſi neceſſe eſſet, plurima ex utraque lingua adiici poſſent. Uno defungar Livii loco, 42, 47, 7. *Haec Romana eſſe, non verſutiarum Punicarum, neque calliditatis Graecae: apud quos fallere hoſtem, quam vi ſuperare, glorioſius fuerit.* Vid. Porſon. ad Eurip. Hecub. v. 22. Wakef. ad Lucret. 1, 283. 353. *S.*

11 *hoc unum non perſuadet*) Suaviſſime repetit, quae de vi perſuadendi et dulcedine viri dixerat ſ. 7. *G.*

illi te expoliendum limandumque) Rom. *illi te extollendum limandumque*, ut Medic. Lege *excolendum*, quod Latinum et Plinianum eſt. Lib. IV. ep. VI. 2. *Nec agrum, quem non habeo, ſed ipſum me ſtudiis excolo.* Cic. Brut. c. 25. *Caiusque Tuditanus cum omni vita atque victu excultus atque expolitus, tum eius elegans eſt habitum etiam orationis genus.* Metaphora ducta eſt ab agris, qui *excoli* dicuntur, quando, quae fertilitati officiunt, exſtirpantur. Vid. lexic. ruſtic. Gesnerianum. *H.*

12 *invideo aliis bono*) Ita perpetuo conſtrui hoc verbum in bonis quidem codicibus a Plinio, oſtendit ad h. l. Cortius: et iam fecerat ad Quinctil. 9, 3. p. 799 Burmannus. Vid. Ind. *G.*

Rom. *Neque enim ego, ut multi, invideo aliis bono*, cum Med. et melioribus. Sic Romanus liber etiam lib. II. ep. XX. 8. *Invidetis bona morte*, et lib. III. ep. VIII. 2. *titulis invidere.* Lib. VII. ep. XXVIII. 2. *qui invident mihi feliciſſimo errorem.* [ita expreſſum, pro *errore.*] Lib. VIIII. ep. XIII. 5. *Ut vobis ſocietatis ius invideam*, pro *ſocietate eius.* *H.*

ſenſum — voluptatemque) ἓν διὰ δυοῖν dicit, pro *ſenſum voluptatis.* *G.*

percipio, ſi ea, quae mihi denegantur, amicis video ſupereſſe. Vale.

XI.

De infrequentia epiſtolarum expoſtulat.

C. PLINIVS FABIO IVSTO SVO S.

Olim nullas mihi epiſtolas mittis. *Nihil eſt,* inquis, *quod ſcribam.* At hoc ipſum ſcribe, nihil eſſe, quod ſcribas: vel ſolum illud, unde incipere priores ſolebant, *ſi vales, bene eſt; ego valeo.* Hoc mihi ſufficit; eſt enim maximum. Lu-
2 dere me putas? Serio peto. Fac ſciam, quid agas: quod ſine ſolicitudine ſumma neſcire non poſſum. Vale.

XII.

Deflet Corellii voluntariam mortem, qua rectorem vitae ſuae et optimum amicum amiſerit.

C. PLINIVS CALESTRIO TIRONI SVO S.

Iacturam graviſſimam feci, ſi iactura dicenda eſt

Nempe Gesnerus putabat, hanc interpretandae formulae rationem, ſi qua alia, optimam eſſe. Equidem miror, Plinium, ſi ita ſcripſit, ita ſcripſiſſe. *E.*

Me quoque offendit *ſenſum quendam voluptatemque;* nec Gierigii ratio ſatisfacit. An poſt *quendam* excidit *iucundum?* *S.*

XI, 1 *Olim nullas mihi*) Rom. *Olim mihi nullas.* *H.*

Sic et Cortius. Praefero noſtrum ordinem, ut qui auribus magis blandiatur. *S.*

At hoc ipſum ſcribe) Similis eſt epiſtola Ciceronis filii ad Tironem 16, 26. *Etiamſi, quod ſcribas, non habebis, ſcribito tamen* cet. *G.*

priores) Laudavit hic Buchnerus Senec. ep. 15 pr. *Mos antiquis fuit usque ad meam ſervatus aetatem, primis epiſtolae verbis adiicere,* ſi vales, bene eſt. *G.*

Rom. *unde priores incipere ſolebant.* *H.*

XII, 1 *ſi iactura dicenda eſt*) Dubium, cur parum probet *iacturae* appellationem; nimisne lene putet, in amiſſione rei inaeſtimabilis; an ideo parum aptum, quod mortuorum memoria, exemplum, beneficia, adhuc ad nos pertinent? An iactura damnum, quod facimus ad evitandum maius? *G.*

tanti viri amiſſio. Deceſſit Corellius Rufus, et
quidem ſponte, quod dolorem meum exulcerat:
eſt enim luctuoſiſſimum genus mortis, quae non
ex natura, nec fatalis videtur. Nam utcunque in 2
illis, qui morbo finiuntur, magnum ex ipſa ne-
ceſſitate ſolatium eſt; in iis vero, quos arceſſita
mors aufert, hic inſanabilis dolor eſt, quod cre-
duntur potuiſſe diu vivere. Corellium quidem 3

Erneſtius, patruus meus, olim laudaverat Epiſt. 2, 1, 10. ut evinceret. Plinium *iacturam* ideo noluiſſe, quod virorum magnorum memoria nunquam intercidat. Geſnerus acute reſpondebat, ſe dubitare, utrum conſolandi argumentum initio ponere voluerit, et tamen in luctu deſinere. Noviſſimus editor, Gierigius V. C. illa omnia repetiit, nihil addens de ſuo niſi haec: „aut igitur, inquit, nodum in ſcirpo quaeſivit, aut ego mentem eius non aſſequor." Erit igitur Plinius in hoc loco aut obſcurus aut ineptus. Neutrum ego credo: acutum et venuſtum ubique deprehendi. Quid ergo? nempe neceſſe eſt, tempore Plinii vocabulo *iacturae* adhaeſiſſe notionem non ſatis dignam et honeſtam; quare cum Plinio nunc excidiſſet ea vox in re gravi et magna, ipſe ſe caſtigat propterea et corrigit, magis autem, ut venuſtum veluti flexum, et laudis opportunitatem oratio recipiat, quam ut rationis grammaticae admonere lectorem velit. Fronto Grammaticus dicit, *iacturam* eſſe, quod iacitur ex onere navis. Iam locus eſt Pſeudo-Salluſt. ad Caeſ. Or. 2. Cap. 55. L. Poſthumius, et M. Favonius, mihi videntur quaſi magnae navis ſupervacua eſſe: ubi ſalvi pervenere, uſui ſunt: ſi quid adverſi coortum eſt, *de illis potiſſimum iactura ſit, quia pretii minimi ſunt.* *E.*

Probabilis diaputatio. Nec tamen puto, illam vocis *iactura* vim aevi Pliniani propriam, ſed omnino latinitatis fuiſſe. Sulpicius ad Ciceronem (Epiſt. IV, 5. p. 89. edit. Erneſt.): *Modo uno tempore tot viri clariſſimi interierunt: — — in unius mulierculae animula ſi iactura facta eſt, tanto opere commoveris?* Videa, ut *interitus virorum clariſſimorum* opponatur *iacturae mulierculae.* Quamquam non nego, καταχρηστικῶς etiam de gravi damno dici potuiſſe. *S.*

Corellius Rufus) Rom. *Corelius Rufus*, ut poſtea conſtanter. *H.*

ex natura) Non aſſentior Gierigio *venit* excidiſſe putanti. *S.*

fatalis) *Fatalis* mors hic non ſimpliciter, ut alias, naturalis eſt; ab hac enim diſtinguit: ſed ea, quam effugere, qui moritur, non potuiſſe videtur, licet voluerit, ut ſunt ruinae, caedes ab inſidiatoribus, naufragium etc. Scimus alioquin *fatum* ad naturalem praeſertim mortem referri: nec vehementer interceſſerim, ſi quis ſynonyma plane hic etiam eſſe velit mortem, quae *ex natura* eſt, et *fatalem.* Certe ita ſumit Vell. 2, 4, 6. *G.*

2 qui morbo finiuntur) *Fati* novam mentionem non facit: ſive quod ſatius habuit, unum genus referre, cui plane ſimile ſit alterum: ſive quod *fato* et *morbo finiri* pro iisdem habuit. *G.*

ſumma ratio, quae ſapientibus pro neceſſitate eſt,
ad hoc conſilium compulit, quamquam plurimas
vivendi cauſſas habentem, optimam conſcientiam,
optimam famam, maximam auctoritatem; praeter-
ea filiam, uxorem, nepotem, ſorores, interque
4 tot pignora, veros amicos. Sed tam longa, tam
iniqua valetudine conflictabatur, ut haec tanta
pretia vivendi mortis rationibus vincerentur. Ter-
tio et triceſimo anno (ut ipſum praedicantem
audiebam) pedum dolore correptus eſt. Patrius
hic illi: nam plerumque morbi quoque per ſuc-
5 ceſſiones quasdam, ut alia, traduntur. Hunc
abſtinentia, ſanctitate, quoad viridis aetas, vicit
et fregit; noviſſime cum ſenectute ingraveſcentem
6 viribus animi ſuſtinebat. Quum quidem incredi-

3 *optimam conſcientiam*) In Rom. omiſſa ſunt. *H.*

Negligentiâ librarii, (niſi ipſius typothetae culpa eſt), cuius oculi a priore *optimam* ad poſterius aberrarent. Fons hic mendorum uberrimus. *S.*

pignora) *pignera* Cort. caſce. Tetigit Laurenbergius Antiquar. p. 206. Cf. Nolten. Lexic. Antibarb. col. 137. Ridicule Beda de Orthographia col. 2341. ed. Putſch.: *Pignera, rerum: Pignora, filiorum et affectionum.* Vid. Cort. Diſſertat. de uſu orthographiae lat. cap. III. §. VIII. p. 82. ed. Harleſ. *S.*

4 *pretia vivendi*) res illae, propter quas operae pretium ſit vivere, ut conſcientia, fama, auctoritas, et quas alias vivendi cauſſas paullo antea commemoraverat. *E.*

ut ipſum praedicantem audiebam) Rom. *ut ipſum audiebam*, medio verbo, *praedicantem*, excluſo. *H.*

Excludunt et alii libri. Male. *S.*

Patrius hic illi) Videtur tacitae ſuſpicioni occurrere: cum podagra et ſimiles morbi intemperantiae ſaepe circa Venerem et Bacchum quaſi ſatellites ſint. Ne quid igitur de Corellio cogitemus eiusmodi, patrium morbum eſſe narrat. *G.*

5 *ſanctitate*) caſtitate. Sic Graecis dicitur *ἁγνὸς*, *ἁγνὸς γάμων*, *ἁγνολεχής* (Ruhnken. ad Timaeum p. 133. a.). Aeſchylus dramatis ſatyrici licentiâ apud Lucian. T. II. p. 457.: *μηρῶν τε τῶν σῶν εὐσεβὴς ὁμιλία.* coll. Porſono ad Euripid. Med. v. 750. *S.*

quoad viridis aetas) Nota Horatii vox: *dum virent genua*, expreſſa illa ex Theocritea: *ἆς**) *γόνυ χλωρόν.* Vid. Valckenar. Epiſt. ad

*) Ita leg. cum Toupio et aliis. Male vulgo *οἷς*, confuſione literarum ſat frequenti, de qua Porſonus ad Euripid. Med. v. 44. Locis a viro eximio tractatis accedat Herodoteus L. VII. c. 156. ubi certâ emendatione ſcripſi: *καὶ ἔσαν οἱ πάντα αἱ Συρήκουσαι.* Sic Lucian. T. III. p. 469. *καὶ οἱ πάντα Κομβάβος ἦν.* In hanc *παρέκβασιν*, cuius veniam aequi debuut lectores, me deflexit Mitſcherlichius ad Horatium Theocrito minus perſpecte utens. *S.*

biles cruciatus et indignissima tormenta pateretur, (iam enim dolor non pedibus solis, ut prius, insidebat, sed omnia membra pervagabatur,) veni ad eum Domitiani temporibus, in suburbano iacentem. Servi e cubiculo recesserunt: habebat 7
enim hoc moris, quoties intrasset fidelior amicus. Quin etiam uxor, quamquam omnis secreti capacissima, digrediebatur. Circumtulit oculos, et, 8
Cur, inquit, *me putas hos tantos dolores tamdiu sustinere? ut, scilicet, isti latroni vel uno die superstes.* Dedisses huic animo par corpus, fecisset quod optabat. Adfuit tamen deus voto, cuius ille compos, ut iam securus liberque moriturus, multa illa vitae, sed minora, retinacula abrupit. Increverat valetudo, quam temperantia mitigare 9
tentavit; perseverantem constantia fugit. Iam dies

M. Roeverum p. XXIV. Toup. Cur. Poster. in Theocrit. p. 26. Mitsch. ad Horat. T. II. p. 587. *S.*

6 *non pedibus solis, ut prius*) Rom. *non pedibus solum, ut prius.* *H.*

Similis et frequentissima in Graecorum libris confusio vocum μόνος et μόνον. *S.*

7 *habebat enim hoc moris*) *habebant enim hoc moris* Rom. et Venet. CIↃCCCCLXXXV. non *habebat*, quod Aldus maluit, quem non sequor. De servis loquitur sponte digredientibus. *H.*

Ita et Gierigius. Bene. *S.*

8 *Circumtulit oculos*) Ut videret nimirum, omnesne remoti arbitri essent, ne quis legere sermonem cum periculo dicentis audientisque posset. *G.*

Isti latroni) Hic quis sit, ne ignoraretur, supra dixerat Plinius, se ad Corellium Domitiani temporibus venisse. Callide vero, et venuste! *E.*

Vel hinc discas, quale fuerit contumeliosissimum atque acerbissimum adclamationum genus, quo senatus Domitianum mortuum laceravit, teste Suetonio Domitian. c. ult. *S.*

Dedisses huic animo) Iudicium Plinii de Corellio: pro *si dedisses.* Illustravit ellipsin hanc exemplis Cortius ad Sall. Iug. 64, 5. *G.*

fecisset quod optabat) Intersecturum fuisse αὐτόχειρα Domitianum, haud obscure innuitur. Ceterum verba: *Dedisses — optabat*, in editione Cortii verbis Corellii continuantur. Melius Gesnerus. *S.*

Adfuit tamen deus voto) Superfuit Corellius Domitiano, et usque ad Traiani tempora vixisse videtur. cf. Ep. 4, 17. 8. — Quae sequuntur *vitae retinacula*, eadem sunt, quae supra *pretia vivendi* dixerat. *E.*

minora) Talia videbantur Corellio, cui reipublicae salus omnibus suis carior esset, ut Plinius infra 11. Male Catanaeus, eumque sequens novissimus editor. *S.*

9 *perseverantem constantia fugit*) Corellius morbum, qui mitigari se non passus esset, morbum inquam et vitam adeo, constantia sua, id est, constanti et immutabili moriendi destinatione, abstinentiaque cibi effugit. Videtur acumen quaesiisse Secundus, cum *constantiae fugam* tribuit. *G.*

alter, tertius, quartus: abstinebat cibo. Misit ad me uxor eius Hispulla communem amicum C. Geminium cum tristissimo nuntio, *destinasse Corellium mori, nec aut suis aut filiae precibus flecti; solum superesse me, a quo revocari posset ad*
10 *vitam.* Cucurri: perveneram in proximum, quum mihi ab eadem Hispulla Iulius Atticus nuntiat, nihil iam ne me quidem impetraturum: tam obstinate magis ac magis induruisse. Dixerat sane medico admoventi cibum, Κέκρικα, quae vox quantum admirationis in animo meo, tantum de-
11 siderii reliquit. Cogito, quo amico, quo viro caream. Implevit quidem annum septimum et sexagesimum, quae aetas etiam robustissimis satis longa est: scio. Evasit perpetuam valetudinem: scio. Decessit superstitibus suis, florente republica, quae illi omnibus suis carior erat: et hoc scio.
12 Ego tamen, tanquam et iuvenis, et fortissimi, morte doleo: doleo autem (licet me imbecillum putes) meo nomine. Amisi enim, amisi vitae meae testem, rectorem, magistrum. In summa,

Dubito, an de hoc acumine nunc cogitaverit Plinius. Non tam constantiae fugam tribuit, quam sibi ipsi. Ipse enim *perseverantem* morbum *constantia* sua *fugit*, s. effugit. Talia Plinio, vividas rerum imagines facile concipienti, vel non quaerenti obvia sunt. *E.*

communem amicum C. Geminium) Rom. *communem amicum C. Germanum.* Deinde: *aut filiae precibus inflecti. H.*

10 *magis ac magis*) Male cod. *ac magis* omittit. Vid. Columm. ad Ennii Fragm. p. 99. ed. Amstel. Sic Graeci *μᾶλλον καὶ μᾶλλον*, ac copula neglecta, *μᾶλλον μᾶλλον. S.*

Κέκρικα) Vox iudicii, constantiae, consilii, quam proinde admiratur Plinius et desiderio se illa accensum significat. Altera lectio Κέκμηκα, nihil habet non humile potius et erubescendum. *G.*

11 *quae illi — erat*) Rom. *quae illi omnibus carior erat* omisso pronomine *suis. H.*

12 *Ego tamen — doleo*) Rom. *Ego tamen tanquam et iuvenis firmissimi mortem doleo. H.*

et ante *firmissimi* aut ipsius Heusingeri aut typothetae errore videtur excidisse. Placet *firmissimi*, cum mox sequatur: *infirmus erat. S.*

meo nomine) Cum ipsi Corellio nihil decesserit, sed finem potius ille cruciatus invenerit: doleo non ipsius nomine, quae alioqui vis amicitiae est, sed meo, quod mihi tantum bonum ereptum esse sentio. *G.*

Amisi enim — testem) Rom. *Amisi enim vitae meae testem,* non iterato verbo. *H.*

Longe melius ad orationisque

dicam quod recenti dolore contubernali meo Calvisio dixi: *Vereor, ne negligentius vivam.* Pro- 13
inde adhibe solatia mihi: non haec, *senex erat, infirmus erat* (haec enim novi); sed nova aliqua, sed magna, quae audierim nunquam, legerim nunquam. Nam quae audivi, quae legi, sponte succurrunt, sed tanto dolore superantur. Vale.

XIII.

Et ingeniorum suis temporibus proventum laudat, et auditorum negligentiam vituperat.

C. PLINIVS SOSIO SENECIONI SVO S.

Magnum proventum poëtarum annus hic attulit. Toto mense Aprili nullus fere dies, quo non recitaret aliquis. Iuvat me, quod vigent studia, proferunt se ingenia hominum et ostentant: tamesi ad audiendum pigre coitur. Plerique in sta- 2
tionibus sedent, tempusque audiendi fabulis con-

vim augendam efficacius iteratur. Sic mox: *sed — sed —, — nunquam — nunquam, quae — quae —.* S.

ne negligentius vivam) Erepto vitae meae teste, rectore, magistro etc. G.

XIII, 2 *in stationibus*) Locis publicis, in quibus convenire vel negotii vel otii caussa, vel universis, vel certi generis hominibus ius ac solenne esset. Sic *Salvidieno Orfito* apud Sueton. Nero. c. 37. *obiectum est, quod tabernas tres de domo sua circa forum civitatibus ad stationem locasset:* ad quem locum ceteros laudarunt Torrentius ac nuper Burmannus. Add. infra 2, 9, 5. G.

audiendi) Sic legendum puto. *Tempus audiendi*, h. e. quo audiendus erat recitator, *consumunt fabulis*, h. e. sermonibus variis, confabulationibus: qui *audiendis fabulis* legunt, non cogitant, utrosque hic intelligi, et qui loquantur, et qui audiant: deinde si *audiendis fabulis* legamus, non id intelligi, quod auctor hic vult, confabulationes et familiares sermones in circulo sedentium; sed audientiam uni alicui narranti vel agenti fabulas praestitam. G.

Potest sane contra dici, frequentes illos homines non omnes potuisse fabulas narrare, sed plerosque operam dedisse paucis quibusdam praeter caeteros garrulis, itaque a pleraque parte recte denominationem fieri. Ita Gierigius, qui *audiendis* edidit. E.

Bene Gesnerus, cui Gruterus praeluxerat. Tenendum est, quod iam illi praeclare monuerunt, *fabulas* hic esse omnino sermones ac confabulationes de rebus vitae communis, quales Suetonius Domitian. cap. 15. p. 933. ed. Oud. *diei fabulas*. Plinius

terunt, ac fubinde fibi nuntiari iubent, an iam
recitator intraverit, an dixerit praefationem, an
ex magna parte evolverit librum: tum demum,
ac tunc quoque lente cunctanterque, veniunt:
nec tamen permanent, fed aute finem recedunt,
alii disfimulanter et furtim, alii fimpliciter et li-
3 bere. At hercule memoria parentum Claudium
Caefarem ferunt, quum in palatio fpatiaretur,
audiffetque clamorem, cauffam requififfe; quum-
que dictum effet, recitare Nonianum, fubitum
4 recitanti inopinatumque veniffe. Nunc otiofiffi-
mus quisque multo ante rogatus, et identidem
admonitus, aut non venit, aut, fi venit, queri-
tur fe diem, quia non perdiderit, perdidiffe.
5 Sed tanto magis laudandi probandique funt, quos
a fcribendi recitandique ftudio haec auditorum
6 vel defidia vel fuperbia non retardat. Equidem

ipfe 8, 18, 11. *fabulas urbis* dicit. Vid. Interpretes ad Phaedri Fab. I. Prolog. v. 7. ad Petron. cap. 111. p. 663. f. ed. Burm. Drakenborch. ad Liv. 1, 11, 8. *S.*

Rom. *tempusque audiendis fabulis conterunt*, quod deterius effe, Gesnerus oftendit. Paullo poft: *tunc demum ac tunc quoque. H.* Addatur idem infra ad 3, 5, 15. *S.*

evolverit librum) *Volumen* cogitandum eft nimirum, quod incipit ab ea parte membranae, quae extima eft; quae *evoluta* funt igitur, ea lectione percurfa intelligimus, involutis reliquis, quae legenda fuperfunt. *G.*

3 *At hercule memoria parentum*) Rom. *At me hercule memoria parentum. H.*

Invexit pronomen manus interpolatrix. *S.*

4 *quia non perdiderit*) nempe in ftationibus illis, in quibus qui commorabantur, vere diem perdere dici poterant. Caeterum docta eft animadverfio Gierigii, *perdidit* legendum effe putantis, quia verba fint non illius conquerentis, fed Plinii iudicantis. Quanquam fatis lepidus eft Plinius, ut, quo ineptior querela fiat, fuum iudicium illis hominibus tribuerit. Nempe illi querebantur, *fe diem, quia non in ftationibus fuerint, perdidiffe.* Iam cum Plinius iudicaret, in ftationibus effe idem effe, quod diem perdere, fententiam illam lepide ita extulit, quafi illi ipfi dixerint, *fe diem, quia non perdiderint, perdidiffe.* Utique talis lepor magis fentiri, quam verbis declarari poteft. Hoc certe modo ftare illud *perdiderit* poteft. *E.*

Gierigii animadverfio ut docta fit, huic certe loco non eft accommodata. *perdidit* fi legas, confequens eft, tales auditores Plinio vifos effe cum fructu quodam fuo recitanti adfuiffe. Sed quem auditionis fructum percipere poterant, qui et fero veniffent, et ante finem recederent? Immo vel fic diem perdiderunt, quamquam non eo modo, qui ipforum ignaviae maxime blandiretur. *S.*

prope nemini defui. Erant ſane plerique amici: neque enim quisquam eſt fere, qui ſtudia, ut non ſimul et nos amet. His ex cauſſis longius, quam 7
deſtinaveram, tempus in urbe conſumſi. Poſſum iam repetere ſeceſſum, et ſcribere aliquid, quod non recitem; ne videar, quorum recitationibus adfui, non auditor fuiſſe, ſed creditor. Nam ut in ceteris rebus, ita in audiendi officio perit gratia, ſi repoſcatur. Vale.

XIV.

Maurico ſuadet, ut fratris ſiliam deſpondeat Aciliano, quem diligentiſſime commendat.

C. PLINIVS IVNIO MAVRICO SVO S.

Petis, ut fratris tui filiae proſpiciam maritum: quod merito mihi potiſſimum iniungis. Scis enim, quantopere ſummum illum virum ſuſpexerim dilexerimque; quibus ille adoleſcentiam meam exhortationibus foverit, quibus etiam laudibus, ut laudandus viderer, effecerit. Nihil eſt, quod a 2
te mandari mihi aut maius aut gratius, nihil, quod honeſtius a me ſuſcipi poſſit, quam ut eligam iuvenem, ex quo naſci nepotes Aruleno Ruſtico deceat. Qui quidem diu quaerendus 3
fuiſſet, niſi paratus et quaſi proviſus eſſet Minucius Acilianus: qui me ut iuvenis iuvenem (eſt enim minor pauculis annis) familiariſſime diligit, reveretur ut ſenem. Nam ita a me formari et inſtitui cupit, ut ego a vobis ſolebam. Patria eſt 4
ei Brixia, ex illa noſtra Italia, quae multum adhuc verecundiae, frugalitatis, atque etiam ruſtici-

XIV, 3 *ita a me formari*) Cortius ex codd. meliore verborum ordine, *ita formari a me.* S.

4 *ruſticitatis*) Neſcio an unicus hic locus ſit, ubi in lauda ponitur *ruſticitas*, pro ſimplicitate illa cum pudore coniuncta, quae nusquam illa quidem ſe ingerit; ſed quae agenda ſunt aut dicenda, ſine fuco et fallacia, atque ſine affectatione adeo, perſequi-

5 tatis antiquae retinet ac servat. Pater Minucius
Macrinus, equestris ordinis princeps, quia nihil
altius voluit: adlectus a divo Vespasiano inter
Praetorios, honestam quietem huic nostrae, am-
bitioni dicam an dignitati? constantissime prae-
6 tulit. Habet aviam maternam Serranam Procu-
lam, e municipio Patavino. Nosti loci mores.
Serrana tamen Patavinis quoque severitatis exem-
plum est. Contigit et avunculus ei P. Acilius,
gravitate, prudentia, fide prope singulari. In
summa, nihil erit in domo tota, quod non tibi,
7 tanquam in tua, placeat. Aciliano vero ipsi plu-
rimum vigoris et industriae, quamquam in maxi-
ma verecundia. Quaesturam, Tribunatum, Prae-
turam honestissime percucurrit, ac iam pro se
8 tibi necessitatem ambiendi remisit. Est illi facies

tur. Quin latius forte patet atque ea complectitur, quae ex Cicerone iam laudarunt viri docti, pro Rosc. Am. c. 27. *Vita rustica, quam tu agrestem vocas, parsimoniae, diligentiae, iustitiae magistra est.* G.

Gierigius, ut priorem *rusticitatis* vim confirmaret, laudavit Martial. 10, 72. 10. Ovid. A. A. 3, 127. Plin. H. N. 35, 9. E.

5 *adlectus — inter Praetorios*) Vespasianus enim Suetonio teste c. 9. *Amplissimos ordines exhaustos caede varia — supplevit — honestissimo quoque Italicorum ac provincialium adlecto.* Eo igitur gradu honoris esse iussus est Minucius, ac si fuisset Praetor. G.

Rom. *allectus enim a divo Vespasiano*, bene. H.

Sic et Cortius. Particula haec male omissa a Gesnero et Gierigio. S.

ambitioni — an dignitati) Bene Gierigius, ut dignitatis oppositio constet, *ambitionem* accipit de apparatu dignitatis externo, laudatque Paneg. 83, 1. et Tacit. Agr. 40. E.

6 *Serranam — Patavino*) Rom. *Sarranam Proculam e municipio Patavio.* H.

in domo tota) in familia tota. Vid. Freinshem. Ind. in Iustin. v. *domus*. Utrumque iunxit Cornelius Nepos Eumen. 6, 3. *ne pateretur, Philippi domus et familiae inimicissimos stirpem quoque interimere.* nisi *et familiae* ex margine in textum illatum fuit. Diodorus Sic. T. II. p. 420. ἡ μὲν οὖν τῶν ἐν Πάφῳ βασιλέων οἰκία τραγικοῖς συγκυρήσασα πάθεσι κ. τ. λ. ibi pro οἰκία in cod. repertum συγγένεια, quod glossematis manifestum est. Cf. Platon. Gorg. c. 20. S.

7 *plurimum vigoris et industriae*) Rom. *plurimum vigoris industriae*, sine copula. H.

Copulam omittunt etiam codd. e Cortianis; potestque commode abesse. S.

iam pro se — remisit) cum illis honoribus iam perfunctus sit, non necesse est, ut tu pro eo prenses amicos, supplices, ambias domos, stationesque circumeas: ita enim Plinius de ambitione 2, 9, 5. S.

liberalis, multo sanguine, multo rubore suffusa:
est ingenua totius corporis pulchritudo, et quidam
senatorius decor. Quae ego nequaquam arbitror
negligenda: debet enim hoc castitati puellarum
quasi praemium dari. Nescio, an adiiciam, esse 9
patri eius amplas facultates. Nam quum imagi-
nor vos, quibus quaerimus generum; silendum
de facultatibus puto: quum publicos mores atque
etiam leges civitatis intueor, quae vel in primis
census hominum spectandos arbitrantur; ne id
quidem praetereundum videtur. Et sane de po-
steris, et his pluribus, cogitanti, hic quoque in
conditionibus deligendis ponendus est calculus.
Tu fortasse me putes indulsisse amori meo, su- 10
praque ista, quam res patitur, sustulisse. At ego
fide mea spondeo, futurum, ut omnia longe am-
pliora, quam a me praedicantur, invenias. Diligo
quidem adolescentem ardentissime, sicut meretur:
sed hoc ipsum amantis est, non onerare eum
laudibus. Vale.

XV.

Septicium, qui ad coenam vocatus non venerat, in ius dumni dati iocabundus vocat.

C. PLINIVS SEPTICIO CLARO SVO S.

Heus tu, promittis ad coenam, nec venis! Dici-
tur ius, ad assem impendium reddes, nec id mo-
dicum. Paratae erant lactucae singulae, cochleae 2

9 *leges civitatis*) In qua *dat census honores:* ubi in primis census equester, quo qui minus haberet, eques esse non poterat, quadringenta sestertia. Vid. mox ep. 19. G.

10 *Tu — indulsisse*) Rom. *Tu fortasse putas me indulsisse.* H.

supraque — sustulisse) maiora et ampliora fecisse dicendo. Etiam in rhetoricis *superlatio* dicitur pro gr. *ὑπερβολή*. E.

Vid. Ernest. Lexic. Technol. Lat. Rhetor. v. Superlatio. S.

XV, 2 *lactucae singulae*, Portiones describit, quantum in unumquemque hospitem paratum fuerit. G.

ternae, ova bina, alica cum mulſo et nive, (nam hanc quoque computabis, immo hanc in primis, quae perit in ferculo) olivae Baeticae, cucurbitae, bulbi, alia mille non minus lauta. Audiſſes comoedum, vel lectorem, vel lyriſten, vel, quae
3 mea liberalitas, omnes. At tu apud neſcio quem, oſtrea, vulvas, echinos, Gaditanas, maluiſti. Dabis poenas, non dico quas. Dure feciſti: invidiſti, neſcio an tibi, certe mihi, ſed tamen et tibi. Quantum nos luſiſſemus, riſiſſemus, ſtudu-
4 iſſemus! Potes apparatius coenare apud multos: nusquam hilarius, ſimplicius, incautius. In ſumma, experire: et niſi poſtea te aliis potius excuſaveris, mihi ſemper excuſa. Vale.

olivae Baeticae) Colum. 5, 8, 5. de olea, *Modicos clivos amat, quales in Italia Sabinorum, vel tota provincia Baetica videmus.* *Sed nec damnaverim *betacei*, quod ex MSS. reponit Cortius, qui citat Salmaſ. ad Solin. p. 583. ad quem provocavit etiam Liſter. ad Apic. 3, 2. p.76 ubi *faſces betaceorum*, et *betacei Varronis* laudantur. *G.*

Gierigius pro *Baeticae* reponendum putat, *boleti*, quibus maxime delectati fuiſſent Romani; praeſertim cum multi MSS. habeant h. l. *lebeta* aut *lebetae.* De *boletis* cf. Hor. Sat. 2, 4. 20. Mart. 1, 21. et 12, 48. Plin. Ep. 1, 7. 6. *E.*

Olivae *Baeticae* cum nobiles fuerint, improbabile eſt, Plinium eas in hoc ciborum vilium catalogo poſuiſſe. Probo igitur *betacei*. *S.*

Rom. *quae perit in ferculo, olivae, betacei. H.*

comoedum) Cort. *comoedos*, nimis magnifice pro Plinii ſtudio apparatum illum coenae elevandi. *S.*

3 *vulvas*) porcinas, praeſertim eiecticias, item virgineas: res nota. Vid. Apic. 7, 1 et ibi Humelb. ac Liſterus. Apud eundem etiam de *echinis* plura ſunt, marinis intellige; hi enim in ciborum deliciis. Add. Lud. Nonnius de re cibar. 3, 37. *G.*

Gaditanas) Puellas ſaltatrices cum cantu, paſſim celebratas an accuſatas antiquis. Pleraque habet Ramireſius ad Martial. 1, 42. p. 75. ſq. *Nimirum *Gaditanas* legendum eſt, ut perſonae opponantur perſonis, *comoedo*, *lectori*, *lyriſtae*: et delicatiſſimae voluptariaeque perſonae paullo ſeverioribus. *Gaditana* alii, ubi cantica intelligi poterant. *G.*

Rom. *oſtrea, vulvulas, echinos, Gaditana maluiſti. H.*

Non dubito vere conieciſſe Heinſium *Gaditanam*. Gaditana melius, quam Gaditanae, opponitur comoedo, lectori, lyriſtae; ſimulque apparet, unde originem traxerit librorum lectio, *Gaditana maluiſti. S.*

4 *ſimplicius, incautius*) *Simplicius* excludit affectationem omnem, diſſimulationem, pudorem; *incautius*, dubitationem, cautionemque abeſſe iubet, ut libere nulloque cum metu dicere facereque poſſis, quidquid in mentem venerit. *G.*

niſi poſtea te aliis) Poſt unum experimentum coenarum

XVI.

Saturnini ſtilum, eiusque libros, ut legantur, commendat.

C. PLINIVS ERVCIO SVO S.

Amabam Pompeium Saturninum, hunc dico noſtrum: laudabamque eius ingenium, etiam antequam ſcirem, quam varium, quam flexibile, quam multiplex eſſet: nunc vero totum me tenet, habet, poſſidet. Audivi cauſſas agentem acriter et 2
ardenter, nec minus polite et ornate: ſive meditata ſive ſubita proferret. Adſunt aptae crebraeque ſententiae, gravis et decora conſtructio, ſonantia verba et antiqua. Omnia haec mire placent, cum impetu quodam et flumine praevehuntur: placent, ſi retractentur. Senties quod ego, 3
quum orationes eius in manus ſumſeris; quas facile cuilibet veterum, quorum eſt aemulus,

noſtrarum, ſponte tua noſtras aliorum epulis praeferes; neque cauſſam dicam, quin mihi te excuſes, niſi ipſe potiores noſtras iudicaveris. *G.*

XVI *inſcr. ERVCIO*) *Sic ex MSS. legendum oſtendit Cortius. *G.*

Rom. ERVCIO S. Ita et Aldus et nuper Cortius. *H.*

Alii vitioſe EVRITIO, ERYTIO, CVRTIO. *S.*

1 *varium — multiplex*) Non de moribus cogitandum, ſed de ingenio variis literarum generibus, actionibus, hiſtoriis, epiſtolis, carminibus ſcribendis comparato. Haec enim porro per partes explicantur. *E.*

tenet, habet, poſſidet) Ex formula ſtipulationis a Gallo Aquilio prodita et in l. 18. π. de acceptilat. relata, *quodve tu meum habes, tenes, poſſides.* *G.*

Rom. *nunc vero totum tenet, habet poſſidetque,* ſine *me.* *H.*

Cf. de hac formula Briſſon. de Formul. p. 551. ed. Bach. In Plinio legendum, opinor, ordine verborum inverſo: *habet, tenet, poſſidet.* *S.*

2 *Adſunt — ſententiae*) Rom. *Adſunt acutae crebraeque ſententiae.* *H.*

Notavit hanc lectionem et Cortius, habentque excerpta Brummeri. Placet. Ineptas ſententias vitare, in magna laude non ponendum. *S.*

cum impetu — retractentur) placent et cum audiuntur, et cum leguntur. Simillimum eſt illud Quintil. 10, 1. 19. *lectio libera eſt, nec actionis impetu transcurrit.* *E.*

et flumine praevehuntur, Rom. *et flumine pervehuntur.* An *praetervehuntur?* *H.*

Vulgata bene habet. *Pervehuntur* obtrudunt etiam codd. Cort., item Brummeri excerpta. Nihil frequentius in libris hac confuſione. *S.*

3 *quas facile cuilibet — comparabis*) Compendiaria locutio pro: *quas facile orationibus*

4 comparabis. Idem tamen in historia magis satisfaciet vel brevitate, vel luce, vel suavitate, vel splendore etiam et sublimitate narrandi. Nam in concionibus eadem, quae in orationibus, vis est: pressior tamen, et circumscriptior, et adductior.
5 Praeterea facit versus, quales Catullus aut Calvus.

cuiuslibet — comparabis. Cavendum, ne tales locos corruptos putes. Ita et Graeci. Herodotus p. 214. *ἔστι δὲ καὶ ταῦτα [τἀγάλματα] ὁμοῖα τοῦ* Ἡφαίστου. ubi alii perperam *ὁμοῖα τοῖσι τοῦ* Ἡφαίστου. Diodorus Sicul. T. I. p. 201. *ὁ δὲ λεγόμενος κῆπος ὠνόμασται μὲν — —, τὸ δὲ πρόσωπον ἔχων ὅμοιον λέοντι, τὸ λοιπὸν σῶμα φέρει πάνθηρι παραπλήσιον, πλὴν τοῦ μεγέθους, ὃ παρισοῦται δορκάδι.* In Luciano T. II. p. 247. leg. *εἴτε Πυθαγόρου ψυχὴν ἔχοι διὰ τὸν χρυσοῦν μηρὸν, εἴτε ἄλλην ὁμοίαν αὐτῷ.* Schol. ad Lucian. T. II. p. 305. Τοῦτον *λέγει Λεσβώνακτα, οὗ καὶ ἄλλαι μελέται ῥητορικαὶ φέρονται θαυμάσιαι καὶ ἐνάμιλλοι Νικοστράτου καὶ Φιλοστράτου.* qui locus cum Pliniano comparandus. Vid. Bauerum Liv. Excerpt. Sect. I. p. 102. Stroth. ad Liv. 5, 23. Scheller. Observat. p. 13. sq. inprimisque Heusingeros ad Cicer. de Offic. pag. 183. sq. *S.*

4 *in historia magis satisfaciet*) Rom. *in historia tibi magis satisfaciet.* *H.*

in concionibus — adductior) In his verbis puto inesse iudicium Plinii universale, vel aliquem locum communem, quo declarat, quomodo vis concionum a vi orationum differat. In utroque genere, inquit, vis est dicendi, sed in *orationibus*, quales in foro et iudiciis habentur, vis illa coniuncta est cum copia et ambitu et ubertate, in *concionibus*, quales historiis interseri solent, vis est brevior, non habet verborum illam abundantiam et copiam: nam in concionibus nec locus, nec tempus, nec rerum ratio hanc ubertatem admittit, nec postulat. Scilicet cum *vim* illam concionum *pressiorem, circumscriptiorem, adductiorem* dicit, cumulatis verbis et variatis metaphoris, unam brevitatem, copiae et ubertati forensi oppositam describit. Nam *premuntur*, quae resecantur, coërcentur, ne possint serpere longius; et *circumscribuntur*, quibus termini ponuntur, ne possint latius evagari; et *adducuntur*, v. c. habenae, equi, ne possint exsultare petulantius. Non possunt haec in tanta notarum brevitate multis locis confirmari; sed de omnibus his diximus in Technol. Lat. rhetor. Gierigius cum Cort. et Bipont. edidit: *Nam in concionibus idem, qui in orationibus, est: pressior tamen —.* Non placet. Nam quid sibi vult illud *idem esse?* praesertim cum sequatur corrigens *tamen.* *E.*

Non mihi persuaderi patiar, Plinium hic locum communem tractasse. Elegantiorem novi, quam qui hoc loco, sane non aptissimo, rhetoris personam suscepisse videatur. Immo de Saturnino agitur. *S.*

5 *quales Catullus aut Calvus*) Rom. *quales Catullus meus aut Bibaculus*, et deinde, *quasi Catullus aut Bibaculus.* Hoc Catanaeus quoque in aliquo libro sibi visum testatur, reliquorum vero criticorum omnium silentio damnatum fuit, etsi *M. Furium Bibaculum* versus, quales Catullus scripsit, nobis etiam reliquisse constat. Ex iis enim aliqui apud Suetonium de illustr. grammaticis cap. VIIII. et XI. et apud alios grammaticos su-

Quantum illis leporis, dulcedinis, amaritudinis, amoris! Inserit sane, sed data opera, mollibus lenibusque duriusculos quosdam: et hoc, quasi Catullus aut Calvus. Legit mihi nuper epistolas, 6
quas uxoris esse dicebat. Plautum vel Terentium metro solutum legi credidi; quae sive uxoris sunt, ut adfirmat, sive ipsius, ut negat, pari

persunt, quos in corpore veterum poëtarum inde collectos legere licet. Eumdem Quintilianus quoque lib. X. cap. I. 96. Catullo comitem adiungit. Itaque Calvi potius, quam Bibaculi nomen a librariis invectum puto, qui lib. IIII. ep. 27. in versibus Augurini illud legerunt, *Catullus meus aut Calvus*, adeoque huic etiam loco convenire putarunt. *H.*

amaritudinis) Quoties nimirum satyricum quidquam scribit et mordax. Nec enim virtutes, quae hic laudantur, omnes in eodem genere carminis locum habent. *G.*

mollibus lenibusque) Ignoscent, spero, viri eruditi libertati, quam in hunc locum nobis sumsimus: quod ea lege postulamus, si nunc demum laudatum Pliniano more intelligent Pompeium, qui inter molles lenesque ac dulces versiculos suos studio immiscuerit etiam duriusculos aliquot, quo iucundius nimirum reliquorum suavitas ad aures animosque accideret. Duplex adhuc circumferebatur lectio, altera Catanaei, et qui illum sequuntur, *Quantum illis amoris - - inserit! sane, sed data opera molliusculos leviusculosque, duriusculos quosdam*: altera Aldi et sequacium sic, *mollius leviusque, duriusculos*: Gryphius *leniusque* dedit. Ac de *u* in *n* mutato vix dicenda caussa est, cum in scriptura codicum plerorumque ne distingui quidem possint haec elementa: insertum autem *b* nobis condonabunt, qui norunt, quam leniter eam literam, et quam proxime ad spiritum illum, cui nunc Aeolicum digamma, nunc *v*, nunc *w* respondet, multi pronuntient: adeo ut dictante alio ante *u* excidere quam facillimo potuerit. Porro quam solennis et prope perpetua sit in omne genus libris τῶν *u* et *b* confusio, non ignorat, nisi qui MStum nullum, de arte critica nullum librum inspexerit. Quam vero pronum fuit, cum semel aliquis scripsit *molliuus leniuus*, alteram *u* plane excidere! Denique qui *mollius* et *lenius* non intelligerent, illi *molliusculos* et *leniusculos* ad *duriusculorum* formam procuderunt. *G.*

Gierigius edidit *levibusque*, quasi levia a mollibus magis quam lenia differant. Primum parum differunt, si de oratione dicuntur, nam λεῖον et λειότης saepe non alio sensu dicitur, quam lene, lenitas, aut lêve apud Latinos: deinde in Plinio non ita evitanda est huiusmodi tautologia, ut critica ope utendum existimemus. *E.*

Versus mollius leniusque [Rom. *leviusque*] *duriusculi* ita dici posse videntur, ut *leniter fastigatur, acclivis, declivis* apud Caesarem lib. II. Gall. c. VIII. 3. et alibi. Vid. Ondendorp. ad illum locum. *H.*

Duriusculi versus iam sunt *mollius leniusque duri*. Equidem teneo Gesneri lectionem. *S.*

6 *quas uxoris esse dicebat*) In cod. deest *quas*. Sic oratio vividior fit. Centies librarii talia pronomina inserserunt. De *qui* vid. Drakenb. ad Liv. 1, 4, 5. 1, 20, 4. *S.*

gloria dignus eſt, qui aut illa componat, aut uxorem, quam virginem accepit, tam doctam po-
7 litamque reddiderit. Eſt ergo mecum per diem totum: eundem ante quam ſcribam, eundem quum ſcripſi, eundem etiam quum remittor, non tanquam eundem, lego. Quod te quoque ut facias,
8 et hortor et moneo. Neque enim debet operibus eius obeſſe, quod vivit. An, ſi inter eos, quos nunquam vidimus, floruiſſet, non ſolum libros eius, verum etiam imagines conquireremus; eiusdem nunc honor praeſentis et gratia, quaſi ſatie-
9 tate, langueſcet? At hoc pravum malignumque eſt, non admirari hominem admiratione digniſſimum, quia videre, adloqui, audire, complecti, nec laudare tantum, verum etiam amare contingit. Vale.

quam virginem accepit) Cur haec addit Plinius? Tantane ruditas fuit virginum Romanarum, quae docendo aegre expugnari poſſet? An illa tam tenera aut puella, ut literarum doctrinam haec imbecillitas vix caperet? At, quae aetas matrimonio apta erat, cur inſtitutioni non fuerit? Non haererem, ſi unum verbulum additum eſſet: *tam cito doctam politamque reddiderit.* *E.*

In ſcirpo nodum quaerit Erneſtius, nihilo hic perſpicacior Barthio. Duxerat uxorem Saturninus puellam, non illam quidem rudem, ſed non tam doctam politamque, ut in epiſtolis ſcribendis Plautum vel Terentium metro ſolutum referre poſſet. Hunc ingenii cultum ſoli acceptum referebat marito, ad quem *virgo* domum deducta fuerat. *S.*

8 *Neque enim debet*) Abeſt in aliquot libris *enim*. Bene. *S.*

quod vivit) Paſſim conqueruntur poëtae, gloriam ſibi negari vivis. *Quatenus* (Horat. Od. 3, 24, 30.) *Virtutem incolumem odimus: ſublatam ex oculis quaerimus invidi.* Sed dedita opera hoc argumentum tractat idem Epiſt. 2, 1, 18. ſqq. Add. Mart. 5, 10. *G.*

imagines) ornamentum bibliothecis. Vid. epiſtola proxima. *G.*

quaſi ſatietate, langueſcet) Rom. *quaſi ſatietate langueſcit.* Ita et duo Brummeriani. Non placet hec tempus Cortio: idem vero illud fert lib. VIII. ep. XII. 3. ubi iisdem particulis *an ſi* ſubiicitur. Nec tamen diffitebor, in Rom. non eſſe *an ſi inter eos*, ſed *at ſi:* quod vero, quia *at* proxime iteratur, praeferro non poſſum. *H.*

Locus ille alter Plinianus tempus praeſens poſtulat; hoc loco futurum praeſtabilius. *At ſi* habent, praeter Romanam, omnes ſcripti apud Cortium. Non ferrem, nedum praeferrem, etiamſi *at* non proxime iteraretur. *S.*

9 *complecti — amare*) In his Gierigius neſcio quid tricatur. Addidit Plinius, quo magis pravitas illa malignitasque appareret. Idem ipſi acciderit, quod Saturnino accidere queritur: ut mirum non ſit, epiſtolam tam gravi reprehenſione cludi. *S.*

XVII.

Capitonem commendat, quod mortuo amico statuam posuerit, et clarorum hominum imagines domi habeat.

C. PLINIVS CORNELIO TITIANO SVO S.

Est adhuc curae hominibus fides et officium:
sunt qui defunctorum quoque amicos agant. Ti-
tinius Capito ab imperatore nostro impetravit,
ut sibi liceret statuam L. Syllani in foro ponere.
Pulchrum et magna laude dignum, amicitia prin- 2
cipis in hoc uti, quantumque gratia valeas, alio-
rum honoribus experiri! Est omnino Capitoni in 3
usu claros viros colere. Mirum est, qua religio-
ne, quo studio imagines Brutorum, Cassiorum,
Catonum, domi, ubi potest, habeat. Idem cla-
rissimi cuiusque vitam egregiis carminibus exor-
nat. Scias ipsum pluribus virtutibus abundare, 4
qui alienas sic amat. Redditus est L. Syllano
debitus honor, cuius immortalitati Capito pro-
spexit pariter et suae. Neque enim magis deco-
rum et insigne est, statuam in foro populi Roma-
ni habere, quam ponere. Vale.

XVIII.

Suetonio actionem ex somnii monitu dissuadenti de somniorum etiam contrario eventu respondet: saltem stropham aliquam pollicetur.

C. PLINIVS SVETONIO TRANQVILLO SVO S.

Scribis, te perterritum somnio vereri, ne quid ad-

XVII 2 *in hoc*) huius rei caussa, in hunc finem. Vid. Interpret. ad Phaedr. V. Prolog. v. 2. Ruhnken. ad Vellei. p. 216. qui Graecismum esse bene monuit. Sic enim Graeci *εἰς τοῦτο, εἰς τί* etc. *S.*

quantumque gratia valeas) Rom. *quantumcumque gratia valeas*, vitiose. *H.*

3 *domi, ubi potest*) In publico enim non potest, quod maiestatis crimen interpretaturi fuissent imperatores, Caesarum inimicos et interfectores ita coli. *G.*

versi in actione patiaris: rogas, ut dilationem
petam, et pauculos dies, certe proximum excu-
sem. Difficile est: sed experiar.

– – καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν.

2 Refert tamen, eventura soleas, an contraria so-
mniare. Mihi reputanti somnium meum, istud,
quod times tu, egregiam actionem portendere
3 videtur. Susceperam caussam Iulii Pastoris, quum
mihi quiescenti visa est socrus mea advoluta geni-
bus, ne agerem, obsecrare. Et eram acturus
adolescentulus adhuc; eram in quadruplici iudicio;
eram contra potentissimos civitatis, atque etiam
Caesaris amicos: quae singula excutere mentem
4 mihi post tam triste somnium poterant. Egi ta-
men, λογισάμενος illud,

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνασθαι περὶ πάτρης.

Nam mihi patria (et si quid carius patria) fides

XVIII, 1 *rogas, ut —— experiar*) Romana lectio a vulgata [*rogas, ut dilationem petam, et pauculos dies: certe proximum excusem difficile est, sed experiar.*] non discrepat, quam vero nunc rectius ita interpungunt: *rogas, ut dilationem petam, et paucos dies, certe proximum excusem. Difficile est, sed experiar.* Graeca verba non habet Rom. sed pro iis haec Latina: *etenim somnium ex Iove est. H.*

καὶ γάρ τ' ὄναρ) Ex Iliad. α. 63. *G.*

In editis, accentu male notato, καὶ γὰρ τ' ὄναρ. Correxi. τ' est hic τε. Nec erat, quod Stephanus de sensu huius vocis dubitaret: quamquam et olim in loco Homerico offensum fuit. *S.*

3 *Iulii Pastoris*) Rom. *Iunii Pastoris. H.*

Sic multi libri: item Brummeri excerpta. *S.*

in quadruplici iudicio) In una basilica quatuor simul iudicia, quatuor tribunalia, ubi non adversarii modo, sed vocaliores etiam patroni metuendi erant. Iam laudatus aliis Quinctiliani locus 12, 5, 6. de Trachallo, *Quum in basilica Iulia diceret primo tribunali, quatuor autem iudicia, uti moris est, cogerentur, atque omnia clamoribus fremerent; et auditum eum et intellectum, et quod agentibus ceteris contumeliosum fuit, laudatum quoque ex quatuor tribunalibus memini.* G.

4 *λογισάμενος illud*) In Rom. desunt etiam haec, *λογισάμενος illud*. Pro eo post Graecum versum legitur: *animo reputans illud, unum somnium optimum, pugnare pro patria.* In Homerico vero versu pro ἀμύνασθαι scriptum est ἀμύνεσθαι. *H.*

λογισάμενος in Rom. bene versum *animo reputans*. Mire Gierigius: *ratiocinando in me transferens.* ἀμύνεσθαι libri Homerici plerique omnes habent. *S.*

Εἷς οἰωνός) Il. μ. 243. *G.*

fides) quod promiserat Iulio Pastori, eius caussam suscipere. Sed duriusculum et arcessitum

videbatur. Profpere ceffit: atque adeo illa actio mihi aures hominum, illa ianuam famae patefecit. Proinde difpice, an tu quoque fub hoc 5
exemplo fomnium iftud in bonum vertas: aut fi tutius putas illud cautiffimi cuiusque praeceptum, *Quod dubitas, ne feceris;* id ipfum refcribe. Ego 6
aliquam ftropham inveniam: agamque cauffam tuam, ut ipfam agere, quum tu voles, poffis. Eft enim fane alia ratio tua, alia mea fuit. Nam iudicium centumvirale differri nullo modo; iftud aegre quidem, fed tamen poteft. Vale.

XIX.

Firmo, municipi fuo, trecenta fefterti offert ad cenfum equeftrem explendum.

C. PLINIVS ROMANO FIRMO SVO S.

Municeps tu meus, et condifcipulus, et ab ineunte aetate contubernalis: pater tuus et matri et avunculo meo, mihi etiam, quantum aetatis diverfitas paffa eft, familiaris: magnae et graves cauffae, cur fufcipere et augere dignitatem tuam debeam. Effe autem tibi centum millium cen- 2
fum fatis indicat, quod apud nos decurio es. Igitur, ut te non decurione folum, verum etiam

mihi videtur, quod hanc *fidem* patriae comparat. *E.*

Vox illa generofa Hectoris ad Polydamantem ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης iubet. Quid igitur mirum, fidem hic patriae comparari? Quod nifi fieret, verfui Homerico locus non effet. *S.*

6 *Ego — — poffis.*) Rom. *Ego aliquam* στροφὴν [Graecis literis] *inveniam, agamque caufam tuam, ut ipfam agere tu, cum voles, poffis.* Toti epiftolae hoc confentaneum eft, in qua nulla neceffitate exigente Graeca adfperguntur: maior quoque vis eft in antithetis, *ego* et *tu*. Excufabo te, inquit, ut cauffam a te fufceptam, quo poftea voles tempore, agere poffis. Cellariana interpretatio aliena eft. *H.*

ftropham) callidam excufationem. In fequentibus acumen eft ex dilogia: nam *cauffam agit alterius*, qui alterum excufare annititur, et *cauffam agit*, qui cauffam forenfem pro altero fufcepit. *E.*

De *ftropha* vid. Burmann. ad Phaedr. I, 14, 4. *S.*

equite Romano perfruamur, offero tibi ad implen-
3 das equeſtres facultates ccc millia nummûm. Te memorem huius muneris amicitiae noſtrae diuturnitas ſpondet. Ego ne illud quidem admoneo, quod admonere deberem, niſi te ſcirem ſponte facturum, ut dignitate a me data quam mode-
4 ſtiſſime utare. Nam ſolicitius cuſtodiendus eſt honor, in quo etiam beneficium amici tuendum eſt. Vale.

XX.

Tacitum conſulit, amplum et copioſum dicendi genus, an brevius et circumſcriptius magis probet.

C. PLINIVS CORN. TACITO SVO S.

Frequens mihi disputatio eſt cum quodam docto homine et perito, cui nihil aeque in cauſſis agen-
2 dis ut brevitas placet. Quam ego cuſtodiendam eſſe confiteor, ſi cauſſa permittat. Alioqui praevaricatio eſt, transire dicenda; praevaricatio etiam, curſim et breviter attingere, quae ſint inculcanda,
3 infigenda, repetenda. Nam plerisque longiore tractu vis quaedam et pondus accedit: utque cor-

XIX, 2 *equeſtres facultates*) Horat. Epiſt. 1, 1, 57. ex emendatione Bentleii: *Eſt animus tibi, ſunt mores, eſt lingua fidesque: Sed quadringentis ſex ſeptem millia deſint; Plebs eris.* Add. Mart. 4, 67. *G.*

Rom. *ad implendas equitis facultates. H.*

Sic et plures libri a Cortio inſpecti cum Brummeri excerptis. Placet. *S.*

3 *niſi te ſcirem*) Omiſit *te* Cortius librorum auctoritate: nec Brummerus in ſuis reperit. Ipſa ſedes eius vaga gloſſematis movet ſuſpicionem. Cf. Drakenb. ad Liv. 1, 23, 5. *S.*

quam modeſtiſſime utare) *Ante ultimam vocem interponunt quidam *ut a me data*, quod probat Cortius, qui contra ea verba *quam modeſtiſſime* pro gloſſa habet. Nobis Cellariana lectio probatur, quam nec damnat Cortius. *G.*

XX, 3 *longiore tractu*) Gierigius h. l. cum Cortio edidit *tractatu*, ut Epiſt. 1, 8. 8. Ego nihil mutavi. Poterat enim haec Plinius ipſe variare velle: nec idem utriusque ſenſus eſt. Nam *tractatus* eſt tractatio: *tractus* autem, cum aliquid longius extrahimus, extendimus; ut Cicero Orat. 2, 50. de tarda pronunciatione *tractum verborum* dixit. *E.*

pori ferrum, ſic oratio animo non ictu magis
quam mora inprimitur. Hic ille mecum aucto- 4
ritatibus agit, ac mihi ex Graecis orationes Ly-
ſiae oſtentat, ex noſtris Gracchorum Catonisque,
quorum ſane plurimae ſunt circumciſae et breves:
ego Lyſiae Demoſthenem, Aeſchinem, Hyperi-
dem, multosque praeterea; Gracchis, et Catoni,
Pollionem, Caeſarem, Caelium, in primis Mar-
cum Tullium, oppono, cuius oratio optima fer-
tur eſſe, quae maxima. Et, hercule, ut aliae
bonae res, ita bonus liber melior eſt quisque,
quo maior. Vides, ut ſtatuas, ſigna, picturas, 5
hominum denique multorumque animalium for-
mas, arborum etiam, ſi modo ſint decorae, nihil
magis quam amplitudo commendet. Idem ora-
tionibus evenit: quin etiam voluminibus ipſis
auctoritatem quandam et pulchritudinem adiicit
magnitudo. Haec ille multaque alia, quae a me 6
in eandem ſententiam ſolent dici, ut eſt in dis-
putando incomprehenſibilis et lubricus, ita elu-
dit, ut contendat, hos ipſos, quorum orationibus
nitar, pauciora dixiſſe quam ediderint. Ego con- 7

Non inſpexit Erneſtius Cortianam, in qua, ut in noſtra, *tractu*, invito tamen, ut videtur, Cortio, qui *tractatu* mallet. Sic et excerpta Brummeri. Mihi non liquet. *S.*

Rom. *Nam plerisque longiore tractatu*, melius, quam vulgo *tractu*. Vid. ep. VIII. 8. lib. X. ep. LXXXXVII. 4. *H.*

corpori) humano: nam *animo* opponitur. *ferrum*, gladius. Haec ſatis clara; nec monuiſſem, niſi Gierigius pro obſcuris adeoque ineptis habuiſſet. *S.*

4 *in primis — oppono*) Rom. *et in primis M. Tullium oppono*. *H.*

Et, hercule, ut — quisque) Rom. *Et me hercule, ut aliae bonae res, ita bonus liber quisque melior eſt*. *H.*

melior) ſupple *eo*, quae ellipſis in tali verborum conſtructione frequentiſſima. Vid. Drakenb. ad Liv. 26, 20, 5. Ita et Graeci. *S.*

5 *ſigna*) De ſignis militaribus Plinium non puto cogitaſſe. Vid. Clav. Ciceron. h. v. coll. Leſſing. *Kleinere Antiqu. Fragm.* pag. 407. Signa ſtatuasque iungit etiam Cato in fragmento inſigni, quod ſervavit Gellius 3, 7. *S.*

quin — ipſis) Rom. *cum etiam voluminibus ipſis*. *H.*

voluminibus ipſis) Sic magnum heroa Eugenium in Bibliothecam ſplendidiſſimam collegiſſe audio maximi praeſertim voluminis libros et chartae auguſtae commiſſos. *G.*

6 *pauciora dixiſſe quam ediderint*) Neque enim ſcribebat

tra puto. Testes sunt multae multorum orationes, et Ciceronis pro Murena, pro Vareno: in quibus brevis et nuda quasi subscriptio quorundam criminum solis titulis indicatur. Ex his apparet, illum permulta dixisse; quum ederet,
8 omisisse. Idem pro Cluentio ait, *se totam caussam veteri instituto solum perorasse*, et pro Cornelio *quatriduo egisse:* ne dubitare possimus, quae per plures dies, ut necesse erat, latius dixerit, postea recisa ac purgata, in unum librum, gran-
9 dem quidem, unum tamen, coarctasse. At aliud est actio bona, aliud oratio. Scio nonnullis ita videri, sed ego (forsitan fallor) persuasum habeo,

Cicero orationes ante quam illas haberet: sed quae in agendo animadvertisset maxime probari auditoribus, ea deinde literis mandavit. Tusc. 4, 25. *Iam rebus transactis et praeteritis orationes scribimus.* Igitur quod maxime probata esset Hortensii pro Messalla oratio, *totidem quot dixit verbis scripta est.* Cic. Bruto c. 96. Add. noster 4, 9, 23. *G.*

7 *subscriptio*) Qualis nimirum in libello accusatoris, qui inde *subscribere* dicitur, et *subscriptor* vocatur, ut vel in Fabriano thesauro satis ostensum est. Vid. 5, 1, 6. *G.*

Quomodo I. A. Ernestius intellexerit, vid. in Gesneri ad eum epistola. *S.*

8 *et pro Cornelio*) Rom. *et pro C. Cornelio.* Postea, *recisa ac repurgata. H.*

Utrumque Cortius ex libris suis adscivit. Sic et excerpta Brummeri. *S.*

In unum librum, grandem quidem, unum tamen) Elegans locutio ipsaque repetitione vocis *unum* commendabilis. Prius *unum* delenti quis auscultaverit? *S.*

9 *At aliud est actio bona, aliud oratio*) Si haec est obiectio eius, qui brevitatem actionis defendebat, sensus necessario hic esse debet: actio bona non potest esse, nisi brevis: oratio etiam amplior et copiosior bona esse potest. Nempe ille sic statuebat: qui agit caussam coram iudice, rebus pugnat, non verbis, nec debet iudices morari arte et amplitudine oratoria: qui autem orationem scribit, ut lectoribus placeat, etiam copia et arte et eloquentia uti debet, ut rerum frigus orationis lenociniis quibusdam tollat. Plinius contra respondet, actionis bonitatem pendere ab orationis scriptae bonitate, adeoque actionem absolutissimam esse, quae maxime orationis similitudinem expresserit. Habet autem haec omnis disputatio hoc vitii, ut Plinius nodum secet, non solvat. Debebat caussas adferre, cur actionem non oporteret breviorem esse, quam orationem. Nam quod dicit, *orationem esse actionis exemplar*, alio sensu verum esse potest, et tamen illud manere, in agendo brevitati studendum esse. *E.*

Caussae illae mox commemorantur, 12. sqq. Ceterum Ernestius de hoc loco probabilius disputat Gierigio. *S.*

posse fieri, ut sit actio bona, quae non sit bona oratio: non posse non bonam actionem esse, quae sit bona oratio. Est enim oratio actionis exemplar, et quasi ἀρχέτυπον. Ideo in optima quaque mille figuras extemporales invenimus: in his etiam, quas tantum editas scimus, ut in Verrem, *Artificem quem? quemnam? recte admones. Polycletum esse dicebant.* Sequitur ergo, ut actio sit absolutissima, quae maxime orationis similitudinem expresserit, si modo iustum et debitum tempus accipiat: quod si negetur, nulla oratoris,

ut sit actio bona) Haec ita intelligo. Potest fieri, ut valeat in iudicio, et probetur sapientibus iudicibus actio, quam vox, gestus et aliae rationes animent scilicet et commendent, quae tamen in literas relata, et a frigidis lecta lectoribus parum laudis reportet: *Carent enim*, quod ait Cicero Orat. c. 37. *libri spiritu illo, propter quem maiora eadem illa, cum aguntur, quam cum leguntur, videri solent.* Add. Quinct. 11, 3, 5. Sed non potest fieri, quin bona oratio, quae lectores prudentes delectet ac moveat, non moverit, cum haberetur, iudices. Scilicet illam speciem non cogitavit Secundus, neque ea huc valde pertinet, ubi absurda supra modum vox atque gestus, aut caussa quaecunque alia, obstrepit etiam verbis optimis: quod apud nos saepius accidere potest, qui parum nimis actioni et pronuntiandi artificio tribuimus, etiam cum forte stilum ipsum non negligenter exerceamus, quam apud veteres, apud quos vox et hypocrisis non minus, quam ipsa scribendi facultas, diligenti meditatione coleretur. *G.*

quasi ἀρχέτυπον) Ideo enim scribimus et commentamur, ut deinde ex tempore non multum deteriora possimus dicere. Et qui scribunt etiam post actionem, ita volunt egisse videri, ut scripserunt. Add. Quinct. 12, 10, 53. *G.*

10 *in Verrem*) Actionem in Verrem libris quinque comprehensam a Cicerone non esse in iudicio habitam, constat. Verba, quae laudat Secundus ex 4, 3. etiam Quinctiliano placuere 11, 2, 61. p. 785. cum exemplum adferre vult *simplicis et non praeparatae orationis*, in qua illud praeterea, eodem monente Fabio, consequitur, ne ipse quoque studiosus signorum atque tabularum videatur, quem morbum Verri obiicit. Igitur non nominat statim artificem signorum κανηφόρων, quod pronissimum illi fuerat, certe scribenti: sed simulat sibi excidisse, reponendum demum ab adstantium aliquo. Mirificus est huius loci lepor, quem iuvat prius illud *quem?* quod exciderat ex libris, manente tamen in quibusdam lacuna: quo minus dubitavimus ex Fabio, ipsoque, ut iam est, Tullio (cui, Fabio, Rufiniano ac Donato auctoribus, redditum est a viris doctis) illud reponere. *G.*

Artificem — admones) Rom. *Artificem quemque nam recte admones.* In his vera lectio latet haec: *Artificem quem? quemnam? recte admones. H.*

nulla oratoris) Ita legendum iam suadebat oppositum *iudicis:* cumque Mediceus et alii Cortio laudati illud comprobent; alteri, *orationis*, praeferre ausus sum. Si tempus negetur dicturo, nulla culpa est oratoris, si actio

11 maxima iudicis culpa eſt. Adſunt huic opinioni
meae leges, quae longiſſima tempora largiuntur,
nec brevitatem dicentibus, ſed copiam, hoc eſt,
diligentiam, ſuadent: quam praeſtare, niſi in an-
12 guſtiſſimis cauſſis, non poteſt brevitas. Adiiciam,
quod me docuit uſus, magiſter egregius; frequen-
ter egi, frequenter iudicavi, frequenter in conſi-
lio fui. Aliud alios movet; ac plerumque par-
vae res maximas trahunt. Varia ſunt hominum
iudicia, variae voluntates: inde qui eandem cauſ-
ſam ſimul audierunt, ſaepe diverſum, interdum
idem, ſed ex diverſis animi motibus ſentiunt.
13 Praeterea ſuae quisquis inventioni favet, et quaſi
fortiſſimum complectitur, quum ab alio dictum
eſt, quod ipſe praevidit. Omnibus ergo dandum
14 eſt aliquid, quod teneant, quod agnoſcant. Dixit
aliquando mihi Regulus, quum ſimul adeſſemus,

ipſius diverſa ſit ab oratione, h. e. minus accurata, minus luminibus ingenii atque artis diſtincta. *G.*

Rom. *nulla oratoris, maxima iudicis culpa eſt.* *H.*

Haec ſervavi, non propter oppoſitionem *iudicis*, quamquam et haec multum valet in Plinio, ſed propter rem. Filum disputationis hoc eſt: *actio eſt abſolutiſſima*, inquit, *quae maxime orationis ſimilitudinem exprimit*, h. e. quae eandem, quam oratio, copiam et amplitudinem habet, *ſi modo iuſtum et debitum tempus accipiat* ſcil. actio, quo peragi poſſit. Hoc tempus ſi negatur, adeoquo amplam et copioſam orationem ſuam facere non poteſt orator, *nulla culpa eſt oratoris*, qui invitus et coactus brevitati ſtudere debebat, *ſed maxima iudicis*, qui tempus agendi praecidit. Tunc igitur actionis brevitas non eſt libera neque ipſi actioni tribuenda, ſed pendet ab brevitate orationis, ad quam orator iudicis auctoritate coactus fuerat. Gierigius edidit *orationis*, ſecutus rationem Erneſtii patrui noſtri, qui dixerat, actionem hic non conſiderari, quatenus ab oratore pendeat, ſed quatenus ab oratione. [Vid. Gesneri ad I. A. E. epiſtola. *S.*] Verum nonne haec eodem redeunt? nonne actio etiam ab oratore pendet, qui orationem ſcribit? Ergo etiam culpa, ſi verum quaeris, proprie oratoris eſt, vel non eſt. *E.*

12 *maximas trahunt*) Intellige motus animorum, adſenſum, plauſus. Alii *maxime trahunt*, intell. animos, quod nec ipſum damnaverim. *G.*

Rom. *at plerumque parvae res maximas trahunt.* *H.*

13 *quisquis*) pro *quisque*. Vid. Lambin. ad Ciceron. Epiſt. 6, 1. Giſan. Obſerv. L. L. p. 406. ed. Altenb. Significatio primariis Criticis dubia viſa, velut I. Fr. Gronovio ad Liv. 38. 17. 13. ubi v. Drakenb. Cortiana quidem h. l. *quisque* habet. *S.*

14 *adeſſemus*) Raro ſic abſolute de advocatione dicitur. Longe frequentiora ſunt: *adeſſe alicui, contra aliquem.* Pli-

Tu omnia, quae ſunt in cauſſa, putas 'exſequenda: ego iugulum ſtatim video, hunc premo. (Premit ſane, quod eligit, ſed in eligendo frequenter errat.) Reſpondi, *poſſe fieri, ut genu* 15
eſſet, aut tibia, aut talus, ubi ille iugulum putaret. At ego, inquam, *qui iugulum perſpicere non poſſum, omnia pertento, omnia experior, πάντα denique λίθον κινῶ.* Utque in agricultura 16
non vineas tantum, verum etiam arbuſta, nec arbuſta tantum, verum etiam campos curo et exerceo; utique in ipſis campis non far aut ſiliginem ſolam, ſed ordeum, fabam, ceteraque legumina ſero: ſic in actione plura quaſi ſemina latius ſpargo, ut, quae provenerint, colligam.
Neque enim minus imperſpicua, incerta, falla- 17
ciaque ſunt iudicum ingenia, quam tempeſtatum terrarumque. Nec me praeterit, ſummum oratorem Periclem ſic a comico Eupolide laudari,

nius I, 5, 5. *Aderam Arionillae — —. Regulus contra.* I, 23, 3. *vel ille cui adeſſem, vel ille quem contra. S.*

Premit ſane, quod eligit) Rom. *Premit ſane, quod elegit. H.*

Ita et Cortius ex ſuis libris dedit. Bene. *S.*

15 *ubi ille iugulum putaret*) Deeſt *ille* in aliquot codicibus: nec deſidero. Mox cum Cortio praefero *proſpicere*, quod etiam Excerpta Brummeri habent. *S.*

16 *Utque in agricultura*) Rom. *Utque in cultura agri. H.*

Sic etiam libri Cortiani. Placet: certe ſcribendum ſeparatis vocabulis *agri cultura.* Vid. I. Fr. Heuſinger. ad Ciceron. de Offic. p. 355. *S.*

utique) Alii *utque*, quod praeſtat. *S.*

ſed ordeum — legumina) Rom. *ſed hordeum fabamque et cetera legumina. H.*

Bene. Secundus I, 23, 3. *quieſcerem ſileremque et quaſi eiurato magiſtratu privatum ipſe me facerem.* Sed quid exemplis in re nota opus? Vid. Drakenborch. ad Liv. 2, 31, 1. De orthographia vocis *hordeum* vid. Nolten. Lexic. Antibarb. col. 75. *S.*

17 *incerta, fallaciaque ſunt*) Rom. *incerta, fallacia ſunt. H.*

Periclem) Rom. *Periclen. H.*

Etiam Cortio oblatum, nec tamen ab eo, quod miror, adſcitum. Alibi formam Graecam praetulit. Vid. eius Notas p. 3. 43. 72. *S.*

Periclem ſic — laudari) Servavit illa Eupolidis verba etiam Scholiaſtes Ariſtoph. ad Acharn. 539. apud quem primus verſus ita legitur, ut nos repraeſentavimus, conſentientibus libris a Cortio adhibitis. Praeceſſerat *ταχὺς λέγειν μὲν, πρὸς δέ γ' κ. τ. λ.* Interpretatus eſt verba Eupolidis Cicero in Bruto c. 9. *De Pericle ſcripſit Eupolis, cum delectatione etiam aculeos reliquiſſe in animis eorum, a*

– – πρὸς δέ γ' αὐτοῦ τῷ τάχει
Πειθώ τις ἐπεκάθητο τοῖσι χείλεσιν.
Οὕτως ἐκήλει, καὶ μόνος τῶν ῥητόρων
Τὸ κέντρον ἐγκατέλιπε τοῖς ἀκροωμένοις.

18 Verum huic ipſi Pericli nec illa πειθὼ, nec illud ἐκήλει brevitate, vel velocitate, vel utraque (differunt enim) ſine facultate ſumma contigiſſet. Nam delectare, perſuadere, copiam dicendi ſpatiumque

quibus eſſet auditus. Sed etiam reliqua reſpexit c. 15. Πειθώ, *quam vocant Graeci, cuius effector eſt orator, hanc Suadam appellat Ennius, quam Deam in Pericli labris ſcripſit Eupolis ſeſſitaviſſe.* Vid. quae diximus ad Quinctil. 10, 1, 82. *G.*

πρὸς — — ἀκροωμένοις) Rom. πρὸς τοῦτο πειθώ τις ἐπεκάθειτο τοῖς χείλεσι. οὕτως ἐκήλει καὶ μόνος τῶν ῥητόρων τὸ κέντρον κατέλειπε τοῖς ἀκροωμένοις. Pleraque vitioſe, ex quibus tamen vulgatam emendare licet, in qua ἐγκατέλιπε pro ἐγκατέλειπε ſcriptum videtur. *H.*

De loco Eupolideo vid. Wyttenbach. ad Plutarch. de S. N. V. p. 7. ſqq. 'Εγκατέλειπε habet et Diodor. Sic. T. I. p. 505. *S.*

18 *Verum — brevitate)* Rom. *Pericli verum huic ipſi nec illa nec illud brevitate.* Graeca deſunt: *Periclis* vero nomen ex gloſſa eſſe apparet. *H.*

Delendum *Pericli*, quod ex gloſſa invectum, aliis in libris alium locum occupavit. *S.*

brevitate vel velocitate) His recte Plinius putat illud τάχος abſolvi. Sic Dionyſius Hal. Ep. 2. ad Amm. et in Iud. Thucyd. τὸ τάχος τῆς σημασίας, vel τῆς ἀπαγγελίας Thucydidi tribuit, quendam vigorem ſignificans ſententiarum, qui e concinnae brevitatis ſtudio oritur. Et Demetrius de Eloc. §. 137. τὸ τάχος opponit τῷ μηκυνομένῳ, et τῇ συντομίᾳ, brevitati, tribuit. Deinde et velocitas illa et celeritas dicendi, quam Cic. Or. 16. *flumen verborum* et *volubilitatem* dicit, τάχος Graecis appellatur. Ita Dionyſ. Compoſ. Cap. 20. verſibus homericis propter numerum dactylicum celeriter decurrentibus τὸ τάχος ἀπαγγελίας tribuit, στηριγμοὺς opponens, et ἐγκαθίσματα, quae Cicero l. c. *diſtincta* et *interpuncta intervalla, meras,* et *reſpirationes* vocat. Sed eodem pertinet impetus ille dicendi, qui fulminis ritu omnia disiicit, et cum gravi affectu oratoris coniunctus eſt. Quo ſenſu τὰ τάχη tribuunt Demoſtheni Dionyſ. Iud. Thucyd. Cap. 53. et Longin. 12. Itaque recte *utramque* Plinius *differre* dicit. Nempe *brevitas* in elocutione et tractationo, *velocitas* in pronuntiandi impetu maxime cernitur, quo verba cito transcurrunt. Illi *copiam dicendi* et *ſpatium*, huic illam commorationem tribuit, qua quis *non pungit*, ſed *infigit*, quo ſenſu Graeci ἐπιμονὴν, διατριβὴν, ἐγχρονισμὸν dixerunt. *E.*

Fuſius haec vir doctiſſimus in Lex. Technol. Graec. Rhet. v. τάχος disputavit. *S.*

facultate) dicendi, eloquentia. Sic *potens* abſolute dictum Latinis recentioribus; ut Graecis aevi inferioris δύναμις, δυνατός. Vid. Kuſter. ad Argum. Nub. Ariſtophan. *S.*

copiam — deſiderant) Rom. *copiam dicendique ſpatium deſiderat. H.*

Deſiderat etiam Excerpta Brummeri. *S.*

desiderant: relinquere vero aculeum in audientium
animis is demum potest, qui non pungit, sed in-
figit. Adde, quae aeque de eodem Pericle co- 19
micus alter,

Ἤστραπτ', ἐβρόντα, ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα.

Non enim amputata oratio et abscissa, sed lata, et
magnifica, et excelsa tonat, fulgurat, omnia denique
perturbat ac miscet. Optimus tamen modus est. 20
Quis negat? Sed non minus non servat modum, qui
infra rem, quam qui supra; qui adstrictius, quam
qui effusius dicit. Itaque audis frequenter, ut 21
illud, *immodice et redundanter*, ita hoc, *ieiune
et infirme*. Alius excessisse materiam, alius dici-
tur non implesse. Aeque uterque, sed ille imbe-
cillitate, hic viribus peccat: quod certe etsi non
limatioris, maioris tamen ingenii vitium est. Nec 22
vero, quum haec dico, illum Homericum *ἀμετροε-
πῆ* probo, sed hunc,

relinquere — aculeum) Ab apibus et vespis desumta videtur metaphora, quarum relictus in vulnere aculeus inquietat et solicitos habet eos, quos pupugere. *G.*

Verissime Gesnerus, quem Gierigius audire debebat, parum perspecte de stimulo cogitans aurigarum, audientesque iumentis comparans. Plato Phaedon. cap. 40. p. 386. ed. Fischer. *παντὶ λόγῳ ἀντιτείνετε, εὐλαβούμενοι, ὅπως μὴ ἐγὼ, ὑπὸ προθυμίας ἅμα ἑαυτόν τε καὶ ὑμᾶς ἐξαπατήσας, ὥσπερ μέλιττα τὸ κέντρον ἐγκαταλιπὼν, οἰχήσομαι.* *S.*

19 *Adde — Pericle*) Rom. *Adde quae de eodem Pericle.* Illud *aeque* in vulg. potest abesse. *H.*

Immo debet abesse. Recte omiserunt Cortius et Gierigius. *S.*

comicus alter) Aristophanes loco, quem modo laudavimus, ad quem Kusterus docet, qui praeterea veteres eius elogii an reprehensionis? mentionem fecerint. Dicimus et nos aliquid ad Quinctil. 2, 16, 19. Translationem Latinam ipse tradit Secundus. *G.*

abscissa) Cortius ex Medic. *abscisa.* Vid. Interpret. ad Liv. 44, 5, 5. *S.*

omnia denique perturbat ac miscet) ξυγκυκᾷ. Haec Plinius, ut ingentem vim orationis latae, magnificae, excelsae ostenderet, parum ceteroqui curans, bonane sit an pessima res *omnia perturbare.* Id si curasset, ipsum Aristophanis locum omittere debuisset. *S.*

20 *Optimus tamen* etc.) Suspicor, Plinium scripsisse: *At optimus tamen modus est. Quis negat? Sed* etc. Sic Cicero Epist. 9, 6. pag. 242. Ernest. *At in perturbata republica vivimus. Quis negat? Sed* etc. *S.*

21 *ille imbecillitate*) *Ille* ad propinquius refertur, *hic* ad remotius: quod saepe fieri, passim a viris doctis adnotatum. *G.*

22 *ἀμετροεπῆ*) Thersiten, Il. β, 212. *immoderatum verbo-*

Καὶ ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίοισιν·
non quia non et ille mihi validissime placet,
Παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως·
si tamen detur electio, illam orationem similem nivibus hibernis, id est, crebram, adsiduam et
23 largam, postremo divinam et coelestem, volo. At est gratior multis actio brevis. Est; sed inertibus, quorum delicias desidiamque, quasi iudicium, respicere ridiculum est. Nam si hos in consilio habeas, non solum satius est breviter dicere, sed
24 omnino non dicere. Haec est adhuc sententia mea, quam mutabo, si dissenseris tu; sed plane, cur dissentias, explices rogo. Quamvis enim cedere auctoritati tuae debeam, rectius tamen arbitror, in tanta re, ratione quam auctoritate su-
25 perari. Proinde, si non errare videor, id ipsum, quam voles brevi epistola, sed tamen scribe; confirmaveris enim iudicium meum: si erravero,

rum. Alterum de Ulysse dixit poëta Il. γ. 222.: tertium de Menelao ibid. 214. Ad quem locum ostendit Clarkius, ut passim triplicem charactera dicendi in Homericis personis describi doceant veteres. Instar omnium est Quinctil. 12, 10, 64. *G.*

Cod. Medic. miro lapsu ἀμαρτοεπῆ. Thersites ἀμετροεπής· Aiax ἁμαρτοεπής, Il. ν, 824. ubi in libris, si fides Barnesio, in alteram partem peccatum. *S.*

Καὶ ἔπεα κ. τ. λ.) Rom. νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμέρησιν. Scribe χειμερίῃσιν, ut apud Homerum legitur; non χειμερίοισιν. *H.*

Ibi et alterum in libris repertum: sed χειμερίοισιν ab Ionismo Iliadis abhorret. *S.*

placet) immo *placeat*, ut Cortiana et Gierigiana. *S.*

crebram, adsiduam et largam) Bene Cortius ex libris: *crebram, et adsiduam, et largam.* *S.*

Rom. *id est crebram et assiduam, sed et largam.* *H.*

23 *Est; sed inertibus*) Rom. *Est quidem, sed inertibus.* *H.*

Inepta huius particulae additione librarii aeque frequenter peccarunt ac primi scriptorum veterum editores, quos innumeris locis hanc vocem interposuisse, ubi in Mstis non conspicitur, vere monet Drakenb. ad Liv. Epit. L. 55. *S.*

quasi iudicium) tanquam normam et regulam, quam in agendo et dicendo sequi debeamus. *E.*

Immo *iudicium* h. l. pro *iudicibus* dicitur. Sic et Cicero. Vid. Clav. Cicer. h. v. *S.*

24 *auctoritati tuae debeam*) Rom. *auctoritati debeam tuae.* *H.*

Placet hic ordo. *S.*

25 *confirmaveris — erravero*) Rom. *confirmabis enim iudicium meum: si errare.* Hoc malo. *H.*

Accedo. *Erravero* natum ex infinitivo glossaque *vero* coalitis. *S.*

longiſſimam para. Num corrupi te, qui tibi, ſi mihi accederes, brevis epiſtolae neceſſitatem, ſi disſentires, longiſſimae impoſui? Vale.

XXI.

Servos conſilio Paterni emtos, decentes eſſe ſcribit: ut frugi ſint, optat.

C. PLINIVS PLINIO PATERNO SVO S.

Ut animi tui iudicio, ſic oculorum plurimum tribuo: non quia multum, (ne tibi placeas) ſed quia tantum, quantum ego, ſapis: quamquam hoc quoque multum eſt. Omiſſis iocis, 2
credo decentes eſſe ſervos, qui ſunt emti mihi ex conſilio tuo. Supereſt, ut frugi ſint: quod de venalibus, melius auribus, quam oculis, iudicatur. Vale.

XXII.

Ariſtonis, quem laudat, diuturna valetudine in urbe ſe detineri ſcribit.

C. PLINIVS CATILIO SEVERO SVO S.

Diu iam in urbe haereo, et quidem attonitus. Perturbat me longa et pertinax valetudo Titi Ariſtonis, quem ſingulariter et miror et diligo. Nihil

Num corrupi te) Num forte feci, ut praeter animi tui ſententiam ſecundum me des iudicium? Iſta enim lege, quam tibi tuli, males fortaſſe brevi epiſtola ſecundum me pronunciare, quam mihi contradicendo moleſtiam longae epiſtolae ſcribendae ſubire. Eſt autem hic dolus ſuaviſſimus et maxime amabilis, quo cogit Tacitum, quidquid ſentiat, longiſſima epiſtola reſcribere, ne accuſationi locum det, maluiſſe adſentari quam longam epiſtolam ſcribere. *G.*

neceſſitatem — impoſui) Gierigius: „Formula *neceſſitatem* „*impoſui* proprie non convenit „niſi *longiſſimae*, ſed, ut fit, „accommodata etiam eſt *brevi.*" Quidni etiam brevi proprie conveniat? Modo legimus: *quam voles brevi epiſtola, ſed tamen ſcribe.* Id qui alterum iubet, neceſſitatem ei imponit literarum quamvis brevium. *S.*

eſt enim illo gravius, ſanctius, doctius: ut mihi non unus homo, ſed literae ipſae omnesque bonae artes in uno homine ſummum periculum ad-
2 ire videantur. Quam peritus ille et privati iuris et publici! Quantum rerum, quantum exemplorum, quantum antiquitatis tenet! Nihil eſt, quod diſcere velis, quod ille docere non poſſit: mihi certe, quoties aliquid abditum quaero, ille the-
3 ſaurus eſt. Iam quanta ſermonibus eius fides! quanta auctoritas! quam preſſa et decora cunctatio! Quid eſt, quod non ſtatim ſciat? Et tamen plerumque haeſitat, dubitat, diverſitate rationum: quas acri magnoque iudicio ab origine cauſſisque primis repetit, discernit, expendit.
4 Ad haec quam parcus in victu! quam modicus in cultu! Soleo ipſum cubiculum eius, ipſumque lectum, ut imaginem quandam priſcae frugalitatis,
5 adſpicere. Ornat haec magnitudo animi, quae nihil ad oſtentationem, omnia ad conſcientiam

XXII, 2 *exemplorum — antiquitatis*) Praecipua pars doctrinae veteris, inprimis oratoriae, ut quia hiſtoriarum, et omnis antiquitatis ſcientia polleret. Cic. Or. 1, 5. *Tenenda eſt oratori omnis antiquitas exemplorumque vis.* *E.*

quod diſcere velis) Plures Cortii libri *quod doceri velis.* Placet. *Diſcere* interpretamentum videtur. *S.*

3 *preſſa — cunctatio*) Quae premit, reprimit aliquamdiu ſententiam, nec ſtatim, vixdum cognita re, pronuntiat. cf. 9, 9. 2. *G.*

Puto Gesnerum bene ſenſum vidiſſe. Nam quod alii *modeſtam* explicant, nonne id ipſum modeſtiae eſt, premere, reprimere ſententiam, id quod ipſe Plinius mox dicit *haeſitare, dubitare, diverſitate rationum.* Nolim ego cum Gierigio nunc conferre illa loca, in quibus *preſſum ſtilum,* vel *orationem* veteres dixere. Nam in his omnibus, quae *preſſa* dicuntur, magis brevitatem, copiae et abundantiae oppoſitam, quam modeſtiam, declarant. Cf. quae diximus ad ep. 16, 4. *E.*

Preſſa et decora cunctatio non eſt *brevis*, ut Cortio viſum; ſed *quae ſententiam aliquamdiu reprimit*, ut Gesnero placet; vel *modeſta*, ut Cellario, quem immeritum reprehendit Cortius. Ita ſtilus *preſſus demiſſusque* epiſt. VIII, 5. *parcior et preſſior* lib. VIIII. ep. XVIIII. 6. Vide eundem Gesnerum ad Quintil. lib. X. cap. I. 46. *H.*

4 *ipſum cubiculum*) In Gesneriana, ſequace Gierigiana, poſt *ipſum* inepte incidebatur. *S.*

ipſumque lectum) in quo iam quidem *cubat*, vel decumbit potius aeger, ſed alias etiam, dum legit, dictat, ſtudet: ab hac enim re dicta *cubicula*, non dormitoria modo, ſed etiam diurna. *G.*

refert: recteque facti, non ex populi sermone
mercedem, sed ex facto petit. In summam, non 6
facile quemquam ex istis, qui sapientiae studium
habitu corporis praeferunt, huic viro compara-
bis. Non quidem gymnasia sectatur aut porticus,
nec disputationibus longis aliorum otium suum-
que delectat: sed in toga negotiisque versatur:
multos advocatione, plures consilio iuvat. Ne- 7
mini tamen istorum castitate, pietate, iustitia,
fortitudine, etiam primo loco cesserit. Mirareris,
si interesses, qua patientia hanc ipsam valetudi-
nem toleret, ut dolori resistat, ut sitim differat,
ut incredibilem febrium ardorem immotus oper-
tusque transmittat. Nuper me paucosque mecum, 8
quos maxime diligit, advocavit: rogavitque, ut

6 *In summam*) Rom. *in summa*, non *in summam*, ut oraculi sui auctoritate Cortius edidit. Nusquam aliter Plinius. Sequitur: *non facile quemquam ex istis, qui sapientiae studium habitu corporis praeferunt, huic viro comparabis*. Fortasse *compararis*: quamquam et Cortius *comparabis* retinet. *H.*

habitu corporis) Barba, severitate supercilii, pera, pallio, baculo etc. *G.*

gymnasia — aut porticus) Quae loca obire solebant professione philosophi ad captandam, quae confluere eo soleret, iuvenum et otiosorum turbam. Notum, Gymnasii nomen tandem plane cessisse literariis ludis; Porticum autem (στοὰν) Zenonis sectae nomen dedisse. *G.*

advocatione) Praesentia in foro ac patrocinio etiam: consilia domi impertire licet. *G.*

7 *fortitudine, etiam primo loco cesserit*) Haec interpunctio aliud dicentem facit Plinium, atque is voluit. Nam ex eius mente scribendum, *fortitudine etiam, primo loco cesserit*. Ceteras virtutes in docto homine inesse, minus incredibile: fortem vero eumdem dici posse, non omnes concedunt. Id vero probat summa doloris patientia, qua valetudinem istam toleret. *H.*

Longe praestat haec ratio alteri, quam sequitur et Giorigius, hunc locum sic interpretans: etiamsi sint philosophi summa dignitate. Mox Plinius de admirabili illa Aristonis fortitudine: *Id ego arduum in primis, et praecipue laude dignum puto. S.*

ut sitim differat) Quantum in febri tormentum sit sitis, heu nimis saepe plerique experiuntur. Nec Germanis tantum hoc obiicitur, ferre illos sitim nequire: sed Epictetus hoc maximum profectus experimentum commendat, Enchir. c. 70. *διψῶν ποτε σφοδρῶς ἐπίσπασαι ψυχροῦ ὕδατος, καὶ ἔκπτυσον — —*. Quantum etiam sit in eo, ut *febrium ardorem* et sudores, qui non minus extra corpus inquietant, quam intus iactatur aestuantis sanguinis motibus, aliquis *immotus opertusque transmittat*, et quam parum ad eam rem vulgaris philosophia prosit, noverunt clinici. *G.*

medicos confuleremus de fumma valetudinis, ut, fi effet infuperabilis, fponte exiret e vita: fin tantum difficilis et longa, refifteret maneretque.
9 Dandum enim precibus uxoris, dandum filiae lacrymis, dandum etiam nobis amicis, ne fpes noftras, fi modo non effent inanes, voluntaria morte defereret. Id ego arduum in primis, et praeci-
10 pua laude dignum puto. Nam impetu quodam et inftinctu procurrere ad mortem, commune cum multis: deliberare vero et cauffas eius expendere, utque fuaferit ratio, vitae mortisque confilium fufcipere vel ponere, ingentis eft ani-
11 mi. Et medici quidem fecunda nobis pollicentur: fupereft, ut promiffis deus adnuat, tandemque me hac folicitudine exfolvat, qua liberatus, Laurentinum meum, hoc eft, libellos et pugillares, ftudiofumque otium repetam. Nunc enim nihil legere, nihil fcribere aut adfidenti vacat, aut
12 anxio libet. Habes, quid timeam, quid optem, quid etiam in pofterum deftinem: tu quid egeris, quid agas, quid velis agere, invicem nobis, fed laetioribus epiftolis, fcribe. Erit confufioni meae non mediocre folatium, fi tu nihil quereris. Vale.

8 *infuperabilis*) *inexfuperabilis* Rom. non tantum, fed etiam Brummer. A. et Arnzen. *H.* Praefero *inexfuperabilis.* Livius 8, 7, 8. *Movet ferocem animum iuvenis feu ira, feu detrectandi certaminis pudor, feu inexfuperabilis vis fati.* Proprio fenfu faepiffime in Livio reperias. Vid. Drakenb. ad 21, 30, 7. quo loco eadem in libris confufio. Secundus infra 5, 9, 2. fimili compofito in fimili re: *intereft quam maturiffime inexplicabili morbo liberari.* *S.*

10 *vitae — ponere*) *vitae mortisque confilium vel fufcipere vel ponere* Rom. et Brumm. A. Male alterum *vel* vulgo omittitur. *H.*

11 *Et medici — pollicentur*) Rom. *Et medici quidem fecunda pollicentur*, fine *nobis.* *H.*

adfidenti) fcil. aegro. Plene Livius 21, 53, 6. *S.*

12 *Habes, quid timeam etc.*) Nihil hic libri variant: recte. Vid. egregiam I. Fr. Heufingeri notam ad Cicer. de Offic. p. 387. *S.*

XXIII.

Consulenti, an tribunum plebis caussas agere deceat, respondet, se, quum tribunus esset, abstinuisse propter certas, quas adfert, rationes.

C. PLINIVS POMPEIO FALCONI SVO S.

Consulis, an existimem te in tribunatu caussas
agere decere. Plurimum refert, quid esse tribu-
natum putes; inanem umbram, et sine honore
nomen, an potestatem sacrosanctam, et quam in
ordinem côgi ut a nullo, ita ne a se quidem de-
ceat. Ipse quum tribunus essem, erraverim for- 2
tasse, qui me esse aliquid putavi, sed tanquam
essem, abstinui caussis agendis: primum quod
deforme arbitrabar, cui adsurgere, cui loco ce-
dere omnes oporteret, hunc omnibus sedentibus
stare; et qui iubere posset tacere quemcunque,
huic silentium clepsydra indici; et quem interfa-
ri nefas esset, hunc etiam convicia audire; et, si
inulta pateretur, inertem, si ulcisceretur, inso-

XXIII, 1 *quid esse tribunatum putes*) Rom. *quid esse tribunum putes.* Sic etiam n. 5. *quid esse tribunum. H.*

inanem umbram) Ut sane re ipsa tum erant Magistratuum omnium nomina, cum omnia imperatores ad se traxissent. Et incidit Tribunatus Plinii in Domitiani imperium, civilitatem postea revocavit Traianus. *G.*

umbram — nomen) Graecorum σκιὰ et ὄνομα. *S.*

in ordinem cogi) Formula solemnis, qua saepe apud Livium queruntur tribuni iniuriam sibi illatam, vel parum reverenter habitam vim suam. v. g. 25, 3 et 4. 43, 16. quo posteriore loco illud in primis apparet, non parendo etiam *in ordinem cogi* tribunos. Qui nempe *in ordinem cogit* aliquem, pro privato eum tractat, nec potestatem illius agnoscit: hoc ipse noster Secundus indicat deinde s. 3. Idem enim significat *in ordinem se cogere*, et *eiurato quasi magistratu privatum se facere. G.*

2 *qui me esse aliquid putavi)* Rom. *qui me aliquid putavi.* Plures sunt codices, in quibus *esse* desideratur. *H.*

omnibus sedentibus stare) Dicentis ille nimirum habitus, quem sibi tamen dedecori esse ne Tullius quidem putavit, qui in Consulatu pro Murena aliisque diceret. *G.*

clepsydra) Quoties nimirum illa significaret, consumtum esse tempus, quod ad dicendum ipsi attributum esset. Res nota. Vid. infra 4, 9, 9. it. 6, 2, 5 et 7. *G.*

Rom. *huic silentium clepsydra indicere*, ut et Medic. ut subintelligatur *aliquem. H.*

convicia audire) Haec nimirum fori antiqui licentia, qua

3 lentem videri. Erat hic quoque aeſtus ante ocu-
los, ſi forte me appellaſſet, vel ille cui adeſſem,
vel ille quem contra, intercederem, auxilium fer-
rem, an quieſcerem ſileremque, et quaſi eiurato
4 magiſtratu privatum ipſe me facerem. His ratio-
nibus motus, malui me tribunum omnibus exhi-
5 bere, quam paucis advocatum. Sed tu (iterum
dicam) plurimum intereſt, quid eſſe tribunatum
putes; quam perſonam tibi imponas, quae ſapien-
ti viro ita aptanda eſt, ut perferatur. Vale.

XXIV.

Hiſpano Tranquillum commendat in emendo agello.

C. PLINIVS BEBIO HISPANO SVO S.

Tranquillus, contubernalis meus, vult emere agellum, quem venditare amicus tuus dicitur.

liceret maledicere adverſario. Vid. Quinctil. 12, 9, 8. *G.*

3 *appellaſſet, — intercederem, auxilium ferrem)* Verba omnia ſolemnia, explicata proinde et illuſtrata a Briſſonio lib. 2. p. 271. *G.*

vel ille — ferrem) Rom. *vel ille, cui adeſſem, vel ille contra quem; intercederem et auxilium ferrem.* Bona lectio, dummodo rectius, quam a Cellario et aliis pluribus factum, interpungatur. *Quem contra* tamen non muto. Cicer. Philipp. II. cap. VIII. 2. *quem contra dicit.* Lactant. lib. VI. c. XVII. 4. *quos contra disputat. H.*

Revocanda copula ante *auxilium*, quam perverſa interpunctio expulerat. *S.*

4 *me tribunum omnibus exhibere*) intercedendo, ſi quis appellaſſet, auxilioque ferendo. Nulla hic dilogia. *S.*

5 *ut perferatur)* Ad finem usque, etiam difficultatibus oblatis, feratur. Iam laudavit Cortius elegantem Ciceronis locum pro Roſc. Am. c. 4. *Id quod ſuſcepi, quoad potero, perferam.* Et notum eſt, *perferre legem* dici eum, ſi quis obiectis difficultatibus tamen tulerit, et ut valeret, effecerit. *G.*

XXIV *BEBIO*) Scribendum cum cod. BAEBIO. Nota gens Baebia ex libris veterum, lapidibus literatis, nummis. Similis confuſio in ὄρος Βαίβιον, Βίβιον, de Veſuvio. *S.*

1 *venditare*) ſimpliciter *velle vendere, venalem habere.* Vid. Voſſium de Analog. L. III. p. 173. qui locum Plinianum, niſi operarum culpa eſt, negligentius transſcripſit. Add. eund. in Etymolog. L. L. v. *Vendo.* Diminutivi *agellus* cum verbo *venditare* coniunctio qua gratia commendetur, hebetior ſum, quam ut videam. *S.*

amicus tuus) Is qui eſſet, non ignorabat Baebius: ut non mirer, nomen omiſſum eſſe. *S.*

Rogo cures, quanti aequum eſt, emat: ita enim 2
delectabit emiſſe. Nam mala emtio ſemper in-
grata eſt, eo maxime, quod exprobrare ſtultitiam
domino videtur. In hoc autem agello (ſi modo 3
adriſerit pretium) Tranquilli mei ſtomachum mul-
ta ſolicitant, vicinitas urbis, opportunitas viae,
mediocritas villae, modus ruris, qui avocet ma-
gis quam diſtringat. Scholaſticis porro dominis, 4
ut hic eſt, ſufficit abunde tantum ſoli, ut releva-
re caput, reficere oculos, reptare per limitem,
unamque ſemitam terere, omnesque viticulas ſuas
noſſe et numerare arbuſculas poſſint. Haec tibi 5
expoſui, quo magis ſcires, quantum ille eſſet
mihi, quantum ego tibi debiturus, ſi praediolum
iſtud, quod commendatur his dotibus, tam ſa-
lubriter emerit, ut poenitentiae locum non relin-
quat. Vale.

2 *ingrata eſt*) *eſt* Cortius recte expunxit optimi codicis auctoritate. Innumeris locis ſedulitas librariorum inepta verbum ſubſtantivum invexit. Vid. Drakenb. ad Liv. 1, 3, 3. *S.*

3 *In hoc autem agello*) Rom. *In hoc agello*, ſine *autem*. *H.*

ſtomachum multa ſolicitant) multa ſunt, quae cupiditatem emendi iniiciant. *E.*

avocet — diſtringat) cuius cultura animum magis recreet, quam curis ſolicitet; bene Gierig. cf. Epiſt. 1, 3, 2. et 8, 23. *E.*

Sic iam Cortius: „*Avocet* ab „aliis negotiis, quibus dominus „diſtringitur, et removeat, adeo„que recreet et reficiat." *S.*

4 *Scholaſticis porro dominis*) Ita et Rom. *H.*

Scholaſtici, in umbra ſcholarum verſantes, declamantes et eloquentiae ſtudioſi. Vid. Epiſt. 3. *E.*

Gloſſa, in textum adeo illata, haud incommode *ſtudioſis* explicat. Cf. Giſan. Obſerv. L. L. p. 437. ed. Altenb. ubi quae Otho exempla adſcripſit, laudare occupaverat Cortius ad Plin. 2, 3, 5. *S.*

reptare per limitem) ut Horat. Epp. 1, 4, 4. *ſilvas inter reptare ſalubres*. *G.*

5 *quo magis — praediolum*) Rom. *quo magis ſcires, quantum etiam ille mihi, ego tibi debiturus ſim, ſi praediolum.* Sed hoc *etiam* factum credo ex *eſſet*, poſtea vero *ſim* a librariis acceſſiſſe: ordinem verborum vulgato praefero. *H.*

LIBER SECVNDVS

I.

Verginii Rufi, V. Cl. funus praedicat, ipsumque laudibus pro merito ornat.

C. PLINIVS ROMANO SVO S.

Post aliquot annos insigne, atque etiam memorabile populi Romani oculis spectaculum exhibuit publicum funus Verginii Rufi, maximi et claris-
2 simi civis, perinde felicis. Triginta annis gloriae suae supervixit. Legit scripta de se carmina, legit historias, et posteritati suae interfuit. Perfunctus est tertio consulatu, ut summum fastigium privati hominis impleret, quum principis noluis-
3 set. Caesares, quibus suspectus, atque etiam invisus virtutibus fuerat, evasit: reliquit incolumem optimum atque amicissimum, tanquam ad hunc
4 ipsum honorem publici funeris reservatus. An-

I, 1 *Verginii Rufi*) *Virginii Rufi* Rom. et Medic. *H.*

Quod nec ipsum malum. Cortius bene comparat *Vergilius*, *Virgilius*. Vid. Virgilli Historia descripta per COSS. a Carolo Ruaeo init. *S.*

perinde felicis) Non minus felicis, quam magni et clari. Quidam, *et proinde felicis*, ut hoc sibi velit, ob id ipsum felicem esse, quod talis etiam mors et tale funus eum consecutum sit. *G.*

2 *gloriae suae supervixit*) Longe alio sensu, quam nos: *seinen Ruhm überleben*, ut ridicule vertit Schellerus. *S.*

Legit scripta de se carmina) Rom. *Legit scripta de se garaunia.* *H.*

cum principis noluisset) Post Neronis interitum, Tac. H. 2, 8. iterum post Othonem, idem H. 2, 51. Add. noster infra 9, 19, 1. *G.*

3 *optimum*) Nervam, quod series vitae nostri docet et Fasti. Est enim suffectus Verginio Tacitus. Alioqui Traianum *optimum* quasi suo nomine dici constat. Verum hoc nomen etiam Nervae tribuit noster Paneg. 89, 1. vid. Vonck. Obss. misc. c. 15. p. 90. *G.*

ad hunc — reservatus) Rom.

num tertium et octogeſimum exceſſit in altiſſima
tranquillitate, pari veneratione. Uſus eſt firma
valetudine: niſi quod ſolebant ei manus tremere,
circa dolorem tamen: aditus tantum mortis du-
rior longiorque, ſed hic ipſe laudabilis. Nam 5
quum vocem praepararet, acturus in conſulatu
principi gratias, liber, quem forte acceperat
grandiorem, et ſeni et ſtanti ipſo pondere elapſus
eſt. Hunc dum conſequitur colligitque, per lae-
ve et lubricum pavimentum, fallante veſtigio,
cecidit, coxamque fregit, quae parum apte col-
locata, reluctante aetate, male coiit. Huius viri 6
exſequiae magnum ornamentum principi, magnum
ſeculo, magnum etiam foro et roſtris adtulerunt.
Laudatus eſt a conſule Cornelio Tacito: nam hic
ſupremus felicitati eius cumulus acceſſit, lauda-
tor eloquentiſſimus. Et ille quidem plenus annis 7
abiit, plenus honoribus, illis etiam quos recuſa-
vit: nobis tamen quaerendus ac deſiderandus eſt,
ut exemplar aevi prioris: mihi vero praecipue,
qui illum non ſolum publice, ſed etiam privatim,

ad hunc ipſum honorem publici funeris reſervatum. Verior eſt vulgata. *H.*

5 *acturus — principi gratias*) Solemne tum fuiſſe, ut gratias ageret Conſul Principi, vel ex Pliniani panegyrici principio conſtat. Add. 3, 18, 1. *G.*

Hunc dum conſequitur) Rom. *Hunc dum ſequitur.* *H.*

Dum librum delabentem proſequitur corpore ad terram prono, ut arripiat et ſuſtollat. Ornata vox, quae rem quaſi pingit, et ſenſibus admovet. *E.*

reluctante aetate) Nota res eſt, in ſenibus oſſium fracturas *male coire*, h. e. difficulter ſanari membris aptandis, praeſertim ubi haec *parum apte collocata* ſunt, *ſchlecht eingerichtet.* *E.*

Collocare de oſſium fracturis proprium. Plene Celſus 8, 7. *ubi ea* (maxilla fracta) *in ſuam ſedem collocata eſt.* *S.*

6 *nam hic — acceſſit*) Rom. *nam hic eius ſupremus felicitati calculus adceſſit.* *H.*

7 *nobis tamen quaerendus*) *Sic omnes libri. Cum tamen *quaerere* vel *requirere* et *deſiderare* eandem plane vim habeant, vide an melius legi poſſit, *querendus.* *G.*

Immo vero non eandem vim illis verbis eſſe, intelligitur ex Epiſt. 6, 2. In *deſiderare* plus eſt, quam in *quaerere.* *E.*

ut exemplar aevi prioris) Rom. *ut exemplar vitae prioris*, ut Cortii codices. Proxima verba, *ſed etiam privatim*, in Rom. non magis adſunt, quam in melioribus codicibus, eaque merito reciduntur. *H.*

8 quantum admirabar, tantum diligebam; primum
quod utrique eadem regio, municipia finitima,
agri etiam poſſeſſionesque coniunctae: praeterea
quod ille tutor mihi relictus, adfectum parentis
exhibuit. Sic candidatum me ſuffragio ornavit:
ſic ad omnes honores meos ex ſeceſſibus adcu-
currit, quum iam pridem eiusmodi officiis renun-
tiaſſet: ſic illo die, quo ſacerdotes ſolent nomi-
nare, quos digniſſimos ſacerdotio iudicant, me
9 ſemper nominabat. Quin etiam in hac noviſſima
valetudine veritus, ne forte inter quinqueviros
crearetur, qui minuendis publicis ſumtibus iudi-
cio ſenatus conſtituebantur, quum illi tot amici
ſenes conſularesque ſupereſſent, me huius aetatis,
per quem excuſaretur, elegit, his quidem verbis,
10 *etiamſi filium haberem, tibi mandarem.* Quibus
ex cauſſis neceſſe eſt, tanquam immaturam mortem
eius in ſinu tuo defleam: ſi tamen fas eſt aut fle-
re, aut omnino mortem vocare, qua tanti viri
11 mortalitas magis finita quam vita eſt. Vivit enim,
vivetque ſemper, atque etiam latius in memoria
hominum et ſermone verſabitur, poſtquam ab
12 oculis receſſit. Volui tibi multa alia ſcribere,
ſed totus animus in hac una contemplatione de-

8 *praeterea — — ornavit*) *Praeterea, quod ille mihi tutor relictus,* [hoc ordine Rom.] *adfectum parentis exhibuit; ſic candidatum me ſuffragio ornavit.* Ita rectius interpungi puto, quam vulgo. *H.*

ille mihi tutor relictus in aliis quoque libris obvium, ordine profecto ad ſenſum aurium iucundiore. Ceterum bona interpunctio Gesnerianae. *S.*

ex ſeceſſibus adcucurrit) Ut Atticus, qui urbana officia amicis ut praeſtaret, ventitare Romam ſolebat. *G.*

illo die, quo ſacerdotes) Augures intelligit. Vid. 4, 8, 3. Certum diem et ſolemnem huic rei deſtinatum dicere non habeo; nam quod Ovidium et Tacitum hic laudant, de Kalendis Ianuariis, nihil ad hanc rem. Neque ita locutus eſſet Plinius, ſi has intellexiſſet. *G.*

9 *Quin etiam — valetudine*) Rom. *Qui etiam in h. n. v. H.*

Multum praeſtat *quin etiam. S.*

per quem excuſaretur) Quem quaſi vicarium ſuae operae atque muneris daret, ut hodie, qui deprecantur militiam: et olim in Romana republica ſenes grandaevi, qui magiſtratum ſuſcipere nollent: hoc enim eſſe *excuſari,* apud ICtos praeſertim, conſtat. *G.*

fixus est. Verginium cogito, Verginium iam vanis imaginibus, recentibus tamen, audio, adloquor, teneo: cui fortasse cives aliquos virtutibus pares et habemus et habebimus; gloria neminem. Vale.

II.

Accusat Paullinum negligentiae literarum.

C. PLINIVS PAVLLINO SVO S.

Irascor: nec liquet mihi, an debeam; sed irascor. Scis, quam sit amor iniquus interdum, impotens saepe, μικραίτιος semper. Haec tamen caussa magna est, nescio an iusta: sed ego tanquam non minus iusta quam magna sit, graviter irascor, quod a te tamdiu literae nullae. Exorares me potes uno modo, si nunc saltem plurimas et longissimas miseris. Haec mihi sola excusatio vera, ceterae falsae videbuntur. Non sum auditurus, *non eram Romae*, vel *occupatior eram.* Illud enim nec dii sinant, ut, *infirmior*. Ipse 3
ad villam partim studiis, partim desidia fruor: quorum utrumque ex otio nascitur. Vale.

III.

Isaeum rhetorem laudat, et Nepotem, ut illum audiat, adhortatur.

C. PLINIVS NEPOTI SVO S.

Magna Isaeum fama praecesserat: maior inventus

12 *recentibus*) tam vividis, ut Verginius ipse adstare mihi videatur. Bene Gierigius contulit Ep. 4, 9, 12. iudicum *erecti animi et recentes.* Liv. 21, 52. *recentis animi consul. E.*

II, 1 *μικραίτιος*) Qui parvis rebus et caussis ad accusandum et expostulandum movetur. *G.* *Impotens* autem est, qui sibi non imperat, temere et importune erumpit. *E.*

2 *Exorare me potes uno modo*) Ita et Rom. melius, quam Medic. *exora me*, quod tamen (ortio placere potuit. *H.*

3 *ut*) scil. *audiam.* Sanissima vulgata. *S.*

eſt. Summa eſt facultas, copia, ubertas: dicit ſemper ex tempore, ſed tanquam diu ſcripſerit. Sermo Graecus, immo Atticus: praefationes terſae, graciles, dulces; graves interdum et erectae.
2 Poſcit controverſias plures, electionem auditoribus

III, 1 *facultas*) vid. ad 1, 20, 18. *S.*

dicit ſemper ex tempore) Quomodo conciliabimus Plinio Philoſtratum, qui de vitis Sophiſt. 1, 20, 2. negat ex tempore Iſaeum hunc dixiſſe? Haec enim ſententia erit, ſive cum Oleario legas *τὰς δὲ μελέτας ὡς αὐτοσχεδίους ἐποιεῖτο, ἀλλ' ἐπεσκεμμένας τὸν ἐξ ἕω εἰς μεσημβρίαν καιρόν*· ſive cum aliis *τὰς δὲ μελέτας οὐκ αὐτοσχ. κ. τ. λ.* quae verior mihi lectio videbatur, et praeterea putabam legendum, *ἐπεσκεμμένος*. Sed *ἐσκεμμένα* etiam paſſive in tali re Lucian. Pſeudolog. p. 436, 1. De extemporalitate viri forte fucus factus eſt Secundo a glorioſulo homine. *G.*

Immo rectius legitur *ὡς αὐτοσχεδίους*. Philoſtratus enim, ut bene monuit Gierigius, dicit Iſaeum disputationes ſuas venditaſſe quidem tanquam ſubito natas, ſed commentatum eſſe toto antemeridiano tempore. Ita omnes veteres rhetores facere ſolitos Hermogenea notavit: *γράψαντες γὰρ πάντες ὑποκρίνονται σχεδιάζειν*. Plura eiusmodi congeſſit Creſoll. Theatr. Rhet. p. 211. *E.*

Accedo Gesnero veterem in Philoſtrato lectionem *οὐκ αὐτοσχεδίους* tuenti. *S.*

praefationes) illas puto, quibus ſub initia disputationum utebantur; in quo genere exſtat *προλαλιὰ* una alteraque Luciani. Sic ponit etiam 4, 11, 14. *G.*

graves et erectae) Ad argumentum pertinent iſta maioris momenti, de rep. praeſertim, ingenuamque qua tractatur libertatem. Sic noſter de avunculo ſuo 3, 5, 5. *Quum omne ſtudiorum genus paullo liberius et erectius periculoſum ſervitus feciſſet. G.*

Immo vero ſeries orationis poſtulare videtur, ut *graves* et *erectas* ad dicendi potius genus ſplendidum et magnificum referamus, et *gracilibus* oppoſitas putemus, praeſertim cum, bene monente Gierigio, illa argumenta praefationum fuiſſe vix videantur. Nempe in praefationibus ſuas res agebant, vel captatione benevolentiae auditorum animos praeparabant. Vid. Creſoll. Theatr. Rhet. Lib. 4. 8. p. 414. *E.*

2 *Poſcit — — incipit*) Rom. *Poſcit controverſias plures, electionem auditoribus permittit, ſaepe etiam imparatus eſurgit.* [Lego *conſurgit*, quod in hoc exemplari ſaepe c̄ ſcriptum eſt pro *con*, et *conſurgere* Plinio placuit. lib. IIII. ep. VIIII. 18. lib. VIIII. ep. XIII. 18] *amicitur, incipit.* Vulgo editur *ſaepe etiam partes: ſurgit.* Intelligunt partes accuſandi vel defendendi: eas vero qui *permittit*, non eligendas, ſed agendas concedit; quod Plinius hic dicere noluit. Vide ergo, an Romana lectio, quam nemo antea in medium attulit, melior ſit, ſi ita interpungas: *electionem auditoribus permittit ſaepe; et iam* [id eſt, *ſtatim*] *imparatus conſurgit.* Sed *etiam* potius ex ſyllaba *im* factum et ſupervacaneum eſſe ſuſpicor. Nihil tamen vulgatae lectioni derogo. *H.*

Ad Romanam lectionem accedit *paratus* librorum nonnullorum pro *partes*. *S.*

Poſcit controverſias) Si *ponit* legas, quod vult, poſt alios, Gisb. Cuperus Obſ. 3, 20, in-

permittit, saepe etiam partes: surgit, amicitur, in-

iri possit ratio conciliandi cum Philostrato Plinium. Qui enim toto antemeridiano commentatus est, ille optionem dare auditoribus potest ex pluribus, quas posuit, controversiis, quibus nimirum omnibus se paraverit, unam eligendi. Porro quae sint *controversiae*, omninm optime patet ex Senecae, quas habemus, controversiis, h. e. caussis fictis, quas deinde in utramque partem agere tractareque, et illis quasi velitationibus forensi militiae praeparare iuvenes. solebant. *G.*

Mihi, ex Plinii narratione rem ponderanti, tamen videtur illud *poscit* servandum et defendendum esse. Dicit Isaeum *semper ex tempore dixisse, sed tanquam diu scripserit*; nam antea ei summam *facultatem* dicendi et *copiam* tribuerat. Iam Isaeus se talem gerebat, qualis videri volebat. Ergo *poscit controversias*, ne ipse praeparatus advenisse videatur, et *plures*, ne cum illo auditore, qui quaestionem proposuisset, sibi convenisse videatur. Deinde ut nulla fraudis suspicio relinqueretur, etiam auditoribus aliis rursus inter propositas controversias electionem permittebat. Nam si ipse *posuisset* illas, quamvis ex his unam elegissent auditores, tamen semper talis fuisset, cui se praeparare potuisset. Plane describit Plinius Isaeum talem, quales hodienum sunt, qui apud Italos *Improvisatori* dicuntur, hoc uno diversi, quod carmina ex tempore dicunt, sed ita etiam, tanquam diu scripserint. Accedit, quod illos Sophistas at Rhetores nuspiam legimus quaestionas *posuisse*, sed semper *poposcisse*, ut plane intelligitur ex iis, quae congessit Cresoll. Theatr. Rhet. Lib. 3. Cap. 11. *E.*

Probabilis disputatio, cui album calculum libens adiicio. Add. Gesner. in Epist. ad I. A. Ernestium, cui item *ponit* placuerat. Gierigius hanc παραδιόρθωσιν in textum adeo intulit, minus verecunde cum Plinio agens, quam a critico ceteroqui tam modesto exspectasses. *S.*

Saepe etiam partes) Vel ea intelligenda est, quam *dispositionem* vocamus hodie: vel hoc, uti dicant auditores, in quam partem velint tractari controversiam, accusarine an defendi? etc. *G.*

Saepe etiam partes) ut dicant auditores, in quam partem velint tractari controversiam, accusarine an defendi. Ita Gesnerus; sed nescio quomodo dubito, an Plinius hoc sensu *permittere auditoribus partes* absolute dixerit. Certe ambigue dixisset: nam quid impedit, quo minus partes controversiarum intelligamus eas, quae exordio, narratione, confirmatione, refutatione, epilogo, constant? Nempe has ego malim nunc intelligi. Est enim haud dubie maioris artis et facultatis, illas partes, quamcunque poscant auditores, in promtu habere, et ordine perturbato statim pertractare, quam accusantis vel defendentis partes sumere. Enimvero Isaeus artem ostentabat. Itaque legendum putem *partis*, sc. electionem permittit auditoribus, ut si velint totius controversiae eam partem maxime tractari, quae habeat narrationem rei factae, vel quae confirmationem argumentorum etc. Haec fiducia non maior est ea, quam notavit Quintil. 10, 7. *Declamatores quosdam perversa ducit ambitio, ut exposita controversia protinus dicere velint: quin etiam, quod est in primis friuolum ac scenicum, verbum petant, quo incipiant. E.*

Partis habent aliquot libri Cortio inspecti ac Brummeri Excerpta. *S.*

surgit, amicitur) Non ita inepta est haec lectio, ut permutanda sit contra alteram, *tam*

cipit. Statim omnia ac paene pariter ad manum: sensus reconditi occursant, verba, sed qualia? quaesita et exculta. Multa lectio in subitis;
3 multa scriptio elucet. Prooemiatur apte, narrat aperte, pugnat acriter, colligit fortiter, ornat excelse: postremo docet, delectat, adficit: quid maxime, dubites. Crebra *νοήματα*, syllogismi circumscripti et effecti: quod

igitur (in qua errandi occasionem librario Mediceo dedit s solemniter in g mutatum.) Potius servanda lectio optimorum librorum, quae conveniat cum decoro illo oratorio, de quo Quinctil. 11, 3, 156. *Leviter consurgendum, tum in componenda toga, vel, si necesse sit, ex integro iniicienda, dumtaxat in iudiciis, (apud principem enim et magistratus ac tribunalia non licebit) paullum est commorandum, ut et* amictus *sit decentior*, et *paullum spatii ad cogitandum.* Noster 4, 11, 3. *Postquam se composuit, circumspexitque habitum suum.* Confirmatur hoc utroque loco observatio virorum doctorum, Ferrarii Anal. de re vest. c. 26. et Brouckh. ad Tib. 1, 9, 13. de *amictu* vestem exteriorem, quale est pallium, toga, significante. *G.*

verba, sed qualia?) Abscisso dicendi genere occupat obiectionem. Non mirum est, dixerit aliquis, *verba occursare: φλυαρία* ad hoc sufficit, et impudentia. Itaque subiicit, *sed qualia?* respondet, *quaesita* h. e. adeo elegantia, ut non sponte venisse, sed studio exquisita esse dicas. Haec optime conveniunt cum his, quae ex Philostrato observata sunt. *G.*

3 *colligit fortiter*) Non dubito Plinium his verbis descripsisse eam partem orationis, quae Graecis *ἀνακεφαλαίωσις*, *συναγωγή*, *συλλογή*, Latinis *enumeratio*, et *collectio* dicitur, ut patet e Cic. Brut. 88. nam in ea parte res antea dictae veluti per cumulum et congeriem repetuntur. Huic parti et illud *fortiter* melius convenit. Nam, ut Quintil. 6, 1. ait, *quae enumeranda videntur, cum pondere aliquo dicenda sunt, et aptis excitanda sententiis, et figuris utique varianda.* Nempe Plinius Isaeum ita laudat, ut eum non omnibus solum partibus eloquentiae, sed ei virtutibus et officiis oratoriis satisfacere dicat. Primum partes orationis praecipuas quatuor enumerat, *prooemium*, *narrationem*, *confirmationem cum refutatione*, (*pugnat acriter*, nam in hac parte pugna et contentio inprimis dominatur) *epilogum*, qui recapitulatione continetur, (*colligit fortiter*). Deinde *elocutionis* virtutem felici brevitate ita laudat, ut eum *ornare excelse* dicat. Denique officia oratoris, *docendi*, *delectandi*, *adficiendi* commemorat. *E.*

postremo) ut breviter dicam. Sic 1, 20, 22. Ita et *denique* dicitur. Vid Otho in Gisan. Observ. p. 132. f. Clav. Cicer. h. v. *S.*

quid maxime, — — effecti) Rom. *quod maxime dubites. Crebra ἐνθυμήματα καὶ νοήματα, crebri syllogismi circumscripti et effecti.* Latina ex glossa esse possunt. *H.*

Certissimum mihi videtur, ex glossa nata esse. Quis enim sibi persuadebit, Secundum ipsum Graeca illa Latine vertisse? Nam ἐνθυμήματα a syllogismis circum-

ſtilo quoque adſequi magnum eſt. Incredibilis 4
memoria: repetit altius, quae dixit ex tempore, ne verbo quidem labitur. Ad tantam ἕξιν ſtudio et exercitatione pervenit: nam diebus et noctibus nihil aliud agit, nihil audit, nihil loquitur. An- 5
num ſexageſimum exceſſit, et adhuc ſcholaſticus

ſcriptis hic differre non puto. Vide mox Erneſtium. *S.*

Crebra νοήματα) Characterem Iſaei dixit Philoſtratus τὸ ἀπέριττον, τὸ βραχέως ἑρμηνεύειν καὶ πᾶσαν τὴν ὑπόθεσιν συνελεῖν εἰς βραχύ. Ex hoc fonte ſunt νοήματα, ſententiae ipſi orationi ita intextae, ut nihil exſtent vel emineant, ſed ad ipſam vel narrationem vel argumentationem pertinere videantur. Huc pertinent etiam ἐνθυμήματα quam vocem agnoſcunt etiam quidam libri) quos auctor noſter vocat *ſyllogiſmos circumſcriptos* h. e. in brevitatem contractos, et tamen *effectos* h. e. elaboratos, et argumentationem plenam claramque exhibentes. Hanc utriusque verbi apud noſtrum vim eſſe, Index declarat. *G.*

Νοήματα ſunt, quas Quintil. 12, 10. 48. *ſententias* vocat, quae *feriunt animum, et uno ictu frequenter impellunt, et ipſa brevitate magis haerent, et dictione perſuadent.* Eodem ſenſu Auctor Dial. de Oratt. Cap. 22. Ciceronem *locos laetiores* attentaſſe, et quasdam *ſententias* inveniſſe dicit. Eadem et ἐνθυμήματα dicta ſunt. cf. Cic. Top. 13. Quintil. 8, 5. Cic. ad Attic. 1, 14. et Gell. N. A. 6, 13. Itaque non contemnenda eſt quorundam librorum MS. varietas, qui h. l. ἐνθυμήματα καὶ νοήματα iunctim habent, quam lectionem reſtituit Gierigius. Ab aliis Codd. etiam verba καὶ νοήματα abſunt. Utra lectio verior ſit, dici non poteſt. Gesnerus putabat, ἐνθυμήματα eſſe, quos Plinius *ſyllogiſmos circumſcriptos* dixerit. Quod ut ego affirmare nolim, ita Gierigius errat, cum ἐνθυμήματα illo ſenſu dicta eſſe negat. Graeci diſerte τὸ ἐνθύμημα dixerunt συλλογισμὸν ῥητορικόν, συλλογισμὸν ἀτελῆ. Cf. Demetrius Eloc. Cap. 30. et 32. Et Ariſtoteles Rhet. 1, Cap. 2. docet ἐνθύμημα συλλογισμὸν εἶναι ἐξ ὀλίγων τε καὶ πολλάκις ἐλαττόνων ἢ ἐξ ὧν ὁ πρῶτος συλλογισμός, h. e. enthymema non omnes eas partes habet, quas ſyllogiſmus dialecticus. Itaque alio loco idem ἐνθ. dixit eſſe ἀπόδειξιν ῥητορικήν. Plura de ea re congeſſimus in Technol. graec. Rhetor. p. 108. *E.*

4 ἕξιν) habitum ſ. facultatem. Cf. Wyttenb. in Bibl. Crit. III, 1. p. 43. ſq. Similiter Porphyrius apud Euſebium Hiſt. Eccl. 6, 19. p. 281. ed. Read. philoſophiae ſcientiam τὴν ἐν τοῖς λόγοις ἕξιν vocat, quam paullo ante τὴν τῶν λόγων ἐμπειρίαν dixerat. *S.*

5 *Annum ſexageſimum exceſſit*) Rom. *Annum LXX. exceſſit*, quod minus credibile ac potius falſum. Deinde: *quo genere hominum nihil aut ſincerius, aut ſimplicius, aut melius. H.*

Hoc ordine etiam Brummeri Excerpta. Vulgo: *quo genere hominum nihil aut ſimplicius, aut ſincerius, aut melius.* In aliis, etiam in Gierigiana, omiſſa ſunt *aut ſimplicius*, culpâ, ni fallor, operarum, qui, ut fit, eadem, qua toties librarii, chorda oberrarent. Certe nihil ex libris ſcriptis discrepantiae vidi enotatum. *S.*

ſcholaſticus tantum) Rhetor, qui in ſchola et umbra tantum verſetur, forum nunquam adi-

tantum est: quo genere hominum nihil aut sin-
cerius, aut melius. Nos enim, qui in foro ve-
risque litibus terimur, multum malitiae, quamvis
6 nolimus, addiscimus. Schola et auditorium, ut
ficta caussa, ita res inermis, innoxia est: nec
minus felix, senibus praesertim. Nam quid in
senectute felicius, quam quod dulcissimum est in
7 iuventa? Quare ego Isaeum non disertissimum
tantum, verum etiam beatissimum iudico, quem
tu nisi cognoscere concupiscis, saxeus ferreusque
8 es. Proinde si non ob alia, nosque ipsos, at
certe ut hunc audias, veni. Nunquamne legisti,
Gaditanum quendam Titi Livii nomine gloriaque
commotum ad visendum eum ab ultimo terrarum
orbe venisse, statimque, ut viderat, abiisse? Ἀφι-
λόκαλον, illiteratum, iners, ac paene etiam turpe
est, non putare tanti cognitionem, qua nulla est
iucundior, nulla pulchrior, nulla denique huma-
9 nior. Dices, *Habeo hic quos legam, non minus
disertos.* Etiam: sed legendi semper occasio est,
audiendi non semper. Praeterea multo magis,
ut vulgo dicitur, viva vox adficit. Nam licet
acriora sint, quae legas, altius tamen in animo
sedent, quae pronuntiatio, vultus, habitus, ge-
10 stus etiam dicentis adfigit. Nisi vero falsum pu-
tamus illud Aeschinis: qui, quum legisset Rho-
diis orationem Demosthenis, admirantibus cunctis,

gerit, ut ille quondam Isocrates. *G.*

6 *ut ficta — inermis*) Rom. *ut ficta causa res inermis*, sine *ita*. *H.*

Melius abest *ita*, recteque expunxit Gierigius. *S.*

8 *Gaditanum quendam*) Repetit Hieron. praefat. Biblior. ad Paullinum pr. sed numero plurium. *de ultimis Hispaniae Galliarumque finibus quosdam venisse nobiles legimus* etc. Hanc epistolam prae manibus Hieronymo fuisse, apparet etiam inde, quod ea, quae de viva voce, itemque de Aeschine mox habet Secundus, ipse sanctus Pater inde repetiit. *G.*

9 *legendi — — non semper. Praeterea*) Rom. *legendi semper occasio est, audiendi non. Praeterea.* *H.*

acriora sint) Mens acrius et plenius perspicit et videt, quae legimus. *E.*

adiecisse fertur, Τί δὲ, εἰ αὐτοῦ τοῦ θηρίου [τὰ αὐτοῦ ῥήματα βοῶντος] ἀκηκόειτε; Et erat Aeschines, si Demosthenem credimus, μεγαλοφωνότατος. Fa-

10 Τί δὲ, εἰ αὐτοῦ etc.) Rom. T. δὲ εἰ αὐτοῦ θηρίου ἀκηκόειτε vel ἠκούσατε. Desunt τὰ αὐτοῦ ῥήματα βοῶντος. Desunt etiam, quae sequuntur: *Et erat Aeschines* usque ad μεγαλοφωνότατος. *H.*

Articulus ante θηρίου in Rom. male abest. Nota particulae *vel* usus in lectione duplici iungenda. Vid. Drakenb. ad Liv. 1, 16, 3. 1; 20, 7. *S.*

αὐτοῦ τοῦ θηρίου) Vid. Iacobs. Not. ad Anthol. Graec. III, 2. p. 114. *S.*

[τὰ αὐτοῦ ῥήματα βοῶντος]) *Non ausim damnare haec verba, cum Hieronymus, qui nostrum ante oculos habuit, diserte: *Quid si audissetis bestiam sua verba resonantem?* Ceterum mirum est, quam vix ullus scriptorum, qui huius rei mentionem fecere, cum alio plane conveniat. Compara, qui discere fidem narrationum vulgatarum volueris, Cic. de Orat. 3, 56. Plutarchum in vitis X Sophistarum p. 1544. sq. H. Steph. Val. Max. 8, 10. Plin. maior. 7, 30 s. 31. Philostr. de vitis Sophist. 1, 19, 5. Photium Bibl. n. 61. pag. 29. Hoesch. Noster iterum memorat 4, 5, 1. *G.*

si Demostheni) Qui passim, praesertim in oratione, quam contra ipsum *pro corona* sibi decreta a Timocrate habuit, vocem illius variis epithetis commendat. *Difficile est ad arbitrandum, an potius λαμπροφωνότατον scripserit Plinius, adeo corrupta solent esse Graeca: utrumque in hoste suo laudarat Demosthenes, et *magnitudinem vocis*, et *splendorem*. *G.*

Codices nonnulli μικροφωνότατος unde tertiam lectionem lucramur, μακροφωνότατος. Saepe confunduntur in Graecorum scriptorum libris μικρὸς et μακρός. Μακρόφωνος vox boni commatis, etsi in Lexicis non obvia. Μακροφωνεῖν ex Hippocrate enotavit D. Scultus. Ceterum μεγαλοφωνότατος aut μακροφωνότατος tueri videtur Cicero de Orat. 3, 56. *maximam* Aeschinis *vocem* laudans. *S.*

μεγαλοφωνότατος) Si hoc voluit Plinius, Aeschinem habuisse vocem non solum magnam et robustam, sed et suavem, quae delectare et adficere iucunde auditores posset, vocem graecam magis videtur ex suae aetatis quam ex veterum Graecorum usu adhibuisse. Veteres enim μεγαλόφωνον non nisi eum dixerunt, qui robustam, magnam, validam vocem haberet; eique opposuerunt ἰσχνόφωνον. [Cf. Foes. Oeconom. Hippocrat. h. v., qui tamen ἰσχνόφωνον et ἰσχόφωνον commiscet. *S.*] Neque λαμπρόφωνος alio sensu dictus videtur. Certe λαμπροφωνίᾳ non nisi claram et sonoram vocem significarunt, cui itidem τὸ ἰσχνόφωνον oppositum esset. Etiam Latini *splendore* solam claritatem, nulla suavitatis notione adiuncta, declarasse videntur; saltem Plinius H. N. 20, 6. 21. cum porrum dicit *voci splendorem adferre*. Deinde de Demosthene agimus, quem non credibile est Aeschinis sibi infestissimi atque inimicissimi vocem ita commemorasse, ut eam laudare vel commendare videretur. Itaque cum ei λαμπρὰν φωνὴν tribuit, eum ipsum εὔφωνον et μέγιστον φθέγγοντα [immo φθεγγόμενον. *S.*] dicit, ut περὶ παραπρεσβ. p. 405. Reisk., non multo plus eum laudare voluisse censendus est, quam cum τὸ βοᾶν tribuit, ut saepe in Or. de Corona. Locus est insignis Cap. 86. καὶ ἐμοί γε δοκεῖς ἐκ τούτων, Αἰσχίνη, τῶν λόγων, ἐπίδειξίν τι-

tebatur tamen, longe melius eadem illa pronun-
11 tiasse ipsum, qui pepererat. Quae omnia huc tendunt, ut audias Isaeum: vel ideo tantum, ut audieris. Vale.

IV.

Hortatur, ne dubitet hereditatem adire: se enim solvisse creditoribus pro patre.

C. PLINIVS CALVINAE S.

Si pluribus pater tuus, vel unicuilibet alii, quam mihi, debuisset, fuisset fortasse dubitandum, an
2 adires hereditatem etiam viro gravem: quum vero ego adductus adfinitatis officio, dimissis omnibus, qui, non dico molestiores, sed diligentiores erant, creditor solus exstiterim: quumque vivente eo nubenti tibi in dotem centum millia contulerim, praeter eam summam, quam pater tuus quasi de meo dixit (erat enim solvenda de meo) magnum habes facilitatis meae pignus: cuius fiducia debes famam defuncti pudoremque suscipere; ad quod ne te verbis magis quam rebus

να φωνασκίας βουλόμενος ποιήσασθαι, τοῦτον προελέσθαι τὸν ἀγῶνα. Ἔστι δὲ οὐχ ὁ λόγος τοῦ ῥήτορος τίμιος, οὐδ' ὁ τόνος τῆς φωνῆς, ἀλλὰ τὸ ταῦτα προαιρεῖσθαι τοῖς πολλοῖς etc. In ipso illo loco, ubi λαμπροφωνότατον Aeschinem appellat, Cap. 98. non alium quam alte et grande vociferantem designat. Et paullo antea: ῥήτωρ ἐξαίφνης ἐκ τῆς ἡσυχίας, ὥσπερ πνεῦμα, ἐφάνη, καὶ πεφωνασκηκὼς, καὶ συνειλοχὼς ῥήματα καὶ λόγους συνείρει τούτους σαφῶς καὶ ἀπνευστί etc. *E.*

IV, 1 *vel — mihi*) Rom. *vel unusquisque alius, quam mihi.* Perperam. *H.*

etiam viro gravem) Nedum feminae, cui negotiari, rem facere, nomina expedire difficilius. *G.*

2 *quum vero ego adductus*) Rom. *cum vero ego ductus. H.* Sic etiam Cortius. Habent et Brummeri Excerpta. Ad aurium quidem sensum praestat. *S.*

dimissis omnibus) soluta nimirum pecunia. Sic *absolvere* ponitur Terent. Adelph. 2, 4, 13 et 17. *G.*

quumque vivente eo) Rom. *cumque ego vivente eo. H.*

Vivente eo omisit Cortius. *Ego*, a Cortio quoque adscitum, perplacet. Pronomen non sine vi repetitur. *S.*

erat enim solvenda) Rom. *erat autem solvenda. H.*

ad quod ne te verbis) Rom.

horter, quidquid mihi pater tuus debuit, acce-
ptum tibi ferri iubeo. Nec est, quod verearis, 3
ne sit mihi ista onerosa donatio. Sunt quidem
omnino nobis modicae facultates, dignitas sum-
tuosa, reditus propter conditionem agellorum,
nescio minor an incertior: sed quod cessat ex red-
itu, frugalitate suppletur: ex qua, velut e fonte,
liberalitas nostra decurrit. Quae tamen ita tem- 4
peranda est, ne nimia profusione inarescat: sed
temperanda in aliis; in te vero facile ratio con-
stabit, etiamsi modum excesserit. Vale.

V.

Partem orationis, qua patriam defenderat, perpolien-dam mittit.

C. PLINIVS LVPERCO SVO S.

Actionem et a te frequenter efflagitatam, et a

Ad quod te ne verbis. Hinc vero nova sententia incipit, secus quam vulgo putant. *H.*

Praestat ordo Romanae, quem etiam Brummeri Excerpta servant. *S.*

acceptum tibi ferri iubeo) *Fieri* habent libri optimi apud Cortium, qui etiam aliunde probat illam formulam. Sed neque *ferre acceptum* ab huius aetatis consuetudine abhorrere, docuit Cellarius. Sententia eadem est: procurator Plinii expunget in rationibus nomen Calvini non minus, quam si solutum esset: vel summam illam pecuniae quasi acceptam a Calvino, expensam feret ipsi Plinio. Ceterum *iubeo* praetulimus alteri *iubebo*, aequis forte librorum praesidiis nixo: quod illud significantius et expressius videretur, si non futurum quiddam promitteret, sed hoc ipsum quasi chirographon et instrumentum suae voluntatis mitteret. *G.*

Rom. *acceptum tibi fieri iubeo. H.*

Sic plures libri a Cortio inspecti. Probo. *S.*

3 *ne sit mihi — — modicae*) Rom. *ne sit mihi onerosa ista donatio. Sunt quidem nobis omnino modicae. H.*

Probo ordine verborum; sicque partim in Cortiana. *S.*

velut e fonte) Rom. *velut ex fonte. H.*

4 *ratio constabit*) Accepta et expensa mea bene convenient, nec multum detrimenti res meae capient, etiamsi in te gratificando [in gratificando tibi. *S.*] modum excesserim. *E.*

V, 1 *Actionem*) Non esse eam orationem, de qua 1, 8, recte monet Hausingerus. *G.*

Actio, quam Luperci iudicio tradit Plinius, sine ulla ratione ea fuisse creditur oratio, qua bibliothecam in patria dedicaverat, quamque lib. I. ep. VIII.

me saepe promissam exhibui tibi, non tamen totam: adhuc enim pars eius perpolitur. Interim quae absolutiora mihi videbantur, non fuit alienum iudicio tuo tradi. His tu, rogo, intentionem scribentis accommodes. Nihil enim adhuc inter manus habui, cui maiorem solicitudinem
3 praestare deberem. Nam in ceteris actionibus existimationi hominum diligentia tantum et fides nostra; in hac etiam pietas subiicietur. Inde et liber crevit, dum ornare patriam et amplificare gaudemus, pariterque et defensioni eius servimus
4 et gloriae. Tu tamen haec ipsa, quantum ratio

Pompeio Saturnino perpoliendam mittit. Huic opinioni illud etiam obstat, quod orationem, quam Pompeii limae subiicit, *sermonem*, non *actionem*, vocat: *actio* vero forensem potius orationem significat, quam eius generis sermonem, quo nemo impugnatus, nemo defensus fuit. Sed hoc levius: me id maxime dissentire cogit, quod in hac actione non *pietatem* tantum, sed et *diligentiam* et *fidem* se patriae praestitisse adfirmat. *Diligentia* autem et *fides* patroni virtutes sunt, qui patriae, quam debet et promisit, operam praestat; non eius, qui liberalitati indulgens plus, quam debet, ultro offert. Accedit, quod maximi momenti est, quod se *defensioni patriae inservisse* ait, quam non cepit oratio apud decuriones in patria, sed Romae in senatu, vel apud iudices, a patrono patriae habita. Nec in bibliotheca dedicanda frequentibus locorum descriptionibus prope poëticis opus fuit, quibus tamen hanc actionem distinctam fuisse adfirmat. Denique sermo a decurionibus Novocomensibus auditus non ad eum modum excrescere potuit, ut multa relecanda essent; nec per partes, sed totus, iam eo tempore Saturnino exhibitus fuit, quo de editione adhuc deliberabat: hanc vero orationem, quam ideo *librum* vocat, adeo extenderat, ut verendum haberet, ne lectoris intentionem fatigaret; nec dum tota retractata aut descripta erat, cum de ea emittenda iam statutum esset. Postremo illic de parentum ac sua magnificentia maxime verba fecerat, nihil vulgi aut iuventutis auribus dederat, cum non in propatulo, sed in curia dixisset: hic patriae tantum gloriae servivit, omnibus placere, et per plures dicendi species lectores tenere studuit. Haec omnia colligenti mihi et diligentius inter se comparanti, non de una eademque oratione in utraque epistola agi, videtur. *H.*

Actionem et a te etc.) Rom. *Actionem frequenter et a te efflagitatam, et a me semper* [l. *saepe*] *promissam, exhibui tibi; nondum tamen totam.* Recte *nondum*, pro *non*. *H.*

Nondum etiam Cortius ex libris suis, quibus concinunt Excerpta Brummeri. Bene recepit Gierigius. *S.*

2 *intentionem scribentis accommodes*) ea intentione et cura lege et iudica, qua ego scripsi. Mox enim Plinius suam in scribendo sollicitudinem commemorat. *E.*

3 *servimus et gloriae*) *Au-

exegerit, refeca. Quoties enim ad faftidium le-
gentium deliciasque refpicio, intelligo nobis
commendationem ex ipfa mediocritate libri pe-
tendam. Idem tamen, qui a te hanc aufteritatem 5
exigo, cogor id, quod diverfum eft, poftulare,
ut in plerisque frontem remittas. Sunt enim
quaedam adolefcentium auribus danda, praefertim
fi materia non refragetur: nam defcriptiones lo-
corum, quae in hoc libro frequentiores erunt,
non hiftorice tantum, fed prope poëtice profequi
fas eft. Quod tamen fi quis exftiterit, qui putet 6
nos lautius fecifle, quam orationis feveritas exi-
gat: huius (ut ita dixerim) triftitiam reliquae par-
tes actionis exorare debebunt. Adnixi certe fu-
mus, ut, quamlibet diverfa genera lectorum, per
plures dicendi fpecies teneremus. Ac ficut vere- 7
mur, ne quibusdam pars aliqua fecundum fuam

ctoritate librorum, quos laudat Cortius, alteri *defervimus* praetuli. *G.*

Rom. *pariter et defenfioni eius defervimus*, non *fervimus*. *H.*

Gierigius *defervimus* revocavit. Nil refert. *S.*

4 *commendationem ex ipfa mediocritate*) Sic et Rom. fine *etiam*. *H.*

mediocritate) exiguo libelli ambitu, quem lectorum defidiofa mollities poftulat. *E.*

5 *adolefcentium*) qui locos laetiores, lufus ingenii, et fplendidiores ornatus amant. Unde haec ipfa in oratione a rhetoribus dicta funt *μειρακιώδη*, *νεανικὰ*, *νεανιεύματα*, puerilia, iuvenilia Latinis, de quibus in utraque Technolog. rhet. diximus. *E.*

6 *lautius fecifle*) *Eiecit Cortius verbum, quod omnes, credo, editi adhuc fervarunt, repofuitque *laetius*, cui in hac re locum effe, idque ad fententiam Plinii optime convenire, facile illi fuit probare. Sed ipfum tamen *lautius* ita nobis lautum atque facetum videbatur, ut illud expungere non poffemus. Succurrebat Terentianus parafitus, qui Eun. 3, 1, 37. de acute dicto, *Facete*, inquit, *lepide, laute*. Et ipfe Tullius de Orat. 1, 36. *In oratoris inftrumento tam lautam fupellectilem* (loquitur de philofophia, hiftoria, antiquitate etc.) *non videram*. Et quidni *lauta* fit oratio, cum fit apud eundem Ciceronem Bruto c. 20. *unctior quaedam fplendidiorque confuetudo loquendi*. Ad aedificiorum etiam totiusque adeo vitae fplendorem referri, notius eft, quam ut commemorari pluribus debeat. *G.*

Rom. *nos latius fecifle, quam orationis facultas exigat*. Lege *laetius*, quod huic propius eft, quam *lautius*; et *feveritas*. *H.*

Laetius placuit etiam I. A. Erneftio. Vid. Gesneri ad eum epiftola. Sane *laetius* melius opponitur *feveritati*. Adftipulantur Excerpta Brummeri. *S.*

cuiusque naturam non probetur: ita videmur posse confidere, ut universitatem omnibus varietas ipsa
8 commendet. Nam et in ratione conviviorum, quamvis a plerisque cibis singuli temperemus, totam tamen coenam laudare omnes solemus: nec ea, quae stomachus noster recusat, adimunt
9 gratiam illis, a quibus capitur. Atque haec ego sic accipi volo, non tanquam adsequutum me esse credam, sed tanquam adsequi laboraverim: fortasse non frustra, si modo tu curam tuam admo-

7 *confidere, ut*) Rarissimum loquendi genus, et in bona aetate plane, puto, inauditum: quod libenter hic etiam tribuerem semibarbaro librario, qui verbum *fore* vel *futurum* omiserit, nisi plura essent, in quibus Plinii aetas paullatim a superioris seculi cura recessit. Et videtur constructio verbi *vereor*, quae praecessit, traxisse similem, ad corrotundandam periodum. *G.*

Rom. *Ac sicut veremur, ne quibusdam pars aliqua secundum suam cuiusque naturam non probetur: ita videmur posse conficere, ut universitatem omnibus varietas ipsa commendet.* Adhuc in omnibus, scriptis etiam, [Falleris, vir eximie: Excerpta enim Lindenbrogiana perinde, ac liber tuus Romanus, *videmur posse conficere. S.*] *videmur posse confidere*, lectum est: ita vero Plinium locutum esse, nemo Latini sermonis haud imperitus credere potest, a quo decies ac saepius verbo *confidere* infinitivum, numquam *ut*, adiectum esse constat. Antea infinitivum *fore* excidisse putabam, idque iuvenes, qui me audiebant, suspicari malebam, quam vitiosi sermonis auctorem habere Plinium. Idem postea magno Gesnero in mentem venisse vidi, idque vero tanto similius existimavi, quanto frequentius, iisdem aut similibus syllabis et vocibus copulatis, (ut hic *fidere* et *fore*) altera vel abundare visa est librariis minus acutis, vel omissa parum attendentibus. Nunc vero longe meae illi coniecturae praefero Romani libri scripturam, in quo multis testibus non *confidere*, sed *conficere* est, Latine satis et ad rem accommodatissime. Priori enim verbo *veremur* non necesse est *confidere* opponi; cum *videmur posse conficere* simile aliquid significet, et nihil aliud sit, quam *spero me consecuturum esse. Conficere* vero *ut* sibi iungere, nemo erit, qui nesciat. Caesar lib. I. de bello Gall. c. 13. *Cum id, quod ipsi diebus XX. aegerrime confecerant, ut flumen transirent, illum uno die, intelligerent.* Cic. lib. II. offic. c. III. 5. *Ex quo conficitur, ut, quidquid honestum sit, idem sit utile.* Ita enim ibi scripti, ubi vulgo *efficitur.* Id. lib. II. de invent. c. 49. *Ex quo conficitur, ut, si leges duae conservari non possint, ea maxime conservanda putetur, quae ad maximas res pertinere videatur. H.*

8 *adimunt gratiam illis, a quibus capitur*) Rom. *adimunt gratiam illis, quibus capitur. H.*

9 *adsequutum me esse*) Hoc ordine et Rom. *H.*

Vulg. *ads. esse me.* vid. Cortium. *S.*

si modo etc.) Rom. *si modo tu curam tuam admoveris. H.*

veris, interim iſtis, mox iis, quae ſequuntur.
Dices, te non poſſe ſatis diligenter id facere, 10
niſi prius totam actionem cognoveris. Fateor:
in praeſentia tamen et iſta tibi familiora fient, et
quaedam ex his talia erunt, ut per partes emen-
dari poſſint. Etenim ſi avulſum ſtatuae caput aut 11
membrum aliquod inſpiceres, non tu quidem ex
illo poſſes congruentiam aequalitatemque depre-
hendere, poſſes tamen iudicare, an id ipſum ſa-
tis elegans eſſet. Nec alia ex cauſſa principia 12
librorum circumferuntur, quam quia exiſtimatur
pars aliqua etiam ſine ceteris eſſe perfecta. Lon- 13
gius me provexit dulcedo quaedam tecum lo-
quendi: ſed iam finem faciam, ne modum, quem
etiam orationi adhibendum puto, in epiſtola ex-
cedam. Vale.

VI.

Exemplo ſordidi ſimul et ſumtuoſi hominis Avitum monet, ut ſordium et luxuriae ſocietatem ſugiat.

C. PLINIVS AVITO SVO S.

Longum eſt altius repetere, nec refert, quemad-
modum acciderit, ut homo minime familiaris coe-
narem apud quendam, ut ſibi videbatur, lautum et
diligentem; ut mihi, ſordidum ſimul et ſumtuo-

interim iſtis) quae cum his literis mitto. Vid. ſ. 1. *G.*

mox iis, quae ſequuntur) Rom. *mox iis, quae ſequentur,* bene, non *ſequuntur. H.*

Accedit aliorum librorum auctoritas; ut non dubitem, Plinium ſuturo uſum eſſe. *S.*

12 *principia librorum*) Tale eſt illud, quod incipit *Orbem Romanum* apud Petronium. Tale eſt principium carminis, quod fabellarum ſuarum 4, 6. Phaedrus intexuit, iam Scheffero hic laudatum. *G.*

Nec alienum ab hoc loco videtur commemorare, quod Cicero Attico ſcribit Epiſt. 16, 6. ſe habere *volumen prooemiorum*, e quo eligere ſoleat, cum aliquod σύγγραμμα inſtituerit. *E.*

pars aliqua etiam ſine ceteris) Rom. *pars aliqua et ſine ceteris. H.*

Sic etiam Excerpta Lindenbrogiana. Cf. Interpr. ad Liv. 1, 11, 3. 1, 21, 2. 22, 47, 9. *S.*

VI, 1 *diligentem*) Frugalem, quem hodie *oeconomum* vocant.

2 sum. Nam sibi et paucis optima quaedam; ceteris, vilia et minuta ponebat. Vinum etiam parvulis lagunculis in tria genera descripserat, non ut potestas eligendi, sed ne ius esset recusandi: et aliud sibi et nobis, aliud minoribus amicis (nam gradatim amicos habet,) aliud suis
3 nostrisque libertis. Animadvertit, qui mihi proximus recumbebat, et, an probarem, interrogavit. Negavi. *Tu ergo*, inquit, *quam consuetudinem sequeris? Eadem omnibus pono. Ad coenam enim, non ad notam, invito: cunctisque rebus exaequo, quos mensa et toro aequavi.*
4 *Etiamne libertos? Etiam. Convictores enim tunc, non libertos, puto.* Et ille, *Magno tibi constat. Minime. Qui fieri potest? Potest: quia scilicet liberti mei non idem, quod ego,*
5 *bibunt, sed idem ego, quod liberti.* Et hercule, si gulae temperes, non est onerosum, quo utaris ipse, communicare cum pluribus. Illa ergo re-

Saepe ita optimi quique. Vid. Cic. in Verr. 4, 25. *G.*

Rhetoric. ad Herenn. 4, 25. *diligentia est adcurata conservatio suorum.* Cf. ibid. 4, 34. *S.*

2 *et aliud sibi et nobis*) Sic etiam Rom. *H.*

Cortius ex Mediceo: *aliud sibi et nobis.* Placet. *S.*

3 *Eadem omnibus pono*) Rom. *Respondi: eadem omnibus pono*, ut Medic. *H.*

Respondi vix putem hic e margine in textum irrepsisse. Vid. Cortium. *S.*

Ad coenam) Bene Cellarius alludi ait ad ἔτυμον. Est enim *coena* quasi κοινὴ δαίς, *communis* cibus, quem fere cum hospitibus capiunt lautiores: *nota* autem est, qua distinguuntur inter se alioquin similia. *G.*

Quidni ita: *ad coenam* invito, ut cum convivis communi gaudio delecter, *non ad notam*, non ut quosdam ignominiose notem et distinguam cibis et vino inaequaliter adponendis. Mox enim *alienam contumeliam* commemorat. *E.*

Mihi quoque Cellarii ratio argutior quam verior videtur. Ceterum *notam* de animadversione censoria capiam. *S.*

quos mensa et toro aequavi) Rom. *quos toro et mensa aequavi.* Sed *toro aequavi* plus est, quam *mensa*, ideoque postponendum. *H.*

4 *Convictores enim tunc*) Rom. *Convictores tunc enim.* *H.*

Praestat hic ordo. *S.*

sed idem ego, quod liberti) Rom. *sed idem ego, quod et liberti.* *H.*

5 *Et hercule*) Rom. *Et mehercule.* *H.*

quo utaris ipse, communicare cum pluribus) Rom. *quod utaris, communicare cum pluribus.* Non adest *ipse.* *H.*

primenda, illa quasi in ordinem redigenda est, si sumtibus parcas, quibus aliquanto rectius tua continentia, quam aliena contumelia, consulas. Quor- 6
sum haec? Ne tibi optimae indolis iuveni quorundam in mensa luxuria specie frugalitatis imponat. Convenit autem amori in te meo, quoties tale aliquid inciderit, sub exemplo praemonere, quid debeas fugere. Igitur memento, nihil ma- 7
gis esse vitandum, quam istam luxuriae et sordium novam societatem: quae cum sint turpissima discreta ac separata, turpius iunguntur. Vale.

VII.

Narrat, triumphalem statuam Spurinnae ob res bene gestas, etiam filio eius defuncto aliam solatii caussa positam esse.

C. PLINIUS MACRINO SUO S.

Heri a senatu Vestricio Spurinnae, Principe auctore, triumphalis statua decreta est: non ita, ut multis, qui nunquam in acie steterunt, nunquam castra viderunt, nunquam denique tubarum sonum, nisi in spectaculis, audierunt: verum ut illis, qui decus istud sudore et sanguine et factis adsequebantur. Nam Spurinna Bructerûm regem 2
vi et armis induxit in regnum: ostentatoque bello,

6 *Quorsum haec?*) Rom. *Quorsus haec? H.*

in mensa luxuria) Rom. *immensa luxuria. H.*

Ridiculus error, alios quoque libros oblidens. Vid. Cortium. *S.*

VII, 1 *Heri a senatu*) Rom. *Here a senatu. H.*

Recepit Gierigius, parum sibi constans infra 2, 14, 6. ubi *here*, item in libris repertum, contemsit. Vid. Laurenberg. Antiquar. h. v. Vossius de Analog. L. IV. C. XIX. init. Clav. Cic. h. v. *S.*

statua decreta est) Rom. *statua decreta*, sine *est. H.*

nunquam — tubarum sonum — audierunt) τοῖς μὴ περισεσαλπισμένοις. Plutarch. Moral. p. 220. E. *S.*

2 *Bructerûm*) Vid. Longol. ad Tac. German. c. 33. p. 122. *S.*

induxit) Cicero, opinor, scripsisset *reduxit*; si quidem hic de *reductione* agitur. *S.*

ostentatoque bello) *Ostentat*

ferocissimam gentem (quod est pulcherrimum vi-
3 ctoriae genus) terrore perdomuit. Et hoc quidem
virtutis praemium; illud solatium doloris accepit,
quod filio eius Cottio, quem amisit absens, ha-
bitus est honor statuae. Rarum id in iuvene:
sed pater hoc quoque merebatur, cuius gravissimo
vulneri magno aliquo fomento medendum fuit.
4 Praeterea Cottius ipse tam clarum specimen in-
dolis dederat, ut vita eius brevis et angusta de-
buerit hac veluti immortalitate proferri. Nam
tanta ei sanctitas, gravitas, auctoritas etiam, ut
posset senes illos provocare virtute, quibus nunc
5 honore adaequatus est. Quo quidem honore,
quantum ego interpretor, non modo defuncti
memoriae et dolori patris, verum etiam exemplo
prospectum est. Acuent ad bonas artes iuventu-
tem adolescentibus quoque (digni sint modo) tanta
praemia constituta: acuent principes viros ad li-
beros suscipiendos et gaudia ex superstitibus, et
6 ex amissis tam gloriosa solatia. His ex caussis
statua Cottii publice laetor, nec privatim minus.
Amavi consummatissimum iuvenem tam ardenter,
quam nunc impatienter requiro. Erit ergo per-
gratum mihi hanc effigiem eius subinde intueri,
subinde respicere, sub hac consistere, praeter
7 hanc commeare. Etenim si defunctorum ima-

bellum, qui copiis eductis id minatur. *E.*

ferocissimam gentem) ipsos Bructeros, populum Germanicum. *E.*

5 *digni sint modo*) Rom. *ut digni sint modo*, minus eleganter. *H.*

acuent principes etc.) Rom. *acuent principes viros ad liberos suscipiendos et gaudia ex superstitibus, et amissis tam gloriosa solatia.* Emendatius, quam vulgo, *et ex amissis — solatia.* Nam ad suscipiendos liberos parentes acuunt, non *ex amissis*, sed *amissis liberis gloriosa solatia.* Solatia *ex ea re* sunt, quae ipsa est solatio: *ex liberis* vero *amissis* orbis parentibus nihil est solatii. Lib. I. ep. XII. 2. *Nam utcunque in illis, qui morbo finiuntur, magnum ex ipsa necessitate solatium est.* Tacit. lib. III. A. cap. 6. *Convenisse recenti dolore luctum et ex maerore solatia:* ubi Tacitus maerorem et lacrimas inter solatia luctus refert. Itaque praepositio *ex*, praeeunte Romano exemplari, delenda est, ut intelligantur solatia, quae reliqua sunt parentibus, qui liberos amiserunt. *H.*

giues domi positae dolorem nostrum levant, quanto magis eae, quibus in celeberrimo loco non modo species et vultus illorum, sed honor etiam et gloria refertur? Vale.

VIII.

Ad Larium lacum rusticari optat.

C. PLINIUS CANINIO SVO S.

Studes? an piscaris? an venaris? an simul
omnia? Possunt enim omnia simul fieri ad La-
rium nostrum. Nam lacus piscem, feras silvae,
quibus lacus cingitur, studia altissimus iste seces-
sus, affatim suggerunt. Sed sive omnia simul, 2
sive aliquid facias, non possum dicere, *Invideo:*
angor tamen non et mihi licere, quae sic concu-
pisco, ut aegri vinum, balinea, fontes. Nun- 3
quamne hos arctissimos laqueos, si solvere nega-
tur, abrumpam? Nunquam, puto. Nam vete-
ribus negotiis nova accrescunt, nec tamen priora
peraguntur: tot nexibus, tot quasi catenis maius
in dies occupationum agmen extenditur. Vale.

7 *quanto magis eae)* Rom. *quanto magis hae.* *H.*

Ita et Cortius. Bene. *S.*

sed honor etiam et gloria) Rom. *sed honor et gloria.* *H.*

VIII inscript. Rom. *Caninio Rufo.* *H.*

1 *ad Larium nostrum)* Comum patria Plinii nostri Lario lacui adiacet. *G.*

suggerunt) Cortius, quem sequitur Gierigius, ex libris suis *suggerit.* Haud displicet singularis. Vid. supra ad 1, 3, 3. *S.*

2 *Sed sive omnia* etc.) Rom. *Sed sive omnia simul, sive aliquid facias*, ut vulgo, non *facis*, quod plerique malent. *H.*

ut aegri vinum etc.) Quasi proverbio utitur, ut significet, se ardentissime concupiscere. Sic Epist. 7, 26. de aegroto: *balinea imaginatur et fontes: haec summa curarum, summa votorum.* *E.*

3 *Nunquamne — negatur)* Rom. *Numquamne hos artissimos laqueos, si solvere negatur*, ut editum. *H.*

Alii: *Numquam hos artissimos laqueos —.* et: *si solvere non datur.* Vid. Cortium. *S.*

IX.

Erucium candidatum Apollinari commendat.

C. PLINIVS APOLLINARI SVO S.

Anxium me et inquietum habet petitio Sexti Erucii mei. Adficior cura, et quam pro me folicitudinem non adii, quafi pro me altero patior: et alioquin meus pudor, mea exiftimatio, mea di-
2 gnitas in discrimen adducitur. Ego Sexto latum clavum a Caefare noftro, ego quaefturam impetravi: meo fuffragio pervenit ad ius tribunatus petendi, quem nifi obtinet in fenatu, vereor, ne
3 decepiffe Caefarem videar. Proinde adnitendum eft mihi, ut talem eum iudicent omnes, qualem effe princeps mihi credidit. Quae cauffa fi ftudium meum non incitaret, adiutum tamen cuperem iuvenem probiffimum, graviffimum, eruditiffimum, omni denique laude digniffimum, et
4 quidem cum tota domo. Nam pater eius Erucius Clarus, vir fanctus, antiquus, difertus, atque in agendis cauffis exercitatus, quas fumma fide, pari conftantia, nec verecundia minore defendit. Habet avunculum C. Septicium, quo nihil verius,

IX. 1 *Erucii*) Sic Cortius ex MSS. alii *Euricii*. *G.*

Erucii etiam Rom. *H.*

pro me altero) Nota amici περίφρασις, quam illuftrat Cortius ad h. l. et ad Cic. fam. 2, 15, 5. Unum fufficiat Cic. fam. 7, 5 ad Caefarem, *Vide, quam mihi perfuaferim, te effe me alterum.* *G.*

2 *meo fuffragio pervenit ad ius tribunatus petendi*) Rom. *meo fuffragio praevenit ad ius tribunatum petendi.* Recte *praevenit.* Ius tribunatus petendi non impetrandum erat ab imperatore: ante alios vero petere non licebat, nifi id a principe indultum fuiffet. *H.*

Tribunatum etiam Cortiana ex Mediceo. Saepe fic libri fluctuant. Vid. Interpr. ad Liv. 1, 19, 6. 1, 53, 3. *S.*

decepiffe Caefarem) commendando homine, quem Senatus indignum honoribus iudicet. *G.*

3 *adiutum tamen cuperem*) Rom. *adiutum tamen cuperes*, perperam. *H.*

4 *Nam pater eius* etc.) Rom. *Nam pater eius Erucius clarus vir, fanctus, antiquus, difertus, atque in agendis caufis.* *H.*

Scribendum cum Cortio: *Nam pater ei.* Vulgatam *eius* vel aures refpuunt. Mox pro *exercitatus* Excerpta Brummeri *exercitus*, frequenti confufione, de qua vid. Drakenb. ad Liv. 27, 44, 6. *S.*

nihil ſimplicius, nihil candidius, nihil fidelius novi. Omnes me certatim, et tamen aequaliter 5 amant: omnibus nunc ego in uno referre gratiam poſſum. Itaque prenſo amicos, ſupplico, ambio domos, ſtationesque circumeo: quantumque vel auctoritate vel gratia valeam, precibus experior. Te quoque obſecro, ut aliquam oneris mei par- 6 tem ſuſcipere tanti putes. Reddam vicem, ſi repoſces: reddam et ſi non repoſces. Diligeris, coleris, frequentaris: oſtende modo, velle te, nec deerunt, qui, quod tu velis, cupiant. Vale.

X.

Ad carminum editionem, ſaltem ad recitationem, adhortatur.

C. PLINIVS OCTAVIO SVO S.

Hominem te patientem, vel potius durum ac paene crudelem, qui tam inſignes libros tamdiu teneas! Quousque et tibi et nobis invidebis: 2 tibi, maxima laude; nobis, voluptate? Sine per ora hominum ferantur, iisdemque, quibus lingua

5 *Itaque prenſo amicos*) Rom. *Itaque prehenſo amicos. H.* Vid. Drakenb. ad Liv. 4, 48, 11. *S.*

ambio domos) Gierigius, Gryphium ſecutus, edidit, *ambio, domos ſtationesque circumeo.* Mihi totum hoc *ambire* poſt illa, *prenſo amicos, ſupplico*, otioſum videtur. De *ſtationibus*, quae ſequuntur, vid. Epiſt. 1, 13. 2. *E.*

6 *Te quoque obſecro, ut — partem*) Rom. *Teque obſecro, ut aliquam muneris mei partem. H.*

Que et *quoque* ſaepiſſime confunduntur. *Muneris* ex *oneris* natum, quod, bene monente Cortio, ultima praecedentis vocis litera ſequenti vocabulo adcreviſſet. *S.*

et ſi non repoſces) Cortius ex Mediceo *repoſcis*. Perperam. Scio, optimos ſcriptores varia tempora iungere; ſed hic ipſa oppoſitio futurum flagitat. *S.*

qui, quod tu velis, cupiant) Rom. *qui quod velis cupiant. H.*

X inſcript. *Octavio*) Illi Octavio Rufo, cuius carminum cupiditate ſe ardere, ſcribit Epiſt. 1, 7. *E.*

1 *Hominem te patientem*) Rom. *Nominem te patiente. H.*

2 *tibi — voluptate*) Rom. *tibi maximam laudem, nobis voluptatem.* Hic ſibi Romana non conſtat. Vid. ad lib. I. ep. X. 12. *H.*

Romana, ſpatiis pervagentur. Magna etiam longaque exſpectatio eſt: quam fruſtrari adhuc et
3 differre non debes. Enotuerunt quidam tui verſus, et invito te clauſtra tua fregerunt. Hos niſi retrahis in corpus, quandoque, ut errones, ali-
4 quem, cuius dicantur, invenient. Habe ante oculos mortalitatem: a qua adſerere te hoc uno monimento potes. Nam cetera, fragilia et caduca, non minus, quam ipſi homines, occidunt deſinuntque. Dices, ut ſoles, *Amici mei vide-*
5 *rint.* Opto equidem amicos tibi tam fideles, tam eruditos, tam laborioſos, ut tantum curae inten-

Magna etiam) Hoc *etiam* nunc valde languet. Series orationis *enim* poſtulare videtur. Haec cum ſcripſiſſem, vidi et Cortium hoc maluiſſe. *E.*

Non ipſe Cortius *enim* conìicit, ſed alius vir doctus, cui *etiam'* diſplicuiſſe ille refert. Neque erat, quod Erneſtius de hoc ſibi conſenſu gratularetur: optime enim habet vulgata. Primam Secundus cauſam, cur Octavius libros ſuos edere debeat, inſignem eorum praeſtantiam memorat: alteram, quod in magna ſint longaque exſpectatione. *S.*

3 *Enotuerunt quidam* etc.) Rom. *Enotuere quidam tui verſus, et invito te clauſtra refregerunt. Hos niſi retrahis in corpus.* Al. *et — clauſtra tua fregerunt.* Cortius: *clauſtra ſua refregerunt.* Credibile eſt, in vulgata ex *re* factum eſſe *tua*, et hoc deinde mutatum in *ſua*, utrumque vero recte abeſſe poteſt. *H.*

Gierigius cum Cortio *clauſtra ſua refregerunt. Tua* melius ob ſenſum ſibi videri Erneſtius adſcripſerat. Equidem cum Heuſingero Romanae lectionem amplector. Livius a Cortio laudatus, 36, 7, 13. *Ille quidem ferae beſtiae vinctae aut clauſae, et refringere clauſtra cupienti, regis iram verbis aequabat. S.*

tua) *ſua* Heinſ. ad Virg. Aen. 12, 835. *G.*

quandoque, ut errones) Cum ſemel exierint, *quandocunque*, ſerius ocius, invenient, te quidem taceote, qui ſe auctorem ferat. Poteſt enim hic retinere vim antiquam et propriam hoc adverbium, quam, monente primum Victorio ad Columell. 2, 4, 5. certatim deinde reſtitutam explicatamque videas. Interim negari non poteſt, *quandoque* eo intellectu, ut ſignificet *aliquando, olim*, poſitum etiam tum ab aliis, tum a noſtro, ſi minus hic et 4, 13, 6. certe Paneg. 10, 5 et 28, 5. *G.*

Vid. Horat. Turſellin. de Partic. Cap. CCVII. *S.*

ut errones) *ut* comparantis eſſe puto. *S.*

cuius dicantur) Medicei lectionem, *cuius dicuntur*, nolim cum Cortio tueri. Livius 1, 24, 1. *plures tamen invenio, qui Romanos Horatios vocent.* Sic plerique codices: duo tamen *vocant*, quod Cortius, opinor, me non ſequente, praetuliſſet. *S.*

tionisque fufcipere et poffint et velint: fed di-
fpice, ne fit parum providum, fperare ex aliis,
quod tibi ipfe non praeftes. Et de editione qui- 6
dem interim, ut voles: recita faltem, quo magis
libeat emittere: utque tandem percipias gaudium,
quod ego olim pro te non temere praefumo.
Imaginor enim, qui concurfus, quae admiratio 7
te, qui clamor, quod etiam filentium maneat.
Quo ego, quum dico vel recito, non minus quam
clamore delector; fit modo filentium acre et in-
tentum et cupidum ulteriora audiendi. Hoc fru- 8
ctu tanto, tam parato, define ftudia tua infinita
ifta cunctatione fraudare: quae quum modum
excedit, verendum eft, ne inertiae et defidiae,
vel etiam timiditatis nomen accipiat. Vale.

XI.

Narrat, fe aetore et Tacito, Africae proconfulem Marium, repetundarum reum, a fenatu damnatum effe.

C. PLINIVS ARRIANO SVO S.

Solet effe gaudio tibi, fi quid actum eft in fena-
tu dignum ordine illo. Quamvis enim quietis
amore fecefferis, infidet tamen animo tuo maie-
ftatis publicae cura. Accipe ergo, quod per hos
dies actum eft, perfonae claritate famofum, fe-

5 *difpice, ne*) Cicero: *confidera, ne; vide, ne.* S.

6 *quod ego olim — praefumo*) Rom. *quod ego olim prope non temere praefumo.* Male. *H.*

7 *filentium maneat*) ex tacito admirationis fenfu, vel ex attentione cupientium, ut ne quid intercidat, et aures praetereat. Sed Plinius mox ipfe fe explicat. Cicero pro Deiot. 12 [illegible] *plaufu quid refpondeam? qui nonnunquam, obftupefactis hominibus, ipfa admiratione compreffus eft.* E.

acre et intentum) non eorum, qui ofcitant ftupidi, vel ftertunt: nam et hi filent. *E.*

XI, 1 *infidet tamen animo tuo*) Rom. *infidit tamen animo tuo.* *H.*

Perpetua horum compofitorum confufio. Vid. Drakenb. ad Liv. 9, 21, 6. *S.*

veritate exempli falubre, rei magnitudine aeter-
2 num. Marius Prifcus, accufantibus Afris, quibus
proconful praefuit, omiffa defenfione, iudices
petiit. Ego et Cornelius Tacitus adeffe provin-
cialibus iuffi, exiftimavimus fidei noftrae con-
venire, notum fenatui facere, exceffiffe Prifcum
immanitate et faevitia crimina, quibus dari indi-
ces poffent: quum ob innocentes condemnandos,
3 interficiendos etiam, pecunias accepiffet. Re-
fpondit Fronto Catius, deprecatusque eft, ne
quid ultra repetundarum legem quaereretur,
omniaque actionis fuae vela vir movendarum la-
crymarum peritiffimus, quodam velut vento mi-
4 ferationis implevit. Magna contentio, magni
utrinque clamores: aliis cognitionem fenatus lege
conclufam, aliis liberam folutamque dicentibus:
quantumque admififfet reus, tantum vindicandum.
5 Noviffime conful defignatus Iulius Ferox, vir re-
ctus et fanctus, Mario quidem iudices interim
cenfuit dandos: evocandos autem, quibus dice-
6 retur innocentium poenas vendidiffe. Quae fen-
tentia non praevaluit modo, fed omnino poft

2 *quibus proconful praefuit*) Rom. *quibus pro confule praefuit.* *H.*

Sic et Cortius cum Gierigio, optimorum librorum auctoritate. Vid. Drakenb. ad Liv. 3, 4, 10. 23, 30, 19. Clav. Cicer. h. v. *S.*

iudices petiit) Potius apud iudices a Praetore datos, quam in Senatu cauffam dicere maluit. *G.*

convenire, — facere, exceffiffe) Concurfus infinitivorum paullo afperior. Poterat uti hoc loco Bauerus ad Sanct. Minerv. T. I. p. 724. *S.*

4 *lege conclufam*) Qua? viderint ICti: exfpectabam hoc a Cortio. Sed fruftra. Catanaeus ad Repetundarum legem ait refpici, qua multandum iam cenfuerit Senatus; vel ad eam legem, qua cautum effet, ne bis de eadem re ageretur. Neutrum vero probat. *G.*

Vereor, ne Gesnerus nodum in fcirpo quaefiverit. Non agitur, opinor, de certa quadam lege, fed omnino narratur, alios fenatus cognitionem lege (feu repetundarum, feu alia quavis, νόμῳ, non, τῷ νόμῳ) conclufam, alios liberam folutamque dixiffe. *S.*

5 *quibus — vendidiffe*) a quibus pecuniam acceperit ob innocentes condemnandos vel interficiendos, ut fupra dixerat. Hi infra dicuntur *poenam emiffe.* *Evocandos* dicit, quibus iuberetur, ut certo tempore adfint. Itaque mox, *venerunt*, inquit, *qui adeffe erant iuffi.* *E.*

tantas diſſenſiones fuit ſola frequens: adnotatumque experimentis, quod favor et miſericordia acres et vehementes primos impetus habent, paullatim, conſilio et ratione quaſi reſtincta, conſidunt. Unde evenit, ut, quod multi cla- 7
more permixto tuentur, nemo tacentibus ceteris dicere velit: pateſcit enim, quum ſepararis a

6 *adnotatumque — quod*) Recentioris aetatis et ab aurea declinantis indicium, τὴν *quod* poni, ubi ſuperiores infinitum cum quarto caſu adhibebant: qua de re exſtat diſſertatio noſtra in theſauro Fabriano. Quid ſi vero poſt *adnotatumque* intelligamus *hoc ipſum eſt aliis* experimentis: quod i. e. *quia*. *G.*

Sic, ut in ceteris fere omnibus, ſcriptum eſt in Rom. nec tamen hic librorum concentus nobis perſuadebit, ita ſui immemorem fuiſſe Plinium, ne ſui quidem ſaeculi eloquentia contentum, ut diceret, *adnotatum eſt, quod favor et miſericordia habent*: cum alio loco, lib. III. ep. XVI. 1. ita, ut debuit, ſcripſerit, *Adnotaſſe videor, facta alia clariora eſſe.* Facilius haec ſtribligo in paedagogis noſtris, qui ſe tantum ac ſui ſimiles imitantur, quam in Plinio ferri poteſt, cui praeclara iſta obſervatio nondum nota fuit: QVOD *poſt verba* dico, puto, arbitror, opinor, ſpero, *et huius generis alia, recte ponitur.* Quod etiam ſi verum eſſe fingas: ſupervacanea tamen et moleſta hic ſunt duo illa verba *adnotatumque experimentis*, nec cum ceteris contexta. Dixerat Plinius, poſt magnas diſſenſiones, cum aliis iuſto mitior, aliis ſeverior placuiſſet ſententia, noviſſime Iulium Ferocem, COS. DES. cenſuiſſe, Mario quidem interim iudices dandos, evocandos autem ex provincia, quibus ille innocentium poenas vendidiſſe diceretur, id eſt, a quibus corruptus innocentes damnaſſe argueretur. Hanc ſolam ſententiam, quaſi mediam, maiori parti ſenatus probatam fuiſſe: quoniam, vel *quod*, ut ipſe ait, *favor et miſericordia acres et vehementes primos impetus habent, paullatim, conſilio et ratione quaſi reſtincta, conſidunt.* Redundant ergo, et a ceteris ſegreganda, vel obelo potius ſunt confodienda illa *adnotatumque experimentis*, pro quo in Ald. eſt *adnotumque experimentis.* In margine ſcilicet ab aliquo adſcripta ſunt, cui experimentis, id verum eſſe, conſtabat: hinc a librariis arrepta et Plinianis, ubi nec poterant, nec debebant, intermiſta. Nec quidquam illis prodeſt, quod in vetuſtiſſimis etiam codicibus reperiri creduntur. Quis enim certus ſatis auctor nobis erit, in nullo ea omiſſa eſſe? Alius alienis oculis, feſtinantibus alius, aut parum acutis eruditisve inſpectus eſt; iisque ipſis, qui lectionum varietatem adnotant, puerile plerumque videtur, omnia curioſius perſequi, quae vel omiſſa in membranis, vel redundantia, vel aliter denique ſcripta reperiunt, quorum praeſertim rationem ipſi non pervident. Mediceum quoque codicem interpolatum eſſe, ſupra vidimus ad lib. I. ep. II. 2. idque ad lib. II. ep. XIIII. 5. non ipſe diſſimulavit Cortius. Vide eumdem ad lib. V. ep. VIII. pr. Nihil ergo nos reiectanea haac expellere probibet, etiamſi librariae fraudis, per ſe manifeſtae, teſtes defuerint. Simillimum huic locum habemus lib. V. ep. XXI. 7. ad quem meam adnotationem leges. *H.*

7 *pateſcit enim* etc.) Rom.

turba, contemplatio rerum, quae turba teguntur.
8 Venerunt, qui adesse erant iussi, Vitellius Hono-
ratus, et Flavius Martianus, ex quibus Hono-
ratus trecentis millibus exsilium equitis Romani,
septemque amicorum eius ultimam poenam; Mar-
tianus unius equitis Romani septingentis millibus
plura supplicia arguebatur emisse: erat enim
fustibus caesus, damnatus in metallum, strangula-
9 tus in carcere. Sed Honoratum cognitioni sena-
tus mors opportuna subtraxit: Martianus inductus
est absente Prisco. Itaque Tuccius Cerealis con-
sularis iure senatorio postulavit, ut Priscus certior
fieret: sive quia miserabiliorem, sive quia invi-
diosiorem fore arbitrabatur, si praesens fuisset:
sive (quod maxime credo) quia aequissimum erat
commune crimen ab utroque defendi: et si dilui
10 non potuisset, in utroque puniri. Dilata res est
in proximum senatum, cuius ipse conspectus
augustissimus fuit. Princeps praesidebat, erat enim
consul: ad hoc Ianuarius mensis cum cetera, tum
praecipue senatorum frequentia celeberrimus: prae-

patascit [ita scriptum] *enim, cum separaris, contemplatio rerum.* Verba *a turba* desunt. *H.*

Patasco forma videtur luteae latinitatis, ut *commando*, de quo vid. Cort. Dissertat. Crit. de usu orthogr. lat, p. 62. edit. Altenb. *S.*

8 *erat enim fustibus caesus*) Rom. *erat enim Cerialis fustibus caesus.* Sed *Cerialis* nomen hic importune inculcatum est. *H.*

Translatum huc est ex versu, qui ordine quartus deinceps sequitur, ubi de Tuccio Cereali s. Ceriali. *S.*

9 *Tuccius*) Ex omni varietate huius nominis a Cortio proposita (*Tutius, Tucius, Ductius, Titius*) illud videbatur praeferendum. *G.*

iure senatorio) Quo poterat ante sententiam dicere etiam de qua re vellet, et quam diu vellet. Iam laudarunt hic Gell. 4, 10. *G.*

sive quia miserabiliorem) Non sunt haec tria verba in Rom. *H.*

Omissa negligentiâ aut librarii, aut typothetae, cuius oculus a primo *sive* ad alterum aberrasset. *S.*

dilui) Oxon. *delui.* de qua varietate vid. Drakenb. ad Liv. 4, 14, 3. *S.*

10 *erat enim consul*) Si hoc a Plinio est, quod creditu difficile, cum nemo illo anno nesciret, quis consulatum gereret: id non Arriani caussa adscriptum fuit, sed eorum, qui multis post annis haec lecturi essent. *H.*

Tam clara νοθείας signa exstant, ut non sim reprehensurus, si quis posthac Plinii editor uncinos his verbis admoverit. *S.*

Ianuarius — celeberrimus) Novi hic magistratus, quorum actio-

terea caussae amplitudo, auctaque dilatione exspectatio et fama, insitumque mortalibus studium magna et inusitata noscendi, omnes undique exciverat. Imaginare, quae solicitudo nobis, qui 11
metus, quibus super tanta re, in illo coetu, praesente Caesare, dicendum erat. Equidem in senatu non semel egi: quin immo nusquam audiri benignius soleo: tunc me tamen, ut nova omnia novo metu permovebant. Obversabatur praeter illa, quae 12
supra dixi, caussae difficultas: stabat modo Consularis, modo Septemvir Epulonum, iam neutrum. Erat 13
igitur perquam onerosum, accusare damnatum: quem ut premebat atrocitas criminis, ita quasi peractae damnationis miseratio tuebatur. Utcun- 14
que tamen animum cogitationemque collegi: coepi dicere non minore audientium adsensu, quam solicitudine mea: dixi horis paene quinque. Nam X clepsydris, quas spatiosissimas acceperam, sunt

nibus magis etiam probare diligentiam student, ut magistratus, ita ceteri. *G.*

cum cetera, —frequentia) Sic et Rom. *H.*

Cetera est *quoad cetera.* Falluntur, qui *ceterá* legunt: nam sequitur, *praeterea — — omnes undique exciverat. S.*

12 *stabat*) scil. ante oculos meos Priscus, qui *modo*, h. e. antequam repetundarum reus esset, Consularis, et Septemvir Ep. fuerat, nunc utraque dignitate exutus. *E.*

Septemvir Epulonum) Cic. de Orat. 3, 19. fin. *Pontifices veteres propter sacrificiorum multitudinem tres viros epulones esse voluerunt, cum essent ipsi a Numa, ut etiam illud ludorum epulare sacrificium facerent, instituti.* Ita a Numa. Aucta deinde numerus, ut in *Duumviris*, mox *Quinqueviris*, porro *Decemviris*, ac *Quindecimviris* denique sacrorum. *Septemviri Epulonum* etiam in vett. inscriptionibus occurrunt. *G.*

13 *quem ut premebat*) vid. Cic. pro Cluent. c. 41. *G.*

quasi) Catanaeus ad *peractae* refert, iudices nondum pronunciasse putans. Fallitur. Modo legimus, *accusare damnatum*, infraque (20) sequitur, *Marium repetundarum poenae, quam iam passus esset, censuit relinquendum.* Igitur *quasi* ad totam quae sequitur ῥῆσιν, *peractae damnationis miseratio tuebatur*, spectat. *S.*

14 *utcunque*) vid. Ep. 1, 12, 2. *S.*

duodecim clepsydris) Variatur in numeris. Catanaeus legit XX. quibus IV additae efficiunt XXIV: quibus cum horae paene quinque respondeant, consequens est, ut V clepsydrae horam emetiantur. Sed si XII verius est, tribuendae erunt horae uni tres clepsydrae, [vid. Gesneri ad I. A. Ernestium epist.] Illud quidem ex ipsa varietate apparet, notis, non integris vocibus numerum, quicunque fuerit, in libris antiquis expressum fuisse.

additae quatuor. Adeo illa ipſa, quae dura et
adverſa dicturo videbantur, ſecunda diceuti fue-
15 runt! Caeſar quidem mihi tantum ſtudium, tan-
tam etiam curam (nimium eſt enim dicere ſoli-
citudinem) praeſtitit, ut libertum meum poſt me
ſtantem ſaepius admoneret, voci laterique con-
ſulerem: quum me vehementius putaret inten-
di, quam gracilitas mea perpeti poſſet. Reſpon-
dit mihi pro Martiano Claudius Marcellinus.
16 Miſſus deinde ſenatus, et revocatus in poſterum.
Neque enim iam inchoari poterat actio, niſi ut
17 noctis interventu ſcinderetur. Poſtero die dixit
pro Mario Salvius Liberalis, vir ſubtilis, dispo-
ſitus, acer, diſertus: in illa vero cauſſa omnes
artes ſuas protulit. Reſpondit Cornelius Tacitus
eloquentiſſime, et, quod eximium orationi eius
18 ineſt, σεμνῶς. Dixit pro Mario rurſus Fronto
Catius inſigniter: utque iam locus ille poſcebat,
plus in precibus temporis, quam in defenſione
conſumſit. Huius actionem veſpera incluſit: non

Etiam horae modum neſcimus qua menſem: niſi forte habuerunt aliquam aequinoctialium horarum menſuram ordinariam. Ceterum, quantum temporis datum ſit actoribus, quantum reis, intelligas ex 4, 9, 9. *G.*

15 *Caeſar quidem mihi* etc.) Rom. *Caeſar quidem tantum mihi ſtudium, tantam curam etiam (nimium enim eſt dicere ſollicitudinem) praeſtitit.* *H.*

Concinunt alii libri: nec displicet hic ordo. *S.*

laterique) „In oratore ſunt „pulmones, noſtro more loquen-„di. Nempe vires ſic dicuntur „eae, quarum defectus in latere „ſentitur, ut a currentibus, can-„tantibus dicentibus, potantibus, „Venerem exercentibus: in qui-„bus generibus omnibus latera „pro viribus dicuntur." I. A. Erneſt. in Clav. Cicer. h. v. *Vocem et latera*, ut Plinius, iungit Cicero Verr. IV. 30. *S.*

intendi) Rom. *incendi.* *H.*

16 *Neque enim* etc.) Rom. *Neque enim inchoari poterat actio, niſi ut.* *H.*

17 *ſubtilis, diſpoſitus, acer*) *Subtilis* eſt, qui rem prudenter et acute videt; *diſpoſitus*, qui rem bene inventam aut perceptam optimo ordine dispenſat et tractat; *acer*, cuius actio et oratio viget quadam vehementia, ſpiritu, impetu dicendi. *E.*

quod eximium orat. eius ineſt) Rom. *quod eximium orationi ſuae ineſt.* *H.*

Id equidem non damnaverim. Vid. Sanct. Minerva L. II. C. XII. *S.*

18 *Huius actionem veſpera incluſit*) id eſt, finivit, ita tamen, ne media oratio abrumperetur, ſed ut perorandi tempus eſſet. Cornel. Celſ. lib. I. c. 2. extr. *Ubi expletus eſt aliquis, facilius concoquit, ſi, quidquid*

tamen ſic, ut abrumperet. Itaque in tertium diem
probationes exierunt. Iam hoc ipſum pulchrum
et antiquum, ſenatum nocte dimitti, triduo vocari,
triduo contineri. Cornutus Tertullus COS. deſi- 19
gnatus, vir egregius, et pro veritate firmiſſimus,
cenſuit *ſeptingenta millia, quae acceperat Marius,
aerario inferenda: Mario urbe Italiaque interdi-
cendum; Martiano hoc amplius, Africa.* In fine
ſententiae adiecit, *Quod ego et Tacitus iniuncta
advocatione diligenter fortiterque functi eſſemus,
arbitrari ſenatum, ita nos feciſſe, ut dignum
mandatis partibus fuerit.* Adſenſerunt conſules 20
deſignati, omnes etiam conſulares usque ad Pom-
peium Collegam: ille et *ſeptingenta millia, quae
acceperat Marius, aerario inferenda*, et *Martia-
num in quinquennium relegandum: Marium re-
petundarum poenae, quam iam paſſus eſſet,*
cenſuit *relinquendum.* Erant in utraque ſententia 21
multi, fortaſſe etiam plures in hac vel ſolutiore
vel molliore. Nam quidam ex illis quoque, qui
Cornuto videbantur adſenſi, hunc, qui poſt ipſos
cenſuerat, ſequebantur. Sed quum fieret diſceſ- 22
ſio, qui ſellis conſulum adſtiterant, in Cornuti
ſententiam ire coeperunt. Tum illi, qui ſe Col-

adſumſit, potione aquae frigidae includit. *H.*

Idem Celſus lib. I. c. 8. *omnes potiones aqua frigida includere.* *S.*

ſenatum nocte dimitti) Rom. *ſenatum nocte dirimi*, quod ex Medic. et Helmſtad. iam Cortius reſtituit. *H.*

Ita et Excerpta Brummeri. Cortium ſecutus eſt Gierigius. *S.*

19 *COS.*) Tironum in gratiam moneo, priſca orthographia *Coſul* ſcriptum fuiſſe; hinc per compendium COS. *S.*

advocatione) Ne quis cum Catanaeo ſimpliciter *advocationem* dici pro accuſatione exiſtimet, reſpiciendum ad ſ. 2. *Ego et Cornelius Tacitus* adeſſe *provincialibus iuſſi: advocatio* igitur refertur non ad eum, contra quem venimus, ſed ad eum, quem defendimus. *G.*

20 *conſules deſignati*) vid. Heuſing. oſtendentem, quot tum eſſe potuerint Coſſ. deſſ. *G.*

quae acceperat Marius) Deſunt in libris ſcriptis pluribus; beneque omiſerunt Cortius et Gierigius. Antea (19) recte leguntur. *S.*

cenſuit relinquendum) vid. Gronov. ad Tacit. Annall. 1, 74. *G.*

21 *ſolutiore vel molliore*) Dubitat, verbumne durius vehementiusque adhibendum ſit, an lenius? *ſolutus* enim nimis eſt mollis. *G.*

legae adnumerari patiebantur, in diverſum transierunt: Collega cum paucis relictus. Multum poſtea de impulſoribus ſuis, praecipue de Regulo, queſtus eſt, qui ſe in ſenteutia, quam ipſe dictaverat, deſeruiſſet. Eſt alioqui Regulo tam mobile ingenium, ut plurimum audeat, plurimum
23 timeat. Hic finis cognitionis ampliſſimae. Supereſt tamen λειτούργιον non leve, Hoſtilius Firminus, legatus Marii Priſci, qui permiſtus cauſſae, graviter vehementerque vexatus eſt. Nam et rationibus Martiani, et ſermone, quem ille habuerat in ordine Leptitanorum, operam ſuam Priſco ad turpiſſimum miniſterium commodaſſe, ſtipulatusque de Martiano quinquaginta millia denariûm probabatur: ipſe praeterea accepiſſe ſeſtertiûm decem millia, foediſſimo quidem titulo, nomine unguentarii, qui titulus a vita hominis comti
24 ſemper et pumicati non abhorrebat. Placuit,

23 *Custom — Firminus*) Similis conſtructio Tullianae Epiſt. 1, 4. init. *unumque certamen eſſet relictum ſententia Volcatii.* qui locus male tentatur. *S.*

λειτούργιον) Deminutiva ſignificatione vocem accipio cum chariontiſmo quodam, quem etiam additum *non leve* indicat. *G.*

ad turpiſſimum miniſterium commodaſſe) Rom. *ad turpiſſimum miniſterium commendaſſe.* *H.*

ſtipulatusque de Martiano) Hic nimirum ſ. 8. *ſeptingentis millibus emerat a Mario Priſco plura ſupplicia unius equitis:* interceſſor et proxeneta huius negotii fuit Hoſtilius Firminus, ſtipulatusque eſt Mario, *de Martiano* h. e. ex area illius ſolvenda *quinquaginta millia denariûm.* Ceterum *ſtipulari de aliquo* inſolentius dictum videri poteſt. Ita tamen etiam Africanus l. 37. π. de uſufr. et quemadmodum. *Si, cum in annos decem proximos uſum fructum de te dari ſtipulatus eſſem, per te ſteterit, quo minus dares.* Iterum eadem lege, *ſi Stichi decem annorum operas de te dari ſtipulatus ſim.* *G.*

foediſſimo — unguentarii) Ita et Rom. *H.*

unguentarii) Pecuniae in unguenta impendendae, foedus titulus in provinciali praeſertim et milite, quos *allium obolere quam unguentum*, non tantum barbati illi et capillati Quirites, ſed Veſpaſianus etiam malebat apud Sueton. c. 8.: quo eodem loco etiam *calcearii* mentio, quod *unguentarii* formam habet. *Clavarium, camelarium, vaſarium, veſtiarium, hordearium, cerarium, linguarium* (quo linguae temeritas redimitur Muret. V. L. 12, 5.) *uxorium, locarium,* ipſumque adeo *congiarium, honorarium, ſalarium*, eodem modo dici, a viris doctis oſtenſum eſt. *G.*

pumicati) Pumice enim utebantur ad laevigandas non mem

censente Cornuto, referri de eo proximo senatu:
tunc enim, casu incertum, an conscientia, ab-
fuerat. Habes res urbanas: invicem rusticas scri- 25
be, quid arbusculae tuae, quid vineae, quid
segetes agant, quid oves delicatissimae? In sum-
ma, nisi aeque longam epistolam reddes, non est
quod postea, nisi brevissimam, exspectes. Vale.

XII.

*Eventum caussae Firmini legati, quam superiori epi-
stola notaverat, perscribit.*

C. PLINIVS ARRIANO SVO S.

Λειτούργιον illud, quod superesse Marii Prisci
caussae proxime scripseram, nescio an satis cir-
cumcisum, tamen et adrasum est. Firminus 2
inductus in senatum respondit crimini noto.

branas modo, quibus inscriberent, sed ad pellem etiam suam molles. Laudavit hic post Cellarium Cortius Savaronem ad Sidon. 1, 7. et 8, 3. *G.*

25 *agant*) Al. *agunt.* Vid. Gesneri ad I. A. Ernest. epistola. Si τελείαν στιγμὴν post *scribe* ponas, *agunt* bene habet. *S.*

In summa, nisi — reddes) Rom. *In summa nisi aeque longam epistolam reddis. H.*

XII, 1 *Λειτούργιον*) Vid. 2, 11, 23. *G.*

circumcisum — adrasum) Sic scripsisse putamus Plinium. Sic certe Aldus edidit, sic sententia postulat. *Circumcidere* plus esse quam *adradere*, dubium non est: si quis tamen dubitet, illum facile scriptorum rei rusticae usus in viam reducat. Firminus de Plinii sententia et Cornuti *circumcidendus* erat, *amputandus* plane, corrupti membri aut praeputii instar, a senatu: sed *adrasus* modo est, iure provinciae administrandae privatus. Ita λειτούργιον illud, munus illud reipublicae, si non *circumcisione* et amputatione Firmini, tamen *adraso* ipso *quoque* non minus quam Prisco, perfectum est. *G.*

Illud quod superesse λειτούργιον Marii Prisci caussae proxime scripseram, nescio an satis, circumcisum tamen et abrasum est. Ita plane scriptum et interpunctum est in Rom. cum vulgo post *circumcisum* interstinguatur. *Abrasum* retineo, quod plus significat, quam *adrasum* et *circumcisum*. Minus ex barba remanet, quae *abraditur*, quam quae *circumciditur*: trabes etiam prius *circumciduntur*, tum vero et *abraduntur*. Etsi itaque Plinio remissius, quam decuit, actum videtur; tamen munus illud publicum quacunque ratione peractum erat. *H.*

Assentior viro egregio. *S.*

2 *inductus in senatum*) de reo.

Sequutae sunt diversae sententiae consulum designatorum. Cornutus Tertullus censuit ordine movendum: acutius Nerva, in sortitione provinciae rationem eius non habendam. Quae senten-

Sic et epistola superiori 9. Alio sensu ep. 2, 14, 4. *S.*

acutius Nerva) Primo Nervam imperatorem nemo hic cogitet. Rem sub Traiano gestam, constat. Deinde illud *acutius* ironicum esse, clare monstrant, quae mox dicuntur. Potestne enim *acutum* esse, quod *miserum*, *minime congruens*, *minime decorum?* Putat Heusing. locum corruptum ex Iulius Ferox vel simili nomine. *G.*

Cornutus Tertullus censuit ordine movendum: Acutius Nerva in sortitione provinciae rationem eius non habendam. Haec ex praescripto Rom. expressa multis suspecta sunt. Plus aliis vidisse creduntur, qui, *acutius* hic non proprium nomen esse, sed adverbium, monuerunt: quamquam ne in hac quidem interpretatione plus acuminis inest, quam in Nervae, quem librarii nobis consulem designatum dederunt, sententia. Nec obscurum est, non laudari eam a Plinio, sed ut *duriorem tristioremque* reprehendi. Et quis ille Nerva fuerit, qui ita censuerit, nondum quisquam docere potuit. Consulem designatum significari, ex verbis Plinii apparet: acta haec sunt TRAIANO III. COS. Ianuario mense, cum collegam is haberet M. CORNELIVM FRONTONEM: cui Martio mense suffectus esse creditur S. POMPEIVS COLLEGA. Quis vero deinceps Maio et Iulio mense successerit, parum constat: etsi dubium non est, quin Traianus, qui VIII. mensibus consulatum gessit, quatuor collegas habuerit. Nam si prior, Fronto, qui tertium erat consul, duos tantum menses in magistratu fuit, quis posterioribus plus temporis datum credat? Nec Plinius paneg. c. LX. duos omnino Traiano collegas fuisse ait, sed duos tertium consules, quibus alii successores esse potuerunt. Septembri secutus est PLINIVS et CORNVTVS TERTVLLVS: extremi mensis consules veteris monumenti inscriptio nominat, quod sub TRAIANO TRIB. POT. IIII. COS. DES. [IIII. ex Massoni coniectura] dedicatum est III. K. IAN. L. ROSCIO. AELIANO. TIB. CLAVDIO. SACERDOTE. COSS. Fuit hoc anno consul etiam IVLIVS FEROX, qui a Plinio certe inter consules designatos numeratur superioris epistolae n. 5. et sequenti anno *curatorem* egit *alvei et riparum Tiberis et cloacarum*, teste veteri inscriptione, quam Catanaeus ad epist. XI. 5. adfert. Haec vero cura consulatum sequebatur, quae eodem anno Plinio quoque demandata fuit. Vide interpretes ad lib. V. ep. XV. 2. Ex omnibus his nominibus vulgatae scripturae vestigiis nullum propius est, quam *Iulius Ferox*, ut pro *Acutius Nerva* legatur, *At Iulius Ferox.* Sed ne haec quidem coniectura nunc satis mihi placet, quod Iulium Ferocem *virum rectum et sanctum* dicit: huius vero sententiam, quod iam supra dixi, quasi parum prudentem et aequam vituperat. Hanc ob caussam fortasse non errant, quibus *Acutius Nerva* nomen videtur proprium esse. Fuit certo apud Romanos *Acutia* gens, ex qua plures nominat Glandorpius onomast. p. 9. In eam ex Nervis aliquis adoptari, et *Acutius Nerva* appellari potuit. Fuere et *Silii Nervae*, quorum Tacitus et alii mentionem fecere. *H.*

tia, tanquam mitior, vicit, quum sit alioqui du-
rior tristiorque. Quid enim miserius, quam ex- 3
sectum et exemtum honoribus senatoriis, labore
et molestia non carere? Quid gravius, quam
tanta ignominia adfectum, non in solitudine la-
tere, sed in hac altissima specula conspiciendum
se monstrandumque praebere? Praeterea, quid 4
publice minus aut congruens aut decorum? no-
tatum a senatu in senatu sedere? ipsisque illis,
a quibus sit notatus, aequari? submotum a pro-
consulatu, quia se in legatione turpiter gesserat,
de proconsulibus iudicare? damnatumque sordium,
vel damnare alios vel absolvere? Sed hoc plu-
ribus visum est. Numerantur enim sententiae, 5
non ponderantur: nec aliud in publico consilio
potest fieri; in quo nihil est tam inaequale, quam
aequalitas ipsa. Nam quum sit impar prudentia,
par omnium ius est. Implevi promissum, prio- 6
risque epistolae fidem exsolvi, quam ex spatio
temporis iam recepisse te colligo. Nam et festi-
nanti et diligenti tabellario dedi: nisi quid impe-
dimenti in via passus est. Tuae nunc partes, ut 7
primum illam, deinde hanc remunereris literis,
quales isthinc redire uberrimae possunt. Vale.

Fallitur ergo Gierigius, libros ad unum omnes exhibere *acutius* minore litera initiali contendens. Certe Romanus liber hanc labem non traxit. Ceterum cum Gierigio *Acutius Nerva* editurus erat Ernestius, qui de hoc loco sic: „Ita non dubitavi reponere, „Gierigium secutus, qui docuit „Nervam e familia Acutiorum fuis- „se, Fastosque Almelovenios a. Chr. „100. quo haec caussa acta sit, „Acutium Nervam, et Iulium Fe- „rocem Consules ex Cal. Novembr. „nominare. Sic locus planus, „qui antea torserat interpretes, „cum *acutius* adverbii vim ha- „bere putarent." *S.*

3 *labore et molestia*) Rom. *laboribus et molestia. H.*

sed in hac etc.) Rom. *sed in hac, in altissima specula conspiciendum. H.*

4 *aut congruens — a senatu*) Sic et Rom. *H.*

submotum a proconsulatu) Rom. *et submotum a proc. H.*

Copulam recepit Cortius. Habent etiam Excerpta Brummeri. *S.*

7 *quales isthinc redire uberrimae possunt*) Dictum ut *quantum amplissimum*, ep. XIII. 10. Rom. tamen *uberrime. H.*

XIII.

Voconium Romanum commendat.

C. PLINIVS PRISCO SVO S.

Et tu occaſiones obligandi me avidiſſime ample-
2 cteris, et ego nemini libentius debeo. Duabus
ergo de cauſſis a te potiſſimum petere conſtitui,
quod impetratum maxime cupio. Regis exerci-
tum ampliſſimum; hinc tibi beneficiorum larga
materia, longum praeterea tempus, quo amicos
3 tuos exornare potuiſti. Convertere ad noſtros,
nec hos multos. Malles tu quidem multos, ſed
meae verecundiae ſufficit unus aut alter, ac potius
4 unus. Is erit Voconius Romanus. Pater ei in
equeſtri gradu clarus, clarior vitricus, immo pater
alius: nam huic quoque nomini pietate ſucceſſit.
Mater e primis citerioris Hiſpaniae. Scis, quod
iudicium provinciae illius, quanta ſit gravitas.
5 Flamen proxime fuit. Hunc ego, quum ſimul
ſtuderemus, arcte familiariterque dilexi: ille meus
in urbe, ille in ſeceſſu contubernalis: cum hoc
6 ſeria, cum hoc iocos miſcui. Quid enim aut illo
fidelius amico, aut ſodale iucundius? Mira in
ſermone, mira etiam in ore ipſo vultuque ſuavi-
7 tas. Ad hoc ingenium excelſum, ſubtile, dulce,

XIII inſcr. Rom. *Cornelio Priſco*. ſecus, quam interpretibus adhuc viſum. Vide lib. V. epiſt. XX. 7. *H.*

3 *Malles*) Legendum puto *males*. *H.*

4 *iudicium provinciae*) Quam recte et ſalubriter de honeſtate, felicitate, officio, iudicent illius provinciae homines. *G.*

Flamen proxime fuit) Sic Rom. omiſſo, quod vulgo praecedit, *ipſe*. Id in Rom. ad *matrem* adiectum eſt ita: *Mater e primis ipſa citerioris Hiſpaniae*. Paullo ante alterum *ſcis* in Rom. deeſt, ubi ſcriptum, *provinciae illius, quanta gravitas*. *H.*

Vulgo: *ſcis, quanta ſit gravitas*. Sed optimi libri alterum hoc *ſcis* ignorant. *S.*

6 *Quid enim aut illo fidelius amico*) Rom. *Quid enim illo aut fidelius amico*. Ita recte legitur. *H.*

Hunc ordinem praetulerunt Cortius et Gierigius: praeferendusque eſt, non quod mollior ſit, ſed quia *illo* particulam neceſſario praecedit. *S.*

7 *Ad hoc ingenium excelſum*) Rom. *Ad haec ingenium excelſum*. *H.*

facile, eruditum in cauſſis agendis. Epiſtolas qui-
dem ſcribit, ut Muſas ipſas Latine loqui credas.
Amatur a me plurimum, nec tamen vincitur. 8
Equidem iuvenis ſtatim inveni, quantum potui
per aetatem, avidiſſime contuli, et nuper ab opti-
mo principe trium liberorum ei ius impetravi.
Quod quamquam parce et cum delectu daret,
mihi tamen, tanquam eligeret, indulſit. Haec 9
beneficia mea tueri nullo modo melius, quam ut
augeam, poſſum, praeſertim quum ipſe illa tam
grate interpretetur, ut, dum priora accipit, po-
ſteriora mereatur. Habes, qualis, quam proba- 10
tus carusque ſit nobis. Quem rogo, pro ingenio,
pro fortuna tua exornes. In primis ama homi-
nem. Nam licet tribuas ei quantum ampliſſimum
potes, nihil tamen amplius potes amicitia tua:
cuius eſſe eum usque in intimam familiaritatem
capacem, quo magis ſcires, breviter tibi ſtudia,
mores, omnem denique vitam eius expreſſi.
Extenderem preces, niſi et tu rogari diu nolles, 11
et ego tota hac epiſtola feciſſem. Rogat enim et
quidem efficaciſſime, qui reddit cauſſas rogandi.
Vale.

Perpetua confuſio. Hic libri Romani lectionem amplectar. vid. ſupra ad 1, 10, 6. *S.*

8 *Equidem iuvenis* etc.) Rom. *Equidem iuvenis iuveni, quantum potui*, ſine *ſtatim*. *H.*

mihi tamen etc.) Rom. *mihi tamen, tamquam liceret, indulſit*, in Medic. bene. *H.*

Me quoque vulgata offendit; ut non mirer, Cortium *liceret* edidiſſe. Interpretando minuit difficultatem Gierigius, non tollit: cuius ratio ſi valeret, corrigendum eſſet *tanquam ipſe elegiſſet*. Sed nec hoc ſatisfaceret. *S.*

10 *usque in intimam familiaritatem* Rom. *usque ad intimam familiaritatem*. *H.*

Si Latinitatis regulam adhibeas, utrumque bonum; ſi aurium ſenſum conſulas, longe melius Romani aliorumque librorum *usque ad*, Cortio iure probatum. *S.*

11 *et ego tota hac epiſtola*) Rom. *et ego tota hoc epiſtola*. *H.*

Hoc, etiam in Brummeri Excerptis obvium, receperunt Cortius et Gierigius. Laudo. *S.*

XIV.

Centumvirales caussas ab adolescentulis profanatas queritur.

C. PLINIVS MAXIMO SVO S.

Verum opinaris: distringor centumviralibus cauf-
fis, quae me exercent magis, quam delectant.
Sunt enim pleraeque parvae et exiles. Raro in-
cidit vel personarum claritate vel negotii magni-
2 tudine insignis. Ad hoc, perpauci, cum quibus
iuvet dicere: ceteri audaces, atque etiam magna
ex parte adolescentuli obscuri ad declamandum
huc transeunt, tam irreverenter et temere, ut
mihi Attilius noster expresse dixisse videatur, sic
in foro pueros a centumviralibus caussis auspica-
ri, ut ab Homero in scholis. Nam hic quoque,
ut illic, primum coepit esse, quod maximum est.
3 At hercule ante memoriam meam, (ita maiores

XIV, 1 *distringor c. c.*) Rom. *destringor centumviralibus caussis. H.*

Perperam. Alibi in partem contrariam peccatum. Vid. Duker. ad Flor. 2, 2, 17. eundemque et Drakenb. ad Liv. 8, 7, 20. *Distringi* est impediri, *destringi* nudari. *S.*

parvae et exiles. Raro) Rom. *parvae et ex illis raro. H.*

2 *Ad hoc, perpauci, cum quibus iuvet dicere*) Rom. *Ad hoc pauci, quibus cum iuvat dicere. H.*

Iuvet a Secundi manu profectum esse, nemo non intelligit. Vel ex hoc exemplo discas, quantum librarii in talibus licere sibi putaverint. Conf. Medicei codicis lectionem infra ep. 16, 1. *S.*

ad declamandum. 'Persuaserat auctoritas I. F. Gronovii, summis viri meritis quaesita, aliis, ut *a declamando* mallent legere contra omnes Codices, quia ille eum putabat sensum, a declamationibus et schola statim ad centumvirales caussas transire iuvenes, non ante in minoribus virium facere experimenta. Sed iam vidit Cortius, acumen inesse in Secundi verbis. Ante in scholis et umbra declamabant adolescentes, nunc declamant, h. e. exercent se, et rudimenta dicendi ponunt in eo caussarum genere, ad quod non nisi exercitatos venire eos par fuerat. *G.*

Rom. *ad declamandum huc transeunt*, ut plures libri, recte. *H.*

transeunt) Cortius *transierunt*, quod non imiter. *S.*

Attilius noster) Rom. *Atilius noster*, non *Attilius*. Illud in lapidibus et nummis est. *H.*

Vid. Duker. ad Flor. 1, 20, 1. 2, 2, 17. *S.*

expresse) ἐμφατικῶς, ut rem ipsam luculenter declararet. *G.*

3 *ita maiores natu s. d.*) Hoc vult, Non diu est, utor enim, vir iuvenis adhuc, ea formula, qua uti solent senes, cum tempus non diu praeteritum, et res nuper

natu solent dicere) ne nobilissimis quidem adolescentibus locus erat, nisi aliquo consulari producente: tanta veneratione pulcherrimum opus colebatur. Nunc, refractis pudoris et reverentiae 4
claustris, omnia patent omnibus; nec inducuntur, sed irrumpunt. Sequuntur auditores actoribus similes, conducti et redemti: manceps convenitur in media basilica, ubi tam palam sportulae, quam

demum in deterius mutatas indicare volunt. *G.*

Hic tamen monuit Gierigius, Plinium non iuvenem hanc epistolam scripsisse, sed aetate iam provectiorem, ut e § 14 pateat, deinde formulam *ante memoriam meam* senibus non fuisse propriam. Itaque putat a Plinii manu profectum esse: *ante memoriam meam maiores natu ibi dicere* (apud Centumviros agere *solebant, et ne nobilissimis* etc. Mihi tota illa parenthesis videtur orta a manu glossatoris, qui verbis *ante memoriam meam* explicandi gratia eam adscripserat. *E.*

Neque haec ratio placet, nec Gierigiana. Parenthesis illa non pertinet ad antecedentia, *ante memoriam meam*, sed ad sequentia, *ne nobilissimis quidem* etc. Refert Plinius, quod non ipse viderat, sed a maioribus natu acceperat. Sic et Heusingerus. *S.*

Rom. *At mehercule ante memoriam meam maiores natu solebant dicere ne nobilissimis quidem adolescentibus locus erat.* Recte *solebant dicere*, sine *ita*, quo nihil hic opus, quodque ab aliis varie transponitur. *Ante memoriam meam ne nobilissimis quidem adolescentibus locus erat*, idque *maiores natu* me adolescentulo *solebant dicere*. In pluribus fuit *solebant*, idque invito Cortio restituendum. Plinius, cum haec scriberet, iam aetate processerat, propior illis annis, quibus foro renuntiare solebant. *H.*

4 *manceps conventur*) Lectio Codicis Medicei a Cortio prolata. *Manceps est*, qui pretio accepto negotium sibi imponi passus est ab oratore, ut nummis conducat ei laudatores et plausores. Hic *manceps convenitur in media basilica*. Cum enim IV fere iudicia eodem tempore haberi in basilica Iulia solerent (vid. supra 1, 18, 3.); manceps in medio commodissime fungi potest munere suo, et tum suadere, ut huc vel illuc transeant homines ad suum locatorem scilicet, tum laudis plaususque pretium illis repraesentare. Quin si plurium forte idem manceps sit, potest eos, qui in uno iudicio operam ipsi dedere, traducere ad alterum. Ceterum de illis laudationibus, quibus actio saepe ipsa interpellaretur, plura Quinctil. 11, 3, 121. 126. 131. *G.*

Rom. *redemti mancipes. Convenitur.* Praestat vero hic scriptura Med. *manceps convenitur.* *H.*

ubi tam palam) Gierigius illud *ubi* extrusit, quod ex ingenio Aldi profectum putat, et hic locum habere negat; sed caussas mutationis, quas ille adfert, ego quidem intelligere non potui. Sensus idem est, sive illud *ubi* eiicias, sive serves. Acute et acerbe Plinius basilicam triclinio comparat, ideoque pecuniam, quae a mancipibus dabatur laudaturis, sportulas appellat, quae proprie ad triclinia pertinebant. Illae in

in triclinio dantur. Ex iudicio in iudicium pari
5 mercede transitur. Inde iam non inurbane Σοφοκλεῖς vocantur: iisdem Latinum nomen impositum est laudicoeni. Et tamen crescit in dies
6 foeditas utraque lingua notata. Heri duo nomenclatores mei, (habent sane aetatem eorum, qui

tricliniis dabantur *palam*, aperte, quia mos ita ferebat, et poterat honeste fieri: in basilica non item. *E.*

Laudo Gierigium, quod particulam illam confodit, cum a libris optimis plurimisque exsulet; quam enim ipse caussam comminiscitur, cur eam expunxerit, futilis et frivola est. Sensum loci Ernestius commode explicuit. Ceterum cum Cortio sic interpungendum: *manceps convenitur: in media basilica tam palam sportulae, quam in triclinio dantur. Tam, quam* sunt particulae, non copulandi, ut Gierigio videtur, sed comparandi. Vid, Horat. Tursellin. de Partic. Cap. CCLVII. 5. Nolten. Lexic. Antibarb. col. 1776. *S.*

5 *Σοφοκλεῖς*) Ex hoc quidem loco non satis patet, quinam *Σοφοκλεῖς*, qui *laudicoeni* dicti sint, oratoresne, qui ad *σοφῶς* illud sibi *acclamandum homines* per mancipes suos conducerent, et *laudes* suas *coenis* redimerent; an plausores, qui *σοφῶς* clamarent *laudibusque* ferrent dicentes, ut *vocarentur* ad *coenam*. Posteriores equidem intelligere mallem. Nimirum posterior pars *Σοφοκλέους ἀπὸ τοῦ καλεῖν* hic derivatur, (a quo etiam ipsum *κλέος* est) *laudicoeni* autem dicuntur ex adliteratione ad *Laodiceam*, quae *Laudicea* dicebatur, non minus *Lautumia* pro *Laotomia* etc. Ceterum verba adclamationum collegit Voss. de imitat. p. 41. ubi nempe de recitatione c. 7. sq. *G.*

Ipsos auditores *Σοφοκλεῖς* dictos esse, iam Cresollius monuit Theatr. Rhet. Lib. 3, 5. ubi et acclamationum formulas accurate congessit. *E.*

Rom. *Inde iam non inurbanae σοφοκλεῖς ἀπὸ τοῦ σοφὸς καλεῖσθαι.* Verbum *vocantur* deest. Tum: *Iisdem Latinum nomen impositum est Laodicenes.* Hoc pro *laudicenes* scriptum et probum esse opinor. Non ad *Laodicenos* adluditur, quod frustra fingitur ab interpretibus: sed ad aliarum vocum exemplum hoc componitur, quales sunt *tibicines*, *fidicines*, ut mercenarii laudatores et quasi *laudium decantatores* notentur. *H.*

6 *Heri duo n.*) Rom. *Here duo n. H.*

Vid. supra ad 2, 7, 1. ibique Cortium. *S.*

nomenclatores) Servos fuisse, qui occurrentium nomina dominis subiicerent, pervulgatum est. Humaniores et literatos fuisse, ex hoc ipso illorum officio colligas. Ita fuisse vestitos, ut etiam pro civibus haberi possent ab ignotis, vel ex hoc ipso loco videtur intelligi. Quis enim ferret servum hominem, quem omnes talem sciunt immiscere se togatis etc. Seneca de Clem. 1, 24. pr. Quid si verba parenthesi inclusa ita intelligamus: *Habent* nomenclatores *aetatem eorum* oratorum, ad quos laudandos invitantur, utpote *qui nuper togas sumserint?* ut ipsi servi nuper togam sumsisse, h. e. quintum decimum annum aetatis ingressi intelligantur. De hoc tempore sumendae togae Norisium ad Cenot. Pisan. 2, 4. laudat Cortius. *G.*

nuper togas ſumſerint) ternis denariis ad laudan-
dum trahebantur. Tanti conſtat, ut ſis diſertiſ-
ſimus. Hoc pretio quamlibet numeroſa ſubſellia
implentur: hoc ingens corona colligitur: hoc in-
finiti clamores commoventur, quum μεσόχορος
dedit ſignum. Opus eſt enim ſigno apud non 7
intelligentes, ne audientes quidem: nam plerique
non audiunt, nec ulli magis laudant. Si quando 8
transibis per baſilicam, et voles ſcire, quomodo
quisque dicat, nihil eſt, quod tribunal adſcendas,
nihil, quod praebeas aurem: facilis divinatio.
Scito, eum peſſime dicere, qui laudabitur maxi-
me. Primus hunc audiendi morem induxit Lar- 9
gius Licinius: hactenus tamen, ut auditores cor-
rogaret. Ita certe ex Quintiliano, praeceptore

togas ſumſerint) Rom. *togas ſumſerunt.* *H.*

Sumſerint Medic. et Brummeri Excerpta. Praefero cum Gierigio *ſumſerunt.* *S.*

μεσόχορος) Praecentor, qui medio in choro conſtitutus manu, nutu, voce, tempora et voces moderatur: manceps nimirum in media baſilica intentus operis a ſe conductia. *Χορὸν οἰκεῖον καὶ συνᾴδοντα* hac in re laudat Luc. Rhet. praec. p. 321. m. *G.*

Rom. *cum meſechorus dedit ſignum.* *H.*

De meſochoro vid. H. Stephan. Ind. in Theſaur. L. Gr. col. 1439. F. G. Reperi hanc vocem etiam in Lex. Latinogr. Vet. ab H. Stephano edito col. 136. *S.*

7 *ne audientes quidem*) Ita et Rom. *H.*

Mediceua, perpetua confuſione, *nec audientes quidem*, quod h. l. Cortio placet, cum ſit pro *et ne audientes quidem.* Sed indignatio ſcribentia copulam melius negligit. *S.*

8 *nihil eſt, quod* etc.) Rom. *nihil eſt, quod tribunal aſcendas, nihil, quod tu praebeas aurem.* *H.*

tribunal adſcendas) Locum gradu uno alteroque elevatiorem, in quo ſella praetoria, ac ſubſellia iudicum, proſcenium quaſi forenſis illius theatri, in quo actores ipſi verſantur. *G.*

qui laudabitur maxime) Rom. *qui laudatur maxime.* *H.*

9 *Largius Licinius*) Ventoſum hominem, et famam pecunia emere conantem, intelligas ex 3, 5, 17. ubi Plinii maioris Electa emere cupit. *G.*

Vid. ad 3, 5, 17. *S.*

Quintiliano) vid. Inſtitutionea Oratt. 5, 7, 7. et 6, 3, 42. *G.*

Rom. *Ita certe Quintiliano praeceptore meo audire memini.* Bene *audire*, praepoſitionem *ex* vero cum ceteris retineo. *H.*

Agroetius de Orthograph. col. 2268. Putſch. *Memini me facere dicere debemus, non, Memini me feciſſe*, praeteriti uſum ſolis poëtis ob metri neceſſitatem coucedens. Fallitur: nam et proſae ſcriptores, quamquam rarius, praeterito utuntur. Vid. Sanct. Min. 1, 14. T. I. p. 131. ed. Lipſ. Nolten. Lex. Antibarb. col. 1569. Clav. Cicer. v. Memini. Hic tamen Heulingero haud invitus accedo. *S.*

10 meo, audiſſe memini. Narrabat ille: *Adſectabar Domitium Afrum, quum apud centumviros diceret graviter et lente, (hoc enim illi actionis genus erat) audiit ex proximo immodicum inſolitumque clamorem: admiratus reticuit: ubi ſilentium factum eſt, repetiit quod abruperat: iterum clamor, iterum reticuit: et poſt ſilentium, coepit idem*
11 *tertio. Noviſſime, quis diceret, quaeſivit: reſponſum eſt, Licinius. Tum intermiſſa cauſſa, Centumviri, inquit, hoc artificium*
12 *periit.* Quod alioqui perire incipiebat, quum periiſſe Afro videretur; nunc vero prope funditus exſtinctum et everſum eſt. Pudet referre, quae, quam fracta pronuntiatione dicantur; quibus,

10 *Adſectabar* etc) Totum h. l. emendatiorem habet Rom. quam vulgo. *Adſectabar Domitium Afrum apud centumviros agentem graviter et lente: hoc illi actionis genus erat: cum audiit e proximo immodicum inſolitumque clamorem Admiratus reticuit: ubi ſilentium factum eſt, repetit, quod abruperat: iterum clamor, iterum reticuit, et poſt ſilentium coepit: idem tertio. Noviſſime, quis diceret, quaeſiit: reſponſum eſt, Licinius Tunc intermiſſa cauſa, centumviri, inquit, hoc artificium perit.* In his probandum eſt primo *agentem apud centumviros.* Nam verbum *diceret* in plerisque deeſſe conſtat, in Medic. et illud et *agentem* omiſſum. Sed ex *agentem*, quod compendio ſcriptum fuit, factum eſt *cum*, et huic deinde aliud verbum *diceret* adiectum. Male itaque Cortius, *cum* ſervato, *diceret* expunxit. Tum et *enim* in parentheſi eleganter excluditur, idque alibi probat ipſe Cortius ad lib. I. ep. XII. 7. et omittit etiam Rom. lib I. epiſt. V. 10. Recte quoque inciditur in his: *et poſt ſilentium coepit: idem tertio*, ſubaudi *fecit*, ut reticeret, et poſt ſilentium rurſus inciperet. Poſtremum *tunc*, pro *tum* librario relinquo. *H.*

Cur librario relinquendum cenſuerit Heuſingerus, docet Hor. Turſellin. de Partic. cap. CCLXX. init. Plurima confuſionis harum particularum exempla congeſſit Drakenb. ad Liv. 2, 12, 15. *S.*

11 *hoc artificium periit*) Licinius efficere poteſt, ut ſibi plaudatur, fruſtra eſt, ut aliquis bonis dicendi artibus ad gloriam et famam contendat. Eſt indignatio ſimilis illi Martialis 9. 75. *Scinde leves calamos, et frange Thalia libellos, Si dare ſutori calceus iſta poteſt.* Sic virorum fortitudinem periiſſe dicebat ille poſt inventas bombardas. *G.*

12 *Quod alioqui*) Locus, ut nunc legitur, haud dubie corruptus, cui medela quaerenda eſt. *E.*

Sic et olim Barthio, et nuper Gierigio viſum fuit. Sine cauſſa. Interpretare: Ceterum hoc perire incipiebat, etc. *S.*

fracta pronuntiatione) Molli et effeminata vel puerili. Huc pertinent etiam *teneri* clamores, ut intelligamus plauſores pueros. *G.*

quam teneris clamoribus excipiantur. Plausus 13
tantum, ac potius sola cymbala, et tympana illis canticis desunt: ululatus quidem (neque enim alio vocabulo potest exprimi theatris quoque indecora laudatio) large supersunt. Nos tamen adhuc et 14
utilitas amicorum, et ratio aetatis moratur ac retinet. Veremur enim, ne forte non has indignitates reliquisse, sed laborem refugisse videamur. Sumus tamen solito rariores: quod initium est gradatim desinendi. Vale.

XV.

Quomodo veteres, et novi coëmti agri placeant, interrogat.

C. PLINIVS VALERIANO SVO S.

Quo modo te veteres Marsi tui? quo modo em-

Fracta pronuntiatione h. e. effeminata, molli, et scenica, quae gravi, virili, et dignitatis plenae opposita est. Ad eam *teneri* quoque *clamores* pertinent, quos mox *cantica* dicit ob modulationem illam, quae mollitie sua proxime ad cantum accedit. Nempe *cantare* proprium erat histrionum: omnis autem modulatio scenica in oratore vitiosa haberi solebat. Itaque Quintil. 11, 1, 56. *cantare* simpliciter dicuntur, qui in illo modulationis genere modum excedunt, et Cap. 3, 57. *vitium cantnndi*, et *modulatio scenica*, synonymice commemorantur. *E.*

Fallitur cum Gierigio Ernestius, clamores illos cum canticis confundens. Immo clamores (mox ululatus) sunt auditorum, cantica oratorum. *S.*

13 *Plausus tantum*) Proprie dictus, qui fit complosis manibus. Sed ne hunc quidem plane abesse, indicat illud *ac potius*, quod in optimis libris invenit Cortius, male ab aliis omissum. *G.*

Confert illos laudantium indecoros strepitus, a quibus verus plausus abesset, clangoribus *cymbalorum* et *tympanorum*, quae effeminatorum Deae Phrygiae sacerdotum, Bacchantiumque mulierum instrumenta erant. Cf. Quintil. 5, 13, 17. ubi *tympana* eloquentiae, h. e. molles et inertes declamationca, *armis*, h. e. virili, gravi, robustaeque eloquentiae, opponit. *E.*

Huc spectat etiam *ululatus*, Graecorum ὀλολυγὴ s. ὀλολυγμός· quae voces item ad sacrorum cerimonias pertinent. Vid. Spanhem. ad Callimach. p. 544. sqq. *S.*

illis canticis) Quintil. 11, 3, 57. *Quodcunque vitium magis tulerim, quam quo nunc maxime laboratur in caussis omnibus scholisque, cantandi: quod inutilius sit an foedius, nescio. Quid enim minus oratori convenit, quam modulatio scenica, et nonnunquam ebriorum aut comissantium licentiae similis?* *G.*

14 *ratio aetatis*) quae nondum tribuit vacationem talium officiorum. Vid. 3, 1, 10. sqq *G.*

sed laborem refugisse videamur) Rom. *sed laborem fugisse videamur.* *H.*

tio nova? Placent agri, poſtquam tui facti
ſunt? Rarum id quidem! Nihil enim aeque
2 gratum eſt adeptis, quam concupiſcentibus. Me
praedia materna parum commode tractant: de-
lectant tamen, ut materna: alioqui longa patien-
tia obcallui. Habent hunc finem aſſiduae quere-
lae, quod queri pudet. Vale.

XVI.

Monenti, ut codicillos Aciliani irritos faciat, non confirmatos teſtamento, reſpondet, voluntatem legantis ſibi pro lege eſſe.

C. PLINIVS ANNIANO SVO S.

Tu quidem pro cetera tua diligentia admones
me, codicillos Aciliani, qui me ex parte inſtituit
heredem, pro non ſcriptis habendos, quia non
2 ſint confirmati teſtamento: quod ius ne mihi
quidem ignotum eſt, quum ſit iis etiam notum,
qui nihil aliud ſciunt. Sed ego propriam quan-

XV, 1 *Rarum id quidem*) Rom. *Parum id quidem*, perperam. *H.*

aeque — quam) Non eſt Tullianum. Locis in Horat. Turtell. Cap. XIV. laudatis accedat hic Secundi. *S.*

2 *parum commode tractant*) In hac verborum brevitate ſufficit ſuſpicari, in praediis illis ſterilitatem, vel calamitatem aliquam, aliaque incommoda agricultura accidiſſe, quae Plinium male haberent. *E.*

alioqui) Cortius ac Gierigius *et alioquin.* Haud diſplicet: nec tamen Schwarzio ad Plin. Panegyr. p. 554. ſq. ita aſſentior, ut copulam abeſſe non poſſe putem. *S.*

XVI, 1 *pro cetera tua dilig.*) Ut 3, 8, 1. *Facis pro cetera reverentia. G.*

cetera) Voſſiani libri *certa* natum ex ſolenni harum vocum confuſione, cuius exempla pete ex Livio 1, 8, 2. inprimisque ex nota Drakenb. ad 34, 36, 4. *S.*

codicillos Aciliani) Rom. *codicillos Atiliani.* Sic etiam poſtea n. 2. *H.*

quia non ſint confirmati) Rom. *quia non ſunt confirmati. H.*

Sic etiam codex Medic. Perperam. Vid. ad ep. 14, 2. *S.*

2 *qui nihil aliud ſciunt*) Qui plane alioqui iuris imperiti ſunt, ii non ignorant, codicillos, teſtamento quidem anteriores, teſtamento non confirmatos, pro non ſcriptis habendos. *G.*

Sed ego propriam quandam legem) Rom. *Sed ego proximam quandam legem. H.*

Ita et Medic. Fruſtra. Quintil. VII, 8. p. 646. Burm. *An,*

dam legem mihi dixi, ut defunctorum voluntates, etiamſi iure deficerent, quaſi perfectas tuerer. Conſtat autem, codicillos iſtos Aciliani manu ſcriptos. Licet ergo non ſint confirmati teſta- 3 mento, a me tamen, ut confirmati, obſervabuntur; praeſertim quum delatori locus non ſit. Nam 4 ſi verendum eſſet, ne, quod ego dediſſem, populus eriperet, cunctatior fortaſſe et cautior eſſe deberem: quum vero liceat heredi donare, quod in hereditate ſubſedit, nihil eſt, quod obſtet illi meae legi, cui publicae leges non repugnant. Vale.

XVII.

Deſcriptio villae Laurentinae.

C. PLINIVS GALLO SVO S.

Miraris, cur me Laurentinum, vel, ſi ita mavis,

quoties propria lex non eſt, ſimili ſit utendum S.

etiamſi iure deficerent) Sic et Rom H.

Cortius cum Gierigio: *etiamſi iure deficerentur.* Similis confuſio in Caeſare B. G. 8, 3, 2. ubi cf. Viros doctos. Vid. ad Plin. ep. 2, 17, 25. S.

3 *delatori*) Qui cauſſari queat, legatum illud publico inferendum, tanquam caducum, ut adeo, tacente etiam Plinio et Codicillos non improbante, tamen legatum ad illos non perveniat, quibus teſtator deſtinarat. G.

4 *cunctatior fortaſſe et cautior*) Rom. *cunctantior fortaſſe et cautior.* Alterum, *cunctatior*, an Latinum ſit, dubito. Lib. VIIII. ep. XIII. 6. *Erat enim cunctantior cautiorque.* Aliud eſt *teſtatior*, *moderatior* et ſimilia, quae a deponentibus ducta paſſivam ſignificationem habent, non activam, ut *cunctatior*, pro quo *cunctantior* facile admitto. H.

Lucretius 3, 193. (mellis) *cunctantior actus*, ut Wakefield. ſcripſit: vulg. *cunctantior.* Sic alibi *cunctatius* et *cunctantius* confuſa. Vid. Burmann. ad Sueton. Iul. Caeſ. c. 19. p. 42. S.

in hereditate ſubſedit) Recte iſta interpretantur ex noſtro 4, 12, 2. et l. 76. π. §. 1. ad Leg. Falcid. Nimirum *ſubſidit*, quidquid apud heredem remanet, cum ex teſtamento tribuendum alii fuiſſet. G.

XVII. Ad hanc epiſtolam, itemque ad alteram 5, 6. ubi Tuſcos ſuos deſcribit Plinius, in univerſum praefandum aliquid hic videtur, ne cui forte in magnae cuiusdam negligentiae ſuſpicionem veniamus, et parum uſi temporum felicitate ad declarandum ſcriptorem elegantiſſimum videamur. Edidit I. F. Felibenius deſcriptionem utriusque villae architectonicam, in qua verba Plinii Latine Galliceque pro-

Laurens meum tantopere delectet. Defines mira-

posita tum animadversionibus quibusdam, tum praesertim formis aeri incisis explicare studeret. (*Les plans et descriptions de deux des plus belles maisons de campagne de Pline le Consul*, tum alias, tum *Lond.* 1707, 12. apud *Dan. Mortier.*) Laudandum studium viri, et elegantia ingeniosa; sed cui non respondit eventus, qui antiquitatis amantes iuvare possit. Ille enim plerorumque gentis suae interpretum morem secutus, non hoc egisse videtur, ut, quales villae Secundi fuerint, ipsius opera intelligeremus; sed ut ostenderet, quomodo aliquis aedificare villam possit, quae quidem hodiernis eruditisque Gallorum ingeniis placeat, in qua idem circiter numerus membrorum sit, qui fuit in Laurentino, vel in Tuscis. Quoties igitur commode potuit situs et connexio membrorum indicata Plinio servari, id factum est: ceterum pluribus in locis aperte contradictum domino. Non multo, ad antiquitatis quidem lucem, felicior fuit longe splendidioris licet, et pro magnificentia et copiis Britanniae elaborati operis auctor Robertus Castellus, qui villas veterum dedit patrio sermone illustratas (*the villa's of the Ancients illustrated, Lond.* 1728. f. Alph. 1. pl. 12. ch. max. qualis ad Geographicas chartas adhiberi solet, cum XI eius modi imaginibus aeri incisis). Huic facile fuit scilicet inventis Felibenii addere quaedam, quibus vel propius ad Plinii mentem accederet, vel magnificentiam operum a se designatorum augeret. Quod si coecus antiquitatis amor me teneret, arriperem illud opus, et magnitudinem Romanam apud parum cautos inde augerem. Verum non est candoris nostri dissimulare, nimis multa et hic esse a mente Plinii ita aliena, ut, si quis Deus illum ab inferis excitatum in talem villam immitteret, vel formam certe Castellianam ostenderet, videatur ille quidem probaturus magno opere vel opus vel formam operis, forte etiam his, quae unquam vidisset in illo genere, praelaturus: ceterum suum Laurens, suos Tuscos minime ibi deprehensurum existimo, sed admiraturum non minus, quam lecto Platonis dialogo admiratum ferunt Socratem, *eos referri sermones suos, de quibus in mentem nunquam sibi venisset:* (vid. Diog. Laërt. 3, 35.) Non esset difficile per singula ire, et ostendere, quibus in locis Plinium relinquat nunc Felibenius, nunc Castellus, plerumque uterque: posset etiam speciminibus quibusdam declarari, quam parum uterque scriptor linguam ipsam et sermonem Plinii intelligat: sed cum hoc exiguam utilitatem habeat, prioris autem generis censura nisi comparatis libris et tabulis auctorum intelligi commode non possit; id quod oppido paucorum esse sentio: satis fuerit ad ea provocare, quae de hoc genere tum in Actis Eruditorum Lips. an. 1731. p. 111, tum ad ornithonem Varronis de re rust. 3, 5, 9. sq. disputata nobis sunt.

Multo laetiora Secundo nostro et antiquitatis amatoribus exspectare iubebat (et forte nec dum plane spes illa decollavit) Io. Maria Lancisius in physiologicis animadversionibus in Plinianam villam nuper in Laurentino detectam, editis primum Rom. 1714. f. recusis deinde Tom. II. opp. p. 335. sqq. ubi cum de novis a mari aggestionibus et plantis ibi suborientibus agat, haec etiam habet §. 6. p. 338. sq. „Ne cui „vero suspicio forte oboriatur, „villaene Plinianae, an alterius „sint aedium reliquiae, quas istic „paullo ante detectas et lapide „quadrato s. reticulato, ut aiunt, „opere structas cernimus; ipsa „certe loci distantia ab eodem

ri, quum cognoveris gratiam villae, opportunitatem loci, littoris ſpatium. Decem et ſeptem 2
millibus paſſuum ab urbe ſeceſſit: ut peractis,

„Plinio indicata cum ab urbe, „tum ab Oſtienſi colonia, atque „a proximo vico, quem *Piaſtra* „hodie appellant, ac praeſertim „trium atriorum, totidemque porticuum et arearum, nec non „duarum turrium ad propugnaculum villae, cubiculorum item „numerus adſpectusque, omnem „plane dubitationem abſtergunt. „Tuum itaque erit, vir Nobiliſſime, (*Adloquitur Marcellum Sacchettum Hieroſolymitani Ordinis apud Clementem XI P M. Oratorem) „ut ad eius rei fidem, „(quippe qui Architecturae per „te ipſum peritiſſimus haberis) „Ichnographiam, et prae cunctis „interiorem tam per longitudinem, quam per latitudinem „eiusdem aedificii formam cum „pavimentis opere pleriaque loris muſivo, et Numidico aut „Alexandrino marmore ſtratis, „parietibusque vario cruſtarum „genere diſtinctis, atque ornatis „quam citiſſime delineandam ſuſcipias, aerique inciſam publici „iuris facias. Ita enim quam villam e tenebris, in quibus tam „diu ſepulta iacuerat, eruiſti, in „ſempiternam hominum lucem „tanquam priſcae munditiae pariter ac frugalitatis imaginem, „editis tabulis proferes. Quid? „quod magni ad honorem noſtrum, qui Romani ſumus, intereſſe videtur, Plinium in vrbe Conſulem ab omni mendacii „nota vindicare; vt nimirum „vera et facta, non ficta et fabulis ſimilia literis mandaſſe putetur."

Hanc ſi deſcriptionem haberemus, facile carerent, Philologi quidem, Felibenii Caſtellique elegantiis, easque hodiernae architecturae ſtudioſis lubentes permitterent: vel potius tum Caſtelli opem implorarent, ut ex veris Laurentini veſtigiis aliquid excitet non dignum modo Conſule, ſed ad antiquitatis rationem adcommodatum. vid. Fabrett. Inſcr. antt. p. 732. de ſitu villae Laurentinae contra Holſten. Iſta dum ſcribo, perfertur ad me titulus libri Gallici, *Delices de la maiſon de Toſcane, et de la maiſon de Laurentin par Parfait* 12. Pertinet ille haud dubie ad villas Plinii: ſed utrum habeat aliquid a Felibenii Caſtelliique inventis diverſum, arbitrari non licet. vid. ad 5, 6, 1. Adriani Caeſaris villam in Tiburtino per molium et ſubſtructionum reliquias diligenter perſecutus eſt Franc. Continus: quod opus conferre cum noſtro operae pretium videtur. Editum Rom. 1658. ch. max. *G.*

His, qui utramque villam Plinianam explicationibus architectonicis et tabulis aeri inciſis demonſtrare conati ſunt, acceſſit Frid. Aug. Crubſacius, Dresdenſis, cuius liber *(Wahrſcheinlicher Entwurf von des jüngern Plinius Landhauſe und Garten, Laurens genannt.)* prodiit Lipſ. 1760. Recentiſſimus liber vtramque Plinii villam accuratiſſime explanans editus eſt Romae a 1796. hoc titulo: *Delle Ville di Plinio il giovane opera di D. Pietro Masquez Maſſicano con un' appendice ſu gli Atrî della S. Scrittura; e gli Scamilli impari di Vitruvio.* Add. *Über den Urſprung der Engliſchen Parks, nebſt einer Vergleichung eines alten Römiſchen Parks des jüngern Plinius in Tuſzien und zu Laurentinum; im* 12. *St. des Deutſchen Obſtgärtners* 1801. 2. *Abtheilung. Weimar. E.*

Vertit hanc epiſtolam germanice et interpretatus eſt Aug. Rode in vernacula Vitruvii verſione Tom. II. p. 46. ſqq. *S.*

quae agenda fuerint, ſalvo iam et compoſito die,
poſſis ibi manere. Aditur non una via: nam et
Laurentina et Oſtienſis eodem ferunt, ſed Lau-
rentina a quartodecimo lapide, Oſtienſis ab un-
decimo relinquenda eſt. Utrinque excipit iter
aliqua ex parte arenoſum, iunctis paullo gravius
3 et longius, equo breve et molle. Varia hinc
atque inde facies. Nam modo occurrentibus ſil-
vis via coarctatur, modo latiſſimis pratis diffun-
ditur et pateſcit. Multi greges ovium, multa ibi
equorum boumque armenta: quae montibus hie-
me depulſa, herbis et tepore verno niteſcunt.
4 Villa uſibus capax, non ſumtuoſa tutela. Cuius

2 *ſalvo iam — die)* Sicut *periit dies*, quo nihil actum eſt honeſti negotii, quo vel ipſi meliores facti ſumus vel alii: ita *ſalvus* eſt dies, quo functi ſumus officio etc. Idem *compoſitus* eſt, h. e. ordinatus, in ſua officia distributus, et rebus agendis adhibitus, ut, quod ſupereſt, curando corpori dare vir gravis, nemine improbante, poſſit. *G.*

iunctis paullo gravius) Ita legendum pro *iumentis* auctoritate optimorum librorum. Nimirum *iuncta* ſunt animalia ad currum adiuncta. vid. Scheffer. de re vehic. 1, 12. p. 144 et 2, 17. p. 258. His propter rotarum attritum iter paullo procedit difficilius. *G.*

Etſi in multis eſt *iter aliqua ex parte arenoſum, iunctis paullo gravius et longius, equo breve et molle:* praefero tamen id, quod cum in aliis, tum in Rom. eſt, *iumentis paullo gravius.* Nam *iumenta* ſunt muli, aſini, a ſupino *iunctum*, ut *indumenta* ab *indutum*. Mulos enim plerumque vehiculis iungebant, quibus in itinere utebantur. His *equus* opponitur. *H.*

3 *occurrentibus)* forte leg. *concurrentibus.* *G.*

Immo illud melius de ſilvis viam attingentibus. Solet haec omnia προσωποποιητικῶς dicere in utraque epiſtola. *E.*

latiſſimis pratis) Sic et Rom. *H.*

Hoc cur notaverit Heuſingerus, cauſſam non exputo. Vulgata quidem optime habet: ne forte *laetiſſimis* corrigas; quamquam haud infrequens harum vocum confuſio. vid. Cort. ad n. 12. huius epiſtolae et Drakenb. ad Liv. 6, 1, 3. *S.*

depulſa) i. e. montium obiectu excluſa. *G.*

Fallitur Gesnerus. *Hieme depulſa* (de) *montibus*, i. e. ubi ver montibus, paſcuis montanis rediit. Mox ſequitur: *tepore verno.* *S.*

niteſcunt) Quod ſalubritatis indicium eſt. Vid. ad illud Caton. R. R. 1, 2. *Vicini quo pacto niteant: in bona regione bene nitere oportebit.* *G.*

4 *non ſumtuoſa tutela)* Nam eodem Catone iudice 1, 6. *idem ager quod homo, quamvis quaeſtuoſus fiet, ſi ſumtuoſus erit, relinquitur non multum.* *Tutela* hic ſpeciatim ad *ſarta tecta* aedificii et villae pertinet. Alias latius patet Sic Colum. 7, 1, 2. *Tutelae exignae animal aſinus*, in quem ſcilicet non multum ſit curae vel cibi impendendum. *Tueri* eo,

in prima parte atrium frugi, nec tamen fordidum: deinde porticus in D literae fimilitudine circumactae: quibus parvula, fed feftiva, area includitur. Egregium hae adverfum tempeftates receptaculum: nam fpecularibus, ac multo magis imminentibus tectis muniuntur. Eft contra medias cavaedium hilare: mox triclinium fatis pulchrum, quod in littus excurrit: ac fi quando Africo mare impulfum eft, fractis iam et noviffimis fluctibus leviter adluitur. Undique valvas, aut feneftras non minores valvis habet: atque ita

quo hic opus eft, intellectu pofuit nofter Paneg. 51, 1. *G.*

in D literae fimilitudine) Sic optimi libri apud Cortium. O, quam praeferunt editi, et fequuntur Felibenius atque Caftellus, ex ea etiam ratione, nec iniuria puto, reiicit Cortius, quod non opus habebat Plinius, fi hanc voluit, ad literam confugere, fed *circulum*, *orbemve* nominare potuit. Ex eadem etiam ratione Δ f. delta vocare opus non fuit, cum trianguli aequilateri appellatio fit familiaris adeo. Forma D apta ad porticus quam quae maxime, quod vel theatra loquuntur, quorum eadem figura eft. Aliam literam non habent Latini, quae huc conveniat; cum *aream includere porticus* dicantur. *G.*

Rom. *deinde porticus in* Δ *litterae fimilitudinem circumactae.* Verius eft *in D litterae. H.*

O praetulit Rodius. *Similitudinem* praeftat: ficque ediderunt Cortius et Gierigius, editurus erat Erneftius. *Similitudine*, e Cellariana in Gesnerianam propagatum, parum certa videtur auctoritate niti. *S.*

Egregium hae etc.) Rom. *Egregium adverfus tempeftates receptaculum*, fine *hae*, quod non defidero. *H.*

Sic et Cortius. Placet. *S.*

fpecularibus) Cruftis f. laminis a fpeculari lapide, de quo Plin. 36, 22. f. 45. Martial. 8, 14.

Hibernis obiecta notis fpecularia puros
Admittunt foles et fine faece diem. G.

Rodius *feneftras vitro obductas* interpretatur: dubito an recte. Lactantius quidem Cortio laudatus fpecularem lapidem vitro opponit. *S.*

5 *cavaedium hilare)* id eft lucidum. Lucian. de domo pr. οἶκον vocat φωτὶ φαιδρότατον. *G.*

Alii iucundum, amoenum explicant: alii, quia fub dio fuerit, *hilare* dictum ftatuunt. Quod ex his Plinius cogitaverit, incertum. *E.*

fractis iam et noviffimis fluctibus) Ita et Rom. *H.*

Cortius ex Mediceo, *fractis fimul, et noviffimis fluctibus.* Temere. vid. infra 13. *S.*

Vndique valvas, aut feneftras) Rom. *Vndique valvas atque feneftras*, perperam. *H.*

feneftras non minores valvis) Feneftras effe ipfa foramina et hiatum, quo continuus paries disiungitur, notum eft: *valvas* autem fufpenfas e cardinibus tabulas binas, quae intus veluti feneftram aperiant, efficiantque adeo feneftram valvatam. *Feneftras non minores valvis* itaque interpreteris vel fimpliciter foramina aeque magna atque ea

a lateribus et a fronte quaſi tria maria proſpe-
ctat: a tergo cavaedium, porticum, aream; por-
ticum rurſus, mox atrium, ſilvas et longiuquos
6 reſpicit montes. Huius a laeva retractius paullo
cubiculum eſt amplum: deinde aliud minus,
quod altera feneſtra admittit orientem, occiden-
tem altera retinet. Haec et ſubiacens mare lon-
7 gius quidém, ſed ſecurius intuetur. Huius cu-
biculi et triclinii illius obiectu includitur angu-
lus, qui puriſſimum ſolem continet et accendit.
Hoc hibernaculum, hoc etiam gymnaſium meo-
rum eſt. Ibi omnes ſilent venti, exceptis qui
nubilum inducunt, et ſerenum ante, quam uſum
8 loci, eripiunt. Adnectitur angulo cubiculum in
apſida curvatum, quod ambitum ſolis feneſtris

ſunt, quae valvia alias muniri ſolent; vel foramina ſpeculari lapide munita. Etiam deinde ſ. 20. *valvae* et *feneſtrae* diſtinguuntur. *Feneſtrae* itaque videntur oppoſitae locis, unde neque ventus neque vapor metueretur; valvae his, ubi excludendi eſſent. Interim *feneſtras* etiam ſimpliciter dici, quae tamen aperiri vel claudi poſſunt, apparet ex ſ. 22. Itaque poſſint etiam ſimpliciter *feneſtrae* intelligi, quae lucis admittendae cauſſa factae ſunt, *valvae*, *fores* ſ. ianuae, quae ad pavimentum usque deſcendunt. *G.*

atque ita a lateribus etc.) Rom. *atque ita a lateribus a fronte quaſi maria proſpectat.* *H.*

a tergo cavaedium) Eodem ordine quaſi retrogreditur, quo ingreſſus fuerat, quod imaginandi facultatem iuvat. *G.*

6 *occidentem — retinet)* Sol ex eo videri poteſt, donec plane occiderit. *G.*

Haec et ſubiacens etc.) Rom. *Haec mare et ſubiacens longius.* Intelligo *mare et* quidem *ſubiacens.* *H.*

Scio, Latinos copulam, ad Graecorum morem, hic adhibuiſſe: ſed hanc rationem hîc quidem vix probaverim. *S.*

longius quidem) magis e longinquo, quia retractius eſt quam contiguum triclinium. *G.*

ſecurius) nam ne noviſſimi quidem fluctus alluunt. *S.*

7 *Huius — obiectu)* Rom. *Huius et illius obiectu.* Vulgata lectio ex gloſſa auctior eſt. *H.*

Et quidem ſic aucta, ut gloſſator mentem Secundi parum cepiſſe videatur. *Huius*, *illius*, opinor, ad duo cubicula pertinent, de quibus n. 6. *S.*

continet et accendit) Speculi concavi inſtar excipit radios ſolis et reflexione mutua diſſipari non patitur, ſed in unum locum cogit. *G.*

8 *in apſida curvatum)* De fornice pro lacunari impoſito non ita locutus eſſet Plinius. Quin res ipſa loquitur, parietem unum cubiculi non recta linea procurriſſe, ſed ſegmentum circuli effeciſſe inſtar *apſidis* (*abſida* mavult Gronovius) h. e. canthi in rota, ut eo pluribus coeli partibus ſuam cuique feneſtram

omnibus sequitur. Parieti eius in bibliothecae
speciem armarium insertum est, quod non le-
gendos libros, sed lectitandos capit. Adhaeret 9
dormitorium membrum, transitu interiacente,
qui, suspensus et tabulatus, conceptum vaporem
salubri temperamento huc illucque digerit et
ministrat. Reliqua pars lateris huius servorum
libertorumque usibus detinetur, plerisque tam

eo commodius obverteret. Media v. g. illius lateris fenestra in ipsum meridiem fuit directa, sinistima orientem solem excepit, dextima occidentem, interiectas autem plagas sive horas intermediae. *G.*

Rom. *in absida curvatum.* *H.*

Apsis iure praefert Heusingerus in Observat. Antibarb. p. 326. sq. *S.*

lectitandos) adeoque praestantissimos. *E.*

Armarium paucorum capax librorum significatur. *S.*

9 *Adhaeret dormitorium* etc.) Rom. *Adhaeret dormitorium membrum et transitu interiacente, quod suspensum et tabulatum.* *H.*

suspensus et tabulatus) *Suspensus* transitus ab uno membro domus ad alterum pontis instar porrectus, ut solum, nisi columellis forte et pilis subiectis, non contingat. Hunc vocis eius intellectum tum ad Fabrum tum alias satis illustratum dedimus. *Tabulatus* porro fuit h. e. ligneus, qui proinde conciperet facile vaporem, quem deinde, prout facto opus esset, in alterutrum membrum admittere, vel excludere inde facile erat. *G.*

Tubulatus corrigere volebat Ernestius. „*Tubulatus*", inquit, „h. e. tubulis constans. Ita non „dubitavi reponere cum Gierigio, qui ex auctoritate Iac. „Sirmondi et Schefferi, (Codd. „Riccard. et Oxon. *subulatus*, „alii *sublatus* habent, quae ex „*tubulatus* facili errore fieri po„terant) illud edidit, motus ma„xime his verbis Senecae epist. „90. *Quaedam nostra demum „memoria prodisse scimus, ut „speculariorum usum, perlucen„te testa, clarum transmitten„tium lumen; ut suspensuras „balneorum, et impressos pa„rietibus tubos, per quos cir„cumfunderetur calor, qui ima „simul et summa foveret aequa„liter.* Itaque intelligitur genus „hypocausti *suspensi* h. e. erecti „et fornicati. Inde prodibant *tu„buli*, qui conceptum in hypo„causto *vaporem* s. calorem huc „et illuc deducebant, ut *salubre* „inde *temperamentum* oriretur. „Haec Gierigius, qui confert „Epist. 5, 6, 24. et *θερμὸν διά„δρομον*, *calidum transitum*, „Lucian. Hipp. Tom. VII. p. „299. Bipont. — Transitus *tabu„latus* Gesnero, qui ita edide„rat, est ligneus, qui proinde „conciperet facile vaporem, quem „deinde, prout opus esset, in „alterutrum membrum admittere, „vel excludere inde facile erat." Vulgatam sequitur Rodius. *S.*

plerisque tam mundis) Synesi consueta intelliguntur sub *reliqua parte* cubicula vel membra, quorum ita pleraque sunt munda et libera sordibus, ut nec pudor sit, hospitem in iis collocare. *G.*

Miro lapsu Cortius *plerisque* cum *usibus* iungit. Immo est neutrum. Interpretare: *pleraque tamen tam munda sunt, ut* etc. *S.*

10 mundis, ut accipere hospites possint. Ex alio latere cubiculum est politissimum: deinde vel cubiculum grande, vel modica coenatio, quae plurimo sole, plurimo mari lucet. Post hanc cubiculum cum procoetone, altitudine aestivum, munimentis hibernum: est enim subductum omnibus ventis. Huic cubiculo aliud, et pro-
11 coeton, communi pariete iunguntur. Inde balinei cella frigidaria spatiosa et effusa, cuius in contrariis parietibus duo baptisteria, velut eiecta, sinuantur, abunde capacia, si innare in proximo cogites. Adiacet unctorium, hypocauston, adiacet propnigeon balinei: mox duae cellae, magis elegantes, quam sumtuosae. Cohaeret calida piscina mirifice, ex qua natantes mare

10 *vel cubiculum grande)* Modus huius membri is est, ut vel pro cubiculo grandi haberi possit, vel pro modico triclinio. *G.*

mari lucet) Non puto a mari splendere; sed ob id ipsum, quia mari opposita est, non interceptis radiis nec impedito prospectu, illustrem esse hanc coenationem. Non ignoro tamen ἅλα μαρμαρέην, et ipsum *marmor* apud Poetas celebrari: nec absorberi radios omnes, sed multos, ut a speculo, reflecti. *G.*

Rom. *quae sole plurimo mari lucet.* *H.*

Suspiceris, in libris nonnullis fuisse, *quae solo plurimo, plurimo mari lucet.* *S.*

altitudine aestivum) Utrum hoc vult, altum esse cubiculum ita, ut inter lacunar atque pavimentum spatii multum pateret, quae res liberiorem respirandi facultatem praebet; an *altum* intelligit *profundum*, et cellae instar depressum, quae res et ipsa frigus conciliat? *G.*

Mihi dubium non est, priorem sensum hoc loco valere. Simplicissima ea est *altitudinis* explicatio, et rei ipsi aptissima. *E.*

Eadem ratio placuit Rodio. *S.*

Huic cubiculo aliud etc.) Rom. *Huic aliud* omisso *cubiculo) et προκοίτοις communi pariete.* *H.*

Προκοιτῶν graecis literis scriptum infra etiam 23. Romanus liber habet. Ita et Varro R. R. L. II. init. p. 251. Gesner. *S.*

11 *velut eiecta)* eminentia extra regulam parietis, quae *proiecta* alias vocantur vel *protecturae.* *G.*

unctorium, hypocaustum) Sic incidere visum est. Neque enim in ipso *hypocausto* s. *caldaria cella* unxisse videntur, ut *unctorium hypocaustum* dici possit; sed in *tepidaria*, quae ob id ipsum *unctorium* vel, ut alii habent. *unctuarium* vocatur. Vid. qui de balneis egerunt, v. g. Salmas. ad Vopisci Carinum c. 17, qui Luciani praesertim Balneo nititur, tum Fabricium ad Sexti Empir. Hyp 1, 110. p. 30. *G.*

Rom. *Adiacet unctuaria imo hippocaustum.* *H.*

Hypocaustum quid sit, accurate docet Heusinger. in Observat. Antib. p. 410. sq. *S.*

Cohaeret calida piscina mirifice) Rom. *Cohaeret calida piscina mirifica.* *H.*

adſpiciunt. Nec procul ſphaeriſterium, quod ca- 12
lidiſſimo ſoli, inclinato iam die, occurrit. Hinc
turris erigitur, ſub qua diaetae duae; totidem
in ipſa. Praeterea coenatio, quae latiſſimum
mare, longiſſimum littus, amoeniſſimas villas
proſpicit. Eſt et alia turris: in hac cubiculum, 13
in quo ſol naſcitur conditurque: lata poſt apo-
theca et horreum. Sub hoc triclinium, quod
turbati maris non niſi fragorem et ſonum patitur,
eumque iam languidum ac deſinentem; hortum
et geſtationem videt, qua hortus includitur.
Geſtatio buxo, aut rore marino, ubi deficit bu- 14
xus, ambitur: nam buxus, qua parte defenditur
tectis, abunde viret; aperto coelo apertoque
vento, et, quamquam longinqua, adſpergine
maris, inareſcit. Adiacet geſtationi interiore 15
circuitu vinea tenera et umbroſa, nudisque etiam
pedibus mollis et cedens. Hortum morus et

Eadem lectio Medicei libri, a Cortio probata. *Mirifice* parum placet. *S.*

12 *Nec procul ſphaeriſterium)* Rom. *Nec procul ſpheriſterion.* *H.*

Probanda terminatio graeca, quam et Helmſtad. tuetur. *S.*

turris erigitur) Cum reliqua membra villae una tantum vel contignatione vel fornicatione conſtent, hic eminet *δίστεγος* aedificatio, inſtar *papilionum*, quibus diſtinguuntur hodie humiliora membra. Haec *turris* videtur. *G.*

amoeniſſimas villas proſpicit) Rom. *amoeniſſimas villas poſſidet.* *H.*

Inepte. *Poſſidere* hoc ſenſu, ut reſpondeat Gallico *dominer*, Latinum non eſt. *S.*

13 *apotheca et horreum)* Optime faciunt, qui illam de cella vinaria, hoc de ſtatuarum imaginumque receptaculo, vel latius de cella penuaria explicandum putant. cf. de apotheca Colum. R. R. 2, 6. de horreo ipſe Plin. Ep. 8. 18. 11. *E.*

eumque iam languidum) Rom. *eumque languidum*, ſine *iam.* *H.*

Particula melius adeſt. vid. ſupra *5.* *S.*

15 *vinea tenera et umbroſa)* Ita et Rom. Aldi prior *vinca tenera*, quae eſt herba. Scripta lectione meliorem requiro. *H.*

nudisque etiam pedibus) Terra ipſa non ſcrupoſa aut duris glebis aſpera, ſed pura, putris, pulla, (nam hoc etiam nomine teneram et quaſi puellam notari ad ruſticos obſervavimus) facile etiam pedi nudo cedens: tum vinea ipſa iuvenis, quae nec nudas nodoſasque radices oſtendat, neque eminentibus et impedientibus viam duris ſarmentis pollicibusque antiquis tibias ac ſuras inambulantium ſtringat et vulneret. Sic *vinca* quorundam, quam *vineae* ſubſtituunt, nihil opus eſt. *G.*

ficus frequens veſtit: quarum arborum illa vel
maxime ferax eſt terra, malignior ceteris. Hac
non deteriore, quam maris facie, coënatio re-
mota a mari fruitur. Cingitur diaetis duabus a
tergo, quarum feneſtris ſubiacet veſtibulum vil-
16 lae, et hortus alius, pinguior et ruſticus. Hinc
cryptoporticus, prope publici operis, extenditur.
Utrinque feneſtrae, a mari plures, ab horto ſin-
gulae, et alternis pauciores. Hae, quum ſere-
nus dies et immotus, omnes; quum hinc vel
inde ventus inquietus, qua venti quieſcunt, ſine
17 iniuria patent. Ante cryptoporticum xyſtus vio-
lis odoratus. Teporem ſolis infuſi repercuſſu
cryptoporticus auget, quae ut tenet ſolem, ſic
aquilonem inhibet ſubmovetque: quantumque
caloris ante, tantum retro frigoris. Similiter
Africum ſiſtit, atque ita diverſiſſimos ventos,
18 alium alio a latere, frangit et finit. Haec iu-

quarum arborum illa etc.) Rom. *quarum illa vel maxime ferax terra eſt.* Non adeſt *arborum.* *H.*

Cingitur diaetis duabus a tergo) Rom. *Vincitur diaetis duabus a tergo.* Probe. Nam a tergo non poteſt *cingi; vinciri* poteſt, ut captivi. *H.*

Idem in Mediceo Cortius reperit. Placet. *S.*

veſtibulum villae etc.) Rom. *veſtibulum villae et ortus alius pinguis ac ruſticus.* *H.*

Ortus idem liber etiam mox 18. Conf. Cort. ad 1, 24, 4. Hanc orthographiam probavit Varro: ſed *conſuetudo hortos cum aſpiratione uſurpavit.* Chariſius Inſtit. Gramm. Lib. I. col. 62. Putſch. *S.*

16 *et alternis pauciores*) Verſus mare crebriores denſioresque ſunt feneſtrae; ſed verſus hortum binis reſpondent ſingulae, et alternis, omiſſa una, reſpondet v. g. ſecundae feneſtrae mari oppoſitae prima in hortum patens, quartae ſecunda, tertia ſextae etc. * Scilicet *alternis* legendum eſt, non *altius*, quod ex illo quo modo corruptum ſit, patet iis, qui norunt perpetuo fere ſyllabam *ter* in MSS. exprimi apice ad t' appoſito; qui cum eſſet tenuior, pro puncto ſequenti literae impoſito habitus eſt: porro *ius* et *nis* in MSS. nulla nota diſtingui, tralaticium eſt. *G.*

Rom. *ab orto ſingulae ſed alternis pauciores.* Poſtea *cum ſerenus dies et immotus, omnes: cum hinc vel inde ventus inquietus.* Sed praeſtat lectio Medic. *ventis inquietus.* *H.*

17 *Teporem ſolis infuſi* etc.) Rom. *Teporemque ſolis fuſi et repercuſſi cryptoporticus auget. Inde area, quae ut tenet ſolem.* In Mediceo quoque fuit *area*, ſed omiſſis aliis, a grammatici manu. Quae ſequuntur verba, non ad *aream*, ſed ad *cryptoporticum* pertinent. *H.*

alium alio etc.) Rom. *alium alio latere frangit.* *H.*

cunditas eius hieme, maior aeſtate. Nam antę
meridiem xyſtum, poſt meridiem geſtationes hor-
tique proximam partem umbrą ſua temperat:
quae, ut dies crevit decrevitque, modo brevior,
modo longior hac vel illac cadit. Ipſa vero 19
cryptoporticus tunc maxime caret ſole, quum
ardentiſſimus culmini eius inſiſtit. Ad hoc pa-
tentibus feneſtris favonios accipit transmittitque:
nec unquam aëre pigro et manente ingraveſcit.
In capite xyſti deinceps cryptoporticus, horti 20
diaeta eſt, amores mei; re vera amores: ipſe
poſui. In hac heliocaminus quidem, alia xy-
ſtum, alia mare, utraque ſolem, cubiculum au-
tem valvis, cryptoporticum feneſtra proſpicit.
Qua mare contra parietem medium, zotheca per- 21
quam eleganter recedit: quae ſpecularibus et ve-

Omittunt praepoſitionem libri Cortio inſpecti, item Brummeri Excerpta. Expunxit ideo Cortius, ſequace Gierigio. *S.*

18 *geſtationes hortique proximam partem)* Rom. *geſtationem ortique proximam partem.* *H.*

Cortiana *geſtationis:* idque noviſſimus editor tacitus recepit. Laudo: niſi praeferendam cenſes libri Romani lectionem. *S.*

ut dies crevit decrevitque) Ita et Rom. recte. *H.*

Cort. *ut dies crevit decrevitve.* *S.*

hac vel illac cadit) Rom. *hac vel illa cadit.* *H.*

Idem in Cort. et Gierig. *S.*

19 *tunc maxime caret ſole)* Rom. *tum maxime caret ſole.* Amplector hoc. *H.*

20 *deinceps cryptoporticus)* *Xyſtus* et *cryptoporticus* iuxta procurrunt h. e. paralleli ſunt, quod colligo ex ſ. 17. igitur quod eſt in capite xyſti, etiam eſt in capite cryptoporticus deinceps poſitae. *G.*

Haec ſufficiant. Operam et oleum perdunt, qui lineis et figuris utuntur, ut ob oculos ponant, quae tamen intelligi non poſſunt. *E.*

valvis — feneſtra) Vid. ad ſ. 5. *G.*

21 *Qua mare)* Refertur ad ſuperiora *alia xyſtum*, *alia mare.* Plenum itaque fuerit, *qua parte mare proſpicit.* *G.*

Qua mare non ſunt in Rom. Pro *diaeta*, *zotheca.* *H.*

zotheca) Eruditorum de hoc loco et hac voce disputationes exhibet Cortius. Nobis illud ſatis eſt, *zothecam* eſſe a libris optimis, et ſignificare nidum quendam amoeniorem, maiori cubiculo adiunctum, in quo quis incluſus legere, ſcribere, commentari poſſit. *Cabinetum* hodiernae linguae vocant deflexumne a *cavena?* de qua Voſſ. de vitiis ſerm. 3, 3. extr. certe utrumque a *cavis* animalium, ſicut *zothecam* fuiſſe cellulam laginandis animalibus deſtinatam obſervat Salmaſ. ad Solin. p. 850. ſq. *G.*

quae ſpecularibus etc.) Rom. *quae ſpecularibus, velis obductis reductisve.* *H.*

lis obductis reductisque modo adiicitur cubiculo, modo aufertur. Lectum et duas cathedras capit: a pedibus mare, a tergo villae, a capite ſilvae: tot facies locorum totidem feneſtris et diſtinguit
22 et miſcet. Iunctum eſt cubiculum noctis et ſomni. Non illud voces ſervulorum, non maris murmur, non tempeſtatum motus, non fulgurum lumen, ac ne diem quidem ſentit, niſi feneſtris apertis. Tam alti abditique ſecreti illa ratio, quod interiacens andron parietem cubiculi hortique diſtinguit, atque ita omnem ſonum media
23 inanitate conſumit. Applicitum eſt cubiculo hypocauſtum perexiguum, quod anguſta feneſtra ſuppoſitum calorem, ut ratio exigit, aut effundit aut retinet. Procoeton inde et cubiculum porrigitur in ſolem: quem orientem ſtatim exceptum ultra meridiem, obliquum quidem, ſed tamen
24 ſervat. In hanc ego diaetam quum me recipio, abeſſe mihi etiam a villa mea videor, magnamque eius voluptatem, praecipue Saturnalibus,

cathedras) vid. ad Epiſt. 8, 21, 2. *E.*

22 *noctis et ſomni)* Maiusculis literis ſcripturus erat Erneſtius. „Sic ut ſcriberem verba, „inquit, perſuaſit mihi vir doctus, „qui in Eph. lit. Ien. hunc lo„cum tractabat, docebatque ſimi„lem deſcriptionem eſſe illi, quam „de Somni cubiculo habent Ovi„dius et Statius.“ Argutior haec ratio quam verior. *Cubiculum noctis et ſomni* eſt i. q. *cubiculum nocturnum*, quod *diurno* opponitur ep. 1, 3, 1. *S.*

andron) Iam adnotarunt Catanaeus et Cellarius ex Vitruv. 6, 10. ἀνδρῶνα aliud Graecis ſignificare, aliud Latinis. Illis enim eſt convivium aut conventus virorum; his interiectus inter duos parietes, inter aulas duas, transitus et iter, *μεσαύλιον*: et notat Caelius Rhodig. 27, 24. etiam a civibus ſuis *Andrones* vel *Andronellas* vocari angiportus transverſos, quibus commeatur inter duas plateas maiores. Haec ſignificatio oppido huc convenit. *G.*

Mox *mediam inanitatem* appellat, ſcita varietate dicendi. *E.*

23 *hypocauſtum perexiguum)* Rom. *hypocauſton perexiguum. H.*

Genuina terminatio Graeca. Vid. ſupra 11. *S.*

ut ratio exigit) Rom. *ut ratio exegit. H.*

Recepit Cortius ex Mediceo, haud male, quamquam in nota diverſiſſima confundens. *S.*

Procoeton inde) Rom. Προκοιτὼν *inde,* Graecis litteris. *H.*

Vid. ſupra ad 10. *S.*

24 *In hanc ego diaetam)* Rom. *In hanc ergo diaetam.* Aldus vero *ego*, vnde ceteri accepere. *H.*

capio, quum reliqua pars tecti, licentia dierum, festisque clamoribus personat. Nam nec ipse meorum lusibus, nec illi studiis meis obstrepunt. Haec utilitas, haec amoenitas deficitur aqua sa- 25
lienti, sed puteos, ac potius fontes habet: sunt enim in summo. Et omnino littoris illius mira natura: quocunque loco moveris humum, obvius et paratus humor occurrit, isque sincerus ac ne leviter quidem tanta maris vicinitate salsus. Suggerunt affatim ligna proximae silvae: ceteras 26
copias Ostiensis colonia ministrat. Frugi quidem homini sufficit etiam vicus, quem una villa discernit: in hoc balinea meritoria tria: magna commoditas, si forte balineum domi vel subitus adventus, vel brevior mora calefacere dissuadeat. Litus ornant varietate gratissima, nunc continua, 27
nunc intermissa tecta villarum, quae praestent multarum urbium faciem, sive mari, sive ipso litore utare: quod nonnunquam longa tranquillitas mollit; saepius frequens et contrarius flu-

Nam nec ipse etc.) Rom. *Nam nec ipse eorum lusibus.* H.

obstrepunt) nec ipse meorum lusus mea praesentia impedio, nec illi mea studia strepitu suo impediunt. E.

25 *deficitur aqua salienti)* Rom. *deficit aqua salienti.* H. Vid. ad 2, 16, 2. S.

Sunt enim in summo) Et ob id ipsum, quod non depressis demum foveis adfluunt, sed in summo emicant, pro *fontibus* potius quam pro *puteis* habendi. G.

tanta maris vicinitate salsus) Ita et Rom. H.

Libri plerique *t. m. v. corruptus*, quam lectionem haud improbat Cortius: debebat recipere. Recepit Gierigius. *Salsus* adscripsit glossator. S.

26 *si forte balineum domi* etc.) *si forte balineum vel domini subitus adventus, vel brevior mora calefacere dissuadet.* Ita scribendum erat cum Rom. cum praesertim in aliis quoque *domini* repertum fuerit, idque ad *brevior mora* necessarium sit. Sed Cortius Mediceo oraculo plus aliquando tribuit, quam rationi. H.

Domini item Brummeri Excerpta habent. Placet haec lectio, sic tamen, ut servetur vulgaris ordo verborum: *si forte balineum domini vel subitus* etc. S.

27 *mollit — indurat)* Si haec de solo litore, ut par est, dicta sunt, equidem non satis intelligo, quo sensu litus tranquillitate molliatur, et fluctibus induretur. Immo contrarium mihi videtur accidere, ut longa tranquillitate litoris solum exarescat et induretur, fluctibus autem adluenti-

28 ctus indurat. Mare non ſane pretioſis piſcibus abundat: ſoleas tamen et ſquillas optimas ſuggerit. Villa vero noſtra etiam mediterraneas copias praeſtat, lac in primis: nam illuc e paſcuis pecora conveniunt, ſi quando aquam umbramque
29 ſectantur. Iuſtisne de cauſſis eum tibi videor incolere, inhabitare, diligere ſeceſſum? quem tu, nimis urbanus es, niſi concupiſcis: atque utinam concupiſcas! ut tot tantisque dotibus villulae noſtrae maxima commendatio ex tuo contubernio accedat. Vale.

XVIII.

Promittit, ſe fratris Maurici filiis praeceptorem electurum eſſe.

C. PLINIVS MAVRICO SVO S.

Quid a te iucundius mihi potuit iniungi, quam ut praeceptorem fratris tui liberis quaererem?

bus et inundantibus putreſcat et emolliatur. *E.*

Non puto hîc de ſolo putri ac duro cogitandum eſſe. Referendus, opinor, locus ad inambulationes in litore, quas nonnunquam longa maris tranquillitas adiuvat, ſaepius frequens et contrarius fluctus impedit. *Mollire* ſenſu ſimili adhibitum in Caeſar. B. G. VII, 46. *quidquid huic circuitus ad molliendum clivum acceſſerat.* ubi Graecus Interpres: *αἱ δὲ πρὸς τὸ ῥᾳδίαν τὴν τοῦ ὄρους ἀπεργάζεσθαι ἀνάβασιν οὖσαι σκολιότητες.* Μαλακὸς cognataque verba Graecis ſic dici ſatis notum eſt. Quod ſi *mollire* recte interpretati ſumus, apparet, quomodo *indurare,* illi verbo oppoſitum, intelligendum ſit. *S.*

28 *ſi quando aquam umbramque ſectantur)* Rom. *ſi quando aquam umbramve ſectantur. H.*

29 *Iuſtisne de cauſſis* etc.) Rom. *Iuſtisne de cauſis iam tibi videor incolere, inhabitare.* Sic et Medic. omnibus aliis melius, qui *iam* omittunt. *H.*

Plenius Excerpta Brummeri: *eum iam tibi.* Probavit *iam* et Cortius, nec tamen, quod in tanta eius erga librum Mediceum reverentia exſpectaſſes, recepit. *S.*

nimis urbanus) urbis et vitae urbanae nimis amans. *E.*

XVIII inſcr. *Maurico)* Ita et Rom. *H.*

1 *Quid a te iucundius mihi)* Rom. *Quid a te mihi iucundius. H.*

Hunc ordinem ex libris a Cortio reſtitutum ſervant item Brummeri Excerpta. Sane praeſtat vulgato. *S.*

Nam beneficio tuo in scholam redeo: illam dul-
cissimam aetatem quasi resumo. Sedeo inter iu-
venes, ut solebam: atque etiam experior, quan-
tum apud illos auctoritatis ex studiis habeam.
Nam proxime frequenti auditorio inter se coram 2
multis ordinis nostri clare loquebantur: intravi,
conticuerunt. Quod non referrem, nisi ad il-
lorum magis laudem, quam ad meam, pertine-
ret: ac nisi sperare te vellem, posse fratris tui
filios probe discere. Quod superest, quum 3
omnes, qui profitentur, audiero, quid de quo-
que sentiam, scribam: efficiamque, quantum
tamen epistola consequi potero, ut ipse omnes
audisse videaris. Debeo enim tibi, debeo me- 4
moriae fratris tui hanc fidem, hoc studium,
praesertim super tanta re. Nam quid magis in-
terest vestra, quam ut liberi (dicerem tui, nisi
nunc illos magis amares) digni illo patre, te
patruo reperiantur? Quam curam mihi, etiam
si non mandasses, vindicassem. Nec ignoro 5
suscipiendas offensas in eligendo praeceptore: sed
oportet me non modo offensas, verum etiam
simultates pro fratris tui filiis tam aequo animo
subire, quam parentes pro suis. Vale.

Nam beneficio tuo etc.) Rom. *Nam et beneficio tuo — et illam.* *H.*

Posterius *et* Cortius quoque dedit. Asyndeton hic parum placet. *S.*

2 *coram multis — loquebantur)* Ita ex bonis libris Cortius. Honos Plinio silentio habitus a iuvenibus, qui cum maxime aliis Senatoriis praesentibus nullo pudore *clare loquebantur: loquebantur*, inquam, non *iocabantur*, quod cum *clare* non bene convenit: et maior honos, clare loqui desinere, quem iocari. *G.*

Rom. *coram multi sed ordinis nostri clare loquebantur.* Lege *multis et ordinis nostri* [id est, cum aliis multis, tum et quibusdam nostri ordinis praesentibus] *clare loquebantur*, non *iocabantur*. Veteres scribebant *set*, pro *sed*, nec voces dirimebant. *H.*

probe discere) ut in commilitio iuvenum proborum et puderis eximii. *G.*

4 *magis amares)* Vix sufficit illa tuorum appellatio exprimendo studio, quo nunc illos prosequeris, qui et tui fratris sint, et suo patre destituti. *G.*

digni illo patre etc.) Rom. *et ut digni illo patre et te patruo.* Fort. *digni et illo patre.* *H.*

Probabilis coniectura. Ceterum nihil hic puto excidisse. *S.*

XIX.

Hortanti, ut actionem quandam recitet, productis dubitandi rationibus, rem curatius expendendam proponit.

C. PLINIVS CEREALI SVO S.

Hortaris, ut orationem amicis pluribus recitem.
Faciam, quia hortaris: quamvis vehementer ad-
2 dubitem. Neque enim me praeterit, actiones,
quae recitantur, impetum omnem caloremque
ac prope nomen ſuum perdere, ut quas ſoleant
commendare ſimul et accendere iudicum conſeſ-
ſus, celebritas advocatorum, exſpectatio eventus,
fama non unius actoris, deductumque in partes
audientium ſtudium: ad hoc dicentis geſtus, in-
ceſſus, discurſus etiam, omnibusque motibus

XIX, 1 *vehementer addubitem)* Rom. *vehementer dubitem.* *H.*

2 *ut quas ſoleant)* Non inepte refertur ad ipſas actiones, et eſt in omnibus editis. Cortius praetulit ex Cod. Mediceo *quae*, ut reſpiciat ad *impetum, calorem, nomen.* *G.*

Recte, opinor, Gesnerus retinuit *quas*, ut ad *actiones* referatur, quod omnis orationis conformatio poſtulat. Leve eſt, quod Gierigius negat ſe intelligere, quomodo illas *commendare* poſſit *iudicum conſeſſus.* Quidni iudicum attente audientium, vel ſolummodo praeſentium gravitas multum auctoritatis tribuere actionibus, vel efficere poſſit, ut nec actor ipſe nec caeteri eas negligant? nam utrumque, ni fallor, in *commendare* ineſt. *E.*

Ipſe vidit Gierigins, poſteriora, *ad hoc dicentis geſtus* etc., cum Cortiana lectione coire non poſſe. Quibus tricis ut ſe exſolvat, aut iuſto negligentius ſcripſiſſe Plinium, ant aliquid infra excidiſſe temere ſtatuit. Mireris, Heuſingerum de hoc loco non pronunciaſſe adeoque ad ineptum illud *quae* inclinare videri. Sic autem vir egregius: „Rom. *ut* „*que ſoleant commendare*, id „eſt, *ut quae*, quod ex Medic. „Cortius revocavit.“ *S.*

deductumque—ſtudium) Rom. *diductumque in partes audientium ſtudium.* *H.*

Sic et Cortius, quem iure ſequitur Gierigius. Placebat idem Erneſtio. Vid. tamen ipſum Cortium Diſſertat. Crit. de uſu orthogr. Lat. pag. 134. ſqq. edit. Altenb. *S.*

discurſus) Hunc tamen et rariſſimum eſſe debere, et non niſi ſumma quadam opportunitate moderate adhiberi, ſuadent iſta Quintiliani, magiſtri optimi, 11, 3, 126. p. 1026. *Procurſio opportuna, brevis, moderata, rara. Conveniens etiam ambulatio quaedam, propter immodicas laudationum moras; quam-*

animi conſentaneus vigor corporis. Unde acci- 3
dit, ut hi, qui ſedentes agunt, quamvis illis
maxima ex parte ſuperſint eadem illa, quae ſtan-
tibus, tamen hoc, quod ſedent, quaſi debiliten-
tur et deprimantur. Recitantium vero praecipua 4
pronuntiationis adiumenta, oculi, manus praepe-
diuntur: quo minus mirum eſt, ſi auditorum in-
tentio langueſcit, nullis extrinſecus aut blandi-
mentis capta aut aculeis excitata. His accedit, 5
quod oratio, de qua loquor, pugnax et conten-
tioſa eſt. Porro ita natura comparatum eſt, ut ea,
quae ſcripſimus cum labore, cum labore etiam
audiri putemus. Et ſane quotusquisque tam re- 6
ctus auditor, quem non potius dulcia haec et
ſonantia, quam auſtera et preſſa, delectent? Eſt
quidem omnino turpis iſta discordia: eſt tamen:
quod plerumque evenit, ut aliud auditores,

quam Cicero (Orat. c. 18.) *rarum inceſſum neque ita longum probat. Discurſare vero, et quod Domitius Afer de Surio Manlio dixit*, ſatagere, *ineptiſſimum: urbaneque Flavius Virginius interrogavit de quodam ſuo antiſophiſta*, Quot millia paſſuum declamaſſet? *G.*

3 *Unde accidit, ut* etc.) Rom. *Unde accidit, ut ii, qui. H.*

4 *oculi, manus praepediuntur)* Illi ad librum reſpicientes, hae tenentes eum et evolventes. *G.*

intentio langueſcit) Rom. *intentione langueſcit*, pro *intentio relangueſcit. H.*

Multorum haec lectio librorum, proba illa quidem, ſed vulgatae non praeferenda. Conf. Interpret. ad Liv. 35, 45, 5. *S.*

5 *His accedit, quod* etc.) Rom. *Accedit his, quod oratio, de qua loquor, pugnax et quaſi contentioſa eſt. H.*

quae ſcripſimus etc.) Rom. *quae ſcripſimus cum labore, etiam ſic audiri putemus. H.*

Haud improbabilis lectio, in aliis item libris reperta. Alterum illud *cum labore* videtur gloſſatoris eſſe, qui *ſic* explicare vellet. *S.*

6 *tam rectus)* tam gravis et ſeverus, qui nihil ſuae voluptati, omnia rerum veritati tribuat. *E.*

auſtera et preſſa) Vel ex ipſa oppoſitione intelligitur, *auſtera* eſſe, quae ſententiam adverſario moleſtam, verbis rem ipſam ſignantibus ſimpliciter et ſine ambagibus explicent: *preſſa*, quae nihil, quod non ad rem pertineat, nihil, quod mitiget aſperitatem, adiiciant. *G.*

Plura cum multis veterum locis dabit noſtrum Lexicon technol. Rhet. lat. ſ. v. *premere. E.*

iſta discordia) Hoc pertinet ad illa ſequentia: *quod plerumque evenit, ut aliud auditores, aliud* etc. *E.*

eſt tamen: quod etc.) Rom. *eſt tamen: quod plerumque evenit, ut aliud iudices exigant, aliud auditores: cum*

aliud iudices exigant: quum alioqui praecipue
auditor iis adfici debeat, quibus idem fi foret
7 iudex, maxime permoveretur. Poteft tamen fieri,
ut quamquam in his difficultatibus libro ifti no-
vitas lenocinetur: novitas apud noftros; apud
Graecos enim eft quiddam, quamvis ex diver-
8 fo, non tamen omnino disfimile. Nam, ut illis
erat moris, leges, quas ut contrarias prioribus
legibus arguebant, aliarum collatione convince-
re; ità nobis, ineffe repetundarum legi, quod
poftularemus, cum hac ipfa lege, tum aliis
colligendum fuit. Quod nequaquam blandum
auribus imperitorum, tanto maiorem apud do-
ctos habere gratiam debet, quanto minorem
9 apud indoctos habet. Nos autem, fi placuerit
recitare, adhibituri fumus eruditiffimum quem-
que. Sed plane adhuc, an fit recitandum, exa-
mina tecum, omnesque, quos ego movi, in
utraque parte calculos pone, idque elige, in quo
vicerit ratio. A te enim ratio exigetur, nos ex-
cufabit obfequium. Vale.

alioqui his praecipue auditor affici debeat. H.

Bona lectio: certe *alioqui his* unice probandum. S.

7 *ut quamquam in his difficultatibus)* Sic et Rom. H.

quamvis ex diverfo, non tamen) Rom. *quamvis ex adverfo, non tamen.* H.

8 *leges, quas ut contrarias)* Hinc ftatus apud illos *ἀντινομίας*, quem *contrariarum legum* vocat, et illuftrat Fabius 7, 7. G.

repetundarum legi) Rom. *repetundarum lege.* H.

tum aliis colligendum fuit) Rom. *tum in aliis colligendum fuit.* H.

9 *omnesque, quos ego movi)* Rom. *omnesque quis ego movi.* H.

movi) Gierigius: „Eft autem „*movi*, admovi, attuli." Immo eft: *temere proieci.* Opponitur *ponere* calculos. Altera illa fignificatio, quam Gierigius h. l. obtinere arbitratur, folorum poëtarum eft. Vid. Fr. Ott. Menckenii Obferv. L. L. pag. 030. S.

A te enim ratio etc.) Rom. *At enim ratio exigendi: nos excufabit obfequium.* H.

Optime habet vulgata. Perperam liber Mediceus, tollens oppofitionem: *ut enim ratio exegit, nos excufabit obfequium.* Bono hic ftomacho Cortius fuerit neceffe eft, qui illa concoquere potuerit. S.

XX.

Regulum tribus iucundis exemplis, ut teſtamentorum inſidiatorem et iniuſtum heredem, deſcribit.

C. PLINIVS CALVISIO SVO S.

Aſſem para, et accipe auream fabulam: fabu-
las immo. Nam me priorum nova admonuit:
nec refert, a qua potiſſimum incipiam. Verania 2
Piſonis graviter iacebat: huius dico Piſonis,
quem Galba adoptavit. Ad hanc Regulus venit.
Primum impudentiam hominis, qui venerit ad
aegram, cuius marito inimiciſſimus, ipſi inviſiſ-
ſimus fuerat. Eſto, ſi venit tantum: at ille 3
etiam proximus toro ſedit: quo die, qua hora
nata eſſet, interrogavit. Ubi audivit, componit
vultum, intendit oculos, movet labra, agitat
digitos, computat, nihil, niſi ut diu miſeram
exſpectatione ſuſpendat. *Habes*, inquit, *clima-* 4
ctericum tempus, ſed evades. Quod ut tibi ma-

XX, 1 *Aſſem para)* tanquam circulatori alicui ſoluturus, qui fabulam aut hiſtoriolam otioſis narret. *E.*

2 *Verania Piſonis)* uxor. Notiſſimum Virgilii illud: *Hectoris Andromache.* Ovid. Heroid. VII, 193.: *Nec, conſumta rogis, inſcribar, Eliſa Sichaei.* ubi vid. Interpret. Add. Valeſ. ad Excerpta ex Diod. Sic. de Virtut. et Vit. pag. 586. ed. Weſſel. *S.*

huius dico Piſonis etc.) Rom. *huius dico, quem Galba adoptavit*, ſine *Piſonis*. *H.*

ipſi inviſiſſimus) Haec duo verba Rom. deſunt. *H.*

3 *quo die, qua hora)* Rom. *qua die, qua hora*. *H.*

Ubi audivit) Rom. *Ubi audiit*. *H.*

computat, nihil etc.) Rom. *computat nihil, diu miſeram expectatione ſuſpendit*. *H.* Perperam. Sane computabat veterator ille, idque digitis; hoc ènim eſt *agitare digitos*, κάμπτειν τοὺς δακτύλους. *S.*

4 *climactericum tempus)* Decantatae ſuperſtitionis rationes nemo adcuratius pleniusque expoſuit Salmaſio, cuius ſententia de *climactericis* i. e. periculoſis annis, menſibus, diebus, horis, ex horoſcopo ſ. themate genethliaco derivandis, ex hac ipſa narratione confirmatur. Quid enim opus erat *intendere oculos, labra movere, agitare digitos, computare, diu miſeram exſpectatione ſuſpendere*, ſi *climactericus* annus ſ. *ſcanſilis* eſt, quicumque ſeptenario vel novenario vel utrisque conſtat, et his numeris quaſi exhauriri poteſt, ut XIV, XVIII, XXI, XXVII etc. Quin diſerte deinde *ſiderum ſignificationem* appellat. *G.*

gis liqueat, aruſpicem conſulam, quem ſum fre-
5 *quenter expertus.* Nec mora: ſacrificium facit, adfirmat, exta cum ſiderum ſignificatione congruere. Illa, ut in periculo, credula, poſcit codicillos: legatum Regulo ſcribit: mox ingraveſcit: clamat moriens, *O hominem nequam, perfidum, ac plus etiam quam periurum!* qui
6 ſibi per ſalutem filii peieraſſet. Facit hoc Regulus non minus ſcelerate quam frequenter, quod iram deorum, quos ipſe quotidie fallit, in
7 caput infelicis pueri deteſtatur. Velleius Blaeſus, ille locuples conſularis, noviſſima valetudine conflictabatur: cupiebat mutare teſtamentum. Regulus, qui ſperaret aliquid ex novis tabulis, quia nuper captare eum coeperat, medicos hortari, rogare, quoquo modo ſpiritum
8 homini prorogarent. Poſtquam ſignatum eſt teſtamentum, mutat perſonam, vertit alloquutionem, iisdemque medicis, *Quousque miſerum cruciatis? quid invidetis bonam mortem, cui dare vitam non poteſtis?* Moritur Blaeſus: et

5 *O hominem nequam — periurum)* Sive interiectionem ſerves, ſive cum Cortio et Gierigio expungas, haec ipſa ſunt Veraniae moribundae verba. Quae ſequuntur, *qui ſibi per ſalutem filii peieraſſet*, Secundus addidit, ut intelligatur, cur Verania Regulum *plus etiam quam periurum* dixerit. Sane non modo periurium, ſed etiam ſceleratiſſima impietas haberi debuit, ſi quis, ut alios falleret, deorum iram in liberorum capita deteſtaretur. *S.*

6 *Facit hoc Regulus)* Rom. *Facit Regulus*, omiſſo *hoc*. *H.*

in caput infelicis pueri deteſtatur) Oſtendit V. C. Chr. Gottlob Schwarzius in Diſſert. de deteſtatione ſacrorum §. 12. *deteſtari* eſſe adhibitis teſtibus denuntiare. Nec video, quid commodius ſit ad hunc ipſum locum interpretandum illa ipſa ſignificatione. Publice et ſolenniter, certe multis praeſentibus, *deteſtatur* h. e. denuntiat et imprecatur Regulus *iram deorum in caput filii ſui*, dum in hanc fere formulam iurat; *Si ſciens fallo, filius meus genium ſuum iratum habeat.* G.

7 *Velleius Blaeſus, ille locuples conſularis)* Rom. *Velleius Bleſus, conſularis ille locuples.* *H.*

Placet hic ordo. *S.*

8 *Quousque miſerum etc.)* Rom. *Qui usque miſerum cruciatis? quid invidetis bona morte, cui —.* *H.*

Bona morte Cortius ex Mediceo recepit. Vid. ad ep. 1, 10, 12. *S.*

Moritur Blaeſus: et tanquam

tanquam omnia audiſſet, Regulo ne tantulum quidem. Sufficiunt duae fabulae. An ſcholaſtica 9
lege tertiam poſcis? Eſt unde fiat. Aurelia, or- 10
nata femina, ſignatura teſtamentum, ſumſerat pulcherrimas tunicas. Regulus quum veniſſet ad ſignandum, *Rogo*, inquit, *has mihi leges.* Aurelia ludere hominem putabat; ille ſerio inſtabat.
Nec multa: coëgit mulierem aperire tabulas, ac 11
ſibi tunicas, quas erat induta, legare: obſervavit ſcribentem, inſpexit an ſcripſiſſet. Et Aurelia quidem vivit: ille tamen iſtud tanquam morituram coëgit. Et hic hereditates, hic legata, quaſi
mereatur, accepit! Ἀλλὰ τί διατείνομαι in ea ci- 12
vitate, in qua iampridem non minora praemia, immo maiora, nequitia et improbitas, quam pu-
dor et virtus habent? Adſpice Regulum, qui ex 13
paupere et tenui ad tantas opes per flagitia proceſſit, ut ipſe mihi dixerit, quum conſuleret,

omnia audiſſet) Rom. *Moritur Bleſus tamquam omnia audiſſet,* omiſſo *et*. *H.*

Copulam nemo deſideret. *S.*

tanquam omnia audiſſet) ſcil. tum, cum novae tabulae fierent. Gierigius: „Melius foret: *tam-„quam iſta praeſenſiſſet.*" Immo languidius. Talia non ad vivum relecanda. *S.*

9 *ſcholaſtica lege*) Proverbio forte, cui ſimile illud noſtrum, *Aller guten Dinge müſſen drey ſeyn*, *Omne trinum perfectum* etc. *G.*

Suffic. d. f. κριτικῶς intelligam. *S.*

10 *pulcherrimas tunicas*) Fruſtra huc adferunt, qui hinc probant antiquum morem, quo ſumerent morituri veſtimenta pulcherrima. Nullum hic veſtigium cogitatae mortis tanquam inſtantis proxime; ne morbi quidem. Aurelia apud amicos munda videri voluit atque hilaris. *G.*

11 *Nec multa*) Optimi libri: *Ne multa.* idque Cortius et Gierigius receperunt. Bene. Gesneriana lectio ferri nequit. *Ne multa* i. q. *Quid multa? Quid quaeris?* *S.*

Et hic hereditates etc.) Rom. *Hic hereditates, hic legata.* Demtum eſt *et*, quod vulgo praecedit. *H.*

Demtum eſt etiam in Mediceo. Perperam. Mox *accepit* habent item Brummeri Excerpta. Sed longe praeſtat Cortianae lectio *accipit*, quam vel praeſens *mereatur* commendat. *S.*

12 τί διατείνομαι) *Quid intendor?* quid exclamatione utor? tanquam in re inſolenti et gravi, cum iſta ſint quotidiana. Demoſth. pro Cor. c. 46. τί οὖν ταῦτ' ἐπήραμαι, καὶ διετεινάμην οὕτω σφοδρῶς; *G.*

Diodor. Sicul. L. XIII. C. 28. τί χρὴ νῦν ἡμᾶς διατείνεσθαι τοὺς μηδὲν ἠδικημένους; ad quem locum vid. Weſſeling. Lucian. T. II. pag. 161. τότε μὲν αὐτῷ τὰ πολλὰ ἐκεῖνα βοῶντι καὶ διατεινομένῳ ὀλίγα χρῆναι ἀντιλέγειν ᾤόμην. pag. 186. διατείνῃ καὶ βοᾷς. *S.*

quam cito sestertium sexcenties impleturus esset, invenisse sese exta duplicia, quibus portendi, mil-
14 lies et ducenties habiturum. Et habebit, si modo, ut coepit, aliena testamenta, quod est improbissimum genus falsi, ipsis, quorum sunt illa, dictaverit. Vale.

13 *exta duplicia*) Usus forte est Regulus tanquam praeiudicio auspiciis illis, quae Augusto contigisse narrat avunculus nostri 11, 37. s. 73. *Divo Augusto Spoleti sacrificanti primo potestatis suae die, sex victimarum iecinora replicata intrinsecus ab ima fibra reperta sunt: responsumque duplicaturum intra annum imperium.* Eadem sed perturbatius Sueton. Aug. c. 95. quod copiose ostendit Burmannus. Sic *iecur operimento duplici tectum* Iuliano portendit imperium apud Ammian. Marcell. 22, 1. ubi Lindebrogius tum reliqua, tum laudat Val. Max. 1, 6, 9. Add. Iul. Obs. de prodig. 129. *G.*

Rom. *invenisse se exta duplicia, quibus portendi. H.*

14 *genus falsi*) Lege Cornelia de falsis tenetur v. g. qui sibi in testamento alterius aliquid adscripsit, quod multae Pandectarum leges h. t. docent: add. Tit. Cod. de his, qui sibi adscribunt in testam. vid. Io. Iac. Malcovii de hac re disp. Lips. 1731. Indignatur igitur Secundus, non eadem poena teneri, qui testatori dictaverit testamentum. Sed hunc absolvit l. 22. C. de testamentis, *Dictantibus testamenta — legatum — testatorem posse relinquere, minime dubitandum est.* Caussa diversitatis forte haec est, quod dictantem audit testator ac testem qui scribit, potest facilius fallere. *G.*

LIBER TERTIVS

I.

Spurinnae vitam laudat, ſibique ſimile aliquando otium contingat, precatur.

C. PLINIVS CALVISIO SVO S.

Neſcio, an ullum iucundius tempus exegerim,
quam quo nuper apud Spurinnam fui; adeo qui-
dem, ut neminem magis in ſenectute (ſi modo
ſeneſcere datum eſt) aemulari velim: nihil eſt
enim illo vitae genere diſtinctius. Me autem ut 2
certus ſiderum curſus, ita vita hominum diſpoſita
delectat, ſenum praeſertim. Nam iuvenes adhuc
confuſa quaedam et quaſi turbata non indecent:
ſenibus placida omnia et ordinata conveniunt,
quibus induſtria ſera, turpis ambitio eſt. Hanc 3
regulam Spurinna conſtantiſſime ſervat; quin etiam
parva haec, (parva, ſi non quotidie fiant) ordine

I, 1 *diſtinctius*) ordinatius, cum omnia vitae negotia conſiderata ratione bene diſpoſita ſunt. Mox eandem vitam *diſpoſitam* et *ordinatam* dicit. *E.*

2 *induſtria ſera*) Nominat duas res, quae turbare illum ordinem atque diſtinctionem vitae, ac honeſte quidem poſſunt in aliis, induſtriam atque ambitionem, oſtenditque, eas in ſenibus locum non habere. *G.*

Induſtria eſt eorum, qui cauſſis agendis, obeundisque officiis nimiam operam navant vel gratiae vel quaeſtus cauſſa. *Ambitio* eorum, qui honores affectant. Haec, ſi honeſte fiant, certe iuvenum ſunt, non ſenum. Legas, quaeſo, finem huius epiſtolae, ut illa melius intelligas. *E.*

3 *parva, ſi non quotidie fiant*) Servandam duxi hanc parentheſin, quam Gierigius ita mutavit: *parva haec, (parva, ſi non quotidie fiant ordine quodam) velut orbe circumagit.* Leviſſima cauſſa mutationis eſt. *Quis credat*, inquit, *parva ideo fieri magna, quod quotidie fiant?* Quidni vero? Plinius certe credidit, et ego credo. Nempe quae parva ſunt per ſe, et temere ac ſine certa

4 quodam et velut orbe circumagit. Mane lectulo
continetur: hora secunda calceos poscit: ambulat
millia passuum tria. Nec minus animum quam
corpus exercet. Si adsunt amici, honestissimi ser-
mones explicantur: si non, liber legitur: inter-
dum etiam praesentibus amicis, si tamen illi non
5 gravantur. Deinde considit, et liber rursus, aut
sermo libro potior: mox vehiculum adscendit:
adsumit uxorem singularis exempli, vel aliquem
6 amicorum, ut me proxime. Quam pulchrum il-
lud, quam dulce secretum! quantum ibi antiqui-
tatis! quae facta, quos viros audias, quibus prae-
ceptis imbuare! quamvis ille hoc temperamentum
modestiae suae indixerit, ne praecipere videatur.
7 Peractis septem millibus passuum, iterum ambu-
lat mille, iterum residet, vel se cubiculo ac stilo
reddit. Scribit enim, et quidem utraque lingua,
lyrica doctissime. Mira illis dulcedo, mira suavi-

ratione accidentia, ea magna fiunt, si fiunt ab aliquo quotidie, h. e. ratione et consilio, quo omnes actiones nostrae graves et magnae fieri solent. *E.*

Monuerat iam Catanaeus, dilucidiusque Cortius, quos Gierigius audire debebat. *S.*

4 *ambulat millia passuum tria* etc.) Rom. *ambulat mille passus, nec minus animum.* Accedo Rom. quod ita etiam n. 7. *iterum ambulat mille;* nec senem quotidie tria millia ambulasse credibile est. *H.*

5 *considit*) 'Sic ex Mediceo Cortius: qui alias etiam formas huius verbi passim exstare observat. *G.*

6 *secretum*) Quod cum uno comite vehitur. *G.*

7 *residet*) Cortius librorum auctoritate *residit*, quod Gesnerus, ut sibi constaret, (v. ad 5.) recipere debebat. Recepit Gierigius. *S.*

Scribit — lyrica) Edidit Casp. Barthius cum Venaticis et Bucolicis Latinis Hanoviae 1613. 8. odas quatuor Vestricii Spurinnae e membranis Merseburgi a se inventis, quas ex dispersis in ordinem a se redactas notis quibusdam illustravit: secundas deinde curas iis impendit Adv. 14, 5. ubi huius Vestricii Spurinnae esse contendit, quod antea in mentem non venerat. Iac. Vlitius in prolegom. poëtarum venaticorum, ex hac ipsa Plinii epistola effícta (a Barthione, an ab antiquiore quodam?) contendit: quin Fabricius ὁ μακαρίτης, candidissimus ille ingeniorum aestimator, Bibl. Lat. 1, 16, 2. p. 284. *Conferenti*, inquit, *apparet, haec Spurinnae universa depromta esse ex Plinii iun. lib. III. Epistola* 1. Equidem verba ex Plinio depromta non animadverto, ideam ipsam viri post negotiosam vitam ad otii portum se conferentis hinc haustam, scholasticumque aliquem, aut, si placet, ipsum adeo Barthium, materiem lusui suo a

tas, mira hilaritas: cuius gratiam cumulat sanctitas scribentis. Ubi hora balinei nuntiata est, 8
(est autem hieme nona, aestate octava) in sole, si caret vento, ambulat nudus. Deinde movetur pila vehementer et diu: nam hoc quoque exercitationis genere pugnat cum senectute. Lotus accubat, et paullisper cibum differt: interim audit legentem remissius aliquid et dulcius. Per hoc omne tempus liberum est amicis vel eadem agere, vel alia, si malint. Apponitur coena non minus 9
nitida quam frugi, in argento puro et antiquo. Sunt in usu et Corinthia, quibus delectatur, nec

Pliniano Spurinna sumsisse, non negaverim. Diu est, cum scripsit mihi Theophilus Sigefr. Baierus V. C. se meditari aliquid de illis carminibus. Abiecit, puto, illud consilium, postquam Seras et Indos Tartarosque mansuetioribus Musis praetulit, vel potius aliquid suae elegantiae et humanitatis illis impertiit. *G.*

Non abiecit. Baieri enim *de Vestritio Spurinna, Lyrico, et eius fragmentis*, opus postumum prodiit in Commentariis Academiae Petropolitanae, T. XI. ad ann. 1739, Petrop. 1750, p. 311. sq. Vid. Wernsdorf. Poët. Lat. Minor. Tom. IV. pag. 841. sq. Cf. idem Wernsdorf. ibid. Tom. III. pag. 325. sq. ubi pag. 351. sq. odas illas quatuor reperias. *S.*

8 *hieme nona*) Seriusne igitur hieme quam aestate? Quin contra. Nimirum adtendendum est ad rationem horarum Romanarum. Hae καιρικαὶ erant, h. e. diem naturalem dividebant in XII partes aequales, sive is longus esset s. brevis. Horae igitur Romanae cum nostris conveniunt modo in aequinoctiis, hieme sunt breviores, productiores aestate. Quare pone solstitii tempore diem in dupla ratione diei brumalis, ut apud nos H. XVI et VIII, erit hora aestiva in eadem ratione ad horam brumalem. Cumque aequinoctialis hora minutas habeat 60, aestivae cedent 80, hibernae non nisi 40. Itaque aestiva hora VIII. conveniet nostrae hor. 2. m. 40; hiberna vero IX incidet in ipsam nostram h. 2. Si cui haec nimis brevia et abrupta videantur, ille legat Aldi Manutii ea de re libellum, qui praefationis instar Rei Rusticae scriptoribus adponi solet, et in nostra editione locum octavum obtinet. *G.*

pugnat cum senectute) Commode huc advocant Cic. de Sen. 11. *Pugnandum tanquam contra morbum, sic contra senectutem. Habenda ratio valetudinis: utendum exercitationibus modicis.* *G.*

liberum est amicis etc. Rom. *liberum est amicis vel eadem facere, vel alia.* *H.*

Sic Cortius ex libris suis, quibus accedunt Excerpta Brummeri. *S.*

9 *nec adficitur*) non aliquo cum furore expetit et amat ista vasa, ut ille apud Horatium I. Sat 4. 28. *Hunc capit argenti splendor, stupet Albius aere.* *E.*

Rom. *quibus delectatur et adficitur.* *H.*

Sic plures libri. Longe longeque praestat *nec.* *S.*

adficitur. Frequenter comoedis coena diſtinguitur, ut voluptates quoque ſtudiis condiantur. Sumit aliquid de nocte, et aeſtate. Nemini hoc longum
10 eſt; tanta comitate convivium trahitur. Inde illi poſt ſeptimum et ſeptuageſimum annum aurium oculorumque vigor integer; inde agile et vividum cor-
11 pus, ſolaque ex ſenectute prudentia. Hanc ego vitam voto et cogitatione praeſumo, ingreſſurus avidiſſime, ut primum ratio aetatis receptui canere permiſerit. Interim mille laboribus conteror, quorum mihi et ſolatium et exemplum eſt idem Spurinna. Nam ille quoque, quoad honeſtum fuit, obiit officia, geſſit magiſtratus, provincias rexit: multoque labore hoc otium meruit.
12 Igitur eundem mihi curſum, eundem terminum ſtatuo: idque iam nunc apud te ſubſigno: ut, ſi me longius evehi videris, in ius voces ad hanc epiſtolam meam, et quieſcere iubeas, quum inertiae crimen effugero. Vale.

II.

Arrianum commendat.

C. PLINIVS MAXIMO SVO S.

Quod ipſe amicis tuis obtuliſſem, ſi mihi eadem materia ſuppeteret; id nunc iure videor a te meis

comoedis) Vid. 1, 15, 2. *G.*
et aeſtate) Cortius: „Voſſian. „*etiam aeſtate*, ex Gloſſa, quam „tamen Gryphius praetulit." Praetulit item Gierigius, nihilque monito lectore in textum immiſit. Vid. N. Heinſ. ad Vellei. Paterc. 2, 116. pag. 1180. ed. Ruhnk. *S.*

10 *ſolaque ex ſenectute prudentia*) incommodis ſenectutis non coniunctis. *S.*
11 *ut primum ratio aetatis receptui canere permiſerit*) Gierigius hic, Plinium reprehendens, neſcio quid tricatur. Me quidem Pliniana non offendunt. *S.*

12 *Igitur eundem mihi* etc.) Rom. *Igitur et eundem mihi curſum et eundem terminum. H.*
Copula melius abeſt. *S.*

ſubſigno) fidem do, veluti data ſyngrapha tibi ſpondeo. *E.*

inertiae crimen) Vid. 4, 23. 4. *G.*

petiturus. Arrianus Maturius Altinatium eſt prin- 2
ceps. Quum dico princeps, non de facultatibus
loquor, quae illi large ſuperſunt: ſed de caſtita-
te, iuſtitia, gravitate, prudentia. Huius ego con- 3
ſilio, in negotiis; indicio, in ſtudiis utor: nam
plurimum fide, plurimum veritate, plurimum in-
telligentia praeſtat. Amat me (nihil poſſum ar- 4
dentius dicere) ut tu. Caret ambitu: ideo ſe in
equeſtri gradu tenuit, quum facile poſſet adſcen-
dere altiſſimum. Mihi tamen ornandus excolen-
dusque eſt. Itaque magni aeſtimo, dignitati eius 5
aliquid adſtruere, inopinantis, neſcientis, immo
etiam fortaſſe nolentis: adſtruere autem, quod ſit
ſplendidum, nec moleſtum. Cuius generis, quae 6
prima occaſio tibi, conferas in eum, rogo; habe-
bis me, habebis ipſum gratiſſimum debitorem.
Quamvis enim iſta non appetat, tam grate tamen
excipit, quam ſi concupiſcat. Vale.

III.

Corelliae conſulit de filii ſtudiis inſtituendis, ideam boni magiſtri in Iulio Genitore praeſcribens.

C. PLINIVS CORELLIAE HISPVLLAE S.

Quum patrem tuum, graviſſimum et ſanctiſſimum

II, 2 *Altinatium eſt princeps*) Rom. *Altinatium princeps*, excluſo verbo *eſt*. *H.*

4 *nihil poſſum ardentius dicere*) Rom. *nihil poſſum dicere ardentius*. *H.*

Placet hic ordo. *S.*

quum facile poſſet adſcendere) Rom. *cum facile poſſit aſcend.* *H.*

Mihi tamen ornandus etc.) Rom. *Mihi tamen ornandus extollendusque*, ſine verbo *eſt*. Non plane repudio. *H.*

Extollendus habent etiam Brummeri Excerpta. Non diſplicet. *Ornare* et *excolere* vix differunt: ſed *extollere* plus eſt quam *ornare*. Neque Secundus hoc verbo non utitur. Infra 3, 11, 1. *Eſt omnino Artemidori noſtri tam benigna natura, ut officia amicorum in maius extollat*. ad quem locum videndus Cortius. Ita et Livius 28, 31, 4. *defectionem ſociorum in maius verbis extollentes*. *S.*

6 *conferas in eum, rogo*) Rom. *in eum conferas, rogo*. *H.*

tam grate tamen excipit) Rom. *tam grate tamen accipit*. *H.*

A gloſſatore profectum. Vid. Clav. Cic. v. *excipere*. *S.*

virum, ſuſpexerim magis an amaverim, dubitem:
teque in memoriam eius, et in honorem tuum,
unice diligam; cupiam neceſſe eſt, atque etiam,
quantum in me fuerit, enitar, ut filius tuus avo
2 ſimilis exſiſtat: equidem malo, materno: quam-
quam illi paternus etiam clarus ſpectatusque con-
tigerit: pater quoque et patruus illuſtri laude
conſpicui. Quibus omnibus ita demum ſimilis
adoleſcet, ſi imbutus honeſtis artibus fuerit, quas
3 plurimum refert a quo potiſſimum accipiat. Ad-
huc illum pueritiae ratio intra contubernium tuum
tenuit, praeceptores domi habuit, ubi eſt vel er-
roribus modica vel etiam nulla materia. Iam ſtu-
dia eius extra limen proferenda ſunt, iam circum-
ſpiciendus rhetor Latinus, cuius ſcholae ſeveritas,
4 pudor, in primis caſtitas, conſtet. Adeſt enim
adoleſcenti noſtro, cum ceteris naturae fortunae-
que dotibus, eximia corporis pulchritudo: cui in
hoc lubrico aetatis non praeceptor modo, ſed

III, 1 *teque in memoriam* etc.) Rom. *teque et in memoriam eius et honorem tuum.* Lege *et in honorem.* *H.*

Bene Gierigius, ſecutus Cortium: *teque et in memoriam eius, et in honorem tuum.* *S.*

cupiam neceſſe eſt etc.) Rom. *atque etiam cupiam neceſſe eſt, etiam quantum in me fuerit.* Transpoſitum eſt *atque etiam.* *H.*

malo, materno) Dat hoc tum ipſi Corelliae, cui ſic blanditur, tum amici memoriae. *G.*

3 *ubi eſt vel erroribus*) Ne quis temere iſta transponat, legatque, *ubi eſt erroribus vel modica, vel etiam nulla materia*, intercedit aliorum uſus oſtenſus a Wopkenio Lectt. Tull. 1, 7. Sed qui uſu didicit, quantum ſibi in mutando verborum ordine ſumſerint librarii, ille multum etiam hic licere Critico intelliget. *G.*

Cf. Crever. ad Liv. Praef. *S.*

Rom. *ubi eſt erroribus modica vel nulla materia.* *H.*

pudor, in primis caſtitas) Sic incidendum. *Pudor* enim latius patet, et omnem omnis turpitudinis metum ſignificat; praecipua pudoris pars eſt *caſtitas*, quae tanto magis hic ſpectanda, quanto frequentiores iuvenum corruptelae, quas innuit et deteſtatur magis, quam explicat Fabius 1, 2, 4. 1, 3, 16. etc. *G.*

4 *naturae fortunaeque dotibus*) Rom. *naturae formaeque dotibus*, male. *H.*

„*Forma* et *fortuna* ſaepe in „MStis commutantur. — Simili- „ter *formatus* et. *fortunatus.*" Drakenb. ad Liv. 41, 20, 2. ubi v. exempla. Sed inprimis huc facit Liv. 3, 12, 6. *iuvenem egregium, inſtructum naturae fortunaeque omnibus bonis.* ubi item in libris repertum *formaeque.* *S.*

in hoc lubrico aetatis) Vid. Heuſinger. ad Vechner. Hellenol. p. 203. Simillimum illud Appuleii Metamorph. L. XI. p. 782.

custos etiam rectorque quaerendus est. Videor 5
ego demonstrare tibi posse Iulium Genitorem.
Amatur a me: iudicio tamen meo non obstat caritas hominis, quae ex iudicio nata est. Vir est emendatus et gravis: paullo etiam horridior et durior, ut in hac licentia temporum. Quantum 6
eloquentia valeat, pluribus credere potes; nam dicendi facultas aperta et exposita statim cernitur. Vita hominum altos recessus magnasque latebras habet; cuius pro Genitore me sponsorem accipe. Nihil ex hoc viro filius tuus audiet, nisi profuturum: nihil discet, quod nescisse rectius fuerit. Nec minus saepe ab illo, quam a te meque ad- 7
monebitur, quibus imaginibus oneretur, quae nomina et quanta sustineat. Proinde, faventibus diis, trade eum praeceptori, a quo mores primum, mox eloquentiam discat, quae male sine moribus discitur. Vale.

IV.

Caussas exponit, cur advocationem pro Baeticis susceperit: et consulit, an recte fecerit.

C. PLINIVS MACRINO SVO S.

Quamvis et amici, quos praesentes habebam, et

Oudend. *lubrico virentis aetatulae, ad serviles delapsus voluptates, curiositatis improsperae sinistrum praemium reportasti.* S.

5 *Videor ego demonstrare)* Rom. *Videor ergo demonstrare.* H.

Similis confusio infra epist. 4, 7. S.

ut in hac licentia) Si alio et paullo severiore seculo vixisset, nemo duriusculum diceret: sed mollities et dissolutio huius aetatis facit, ut horridior videatur. Eam vim τῆς *ut* satis illustramus ad Fabrum. G.

Infra epist. 6, 3. *A tergo quoque eadem aetas, ut a tergo.* Eodem modo Graeci particula ὡς utuntur. Vid. nostra ad Longi Pastoral. p. 428. sq. S.

7 *quibus imaginibus oneretur)* Magna omnia nempe exspectantur ab eo, qui tam claris maioribus (quorum spectantur in atriis imagines) ortus sit. Est haec ratio similis Ciceronianae illi sententiae ad Curionem, fam. 2, 4. *Est tibi gravis adversaria constituta et parata, incredibilis quaedam exspectatio, quam tu una re facillime vinces* etc. G.

ſermones hominum factum meum comprobaſſe videantur, magni tamen aeſtimo ſcire, quid ſen-
2 tias tu. Nam cuius integra re conſilium exquirere optaſſem; huius etiam peracta iudicium noſſe, mire concupiſco. Quum publicum opus mea pecunia inchoaturus in Tuſcos excurriſſem, accepto, ut praefectus aerarii, commeatu; legati provinciae Baeticae, queſturi de proconſulatu Caecilii Claſſici, advocatum me a ſenatu petierunt.
3 Collegae optimi, meique amantiſſimi, de communis officii neceſſitatibus praeloquuti, excuſare me et eximere tentarunt. Factum eſt ſenatus conſultum perquam honorificum, ut darer provincia-
4 libus patronus, ſi ab ipſo me impetraſſent. Legati rurſus inducti, iterum me iam praeſentem poſtulaverunt advocatum: implorantes fidem meam, quam eſſent contra Maſſam Baebium experti: adlegantes patrocinii foedus. Sequuta eſt clariſſima ſenatus adſenſio, quae ſolet decreta praecurrere. Tum ego, *Deſino*, inquam, *Patres Conſcripti, putare, me iuſtas excuſationis cauſſas adtuliſſe.*
5 Placuit et modeſtia ſermonis et ratio. Compulit autem me ad hoc conſilium non ſolum conſenſus ſenatus, (quamquam hic maxime) verum etiam

IV, 2 *publicum opus*) Templum in Tiferno Tiberino, de quo 4, 1, 4. *Tuſcos* autem ſuos deſcribit 5, 6. *G.*

in Tuſcos excurriſſem) Rom. *in Tuſcos excucurriſſem. H.*

Vid. Drakenb. ad Liv. 1, 12, 8. 1, 15, 1. *S.*

commeatu) veniâ eundi. Petit eam Plinius a Traiano 10, 24. Vid. Clav. Ciceron. h. v. *S.*

Caecilii Claſſici) De quo et de ſucceſſu cauſſae, quam hic a ſe ſuſceptam narrat, hoc libro ep. 9. exponit. *G.*

3 *Collegae optimi*) Reliqui Praefecti aerarii, de quo magiſtratu vid. Torrent. ad Sueton. Claud. c. 24. Quam laborioſum illud munus fuerit, quamque iuſtam adeo aliorum munerum excuſationem praebuerit, vid. apud noſtrum 1, 10, 9. *G.*

4 *me iam praeſentem* etc.) Rom. *me iam praeſentem advocatum poſtulaverunt. H.*

contra Maſſam Baebium) De quo 7, 33. *G.*

clariſſima ſenatus adſenſio) Rom. *ſenatus clariſſima adſenſio. H.*

5 *verum etiam alii* etc.) Rom. *verum et alii quidam minores, ſed tamen innumeri*, vitioſe. *H.*

Verum et, Cortio quoque probatum, placet. *S.*

alii quidam minores, ſed tamen numeri. Venie-
bat in mentem, priores noſtros, etiam ſingulo-
rum hoſpitum iniurias accuſationibus voluntariis
exſecutos; quo deformius arbitrabar publici ho-
ſpitii iura negligere. Praeterea, quum recorda- 6
rer, quanta pro iisdem Baeticis priore advocatio-
ne etiam pericula ſubiiſſem, conſervandum vete-
ris officii meritum novo videbatur. Eſt enim ita
comparatum, ut antiquiora beneficia ſubvertas,
niſi illa poſterioribus cumules: nam quamlibet
ſaepe obligati, ſi quid unum neges, hoc ſolum
meminerunt, quod negatum eſt. Ducebar etiam, 7
quod deceſſerat Claſſicus, amotumque erat, quod
in eiusmodi cauſſis ſolet eſſe triſtiſſimum, pericu-
lum ſenatoris. Videbam ergo, advocationi meae
non minorem gratiam, quam ſi viveret ille, pro-
poſitam; invidiam nullam. In ſumma, computa- 8
bam, ſi munere hoc iam tertio fungerer, facilio-
rem mihi excuſationem fore, ſi quis incidiſſet,
quem non deberem accuſare. Nam quum eſt
omnium officiorum finis aliquis, tum optime li-
bertati venia obſequio praeparatur. Audiſti con- 9

minores — numeri) Nihil ſolemnius, quam *rationes* vocare, ubi de conſilio capiendo ſermo eſt, hinc *calculorum* mentio, hinc *duci*, *putari* dicitur *ratio* etc. Huc etiam referendum, quod *numeros* appellat cauſſas, quibus motum ſe dicit. Sic deinde ſ. 8. *In ſumma, computabam* etc. *G.*

Bene, opinor, Gesnerus. Si cui vero haec non ſatisfaciant, magis fortaſſe probabit coniecturam Caſauboni ita corrigentis: *alia minoris quidem, ſed tamen numeri*, h. e. minoris quidem ponderis, ſed alicuius tamen apud me momenti. Iam illa forma et ſenſu proxime accedunt ad notas dicendi formulas, *in aliquo*, vel *in nullo numero eſſe*. *E.*

6 *Eſt enim ita comparatum*) Sic et Rom. *H.*

Al. *Eſt enim ita natura comparatum*. Utrumque bonum; ſed noſtrum maior librorum numerus commendat. *S.*

7 *Videbam ergo*) Rom. *Videbam ego*, pro *ergo*. *H.*

Vid. ſupra ad ep. 3, 5. *S.*

invidiam nullam) Sed non invidioſum erat, contra mortuum dicere? Neſcimus ſcilicet totam cauſſam. *G.*

8 *non deberem*) propter amicitiam, vel aliud officium. *E.*

libertati — praeparatur) recuſandi officii tum maximam veniam habemus, cum iam antea multa officia praeſtitimus. Tum nempe non inertia aut impietate fit, ut recuſemus, ſed iure noſtro libertatis utimur. *E.*

ſilii mei motus, ſupereſt alterutra ex parte iudicium tuum: in quo mihi aeque iucunda erit ſimplicitas diſſentientis, quam comprobantis auctoritas. Vale.

V.

Plinii maioris libri, vitaeque et ſtudiorum ratio.

C. PLINIVS MACRO SVO S.

Pergratum eſt mihi, quod tam diligenter libros
avunculi mei lectitas, ut habere omnes velis,
2 quaerasque, qui ſint omnes. Fungar indicis par-
tibus, atque etiam, quo ſint ordine ſcripti, no-
tum tibi faciam. Eſt enim haec quoque ſtudioſis
3 non iniucunda cognitio. DE IACVLATIONE
EQVESTRI VNVS. Hunc, quum praefectus alae
militaret, pari ingenio curaque compoſuit. DE
VITA POMPONII SECVNDI DVO, a quo ſingu-

9 *conſilii mei motus*) quae me moverint, ut illud conſilium caperem. *S.*

ſimplicitas diſſentientis) aperte et libere ſententiam dicentis. *E.*

V Hanc epiſtolam, quam Plinio ſuo praemiſit etiam Harduinus, copioſius interpretatus olim ſum in fronte Chreſtomathiae Plinianae, unde potiora huc referentur. *G.*

1 *quaerasque, qui ſint omnes*) Rom. *quaerasque qui ſint,* abiecto altero *omnes.* Hoc et ipſe deleo. *H.*

Nec ego repugnem. Gravat orationem alterum *omnes.* *S.*

2 *Eſt enim haec* etc.) Rom. *Eſt enim haec* [non *hoc*] *ſtudioſis non iniucunda cognitio.* Abeſt *quoque.* *H.*

Hoc plerorumque librorum eſt. Conſtructio σολοικοφανής, quam ſatis tuentur exempla a Cortio allata. Plura ſi deſideras, adi Drakenborchii notam ad Liv. 2, 38, 5. ubi ſimili confuſione alii libri, *ſi haec profectio, et non fuga eſt*, alii, probante Drakenborchio, *ſi hoc profectio, et non fuga eſt.* *S.*

3 *De iaculatione equeſtri*) Mentionem ipſe facit Auctor H. N. 8, 42. ſ. 65. Quae ſit *iaculatio equeſtris*, non quaeret, qui viderit hodie ad caput Mauri, ad annulum etc. ex equo iaculantes. *G.*

alae militaret) Non eius, puto, quam etiam hodie ita vocamus, quae alias *cornu* eſt: ſed agminis minoris equeſtris, cui a CCC ad M usque capita tribui videas, de quo praeſertim H. R. Schelius ad Hygin. Grammat. p. 66. *G.*

Pomponii Secundi) De quo libro ipſe Plin. 14, 4. ſ. 6. Poëtam Conſularem vocat 7, 19. ſ. 18. Principatum Tragicorum Latinorum illi tribuit Quintil. 10, 1, 98. Cum Domitio Afro comparatur in Dial. de corr. eloq. 13, 4. *G.*

lariter amatus, hoc memoriae amici quasi debitum
munus exsolvit. BELLORVM GERMANIAE VI- 4
GINTI, quibus omnia quae cum Germanis gessi-
mus bella collegit. Inchoavit, quum in Germa-
nia militaret, somnio monitus. Adstitit enim
quiescenti Drusi Neronis effigies, qui Germaniae
latissime victor ibi periit: commendabat memoriam
sui, orabatque, ut se ab iniuria oblivionis adse-
reret. STVDIOSI TRES, in sex volumina pro- 5
pter amplitudinem divisi: quibus oratorem ab
incunabulis instituit et perficit. DVBII SERMO-

Rom. *De vita Q. Pomponii Secundi. H.*

singulariter amatus) Rom. *singulariter est amatus.* Dele *est. H.*

Est, etiam in Mediceo repertum, temere probat Cortius. *S.*

4 *Bellorum Germaniae*) Eorum mentionem facit Tacitus A. 1, 69. Iam rariores sua aetate fuisse indicat Symmachus 4, 18. *Enitar, si fors votum iuvat, etiam Plinii Secundi bella Germanica conquirere. G.*

Inchoavit, quum etc.) Rom. *Inchoavit: Cum in Germania militarem, somnio monitus, adstitit mihi.* Librarius putavit, Plinii minoris verba esse. *H.*

latissime victor) ut Virg. Aen. 1, 25. *populum late regem.* Nihil igitur caussae erat, cur Harduinus scribi iuberet *latissimae. G.*

Rom. *latissime victor. H.*

Latissimae non primo placuit Harduino. Habet iam Gryphius. Male. *S.*

memoriam sui) Rom. *memoriam suam. H.*

Cortius: „Sic [*memoriam suam*] libri omnes scripti et excusi: ne te moveat illud *memoriam sui*, quod inficetus corrector in Ed. Cellarianam intrusit. Alterum aeque usitatum esse, persuadebunt nostra ad Sallust. Cat. cap. XXXI. extr." Gierigius *memoriam suam* bene revocavit. *S.*

adsereret) Rom. *adsererem. H.*

5 *Studiosi*, Iam tum *studere* simpliciter de literis adhibebant, et *studiosus* erat eloquentiae, quae apex tum studiorum, cupidus. Noster 8, 12, 1. *Colit studia, studiosos amat* etc. *Fecit igitur operi suo titulum Plinius Maior *Studiosus*. Est enim *Studiosi* hic casus secundus, ut *Bellorum Germaniae*, *Dubii sermonis*, *Naturae historiarum*. Igitur apud Gellium 9, 16, ubi huius operis mentio fit, non legendum videtur, ut est in plerisque libris, *Is libros reliquit, quos Studiosorum inscripsit*, sed *Studiosi*, quam coniecturam iuvat lectio MS. *studiose. G.*

quibus oratorem ab incunabulis) Rom. *quibus orationem ab incunabulis. H.*

Sic et Mediceus, recte improbante Cortio. Quintilianus quoque oratorem *ab ipsis dicendi velut incunabulis* (p. 7. ed. Burm.) instituit. — Mox *perficit* praestat Cortiano *perfecit. S.*

Dubii sermonis) Saepe advocantur ab antiquis Grammaticis, quod Putschianus index docet. *G.*

Fuit igitur opus grammaticum de dubia ambiguaque verborum forma aut significatione. *E.*

Dubii sermonis octo: scripsit.

NIS OCTO: scripsit sub Nerone, novissimis annis, quum omne studiorum genus paullo liberius et
6 erectius periculosum servitus fecisset. A FINE AVFIDII BASSI TRIGINTA VNVS. NATVRAE HISTORIARVM TRIGINTA SEPTEM, opus diffusum, eruditum, nec minus varium quam ipsa
7 natura. Miraris, quod tot volumina, multaque in his tam scrupulosa, homo occupatus absolverit? Magis miraberis, si scieris, illum aliquamdiu caussas actitasse; decessisse anno sexto et quinquagesimo: medium tempus distentum impeditumque qua officiis maximis, qua amicitia prin-
8 cipum egisse. Sed erat acre ingenium, incredibile studium, summa vigilantia. Lucubrare Vulcanalibus incipiebat, non auspicandi caussa, sed

Sic interpungo, ut *octo* sit primi casus, quo ceteri libri omnes enumerantur. *H.*

Verissime: itaque sic interpunxi. Vulg. *Dubii sermonis octo scripsit* etc. *S.*

liberius et erectius) ut historiae, vel politices, cum de republica, de moribus publicis privatisque libere et graviter disputatur. *E.*

Rom. *paullo liberius et rectius. H.*

6 *a fine Aufidii*) Historiam suorum temporum, iustum opus ab iis temporibus, ubi Aufidius Bassus (Quintiliano laudatus 10, 1, 104) defierat. Vid. Plin. H. N. praef. it. 2, 83. f. 85. it. 2, 105. f. 106. *G.*

Naturae historiarum) Quod solum opus naufragium illud infelix evasit, et vel solum bibliothecae instar est. *G.*

7 *si scieris*) Rom. *si scires*, male, pro *scieris. H.*

Immo pro *scires*, formâ contractâ, quam librarii saepe obliterarunt. Vid. Drakenb. ad Liv. 6, 18, 10. 45, 5, 12. *S.*

illum aliquamdiu caussas actitasse) Rom. *illum causas actitasse aliquamdiu. H.*

medium tempus) Inter caussas agendas et mortem interiectum. *G.*

distentum impeditumque etc.) Rom. *distentum impeditumque tam officiis maximis, quam amicitia principum egisse. H.*

Qua — qua — ut exquisitius, a Plinii manu profectum. *Tam — quam* — pro glossemate habendum, quod et alibi illam formam expulit. Vid. Drakenb. ad Liv. 2, 35, 4. *S.*

8 *Vulcanalibus*) Quae incidunt, Kalendariis antiquis testibus, in X Kal. Sept. *G.*

auspicandi caussa) Initii bene ominati faciendi, quod Vulcani sacrum moneret homines, nunc eius h. e. ignis beneficio opus esse incipere ad obeunda negotia: ut Ianuariis Kalendis (Ovidio teste Fast. 1, 169.)

Quisque suas artes ob idem delibat agendo,
Nec plus quam solitum testificatur opus.

Vid. Schoettg. ad Colum. 11, 2, 98. Nam etiam rustici *auspicantur* Kal. Ian. *G.*

ſtudendi, ſtatim a nocte multa: hieme vero, hora
ſeptima, vel quum tardiſſime, octava, ſaepe ſex-
ta. Erat ſane ſomni paratiſſimi, nonnunquam
etiam inter ſtudia inſtantis et deſerentis. Ante 9
lucem ibat ad Veſpaſianum imperatorem: nam
ille quoque noctibus utebatur: inde ad delegatum
ſibi officium. Reverſus domum, quod reliquum
erat temporis, ſtudiis reddebat. Poſt cibum ſae- 10

hora ſeptima) Si obſerves, quae ad 3, 1, 8. de ratione horarum dicta ſunt, patebit, circa brumam VItae Romanae convenire ipſam noſtram h. 12.; VIImae h. 1. m. 20. VIIIvae h. 2. m. 40. *G.*

ſaepe ſexta) Duo verba *ſaepe ſexta* Rom. delunt. Statim idem liber: *Erat ſane ſomni paratiſſimi, nonnunquam etiam inter ipſa ſtudia inſtantis et deſerentis. H.*

paratiſſimi) Qui praeſto eſſet, quocunque tempore opus eſſet, adeo ut ſomni cauſſa interrumpere laborem nihil opus eſſet, cuius, quocunque otio ſe offerente, parata eſſet facultas. Firmavit hanc lectionem Cortius, meritoque alteri *parciſſimi* praeferendam oſtendit. *Parciſſimi* non differt a ſumma vigilantia. *Paratiſſimi* etiam Heuſinger. Emendd. 2, 10. p. 276. ex vet. libro ſuo. *G.*

Interpretes h. l. non viderunt, quo conſilio Plinius haec verba: *Erat ſane — deſerentis*, adiecerit, minime certe omnium illi, qui *parciſſimi* defendebant, quod ab hoc loco alieniſſimum eſt. Laudat Plinius avunculi *ſummam vigilantiam,* haud dubie, ut virtutem. Quodſi autem vigilantia non naturae aliqua imbecillitate, ſed virtute conſtat, neceſſe eſt, ut ſaepe cum ſomno obrepente, inſtante et urgente luctandum ſit, ut eum contentione et propoſito ſobigas et vincas. Ut igitur huius vigilantiae pretium et avunculi conſtantiam declaret, dicit eum alioqui fuiſſe *ſomni paratiſſimi*, h. e. non pronum natura ad vigilandum, ſed ad ſomnum potius, qui ei inſtaret ſaepe inter ſtudia, ſed et eum deſereret, victus nempe, veluti abactus hominis continentia et vigore. Habet etiam locus, niſi me meus ſenſus fallit, iucundam imaginem ex proſopopoeia. Somnus vigilantiſſimo homini adſiat, eique inſtat ſaepe, ſi eius vigilantiam expugnare poſſit: ſed illa vigilantiae virtus maior eſt. Quoties inſtat ſomnus, toties velut remiſſus et repudiatus eundem deſerit. *E.*

Quominus Erneſtii rationem, ſolerter illamquidem excogitatam, ſequar, impediunt verba *et deſerentis*. Hoc enim Plinius ſi dicere voluit, particula, non copulante, ſed adverſante uti debuit. An igitur levi mutatione (cf. mox ad 13.) corrigemus *ſed deſerentis?* Non puto. Vidit, opinor, ipſe Erneſtius hunc ſcopulum, interpretandoque callide circumvectus eſt. Equidem teneo rationem Cortii, probatam item Gesnero, nuperque Gierigio. Quid I. A. Erneſtio de hoc loco viſum ſit, docet Gesneri ad eum Epiſtola. *S.*

9 *nam ille quoque noctibus*) Rom. *nam illo quoque noctibus,* perperam. *H.*

quod reliquum erat temporis) Rom. *quod reliquum temporis,* ſine verbo *erat. H.*

Omittunt plurimi libri: et melius abeſt. Sic mox: *ſi quid otii. S.*

pe (quem interdiu levem et facilem veterum more sumebat) aestate, si quid otii, iacebat in sole: liber legebatur: adnotabat excerpebatque. Nihil enim legit, quod non excerperet. Dicere etiam solebat, nullum esse librum tam malum, ut non
11 aliqua parte prodesset. Post solem plerumque frigida lavabatur. Deinde gustabat, dormiebatque minimum. Mox, quasi alio die, studebat in coenae tempus. Super hanc liber legebatur, ad-
12 notabatur, et quidem cursim. Memini quendam ex amicis, quum lector quaedam perperam pronuntiasset, revocasse et repeti coëgisse: huic avunculum meum dixisse, *Intellexeras nempe?* quum ille adnuisset, *Cur ergo revocabas? decem amplius*
13 *versus hac tua interpellatione perdidimus.* Tanta erat parsimonia temporis. Surgebat aestate a coena, luce; hieme, intra primam noctis; et tanquam aliqua lege cogente. Haec inter medios labores
14 urbisque fremitum. In secessu solum balinei tempus studiis eximebatur. Quum dico balinei,

10 *levem et facilem*) *Post quem lavandae non sunt manus* Sen. epist. 83. Laudat de hoc more Cortius Ios. Wasse ad Sall. de rep. ordin. 1. in Add. p. 313. sq. *G.*

iacebat in sole) Haec *apricatio* s. *insolatio* veterum, diaeteticae medicinae pars non parva: ad hanc bonus *heliocaminus* 2, 17, 20. Vid. P. Victor. V. L. 21, 13. *G.*

adnotabat excerpebatque) Rom. *adnotabat, excerpebat. H.*

Placet h. l. asyndeton. *S.*

11 *gustabat*) Haec gustatio non coenae initium est, s. *promulsis*, ut alias: sed cibus siccus inter prandium et coenam sumtus. Vid. Salmas. ad Vopisci Tac. 2. p. 614. sq. *G.*

Super hanc) Secundus infra 4, 22, 6. *De eius nequitia sanguinariisque sententiis in commune omnes super coenam loquebantur. S.*

12 *versus*) Non sunt, ut Gierigio visum, segmenta maiora et minora periodorum, sive commata, sed quae vulgo, parum sane latine, *lineae* dicuntur. Vid. Vossium de Vit. Serm. 1, 26. pag. 112. sq. *S.*

13 *et tanquam aliqua lege cogente*) Rom. *sed tamquam aliqua lege cogente. H.*

Sed etiam liber Mediceus. Malo. „Saepissime scribae voculas „*et* ac *sed* perperam commutarunt. — — Praesertim autem id „facile accidere potuit, si vox „praecedens litera *s* finiret." Drakenb. ad Liv. 21, 26, 6. *S.*

14 *In secessu*) Quoties curandi corporis aut animi caussa in villam secesserat. Haec adnotare nihil adtinebat, nisi mirifica quaedam hic alii traderent. Hoc etiam ad proximam observationem pertinet. *G.*

de interioribus loquor. Nam dum destringitur
tergiturque, audiebat aliquid aut dictabat. In 15
itinere, quasi solutus ceteris curis, huic uni vacabat.
Ad latus notarius cum libro et pugillaribus,
cuius manus hieme manicis muniebantur, ut
ne coeli quidem asperitas ullum studiis tempus
eriperet: qua ex caussa Romae quoque sella vehebatur.
Repeto, me correptum ab eo, cur 16
ambularem. *Poteras*, inquit, *has horas non per-*

de interioribus) *studiis* intellige, h. e. altioribus, ad quae adcuratiore meditatione opus esset. Vid. Cic. de N. D. 3, 16. It. fam. 3, 10. post med. et 7, 33. med. *G.*

Rectissime Gesnerus, quidquid contra dixerint alii, etiam recentissimi interpretes, qui loci sensum non perviderunt, et suis sententiis turbarunt. Plinius dicit, *solum balinei tempus studiis eximi.* Sed hoc ipse eo restringit, ut dicat, se non omnino de omnibus studiis, sed de *interioribus* tantum loqui. Nam etiam in balineo, *dum destringitur et tergitur, audiebat aliquid, aut dictabat.* Haec scilicet erant leviora studia, levior animi contentio balineo apta. *Interiora* tantum, h. e. altiora, difficiliora, contentiora studia remittebat et excludebat a balineo, a quo talis acrior mentis intentio aliena, et valetudini noxia fuisset. *E.*

Assentirer viris egregiis, nisi verborum structura clarissime reclamaret. *Interiora* non possunt non de balineo intelligi. Interpretor res, quae in secretioribus balinei locis fiunt, i. e. lotiones; quibus opponuntur exteriora, puta strigilis usus etc. Ceterum locus, ut qui maxime, sanus. *S.*

dum destringitur tergiturque) Rom. *cum distringitur tergiturque.* *H.*

destringitur) Sic legendum, cum de auferendis strigili sordibus sermo est, ostendit post alios Cortius. De ipso opere vid. Mercurial. de arte gymn. 1, 8. et Eschenbach. de unctt. gentil. Diss. Acad. p, 483. *G.*

15 *notarius*) Tachygraphus, qui adhibitis *notis*, h. e. vocum compendiis, celerrime quamvis loquentis voces excipere posset. *Scriptor velox*, (Manil. 4, 160.) *cui litera verbum est, Quique notis linguam superet, cursimque loquentis Excipiat longas nova per compendia voces.* Huius, (Martial. 14, 208.) *Currant verba licet, manus est velocior illis: Nondum lingua suum, dextra peregit opus.* *G.*

ullum studiis tempus) Rom. *ullum studii tempus*, non *studiis.* Sic *tempus audiendi conterunt* lib. I. epist. XIII, 2. *H.*

sella vehebatur) Clausa, puto, ob interpellatores, et in qua *sedendi* facultas; quod legenti commodius. *G.*

16 *me correptum ab eo, cur ambularem)* Notanda constructio, profecta illa ex studio brevitatis. Simile breviloquentiae exemplum in Ciceron. Epist. ad Attic. 3, 15. init. *unam, qua me obiurgas, ut sim firmior.* ubi inepte liber Antonianus: *qua me obiurgas et rogas, ut* etc. Ne igitur *cur* in *cum* mutes. *S.*

has horas non perdere) si studiis impenderes. Generalis admonitio: nec de vectione in sella cogitandum. *S.*

dere. Nam perire omne tempus arbitrabatur, quod
17 ſtudiis non impertiretur. Hac intentione tot iſta
volumina peregit, Electorumque commentarios
centum ſexaginta mihi reliquit, opiſthographos
quidem et minutiſſime ſcriptos: qua ratione multiplicatur hic numerus. Referebat ipſe, potuiſſe
ſe, quum procuraret in Hiſpania, vendere hos
commentarios Largio Licinio quadringentis millibus nummum: et tunc aliquanto pauciores erant.
18 Nonne videtur tibi, recordanti quantum legerit,
quantum ſcripſerit, nec in officiis ullis, nec in
amicitia principum fuiſſe? rurſus, quum audis,
quid ſtudiis laboris impenderit, nec ſcripſiſſe ſa-

17 *Electorum)* h. e. excerptorum, ſilvae cuiusdam obſervationum, e qua materia libris futuris peteretur. *G.*

opiſthographos) etiam in averſa pagina ſcriptos, cum volumina alias in adverſa tantum ſcriberentur. Vid. Scalig. ad Guilandi de papyro p. 45. Salm. ad Vopiſci Firmum c. 3. p. 701. ſq. *G.*

minutiſſime ſcriptos) Sic et Rom., ut Medic. *H.*

Al. *minutiſſimis ſcr.* ſcil. literis. *S.*

Largio Licinio) Ventoſo homini et falſae choragium gloriae undique corroganti, ut apparet etiam ex 2, 14, 9. *G.*

Pro *Largio* al. hic et altero Secundi loco *Lartio*, *Larcio*. Vid. de hac varietate Interpr. ad Liv. 2, 10, 6. ad Eutrop. 1, 12. *S.*

quadringentis m. n.) Noſtrae pecuniae floreni Imperiales ſ. Rhenani 20000. Summa luculenta, pro qua bibliothecam hodie emas minime contemnendam. *G.*

18 *nec in amicitia principum)* Rom. *nec in amicitia principis*, unius Veſpaſiani. *H.*

Ita et Cortius cum Gierigio. *S.*

quid ſtudiis laboris impenderit) Sic etiam Rom. *H.*

Bene Gierigius haec ita reſinxit: *quid ſtudii laboribus*, ut oppoſitio ſibi conſtet *Labores* autem officia et negotia publica dicit. Ea tamen ſententia ut abſolvatur, neceſſe eſt, ut mox *ſatis* expungatur, quod nunc certe otioſum eſt. *E.*

Locus ſaniſſimus nulloque iure a viris doctis tentatus, in quibus maxime taxandus Gierigius, qui, ut ſuam τοῦ κειμένου παραδιόρθωσιν tueatur, Secundum communes neglexiſſe ſcribendi leges dicere ſuſtineat. Veriſſime Cortius: „Senſus eſt apertus. Si „reputes, quantum legerit et ſcripſerit, non credas eum officiis „et amicitia principis diſtrictum „fuiſſe: illae enim occupationes „omnia apud alium impediviſſent, „ne licuiſſet per eas tantum legere, tantum ſcribere. Rurſus „ſi conſideres, quantum laboris „ſtudiis impenderit, nec ſcripſiſſe ſatis nec legiſſe videbitur: „nam iſta ſua inſtantia et intentiſſimo ſtudio longe plura legere, longe plura ſcripta relinquere potuiſſet. Nihi profecto in „his obſcurum, aut abſonum." Nimirum Plinius avunculum ſuum non tam laudat, quod tot libros legerit ſcripſeritque, ut nulli alii

tis nec legisse? Quid est enim, quod non aut illae occupationes impedire, aut haec instantia non possit efficere? Itaque soleo ridere, quum 19
me quidam studiosum vocant, qui, si comparer illi, sum desidiosissimus. Ego autem tantum, quem partim publica, partim amicorum officia distringunt? Quis ex istis, qui tota vita literis adsident, collatus illi, non quasi somno et inertiae deditus erubescat? Extendi epistolam, quam- 20
vis hoc solum, quod requirebas, scribere destinassem, quos libros reliquisset. Confido tamen, haec quoque tibi non minus grata, quam ipsos libros, futura: quae te non tantum ad legendos eos, verum etiam ad simile aliquid elaborandum, possunt aemulationis stimulis excitare. Vale.

VI.

Statuam Corinthii aeris in templo patriae positurus, rogat, ut basis ex marmore paretur.

C. PLINIVS SEVERO SVO S.

Ex hereditate, quae mihi obvenit, emi proxime Corinthium signum, modicum quidem, sed festi-

rei vacasse videatur, quam quod studiis tantum impenderit laboris, ut plures etiam legere ac scribere potuisse putes. Sana qui perire omne tempus arbitratus est, quod studiis non impertiret, et quidquid legeret, tanta intentione excerpsit, ut librorum futurorum materia incredibiliter cresceret, licet plurimos libros legerit scripseritque, tamen nec legisse satis videtur nec scripsisse. S.

instantia) quae censetur non tantum legendo scribendoque, sed etiam audiendo, dictando, excerpendo, commentando etc. S.

19 *Ego autem — — distringunt)* Ita et Rom. *H.*

20 *Extendi epistolam* etc.) Rom. *Extendi epistolam, quamvis cum hoc solum.* Duplex lectio, cum in aliis *cum*, in aliis *quamvis* scriptum fuisset. Antiquius esse puto *cum*, cuius interpretatio est *quamvis*. *H.*

haec quoque tibi non minus grata) Rom. *haec quoque non minus grata,* sine *tibi*. *H.*

vum et expressum, quantum ego sapio, qui fortasse in omni re, in hac certe perquam exiguum sapio: hoc tamen signum ego quoque intelligo.
2 Est enim nudum, nec aut vitia, si qua sunt, celat, aut laudes parum ostentat. Effingit senem stantem: ossa, musculi, nervi, venae, rugae

VI, 1 *in hac certe perquam exiguum*) Imitaturne Ciceronem suum? qui in Verrina oratione de signis passim ac studiose subtiliorem intellectum harum rerum dissimulat, ut eo magis isto nobilium quorundam morbo carere videatur, qui intelligendi isto ambitu se solos dignos haberi vellent, qui pretiosas tabulas, signa, vascula et reliquam luxuriei eruditae supellectilem possiderent. Vid. Verr. 4, 2 et 3. *G.*

Simillimum in simillima re Ciceronis de se iudicium est in Act. II. Verr. 36. ubi post enarrata varia artis opera, quae Verres abduxerit, *etiam capella est quaedam*, inquit, *ea quidem mire, ut etiam nos, qui rudes harum rerum sumus, intelligere possimus, scite facta et venuste. E.*

2 *Est enim nudum*) Ita loquitur, quasi difficilius putet de vestito signo, quam de nudo iudicare; quo quidem ipso forte probat, se non nimis multum hac in re intelligere. Quid enim? non aeque facile, quin facilius est videre, si quid in pallio vel toga statuae peccatum sit, quam si in surae musculo, vel flexu digiti? *G.*

Mirae interpretum de hoc loco sententiae sunt. Gesnerus putabat Plinium ita locutum esse, quasi difficilius putasset de vestito signo, quam de nudo iudicare, cum tamen facilius sit videre, si quid in pallio vel toga statuae peccatum sit, quam si in surae musculo vel flexu digiti. Gierigius statuit, Plinium iucunde iocari, et animi causa de statua loqui, ut de homine, qui vitia corporis velat: sed quo hic iocus nunc pertineat, vel quem sensum habere possit, non dixit. Neutrum ego credo. Primum Plinius dicit se, ut in omni re, ita in statuarum arte iudicanda *exiguum sapere:* hoc venustae modestiae erat fateri. Iam addit, *se hoc signum tamen intelligere.* Cur? *est enim nudum* etc. Haec optime cohaerent. Nempe facilius profecto est *signum nudum*, praeser im ita *expressum*, ut describitur, *intelligere*, h. e. eius pretium statuere vitiis aut virtutibus cognoscendis. Nemo enim, nisi qui sit plane stupidus et iners, ita omnis naturae corporis humani, et artis ignarus est, ut iudicare non possit, in nuda statua membrorum compositio, flexusque recti sint an pravi, ossium, nervorum, ceterarumque partium corporis situs, flexus naturae respondeant nec ne. Et haec omnia in senilis corporis forma expressiora esse solent. In signo vestito difficilius est artem artificis indicare propterea, quod plicarum iactus et compositio non ita constituta est natura, sed magis arbitraria, et ex artis interioribus quibusdam regulis pendens, quae non nisi a peritissimis existimatoribus, et longo usu intelligi possunt. Iocatum fuisse Plinium, tum fortasse statuerem, si de nuditate muliebri sermo esset: sed quis sanus in decrepiti senis nuditate iocandi occasionem captet, aut aliquam cupiditatem sentiat? *E.*

etiam ut ſpirantis apparent: rari et cedentes capilli, lata frons, contracta facies, exile collum: pendent lacerti, papillae iacent, receſſit venter. A tergo quoque eadem aetas, ut a tergo. Aes 3
ipſum, quantum verus color indicat, vetus et antiquum. Talia denique omnia, ut poſſint artificum oculos tenere, delectare imperitorum. Quod 4
me, quamquam tirunculum, ſolicitavit ad emendum. Emi autem, non ut haberem domi, (neque enim ullum adhuc Corinthium domi habeo) verum ut in patria noſtra celebri loco ponerem; ac potiſſimum in Iovis templo. Videtur enim 5
dignum templo, dignum deo donum. Tu ergo, ut ſoles omnia, quae a me tibi iniunguntur, ſuſcipe hanc curam, et iam nunc iube baſim fieri, ex quo voles marmore, quae nomen meum honoresque capiat, ſi hos quoque putabis adden-

ut ſpirantis) Iam advocata huc ſunt *ſpirantia molliter aera* ex Virg. Aen. 6, 848. *G.*

Sic et Graeci in ſignis *τὸ ἔμψυχον* laudant. Plena harum laudum Anthologia Graeca. Vid. Huſchke Anal. Crit. p. 61. Iacobs ad Epigr. adeſp. CCXLV. *S.*

rari et cedentes capilli) Ita etiam Rom. *H.*

cedentes capilli) Interpretor defluentes, deficientes, propter quod iam rari ſunt. *G.*

exile collum) Ut larynx, tendines, venae, ob carnis et pinguedinis defectum, appareant. *G.*

pendent lacerti) Lacerti non iam rotundi ſunt, ſubſtricti, toroſique; ſed penſiles et flaccidos muſculos, ab una modo parte haerentes, habent. *G.*

papillae iacent) *μαζὸς ὑπεκλίνθη* Agathias XIII. 5. *S.*

receſſit venter) Rom. *venter receſſu.* *H.*

3 *ut a tergo*) Quantum nimirum a tergo oſtendi poteſt, in quo non tot expreſſa aetatum veſtigia in oculos incurrunt ſcilicet. *G.*

Vid. ad epiſt. 3, 5. *S.*

vetus et antiquum) Utitur hoc loco Ruhnkenius in nota exquiſitae doctrinae referta ad Vellei. pag. 64. Graecis exemplis ab eo congeſtis accedant haec. Aeſchyl. Eumen. 730. ſ. *Σύ τοι παλαιὰς δαίμονας καταφθίσας, Ὕπνῳ παρηπάτησας ἀρχαίας θεάς.* (Sic locum cum Stanleio corrige, a ceteris, ſi me audis, manum abſtinens. Confuſionis vocum *οἶνος* et *ὕπνος* aliud exemplum reperies in Etymol. M. col. 394. 52. coll. Ariſtoph. Nub. 416.) Marcellinus de Thucyd. Vita pag. 8 ed. Duker. *ὡς ἐπιπλεῖστον δὲ χρῆται τῇ ἀρχαίᾳ Ἀτθίδι, τῇ παλαιᾷ.* *S.*

artiſicum oculos) Ita et Rom. ſine *etiam.* *H.*

Nimirum al. *artiſicum etiam oculos.* *S.*

5 *dignum templo, dignum deo*) Cic. Verr. 4, 28. de candelabro Antiochi, *dignam rem eſſe regno Syriae, dignam regio munere, dignam Capitolio.* *G.*

6 dos. Ego ſignum ipſum, ut primum invenero aliquem, qui non gravetur, mittam tibi: vel ipſe, quod mavis, adferam mecum. Deſtino enim (ſi tamen officii ratio permiſerit) excurrere iſto.
7 Gaudes, quod me venturum eſſe polliceor: ſed contrahes frontem, quum adiecero, ad paucos dies. Neque enim diutius abeſſe me ſinunt eadem haec, quae nondum exire patiuntur. Vale.

VII.

Silium Italicum, quem deceſſiſſe nuntiat, meritis laudibus ornat.

C. PLINIVS CANINIO SVO S.

Modo nuntiatus eſt Silius Italicus in Neapolitano ſuo inedia vitam finiſſe. Cauſſa mortis, va-
2 letudo. Erat illi natus inſanabilis clavus, cuius taedio ad mortem irrevocabili conſtantia decucurrit: usque ad ſupremum diem beatus et felix, niſi quod minorem e liberis duobus amiſit, ſed maiorem melioremque, florentem, atque etiam
3 conſularem reliquit. Laeſerat famam ſuam ſub Nerone; credebatur ſponte accuſaſſe: ſed in Vitellii amicitia ſapienter ſe et comiter geſſerat: ex proconſulatu Aſiae gloriam reportaverat: maculam veteris induſtriae laudabili otio abluerat.
4 Fuit inter principes civitatis ſine potentia, ſine

7 *ſed contrahes frontem*) Rom. *ſed tamen contrahes frontem.* Mox eadem: *Neque enim diutius abeſſe me eadem.* Deeſt verbum *ſinunt*, ut *patiuntur* repetatur. Ita et Cortius. *H.*

VII, 1 *vitam finiſſe*) Rom. *finiſſe vitam.* *H.*

2 *minorem e liberis*) Rom. *minorem ex liberis.* *H.*

3 *ſponte accuſaſſe*) Nemine deferente, ut a provinciis deferebantur accuſationes contra magiſtratus ſuos viris eloquentiae et integritatis laude florentibus. Taceo quod ſub tyranno accuſare ſemper fere invidioſum eſt. *G.*

veteris induſtriae) forenſis illius, qua ſupra *ſponte accuſaſſe* dicebatur. *E.*

invidia. Salutabatur, colebatur, multumque in lectulo iacens, cubiculo ſemper non ex fortuna frequenti. Doctiſſimis ſermonibus dies transige- 5
bat, quum a ſcribendo vacaret, ſcribebat carmina maiore cura quam ingenio, nonnunquam indicia hominum recitationibus experiebatur. Noviſ- 6
ſime, ita ſuadentibus annis, ab vrbe ſeceſſit, ſeque in Campania tenuit: ac ne adventu quidem novi principis inde commotus eſt. Magna Cae- 7

4 *multumque in lectulo*) h. e. idque multum, vel, et multum quidem. Ita avunculus noſtri aliquoties *praeterque* ponit, pro *et praeter ea*. G.

non ex fortuna) Poterat etiam, *pro fortuna* dicere. Cubiculum Silii frequentius fuit, quam in homine, qui ad otium ſe contuliſſet, qui ſine potentia eſſet, praeterea aegroto, et mox morituro, filio herede, putares: talem enim plerumque alias deſerunt. 'Cortius legit, *non ex fortuna praeſenti*, ac totum hoc refert ad *ſalutabatur, colebatur*. Sed duriuſculum ſic videtur illud *cubiculo ſemper:* neque enim puto dici *colebatur ſemper cubiculo;* minus etiam iungi poteſt cum participio *iacens*, quod adiunctum ſibi ſuum iam habeat *lectulo*. Neque ſane eſt, cur impeditum adeo ſermonis genus tribuamus Plinio, cum *frequenti* non minus magnas auctoritates habeat altero *praeſenti*. G.

Gierigius noviſſime hunc omnem locum ſic interpunctum edidit: *Salutabatur, colebatur: multumque in lectulo iacens, cubiculo ſemper non ex fortuna frequenti, doctiſſimis ſermonibus dies transigebat, cum a ſcribendo vacaret*. Sed nec ſatis firma, nec gravia ſunt argumenta, quibus ille vel ad commendandam mutationem ſuam, vel ad refutandam lectionem priſtinam utitur. E.

Salutabatur, colebatur, multumque in lectulo iacens, cubiculo ſemper, non ex fortuna, frequenti, doctiſſimis ſermonibus dies transigebat. Haec cum Rom. inter ſe connexa exhibeo, a quo in ſolo nomine *frequenti* disſentio. Nam pro eo in Rom. et in aliis quibusdam eſt *praeſenti*. Sed *frequenti* editum eſt ab Aldo, Catanaeo aliisque, qui id alteri lectioni praeſtare viderunt. Putavi aliquando a Plinio ſcriptum fuiſſe, *non ex fortuna praeſente frequenti;* ſed id dubius in medium adfero. Multos quotidie ſalutatores ad eum confluxiſſe, ait, qui non fortunae, ſed homini, eſſent amici, ita ut cubiculum ſemper frequens eſſet. Cum his, in lectulo frequentius iacentem, doctiſſimos ſermones explicare, hisque dies transigere, ſolitum fuiſſe. Hinc nova incipit ſententia. *Cum a ſcribendo vacaret, (ſcribebat carmina maiore cura, quam ingenio) non numquam iudicia hominum recitationibus experiebatur*. Neminem fore puto, qui, quanto mea haec interpunctio verior ſit vulgata, non ſentiat, quae verbis per ſe claris tenebras obduxit. H.

Probo Heuſingeri rationem. Ita ſi interpungas, omnes huius loci ſalebrae complanantur. S.

6 *ſuadentibus annis*) ob ſenectutem. Vid. ſupra 3, 1, 11. et 2, 14, 14. G.

novi principis) Traianum e

ſaris laus, ſub quo hoc liberum fuit: magna il-
8 lius, qui hac libertate auſus uti. Erat φιλόκαλος
usque ad emacitatis reprehenſionem. Plures iis-
dem in locis villas poſſidebat, adamatisque no-
vis, priores negligebat. Multum ubique libro-
rum, multum ſtatuarum, multum imaginum, quas
non habebat modo, verum etiam venerabatur:
Virgilii ante omnes, cuius natalem religioſius,
quam ſuum, celebrabat; Neapoli maxime, ubi
monimentum eius adire, ut templum, ſolebat.
9 In hac tranquillitate annum quintum et ſeptuage-
ſimum exceſſit, delicato magis corpore, quam
infirmo. Utque noviſſimus a Nerone factus eſt
conſul, ita poſtremus ex omnibus, quos Nero
10 conſules fecerat, deceſſit. Illud etiam notabile,
ultimus ex Neronianis conſularibus obiit, quo
conſule Nero periit. Quod me recordantem, fra-
11 gilitatis humanae miſeratio ſubit. Quid enim tam

Germanico bello defuncto Nerva redeuntem ſignari, apparet. *G.*

7 *qui hac libertate auſus uti)* Rom. *qui hac libertate auſus eſt uti.* *H.*

Addidit verbum ſubſtantivum Cortius ex libris ſuis, addituruſque erat Erneſtius. Bene. Saepe excidit *eſt*, ſi vox praecedens in *s* deſineret. Exempla pete ex notis Drakenborchii ad Liv. 2. 33, 5. 9, 26, 6. *S.*

8 *Plures iisdem in locis villas poſſidebat)* Rom. *Pluris iisdem locis villas poſſidebat.* Ita paullo poſt: *Virgilii ante omnis,* [pro *omnes*] *cuius natalem religioſius, quam ſuam.* [femin. genere] *celebrabat.* *H.*

Virgilii — natalem) Religio ea tempeſtate ſolennis. Martial. 12, 68. *Octobres Maro conſecravit Idus. Idus ſaepe colas et has et illas, Qui magni celebras Maronis Idus.* Sic Epicuri natalem ſui celebrabant; ſic, ut in poëtis maneamus, ſplendidiſſimo carmine (Silv. 2, 7.) Lucani defuncti natalem celebravit Papinius. Simili cauſſa ducti Chriſtiani *natales* martyrum ſuorum, h. e dies quibus ad vitam meliorem per cruciatum tranſierant, colere inſtituerunt: quemadmodum etiam ad monimenta eorum et cineres adire non diſpari religione coeperunt. Vid. quos hic laudat Cortius. *G.*

Neapoli) Ubi repertum epitaphium ex Mabillonii Muſeo Ital. p. 112. memorat Cellarius: SISTITE VIATORES QVAESO PAVCA LEGITE HIC MARO SITVS EST. *G.*

ut templum) Sic Statius Silv. 4, 4, 54. *Maroneum templum,* eodem Cellario monente, dixit. *G.*

9 *In hac tranquillitate* etc.) Similiter ſupra 2, 1, 4. de Verginio Rufo: *Annum tertium et octogeſimum exceſſit in altiſſima tranquillitate —. Uſus eſt firma valetudine.* *S.*

10 *miſeratio ſubit)* Rom. *miſeratio ſubit.* *H.*

circumciſum, tam breve, quam hominis vita longiſſima? An non videtur tibi Nero modo fuiſſe, quum interim ex iis, qui ſub illo geſſerant conſulatum, nemo iam ſupereſt? Quamquam quid 12
hoc miror? Nuper Lucius Piſo, pater Piſonis illius, qui a Valerio Feſto per ſummum facinus in Africa occiſus eſt, dicere ſolebat, *Neminem ſe videre in ſenatu, quem conſul ipſe ſententiam rogaviſſet.* Tam anguſtis terminis tantae multitu- 13
dinis vivacitas ipſa concluditur: ut mihi non venia ſolum dignae, verum etiam laude videantur illae regiae lacrymae. Nam ferunt, Xerxem, quum immenſum exercitum oculis obiſſet, illacrymaſſe, quod tot millibus tam brevis immineret occaſus. Sed tanto magis hoc, quidquid eſt tem- 14
poris, futilis et caduci, ſi non datur factis, (nam

Ita omnes, opinor, libri. Videtur ſcripſiſſe aut ſcribere voluiſſe Heuſingerus: *m. ſubiit.* Talis enim fluctuatio librariorum in compoſitis verbi *eo* frequentiſſima. *S.*

11 *Nero modo fuiſſe)* Cod. Amz. *Neronem modo fuiſſe.* non male: quanquam exempla huius conſtructionis, librariorum culpâ fortaſſe hic illic obliteratae, perraro offeruntur. Cicero Tuſc. Quaeſt. 5, 5. *Non mihi videtur, ad beate vivendum ſatis poſſe virtutem.* Mox Mediceus liber: *modo modo fuiſſe.* Veriſſime, adque vim ſententiae efficaciſſime. Miror, egregiam hanc lectionem Cortio non dignam viſam eſſe, quam in ordinem reciperet. Melius de hoc Plinii loco N. Heinſius ad Petron. T. I. p. 257. ed. Burm. ubi omnino vide *S.*

12 *quid hoc miror)* Rom. *quid haec miror. H.*

Hic ſingularis praeferendus. *S.*

13 *tantae multitudinis)* Ante Sullam CCC Senatores: poſt Iulii Caeſaris necem Antonii nundinationibus ſupra mille: Auguſtus revocavit ad DC. vid. viri docti ad Sueton. Aug. 35. Per tantas turbas, quae in haec tempora inciderunt, minus mirum fuit, L. Piſonem DC hominibus ſui ordinis ſupervixiſſe. *G.*

Xerxem) Xerxen recte ſcribi oſtendit hic Cortius. Hiſtoria eſt apud Herodotum 7, 45. ſq. Cauſſam ipſe reddit lacrymarum ſuarum hanc: *ὡς βραχὺς εἴη ὁ πᾶς ἀνθρώπινος βίος, εἰ τουτέων γε ἐόντων τοσούτων, οὐδεὶς εἰς ἑκατοστὸν ἔτος περιέσται.* At, o bone, non opus erat centum annis. Egregia tua opera factum eſt, ut pauci decem aut duos adeo annos ſupervixerint. *G.*

14 *Sed tanto magis hoc)* Rom. *Sed eo magis hoc. H.*

ſi non datur etc.) Rom. *ſi non datur factis — — nos certe ſtudiis memoriam proferamus.* Sed *memoriam* adſcripſit, qui Plinii mentem parum percepit. *H.*

Nos ante *certe*, in aliis quoque libris repertum, Cortius inre adſcivit. *Aliena manu* (Imperatoris: vide mox), *nos*, ſibi opponuntur. *S.*

horum materia in aliena manu) certe ſtudiis proferamus; et quatenus nobis denegatur diu vivere, relinquamus aliquid, quo nos vixiſſe teſtemur.
15 Scio te ſtimulis non egere; me tamen tui caritas evocat, ut currentem quoque inſtigem, ſicut tu ſoles me. Ἀγαθὴ δ' ἔρις, quum invicem ſe mutuis exhortationibus amici ad amorem immortalitatis exacuunt. Vale.

VIII.

Tribunatum Suetonio impetratum, ipſo petente, in alium ſe translaturum, ſignificat.

C. PLINIVS TRANQVILLO SVO S.

Facis pro cetera reverentia, quam mihi praeſtas, quod tam ſolicite petis, ut tribunatum, quem a Neratio Marcello, clariſſimo viro, impetravi tibi, in Caeſennium Silvanum, propinquum tuum,
2 transferam. Mihi autem ſicut iucundiſſimum, ipſum te tribunum, ita non minus gratum, alium per te videre. Neque enim eſſe congruens arbitror, quem augere [honoribus] cupias, huic

materia in aliena manu) Non poteſt, ut hoc utar, vir magnus bellum gerere, cauſſas agere, prout ipſi viſum fuerit, ſed uti ſe res dant, et occaſiones rerum. Ita Clodium *materiam* gloriae Milonis vocat Tullius pro Milone c. 13. vid. ad Quintil. 2, 8, 12. *G.*

Errat Gesnerus: magia etiam Gierigius, de Plinii pietate erga Deos cogitans. Vere Catanaeus de Imperatore interpretatur. Cf. ep. 20, 12. Sic Tullius, quoad respublica ſtetit, factis immortalitatem nominis conſectatus eſt; everſa illa, ut amiſſae deſiderium libertatis le niret, literatum ſtudio ſe tradidit. *S.*

quatenus) quoniam. Vid. Freinshem. Ind. in Florum h. v. Oudendorp. ad Sueton. pag. 610. *S.*

15 Ἀγαθὴ δ' ἔρις) Heſiod. Oper. 24. de aemulatione artificum omnis generis, quae acuat illos et excitet, vincendi et optime omnia agendi ſtudio. *G.*

VIII, 1 *pro cetera reverentia)* Ut 2, 16, 1. *Tu quidem pro cetera tua diligentia.* *G.*

2 *augere [honoribus])* Abeſt poſterior vox in Mediceo codice, et commode poteſt abeſſe. *Augere* enim, ut αὔξειν, etiam cum ſolum eſt, honoris et amplitudinis adiunctam notionem habet. Vid. Cortius hic et ad Sall.

pietatis titulos invidere, qui ſunt omnibus honoribus pulchriores. Video etiam, quum ſit egre- 3
gium et mereri beneficia et dare, utramque te laudem ſimul adſequuturum, ſi, quod ipſe meruiſti, aliis tribuas. Praeterea intelligo, mihi quoque gloriae fore, ſi ex hoc tuo facto non fuerit ignotum, amicos meos non gerere tantum tribunatus poſſe, verum etiam dare. Quare ego 4
vero honeſtiſſimae voluntati tuae pareo. Neque enim adhuc nomen in numeros relatum eſt: ideoque liberum eſt nobis Silvanum in locum tuum ſubdere: cui cupio tam gratum eſſe munus tuum, quam tibi meum eſt. Vale.

IX.

Singulos actus et eventum accuſationis Claſſici enarrat.

C. PLINIVS MINVCIANO SVO S.

Poſſum iam perſcribere tibi, quantum in publica provinciae Baeticae cauſſa laboris exhauſe-

Iug. 86, 3. Ne tamen plane eam vocem delerem, fecit, quod ſequitur, *Qui ſunt omnibus* honoribus *pulchriores.* *G.*

Mox in multis MSS. et editis legitur *titulis*, quod et Gierigius expreſſit. *E.*

Rom. *quem augere cupias.* Non adiicitur *honoribus*, ut vulgo. Eadem: *huic pietatis titulis invidere*, ſervato Plinii more. *H.*

Honoribus bene tuetur Gierigius, uncos idem amovens, qui nec Erneſtio probabantur. De *titulis* vid. Heuſinger. ad 1, 10, 12. *S.*

3 *aliis tribuas)* Rom. *alii tribuas.* *H.*

Bepe. Sic et Cortius ex libris ſuis, quem Gierigius ſeçutus eſt. *S.*

non gerere tantum tribunatus) Rom. *non gerere tantum tribunatum.* *H.*

4 *Quare ego vero*) Offendit quosdam haec compoſitio. Sed ſimilis eſt illa 8, 8, 7. *Quamquam tu vero:* et plane eadem 4, 17, 11. *Quare ego vero Corelliae* etc. *G.*

in numeros) in catalogum militum. vid. Interpp. ad Sueton. Veſpaſ. 6. *E.*

Rom. *nomen in numero relatum eſt.* *H.*

quam tibi meum eſt) Rom. *quam tibi meum*, ſine verbo *eſt.* *H.*

IX, 1 *in publica — cauſſa)* de qua ſupra 5, 4. *G.*

2 rim. Nam fuit multiplex, actaque eſt ſaepius
cum magna varietate. Unde varietas? unde
plures actiones? Caecilius Claſſicus, homo foe-
dus et aperte malus, proconſulatum in ea non
minus violenter quam ſordide geſſerat, eodem
3 anno, quo in Africa Marius Priſcus. Erat au-
tem Priſcus ex Baetica, ex Africa Claſſicus.
Inde dictum Baeticorum (ut plerumque dolor
etiam venuſtos facit) non illepidum ferebatur:
4 *Dedi malum et accepi.* Sed Marium una civi-
tas publice, multique privati reum peregerunt;
5 in Claſſicum tota provincia incubuit. Ille ac-
cuſationem vel fortuita vel voluntaria morte
praevertit. Nam fuit mors eius infamis, am-
bigua tamen: ut enim credibile videbatur, vo-
luiſſe exire de vita, quum defendi non poſſet;

2 *unde plures actiones?)* Ab hoc commate abeſſe debere interrogationis notam, monuit Caſaubonus: ſed non indicavit cauſſam. Nobis videbatur retinenda, ut gemina interrogatione argumentum totius narrationis indicetur. *G.*

Rom. *Unde plures actiones?* Non mutandum videtur. *H.*

in ea) ea ad Baeticam referendum eſſe, ſponte apparet: ut ineptum ſit Secundum hic negligentiae arceſſere. Plurima in veterum libris leguntur, ubi illos dicas dormitaſſe, ſi noſtrorum hominum praecepta ſtili pro norma ſcribendi habeas. *S.*

in Africa Marius) de quo ſupra 2, 11. *G.*

6 *dolor etiam venuſtos facit)* Plura ex hoc genere in Verrem Tullius, v. g. 4, 43. *Nunquam tam male eſt Siculis, quin aliquid facete et commode dicant* etc. *Venuſtatem* vero etiam in facetiis et iocis ſedem habere, non ex Seneca modo conſtat, cuius loca hic laudavit Cellarius: ſed etiam ex Cicerone, v. g. Fam. 15, 21. med. *Quod illa ſive* faceta *ſunt, ſive ſic ſiunt narrante te* venuſtiſſima. *Quin etiam ante quam ad me veniatur,* riſus *omnis paene conſumitur.* Sic de Orat. 1, 57. cum *de ſale et lepore et facetiis* Craſſi *illudentis* et aperte iocantis, *dicendi*, inquit, *vis egregia ſumma feſtivitate et* venuſtate *coniuncta profuit. G.*

Ceterum multum refert, quem animi motum in *dolore* cogitemus: debemus indignationem, iram, quae ex improbitatis alienae acri cogitatione oritur. Nam multa genera doloris, ſive animi, ſive corporis, iſtam venuſtatem, et facetias non admittunt. Epiſt. 10, 6. *Mihi difficile eſt hucusque intendere animum in dolore; difficile et vobis. E.*

Dedi malum et accepi) Reciprocum id eſt, et ob id ipſum venuſtum. *Dedi* ego Africa *malum* Claſſicum Baeticis, *et accepi malum* Priſcum ab iisdem: *Dedi* ego Baetica etc. *G.*

5 *tamen)* Cave interpreteris *ſaltem.* Plinius dicit, quanquam infamis vulgo mors Claſſici fuiſſet, de αὐτοχειρίᾳ tamen non-

ita mirum, 'pudorem damnationis morte fugiſſe,
quem non puduiſſet damnanda committere.
Nihilominus Baetica etiam in defuncti accuſa- 6
tione perſtabat. Proviſum hoc legibus, inter-
miſſum tamen, et poſt longam intercapedi-
nem tunc reductum. Addiderunt Baetici,
quod ſimul ſocios miniſtrosque Claſſici detule-
runt: nominatimque in eos inquiſitionem poſtu-
laverunt. Aderam Baeticis, mecumque Luceius 7
Albinus, vir in dicendo copioſus, ornatus: quem
ego quum olim mutuo diligerem, ex hac officii
ſocietate amare ardentius coepi. Habet quidem 8
gloria, in ſtudiis praeſertim, quiddam ἀκοινώνη-
τον: nobis tamen nullum certamen, nulla conten-
tio: quum uterque pari iugo non pro ſe, ſed

nullos dubitaſſe, quod mirum videretur, pudorem damnationis morte fugiſſe, quem non puduiſſet damnanda committere. Saepe ſic *tamen* ponitur. Mox: *Proviſum hoc legibus, intermiſſum tamen.* II, 1, 12. *Verginium iam vanis imaginibus, recentibus tamen, audio* etc. *S.*

6 *Proviſum hoc legibus)* v. g. l. 2. π. de Leg. Iul. repetund. Scaevola, *Datur*, inquit, *ex hac lege et in heredes actio, intra annum dumtaxat a morte eius, qui arguebatur.* *G.*

Addiderunt Baetici) Hoc novum et ſupra exempla ſuperiora inſtituerunt. *G.*

Meram in his caliginem eſſe, queritur Cortius: ego nihil novae lucis deſidero. Baetici non defunctum tantum accuſarunt, quod legibus licebat, ſed et novum atque antea inuſitatum addiderunt, quod ſimul ſocios miniſtrosque Claſſici detulerunt. *H.*

7 *mecumque Luceius Albinus)* Rom. *mecumque L. Albinius.* *H.*

diligerem — amare) Cicero ad Dolabellam ep. 9, 14. pag. 251. ed. Ern. *Quis erat, qui putaret, ad eum amorem, quem erga te habebam, poſſe aliquid accedere? Tantum acceſſit, ut mihi nunc denique amare videar, antea dilexiſſe.* *S.*

8 ἀκοινώνητον) Regnum enim unusquisque adfectat nec civitatis modo, ſed rerum omnium: regna autem ſocium non ferre tralaticium eſt. Eandem ſententiam Nepos Cornelius ita extulit Att. 6, 4. *Id, quod erat difficillimum, efficiebat* Atticus; *ut inter quos tantae laudis eſſet aemulatio,* (de Hortenſio ac Cicerone loquitur) *nulla intercederet obtrectatio, eſſetque talium virorum copula.* *G.*

pari iugo) Translatum a iumentis iunctis, quae cum aequali vi nituntur, iugum manet aequale, et angulos pares ſ. rectos ad utrumque latus temonis efficit. *G.*

Graecorum ἴσῳ ζυγῷ. Theocritus 12, 15. ἀλλήλους δ' ἐφίλησαν ἴσῳ ζυγῷ. *Pari iugo cum aliquo niti* idem 13, 15. videtur dixiſſe εὖ ἕλκειν τινί· ad q. l. vid. Toup. Cur. Poſter. pag. 24. *S.*

pro caussa niteretur. Cuius et magnitudo et utilitas visa est postulare, ne tantum oneris singulis
9 actionibus subiremus. Verebamur, ne nos dies, ne vox, ne latera deficerent, si tot crimina, tot reos uno velut fasce complecteremur: deinde, ne iudicum intentio multis nominibus multisque caussis non lassaretur modo, verum etiam confunderetur: mox, ne gratia singulorum collata atque permista, pro singulis quoque vires omnium acciperet: postremo, ne potentissimi, vilissimo quoque quasi piaculari dato, alienis poenis ela-
10 berentur. Etenim tum maxime favor et ambitio dominatur, quum sub aliqua specie severitatis
11 delitescere potest. Erat in consilio Sertorianum illud exemplum, qui robustissimum et infirmissimum militem iussit caudam equi -- reliqua nosti. Nam nos quoque tam numerosum agmen reorum ita demum videbamus posse superari, si per sin-
12 gulos carperetur. Placuit in primis ipsum Classi-

ne tantum oneris) Duo Advocati singulas actiones instituere, unaque adeo actione totam unusquisque caussam, totum crimen ita varium variorum complecti nolunt: sed plures (tres, vid. §. 19.) pro diversitate criminum et personarum, actiones unusquisque eorum instituere. *Haec si perpendissent viri docti, non postulassent, contra librorum omnium fidem, ipsamque Mediceam religionem, (*ὡς κριτικὸν ἔπος εἰπεῖν*) coniunctionem *ne* in *ut* mutari. *G.*

9 *ne nos dies — — deficerent*) Expressit Tullium suum Verr. 2, 21. pag. 227. ed. Ern. *nam me dies, vox, latera deficiant, si* etc. *S.*

vires omnium acciperet) Rom. *vires omnium reciperet.* *H.*

11 *Erat in consilio*) Veniebat in mentem, cogitabamus. Ita beno I. Fr. Gronovius. Vid. Gifan. Observat. in L. L. pag. 87. ed. Altenb. *S.*

Sertorianum illud) Quod narrant Valer. Max. 7, 3, 6. Frontin. 1, 10, 1. et Plutarchus in Sertorio p. 1051. sq. H. Steph. simile illi, quod de Sciluro Scytha, sagittarum fasciculum rumpendum praebente octoginta filiis, narrat idem Plutarchus de garrulit. p. 907. *G.*

exemplum, qui etc.) Rom. *exemplum, quod robustissimum et firmissimum militem iussit equi caudam.* *H.*

Quod imperitus glossator invexit. *Qui* referendum ad nomen *Sertorius*, latens illud in *Sertorianum.* Vid. supra ad 1, 10, 10. *S.*

caudam equi) supple *vellere.* Vid. Horat. Epist. 2, 1, 45. sq. *S.*

reliqua nosti) Tullianum hoc. Epist. 7, 28. ad Curium: *quod tu, cui licebat, pedibus es consecutus, ut ibi esses, ubi nec Pelopidarum — nosti cetera.* *S.*

cum ostendere nocentem: hic aptissimus ad socios
eius et ministros transitus erat, quia socii mini-
strique probari, nisi illo nocente, non pote-
rant. Ex quibus duos statim Classico iunximus:
Baebium Probum, et Fabium Hispanum: utrum-
que gratia, Hispanum etiam facundia, validum.
Et circa Classicum quidem brevis et expeditus la- 13
bor. Sua manu reliquerat scriptum, quid ex quaque
re, quid ex quaque caussa accepisset. Miserat etiam
epistolas Romam ad amiculam quandam, iactan-
tes et gloriosas, his quidem verbis: *Io io, liber
ad te venio: iam sestertium quadragies redegi,
parte vendita Baeticorum.* Circa Hispanum et 14
Probum multum sudoris. Horum antequam cri-
mina ingrederer, necessarium credidi elaborare,
ut constaret, ministerium crimen esse: quod nisi
effecissem, frustra ministros probassem. Neque 15
enim ita defendebantur, ut negarent, sed ut ne-
cessitati veniam precarentur: esse enim se provin-
ciales, et ad omne proconsulum imperium metu
cogi. Solet dicere Claudius Restitutus, qui mihi 16
respondit, vir exercitatus et vigilans, et quamlibet
subitis paratus, *nunquam sibi tantum caliginis,
tantum perturbationis offusum, quam quum ea*

12 *probari, nisi illo nocente)* Exaudiendum *nocentes* ex eo, quod sequitur. Non poterat ostendi, nocentes esse ministros, nisi, ipsum Classicum nocentem esse, antea probatum esset. Plura id genus hic dedit Cortius. *G.*

Sic et infra: *frustra ministros probassem*, scil. criminosos esse, ex anteced. *ministerium crimen esse. E.*

Non opus, opinor, his ambagibus. *Probare* hic et infra 14. videtur esse Graecorum ἐλέγχειν. *S.*

Ex quibus duos statim) Rom. *Ex quibus duo statim. H.*

13 *Io io, liber ad te venio)* Aere alieno, quod ex praeda provincialium facile dissolvam. *Io io* triumphum quasi e provincia reportantis vox est. *G.*

14 *Circa Hispanum et Probum)* Rom. *Contra Hispanum et Probum. H.*

Glossema. Passim hae praepositiones a librariis confunduntur. Vid. Drakenb. ad Liv. 37, 15, 7. *S.*

quod nisi effecissem) Rom. *quod nisi fecissem*, bene. *H.*

ministros probassem) ministrorum crimina ingressus essem. Vid. ad 12. *S.*

16 *tantum perturbationis* etc.) Rom. *tantum perturbationis offusum, quantum cum praecepta et extorta argumenta defensioni suae cerneret.* Recte *quantum* post *tantum*, etsi id rarius etiam *quam* sequitur. Vide Burmann.

praerepta et extorta defenſioni ſuae cerneret, in
17 *quibus omnem fiduciam reponebat.* Conſilii no-
ſtri exitus fuit: *Bona Claſſici, quae habuiſſet ante
provinciam,* placuit ſenatui *a reliquis ſeparari;
illa filiae, haec ſpoliatis relinqui.* Additum eſt,
*ut pecuniae, quas creditoribus ſolverat, revoca-
rentur.* Hiſpanus et Probus in quinquennium
relegati. Adeo grave viſum eſt, quod initio du-
18 bitabatur, an omnino crimen eſſet. Poſt paucos
dies Clavium Fuſcum, Claſſici generum, et Stil-
lonium Priſcum, qui tribunus cohortis ſub Claſ-
ſico fuerat, accuſavimus, diſpari eventu. Priſco
in biennium Italia interdictum: abſolutus eſt Fu-
19 ſcus. Actione tertia commodiſſimum putavimus
plures congregare, ne, ſi longius eſſet extracta
cognitio, ſatietate et taedio quodam iuſtitia co-
gnoſcentium ſeveritasque langueſceret: alioqui ſu-
pererant minores rei, data opera hunc in locum
reſervati: excepta tamen Claſſici uxore, quae ſicut
implicita ſuſpicionibus, ita non ſatis convinci
20 probationibus viſa eſt. Nam Claſſici filia, (quae
et ipſa inter reos erat) ne ſuſpicionibus quidem
haerebat. Itaque quum ad nomen eius in extre-
ma actione veniſſem (neque enim, ut initio, ſic
etiam in fine verendum erat, ne per hoc totius
accuſationis auctoritas minueretur) honeſtiſſimum
credidi, non premere immerentem: idque ipſum
21 dixi et libere et varie. Nam modo legatos inter-

ad Quintil. epiſt. ad Tryphon. p. 2., Dial. de oratoribus C. VI. 4. Lactantius VII. 24. 7. ubi tamen in codice Goth. eſt *quanto.* *H.*

Add. VV. DD. ad Liv. 26, 1, 3. *S.*

18 *Poſt paucos dies* etc.) Rom. *Poſt paucos dies Clav. Fuſcum Claſſici generum et Chilonium Priſcum.* *H.*

19 *Claſſici uxore)* De uxoribus Procoss. cautum l. 4. π. de offic. Procos. §. 2. ſed ita, ut, ſi verba legis conſideremus, res ambiguitatem habere videatur, ipſaene conveniri poſſint, an earum mariti. *Sciat, Senatum Cotta et Meſſala COSS. cenſuiſſe futurum, ut, ſi quid uxores eorum, qui ad officia proficiſcuntur, deliquerint,* ab ipſis *ratio et vindicta exigatur.* Apud Tacitum A. 3, 33. ſq. disputatur, utrum permittendum, ut uxoribus comitati in provincias eant. *G.*

rogabam, *docuiſſentne me aliquid, quod re probari*
poſſe confiderent? modo conſilium a ſenatu pete-
bam, *putaretne debere me, ſi quam habere in*
dicendo facultatem, in iugulum innocentis, quaſi
telum aliquod, intendere? poſtremo totum locum
hoc fine concluſi, *Dicet aliquis, Iudicas ergo? Ego*
vero non iudico: memini tamen me advocatum ex
iudicibus datum. Hic numeroſiſſimae cauſſae termi- 22
nus fuit, quibusdam abſolutis, pluribus damnatis,
atque etiam relegatis, aliis in tempus, aliis in
perpetuum. Eodem ſenatusconſulto induſtria, fi- 23
des, conſtantia noſtra pleniſſimo teſtimonio com-
probata eſt: dignum ſolumque par pretium tanti
laboris. Concipere animo potes, quam ſimus fa- 24
tigati, quibus toties agendum, toties altercandum,
tam multi teſtes interrogandi, ſublevandi, refu-
tandi. Iam illa quam ardua, quam moleſta, tot 25
reorum amicis ſecreto rogantibus negare, adver-
ſantibus palam obſiſtere? Referam unum aliquod
ex iis, quae dixi. Quum mihi quidam e iudici-
bus ipſis pro reo gratioſiſſimo reclamarent, *Non*
minus, inquam, *hic innocens erit, ſi ego omnia*
dixero. Coniectabis ex hoc, quantas contentio- 26
nes, quantas etiam offenſas ſubierimus, dumtaxat
ad breve tempus. Nam fides in praeſentia eos,
quibus reſiſtit, offendit; deinde ab illis ipſis ſuſpi-
citur laudaturque. Non potui magis te in rem

23 *dignum ſolumque par* etc.) Rom. *dignumque ſolum par pretio*, pro *pretium*. *H.*

Errant, qui *par* hic abſolute poſitum putant. Verba ſic ſtruenda: *pretium dignum ſolumque par tanti laboris.* Et *dignus*, et *par*, Ἑλληνικῶς, genitivum regunt. Vid. Vechner. Hellenol. pag. 291. ſq. ed. Heuſing. *S.*

25 *unum aliquod ex iis* etc.) Rom. *unum aliquod ex omnibus quae dixi.* *H.*

Quum mihi quidam e iudicibus) Rom. *Cum mihi quidam ex iudicibus.* *H.*

Non minus hic innocens erit) Acerbus in reum *gratioſiſſimum* σαρκασμὸς, cuius vim interpretes parum videntur attendiſſe. *S.*

ſi — omnia dixero) Nolite ergo, volebat intelligi Plinius, interpellare me, et impedire, quo minus dicam omnia. *G.*

26 *Coniectabis ex hoc)* Rom. *Coniectabis ex his.* Sed unum erat. *H.*

Non potui magis te etc.)

27 praesentem perducere. Dices, *Non fuit tanti. Quid enim mihi cum tam longa epistola?* Noli-
to ergo identidem quaerere, quid Romae geratur.
Et tamen memento esse non epistolam longam,
quae tot dies, tot cognitiones, tot denique reos
28 caussasque complexa sit. Quae omnia videor mi-
hi non minus breviter, quam diligenter, perse-
quutus. Temere dixi *diligenter:* succurrit quod
praeterieram, et quidem sero: sed, quamquam
praepostere, reddetur. Facit hoc Homerus, mul-
tique illius exemplo. Est alioqui perdecorum: a
29 me tamen non ideo fiet. Ex testibus quidam,
sive iratus, quod evocatus esset invitus, sive sub-
ornatus ab aliquo reorum, ut accusationem exar-
maret, Norbanum Licinianum, legatum et inqui-
sitorem, reum postulavit, tanquam in caussa Ca-
30 stae (uxor haec Classici) praevaricaretur. Est lege
cautum, ut reus ante peragatur, tunc de praeva-
ricatore quaeratur, quia optime ex accusatione
31 ipsa accusatoris fides aestimatur. Norbano tamen
non ordo legis, non legati nomen, non inquisi-
tionis officium praesidio fuit: tanta conflagravit
invidia homo alioqui flagitiosus, et Domitiani
temporibus usus, ut multi: electusque tunc a
provincia ad inquirendum, non tanquam bonus
et fidelis, sed tanquam Classici inimicus. Erat

Rom. *Non potui te magis in rem praesentem perducere. Dices.* Ita versus hexameter exsistit. *H.*

27 *Et tamen memento esse non* etc.) Rom. *Et tamen memento etiam, non esse epistolam longam, quae tot cognitiones, tot dies, tot denique reos.* Recte priora. *H.*

Vere Heusingerus. *Esse non* miror Gesnero hic placere potuisse. *S.*

28 *Facit hoc Homerus)* Commode huc advocavit Cellarius illud Cic. Att. 1, 16. pr. *ὕστερον πρότερον Ὁμηρικῶς.* Nota illa Homeri et poëtarum omnium consuetudo, in medium actum statim inducendi lectores suos, tum superiora narrationibus interpositis revocandi. *G.*

29 *praevaricaretur)* male et contra fidem datam caussam ageret, adversario gratificans. Itaque infra dicit, *rem novam et contrariam accidisse, ut, accusatore praevaricationis damnato, rea absolveretur. E.*

31 *Domitiani temporibus usus)* Opportunitate illa ex delatione quaerendi rem et honores. *G.*

ab illo relegatus. Dari fibi diem ad diluenda 32
crimina poftulavit. Neutrum impetravit; coactus
eft ftatim refpondere: refpondit: malum pravum-
que ingenium hominis facit, ut dubitem, confi-
denter an conftanter, certe paratiffime. Obiecta 33
funt multa, quae magis, quam praevaricatio, no-
cuerunt. Quin etiam duo confulares, Pomponius
Rufus et Libo Frugi, laeferunt eum teftimonio,
tanquam apud iudicem, fub Domitiano, Salvii
Liberalis accufatoribus adfuiffet. Damnatus et in
infulam relegatus eft. Itaque quum Caffam ac- 34
cufarem, nihil magis preffi, quam quod accufator
eius praevaricationis crimine corruiffet. Preffi tamen
fruftra: accidit enim res contraria et nova, ut, accu-
fatore praevaricationis damnato, rea abfolveretur.
Quaeris, quid nos, dum haec aguntur? Indica- 35
vimus fenatui, ex Norbano didiciffe nos publi-
cam cauffam, rurfusque debere ex integro difce-
re, fi ille praevaricator probaretur. Atque ita,
dum ille peragitur reus, fedimus: poftea Norba-
nus omnibus diebus cognitionis interfuit: eandem-
que usque ad extremum vel conftantiam vel
audaciam pertulit. Interrogo ipfe me, an aliquid 36

32 *Dari fibi diem* etc.) Rom. *Dari fibi diem ad diluenda crimina poftulabat. H.*

Liber Mediceus: *Dari fibi idem, et edi crimina poftulabat.* Hinc Cortius: *Dari fibi diem et edi crimina poftulabat.* Sic et Gierigius, nifi quod *poftulavit* retinuit. Affentior viris doctiffimis. Vulgatae patroni *neutrum* fic videntur intellexiffe: Norbanus primum legis illius (30) beneficio uti voluit; mox, cum intelligeret, quanta flagraret invidia, ut faltem dies fibi ad diluenda crimina daretur, poftulavit. Sed neutrum impetravit. *S.*

Confidenter an conftanter) Illud enim etiam in fcelerati hominis improbitatem convenit; hoc folius fapientis eft. Sic deinde f. 35. *eandem vel conftantiam vel audaciam pertulit. G.*

33 *tanquam*) *quod.* Sic faepe poft verba accufandi etc. Supra 29: *reum poftulavit, tanquam — praevaricaretur.* Infra 36: *reliquos legatos graviter increpuit, tanquam non omnes, quos mandaffet provincia, reos peregiffent.* Vid. Turfell. de Partic. cap. CCLXI. 9. *S.*

35 *eandemque usque ad extremum*) Rom. *eamdem usque ad extremum H.*

pertulit) Plinius 1, 23, 5. *quam perfonam tibi imponas, quae fapienti viro ita aptanda eft, ut perferatur.* ubi vid. Cortius. Ovid. Metam. 13, 477. fq. *Illa — Pertulit intrepidos ad fata noviffima vultus. S.*

36 *an aliquid* etc.) Rom. *an*

omiſerim rurſus: et rurſus paene omiſi. Summo die Salvius Liberalis reliquos legatos graviter increpuit, tanquam non omnes, quos mandaſſet provincia, reos peregiſſent, atque, ut eſt vehemens et diſertus, in discrimen adduxit. Protexi viros optimos, eosdemque gratiſſimos: mihi certe debere ſe praedicant, quod illum turbinem eva-
37 ſerint. Hic erit epiſtolae finis, re vera finis: literam non addam; etiamſi adhuc aliquid praeteriſſe me ſenſero. Vale.

X.

Quae de Spurinnae filio compoſuerat, parentibus mittit legenda et emendanda.

C. PLINIVS SPVRINNAE SVO ET COCCIAE S.

Compoſuiſſe me quaedam de filio veſtro, non dixi vobis, quum proxime apud vos fui: primum, quia non ideo ſcripſeram, ut dicerem, ſed ut meo amori, meo dolori ſatisfacerem; deinde, quia te, Spurinna, quum audiſſes recitaſſe me, (ut mihi ipſe dixiſti) quid recitaſſem, ſimul audiſ-
2 ſe credebam. Praeterea veritus ſum, ne vos feſtis diebus confunderem, ſi in memoriam graviſſimi luctus reduxiſſem. Nunc quoque paullisper haeſitavi, id ſolum, quod recitavi, mitterem exigentibus vobis, an adiicerem, quae in aliud vo-
3 lumen cogito reſervare. Neque enim adfectibus

aliquid omiſerim: et rurſus pene omiſi. *H.*

X inſcr. Rom. *Spurinnae et Cocciae.* *H.*

1 *quia te, Spurinna, quum audiſſes)* Rom. *quia Spurinna cum audiſſet*, vitioſe. *H.*

2 *confunderem)* Plenius 5, 5, 1. *qui nuntius gravi me dolore confudit.* Vid. Cortium ad 1, 22, 12. Sic Graeci *συγχεῖν, συγχεῖν θυμόν·* quamquam haec latius patent. Homer. Il. 9, 612. *μή μοι σύγχει θυμὸν ὀδυρόμενος καὶ ἀχεύων.* Democr. in Anthol. Gr. *εἰ δὲ τοιῆδε Κείνη, συγχείσθω θυμὸς Ἐνυαλίου.* *S.*

Rom. *confunderem, ſi non eſt in memoriam.* Hoc quid ſibi velit, non intelligo. *H.*

meis uno libello cariſſimam mihi et ſanctiſſimam
memoriam proſequi ſatis eſt: cuius famae latius
conſuletur, ſi dispenſata et digeſta fuerit. Verum 4
haeſitanti mihi, omnia, quae iam compoſui, vo-
bis exhiberem, an adhuc aliqua differrem; ſim-
plicius et amicius mihi viſum eſt, omnia, prae-
cipue quum adfirmetis, intra vos futura, donec
placeat emittere. Quod ſupereſt, rogo, ut pari 5
ſimplicitate, ſi qua exiſtimatis addenda, commu-
tanda, omittenda, indicetis. Mihi difficile eſt 6
hucusque intendere animum in dolore; difficile et
vobis. Sed tamen ut ſculptorem, ut pictorem,
qui filii veſtri imaginem faceret, admoneretis,
quid exprimere, quid emendare deberet; ita me
quoque formate, regite, qui non fragilem et ca-
ducam, ſed immortalem, ut vos putatis, effigiem

3 *cariſſimam mihi et ſanctiſſimam memoriam)* Rom. *ſanctiſſimam mihi et cariſſimam memoriam.* *H.*

memoriam — cuius famae) Non diſſimile Tullianum illud de Orat. 1, 2. in. *Ac mihi repetenda eſt veteris cuiusdam memoriae non ſane ſatis explicata recordatio.* *S.*

dispenſata et digeſta) Per plures libellos distributa laus Spurinnae iuvenis facilius aetatem feret: cum ſpes ſit unius exemplis pereuntibus, alterum tamen forte ſuperfuturum. *G.*

4 *ſimplicius — viſum eſt)* Rom. *ſimplicius et amicius viſum eſt*, excluſo *mihi*, quod vulgo inculcatur importune. *H.*

Omiſerunt *mihi* Cortius et Gierigius. Bene. *S.*

intra vos futura) vos non evulgaturos eſſe, ſed apud vos retenturos. *E.*

5 *Quod ſupereſt* etc.) *Quod ſupereſt, rogo, ut pari ſimplicitate, ſi qua exiſtimabitis addenda, commutanda, omittenda, indicetis mihi. Difficile eſt hucusque animum intendere in dolore. Difficile. Sed tamen ut ſculptorem, ut pictorem.* Ita Rom. ut Plinius voluit. Ex perſona Spurinnae et Cocciae dicta ſunt illa: *Difficile eſt* cetera: quaſi exigenti Plinio, ut a ſe ſcripta emendent, illi reſpondeant, eſſe ſibi difficile, ad haec in tanto ac tam recenti luctu intendere animum. Concedit id quidem Plinius eſſe difficile; ſed ita concedit, ut fieri tamen poſſe, haud multum diſſimili exemplo oſtendat. Veram lectionem Cortius reperit: vulgata autem interpunctione, quae ineptiſſima eſt, deceptus, cum ceteris omnibus erravit. *H.*

Verum vidiſſe Heuſingerum, noli dubitare. *Exiſtimabitis* etiam Cortiana, nulla ex libris enotata varietate. *S.*

6 *ut vos putatis)* Modeſtiae cauſſa addit. Non ipſe immortalitatem pollicetur ſuis ſcriptis et per ea Spurinnae: ſed loqui ſe indicat de ſententia blanda amicorum. *G.*

conor efficere: quae hoc diuturnior erit, quo verior, melior, abſolutior, fuerit. Vale.

XI.

Gratus animus Artemidori, officium Plinii erga ſe praedicantis, una cum aliis virtutibus laudatur.

C. PLINIVS IVLIO GENITORI SVO S.

Eſt omnino Artemidori noſtri tam benigna natura, ut officia amicorum in maius extollat: inde etiam meum meritum, ut vera, ita ſupra meritum
2 praedicatione circumfert. Equidem, quum eſſent philoſophi ab urbe ſubmoti, fui apud illum in ſuburbano: et quo notabilius hoc periculoſiusque eſſet, fui praetor. Pecuniam etiam, qua tunc illi ampliore opus erat, ut aes alienum exſolveret, contractum ex pulcherrimis cauſſis, muſſantibus magnis quibusdam et locupletibus amicis, mutua-
3 tus ipſe, gratuitam dedi. Atque haec feci, quum, ſeptem amicis meis aut occiſis aut relegatis, (occiſis, Senecione, Ruſtico, Helvidio; relegatis, Maurico, Gratilla, Arria, Fannia) tot circa me iactis fulminibus quaſi ambuſtus, mihi quoque impendere idem exitium, certis quibusdam notis
4 augurarer. Non ideo tamen eximiam gloriam meruiſſe me, ut ille praedicat, credo: ſed tantum

Vale) Bene Gierigius: *Valete.* Vox haec in libris vetuſtis per compendium ſcripta *V.* unde factum eſt, ut nunc omitteretur, nunc, ut hoc loco, perperam legeretur. *S.*

XI, 1 *Artemidori*) Vix patiuntur temporum rationes, ut ὀνειροκριτικῶν ſcriptorem hic intelligamus, qui aliquantum iunior hoc noſtro fuit. Vid. Fabric. *G.*

2 *philoſophi ab urbe ſubmoti*) Domitiani edicto, de quo ... c. 10. *G.*

et quo notabilius etc.) Rom. *et quo notabilius, hoc eſt, periculoſius eſſet*, ut ſcripti plerique. *H.*

Praeferendum hoc, cum ſaevitiam tyranni efficacius notet. *S.*

3 *Atque haec feci)* Rom. *Ad haec feci.* Fortaſſe voluit: *At haec. H.*

quaſi ambuſtus) Sic Liv. 22, 35. *L. Aemilius Paullus* dicitur *damnatione collegae et ſua prope ambuſtus evaſiſſe.* add. Paneg. 90, 5. *G.*

effugisse flagitium. Nam et C. Musonium, soce- 5
rum eius, (quantum licitum est per aetatem) cum admiratione dilexi, et Artemidorum ipsum iam tum, quum in Syria tribunus militarem, arcta familiaritate complexus sum: idque primum non nullius indolis dedi specimen, quod virum aut sapientem, aut proximum simillimumque sa[illegible] intelligere sum visus. Nam ex omnibus, q[illegible] se philosophos vocant, vix unum aut alter[illegible] venies tanta sinceritate, tanta veritate. [illegible] qua patientia corporis hiemes iuxta et aest[illegible] ferat, ut nullis laboribus cedat, ut nihil in c[illegible] aut potu voluptatibus tribuat, ut oculos anim[illegible] que contineat. Sunt haec magna, sed in alio [illegible] hoc vero minima, si ceteris virtutibus compare[illegible] tur, quibus meruit, ut a C. Musonio ex omnib[illegible] omnium ordinum adsectatoribus gener adsumere[illegible] tur. Quae mihi recordanti est quidem iucundum, quod me quum apud alios, tum apud te, tantis laudibus cumulet: vereor tamen, ne modum excedat, quem benignitas eius (illuc enim, unde
coepi, revertor) non solet tenere. Nam in hoc 9
uno interdum, vir alioqui prudentissimus, honesto quidem, sed tamen errore versatur, quod pluris amicos suos, quam sunt, arbitratur. Vale.

5 *quantum licitum est* etc.) Rom. *quantum licitum est per aetatem, eadem ratione dilexi,* corrupte. *H.*

Idem vitium traxit liber Mediceus. Error natus ex compendio *c̄* male intellecto. Vid. Heusinger. ad 2, 3, 2. Drakenb. ad Liv. 1, 3, 3. *S.*

non nullius indolis) ingenii satis acuti, qui talia perspiceret, et animi satis emendati atque excelsi, cui talia placerent et admirationi essent. *E.*

proximum — sapienti) Nemo enim perfecte sapiens. Stoicus ille sapiens idea est, nomen est. *G.*

intelligere sum visus) Id ipsum enim iam profectus non mediocris iudicium: cum de sapiente, ut de poeta, musico, pictore, non iudicare nisi ille queat, qui gradum aliquem eius virtutis adsecutus sit. *G.*

6 *ut nihil in cibo* etc.) Rom. *ut nil in cibo in potu voluptatibus tribuat.* *H.*

8 *Quae mihi record.* etc.) Rom. *Quae mihi recordanti est quidem iucundum, quod me cum apud alios, tum apud te, tantis laudibus cumulat,* non *cumulet*, ut ex vulgatis aliqui. Ald. quoque Catan. et Cortius *cumulat.* *H.*

Nullus hic locus coniunctivo. *S.*

conor efficere: quae hoc diuturnior erit, quo verior, melior, abſolutior, fuerit. Vale.

XI.

Gratus animus Artemidori, officium Plinii erga ſe praedicantis, una cum aliis virtutibus laudatur.

C. PLINIVS IVLIO GENITORI SVO S.

Eſt omnino Artemidori noſtri tam benigna natu-
ra, ut officia amicorum in maius extollat: inde
etiam meum meritum, ut vera, ita ſupra meritum
2 praedicatione circumfert. Equidem, quum eſſent
philoſophi ab urbe ſubmoti, fui apud illum in
ſuburbano: et quo notabilius hoc periculoſiusque
eſſet, fui praetor. Pecuniam etiam, qua tunc illi
ampliore opus erat, ut aes alienum exſolveret,
contractum ex pulcherrimis cauſſis, muſſantibus
magnis quibusdam et locupletibus amicis, mutua-
3 tus ipſe, gratuitam dedi. Atque haec feci, quum,
ſeptem amicis meis aut occiſis aut relegatis, (oc-
ciſis, Senecione, Ruſtico, Helvidio; relegatis,
Maurico, Gratilla, Arria, Fannia) tot circa me
iactis fulminibus quaſi ambuſtus, mihi quoque
impendere idem exitium, certis quibusdam notis
4 augurarer. Non ideo tamen eximiam gloriam
meruiſſe me, ut ille praedicat, credo: ſed tantum

Vale) Bene Gierigius: *Valete.* Vox haec in libris vetuſtis per compendium ſcripta *V.* unde factum eſt, ut nunc omitteretur, nunc, ut hoc loco, perperam legeretur. *S.*

XI, 1 *Artemidori*) Vix patiuntur temporum rationes, ut ὀνειροκριτικῶν ſcriptorem hic intelligamus, qui aliquantum iunior hoc noſtro fuit. Vid. Fabric. *G.*

2 *philoſophi ab urbe ſubmoti)* Domitiani edicto, de quo Sueton. c. 10. *G.*

et quo notabilius etc.) Rom. *et quo notabilius, hoc eſt, periculoſius eſſet*, ut ſcripti plerique. *H.*

Praeferendum hoc, cum ſaevitiam tyranni efficacius notet. *S.*

3 *Atque haec feci)* Rom. *Ad haec feci.* Fortaſſe voluit: *At haec.* *H.*

quaſi ambuſtus) Sic Liv. 22, 35. *L. Aemilius Paullus* dicitur *damnatione collegae et ſua prope ambuſtus evaſiſſe.* add. Paneg. 90, 5. *G.*

effugiſſe flagitium. Nam et C. Muſonium, ſoce- 5
rum eius, (quantum licitum eſt per aetatem) cum
admiratione dilexi, et Artemidorum ipſum iam
tum, quum in Syria tribunus militarem, arcta
familiaritate complexus ſum: idque primum non
nullius indolis dedi ſpecimen, quod virum aut
ſapientem, aut proximum ſimillimumque ſapienti,
intelligere ſum viſus. Nam ex omnibus, qui nunc 6
ſe philoſophos vocant, vix unum aut alterum in-
venies tanta ſinceritate, tanta veritate. Mitto,
qua patientia corporis hiemes iuxta et aeſtates
ferat, ut nullis laboribus cedat, ut nihil in cibo
aut potu voluptatibus tribuat, ut oculos animum-
que contineat. Sunt haec magna, ſed in alio: in 7
hoc vero minima, ſi ceteris virtutibus comparen-
tur, quibus meruit, ut a C. Muſonio ex omnibus
omnium ordinum adſectatoribus gener adſumere-
tur. Quae mihi recordanti eſt quidem iucundum, 8
quod me quum apud alios, tum apud te, tantis
laudibus cumulet: vereor tamen, ne modum ex-
cedat, quem benignitas eius (illuc enim, unde
coepi, revertor) non ſolet tenere. Nam in hoc 9
uno interdum, vir alioqui prudentiſſimus, hone-
ſto quidem, ſed tamen errore verſatur, quod plu-
ris amicos ſuos, quam ſunt, arbitratur. Vale.

5 *quantum licitam eſt* etc.) Rom. *quantum licitam eſt per aetatem, eadem ratione dilexi,* corrupte. *H.*

Idem vitium traxit liber Mediceus. Error natus ex compendio *ẽ* male intellecto. Vid. Heuſinger. ad 2, 3, 2. Drakenb. ad Liv. 1, 3, 5. *S.*

non nullius indolis) ingenii ſatis acuti, qui talia perſpiceret, et animi ſatis emendati atque excelſi, cui talia placerent et admirationi eſſent. *E.*

proximum — ſapienti) Nemo enim perfecte ſapiens. Stoicus ille ſapiens idea eſt, nomen eſt. *G.*

intelligere ſum viſus) Id ipſum enim iam profectus non mediocris indicium: cum de ſapiente, ut de poëta, muſico, pictore, non iudicare niſi ille queat, qui gradum aliquem eius virtutis adſecutus ſit. *G.*

6 *ut nihil in cibo* etc.) Rom. *ut nil in cibo in potu voluptatibus tribuat.* *H.*

8 *Quae mihi record.* etc.) Rom. *Quae mihi recordanti eſt quidem iucundum, quod me cum apud alios, tum apud te, tantis laudibus cumulat*, non *cumulet*, ut ex vulgatis aliqui. Ald. quoque Catan. et Cortius *cumulat.* *H.*

Nullus hic locus coniunctivo. *S.*

XII.

Invitatus ad coenam, qua conditione iturus ſit, reſpondet.

C. PLINIVS CATILIO SVO S.

Veniam ad coenam: ſed iam nunc paciſcor, ſit expedita, ſit parca: Socraticis tantum ſermonibus
2 abundet: in his quoque teneat modum. Erunt officia antelucana, in quae incidere impune ne Catoni quidem licuit, quem tamen C. Caeſar ita
3 reprehendit, ut laudet. Scribit enim, eos, quibus obvius fuerat, quum caput ebrii retexiſſent, erubuiſſe: deinde adiicit, *Putares, non ab illis Catonem, ſed illos a Catone deprehenſos.* Potuitne plus auctoritatis tribui Catoni, quam ſi ebrius

XII, 2 *officia antelucana*) Non ſunt ea, quae ante lucem Plinio obeunda erant, ut Cellario viſum: quod docto viro, moris et ſermonis antiqui peritiſſimo, in mentem veniſſe miror. *Officia* hic ſunt ipſi homines ad officium convenientes, id eſt, ſalutatores, deductores, qui honoris cauſa ad aliquem conveniunt, eumque comitantes in publicum prodeunt. Ita ipſe Plinius lib. I. ep. V, 11. *officium praetoris*, et paneg. c. LXXVI. extr. *imperatoris modicum* dicit, paucos ſignificans, qui imperatorem comitari ſoliti eſſent. Sueton. Caeſ. c. LXXI. Maſintham ſcribit a Caeſare *inter officia proſequentium* avectum, id eſt, in turba proſequentium. Plinius ergo non de ſuis aut Catonis officiis loquitur, ſed homines ad antelucanas ſalutationes ſub galli cantum prodeuntes ſignificat: in quos *incidere*, vel, quibus occurrere, ne Cato quidem impune, ſine magno pudore, potuerit. Sed de his plura dixi in diſſert. mea de ſalutationibus matutinis. *H.*

officia antelucana) eorum, qui ſaepe ante lucem patronos ſuos adibant ſalutandi cauſſa. In hos igitur ſalutatores mane a coena heſterna redeuntem incidere, turpe fuerit, cum id ne Catoni quidem impune licuerit; nam illi in eum irruerunt, et caput obvii retexerunt. *E.*

C. Caeſar) Ut veriſimile eſt, in Anti-Catone ſuo, Ciceronis Catoni Uticenſi oppoſito, de quo vid. quos laudat Fabricius ad Auguſti fragm. p. 168. ubi de ſimili Auguſti opere, *Reſcriptis Bruto de Catone*, agit. *G.*

3 *Scribit enim*) Retinui emendationem Caſauboni, a Cellario adſumtam. Vulgatum illud *deſcribit* fruſtra defenditur ex Tac. Ann. 6, 24. *Deſcripta* enim ibi non pro ſimplici *ſcripta* ponitur, ſed diſpenſationem atque ordinationem ſignificat. *G.*

Rom. *Deſcribit enim, eos, quibus obvius fuerit. H.*

caput — retexiſſent) Quod toga adducta obvolverat ſcilicet, ne noſceretur. *G.*

auctoritatis) reverentiae. Itaque Seneca Tranq. 15. cum Catoni ebrietatem obiectam memoraſſet, *facilius efficiet*, inquit, *quisquis obiecerit, hoc crimen honeſtum, quam turpem Catonem.* *E.*

quoque tam venerabilis erat? Noſtrae tamen coe- 4
nae ut apparatus et impendii, ſic temporis modus
conſtet. Neque enim ii ſumus, quos vituperare
ne inimici quidem poſſint, niſi ut ſimul laudent.
Vale.

XIII.

Panegyricum, Traiano dictum, emendandum mittit.

C. PLINIVS ROMANO SVO S.

Librum, quo nuper optimo principi conſul gra-
tias egi, miſi exigenti tibi: miſſurus, etſi non
exegiſſes. In hoc conſideres velim, ut pulchri- 2
tudinem materiae, ita difficultatem. In ceteris
enim lectorem novitas ipſa intentum habet: in
hoc, nota, vulgata dicta ſunt omnia; quo fit, ut
quaſi otioſus ſecurusque lector tantum eloquutio-
ni vacet, in qua ſatisfacere difficilius eſt, quum
ſola aeſtimatur. Atque utinam ordo ſaltem, et 3
tranſitus, et figurae ſimul ſpectarentur! Nam
invenire praeclare, enuntiare magnificè, interdum
etiam barbari ſolent: diſponere apte, figurare
varie, niſi eruditis, negatum eſt. Nec vero adfe- 4
ctanda ſunt ſemper elata et excelſa. Nam, ut in
pictura lumen non alia res magis quam umbra

XIII, 2 *In hoc conſideres*) *Tamen hoc conſideres*, vitioſe Rom. Deinde interpunge: *in hoc nota, vulgata, dicta ſunt omnia.* Reſpexit ad Virgil. lib. III. Aen. [immo Georg. *S.*] v. 3. *Cetera, quae vacuas tenuiſſent carmina mentes, Omnia iam vulgata. H.*

Sic et Cortius cum aliis interpungit. Bene. *S.*

otioſus ſecurusque) res ipſas, ſibi iam aliunde notas, non curans. *E.*

3 *enuntiare — barbari*) Non facile hoc, Secunde, praeceptori perſuaſeris Quintiliano, qui Lib. VIII. Inſt. Or. 3, 2. *inventionem* cum imperitis ſaepe communem, *diſpoſitionem* modicae doctrinae, *elocutionem* autem difficillimam artis rhetoricae partem eſſe ſtatuit. *E.*

Quidni Plinius Quintiliano facile perſuaſerit, *magnifice* enuntiare *interdum* etiam barbaros ſolere? *S.*

interdum etiam barbari ſolent) Rom. *interdum barbari ſolent*, ſine *etiam*: deinde *apte, figurate, varie.* Sed *figurate diſponere* nihil ſignificat. *H.*

commendat, ita orationem tam submittere, quam adtollere decet. Sed quid ego haec doctissimo viro? quin potius illud: adnota, quae putaveris corrigenda. Ita enim magis credam, cetera tibi placere, si quaedam displicuisse cognovero. Vale.

XIV.

Macedonem, saevum dominum, a servis suis in balneo oppressum narrat.

C. PLINIVS ACILIO SVO S.

Rem atrocem, nec tantum epistola dignam, Largius Macedo, vir praetorius, a servis suis passus est: superbus alioqui dominus et saevus, et qui, servisse patrem suum, parum, immo minimum meminisset. Lavabatur in villa Formiana: repente eum servi circumsistunt: alius fauces invadit, alius os verberat, alius pectus, et ventrem, atque etiam (foedum dictu) verenda contundit: et quum exanimem putarent, abiiciunt in ferveus pavimentum, ut experirentur, an viveret. Ille, sive quia non sentiebat, sive quia non sentire simulabat,

XIV, 1 *nec tantum epistola*) Sed historia, vel tragoedia adeo. *G.*

Rom. *nec tamen epistola dignam*, inepte. Non *tantum epistola*, sed vel *libro dignum* censet. *H.*

Tantum et tamen saepissime confusa vid. Cortium ad Plin. p. 63. 103. 222. Drakenb. ad Liv. 1, 29, 6 *S.*

minimum) Longe acutius, immo unice verum Cortii et Gierigii *nimium*. Probabat idem Ernestius, qui de h. l. sic: „*Parum*, nam si memor fuisset tuae „similis fortunae et conditionis, „servos suos non tam male tra„ctasset: *nimium*, ita ut suae „ipsius fortunae servilis recorda„tus, in servis suis iam ulcisci il„lius malignitatem cuperet. Utrum„que acutissime observatum a Pli„nio e vita humana." Ceterum *minimus*, *nimius* multis locis confusa. Exemplis a Cortio congestis addantur, quae Drakenb. ad Liv. 34, 15. 6. 36, 9. 7. attulit. *S.*

2 *fervens pavimentum*) Vid. Gesneri ad I. A. Ernestium epistola. *S.*

quia non sentire simulabat) Al *quia se non s. s.* Sed illud *se* tum MSS. auctoritate, tum exemplis optimorum scriptorum, eiecit Cortius. *G.*

Sic pronomina saepe, nec post solum verbum *simulare* omittuntur. vid. ad 1, 19, 3. Vechner.

immobilis et extentus fidem peractae mortis im-
plevit. Tum demum, quaſi aeſtu ſolutus, effer- 3
tur: excipiunt ſervi fideliores: concubinae cum
ululatu et clamore concurrunt. Ita et vocibus
excitatus, et recreatus loci frigore, ſublatis oculis
agitatoque corpore, vivere ſe (et iam tutum erat)
confitetur. Diffugiunt ſervi: quorum magna pars 4
comprehenſa eſt, ceteri requiruntur: ipſe paucis
diebus aegre refocillatus, non ſine ultionis ſolatio
deceſſit, ita vivus vindicatus, ut occiſi ſolent.
Vides, quot periculis, quot contumeliis, quot 5
ludibriis, ſimus obnoxii. Nec eſt, quod quiſquam
poſſit eſſe ſecurus, quia ſit remiſſus et mitis: non
enim iudicio domini, ſed ſcelere perimuntur.
Verum haec hactenus. Quid praeterea novi? 6
Quid? Nihil, alioqui ſubiungerem: nam et char-
ta adhuc ſupereſt, et dies feriatus patitur plura
contexi. Addam, quod opportune de eodem Ma-
cedone ſuccurrit. Quum in publico Romae lava-
retur, notabilis atque etiam, ut exitus docuit,
ominoſa res accidit. Eques Romanus a ſervo eius, 7
ut tranſitum daret, manu leviter admonitus, con-
vertit ſe, nec ſervum, a quo erat tactus, ſed

Hellenol. p. 120. ſq. ed. Henſing. S.

Etiam Rom. *ſive quia non ſentire ſimulabat.* H.

fidem — implevit) ſervis plane perſuaſit, ſe mortuum. Sententiam, pro hoc loco, paulo argutius et σοφιστικωτέρως expreſſam puto. E.

3 *quaſi aeſtu ſolutus.*) Ita nempe ſervi illi percuſſores dicebant, dominum aeſtu ſolutum exſpiraſſe. E.

confitetur; Non ideo modo hoc verbo uti puto Plinium, quia ante parum tutum erat Macedoni, et puniendum illico, ſi vivere ſe oſtendiſſet: ſed quod in univerſum *confitendi* verbo de iis quoque rebus, quae non voluntate modo, ſed ſenſu etiam carent, ſic utuntur. Palladius 1, 3. *His contraria* (loquutus erat autem de ſignis ſalubris caeli) *noxium caeli illius ſpiritum confitentur.* et Iun. 7, 6. de examine apum, *Si duo vel plura ubera ſuſpendens ſe populus imitatur, - - tot reges eſſe, quot velut ubera videris, confitentur.* Ita apud eundem Ian. 15, 12. *fatentur maturitatem amygdalae*, et Oct. 11, 2. *fatetur vetuſtatem ſinapi.* G.

5 *non — iudicio*) Servi in domini caput coniurant *non iudicio*, quod cauſſas ponderet, et prout aequum eſt decernat: ſed *ſcelere*, et ferino quodam impetu, qui in bonos etiam et mites dominos expetere poteſt. G.

ipſum Macedonem tam graviter palma percuſſit,
8 ut paene concideret. Ita balneum illi, quaſi per
gradus quosdam, primum contumeliae locus, de-
inde exitii fuit. Vale.

XV.

Roganti Proculo, ut verſus ſuos emendaret, reſpondet, id libenter ſe ſuscepturum eſſe.

C. PLINIVS PROCVLO SVO S.

Petis, ut libellos tuos in ſeceſſu legam, exami-
nemque, an editione ſint digni: adhibes preces:
adlegas exemplum: rogas etiam, ut aliquid ſubſe-
civi temporis ſtudiis meis ſubtraham, impertiam
tuis: adiicis, M. Tullium mira benignitate poë-
2 tarum ingenia foviſſe. Sed ego nec rogandus
ſum, nec hortandus. Nam et poëticen ipſam re-
ligioſiſſime veneror, et te validiſſime diligo. Fa-
ciam ergo, quod deſideras, tam diligenter, quam
3 libenter. Videor autem iam nunc poſſe reſcribe-
re, eſſe opus pulchrum, nec ſupprimendum, quan-
tum aeſtimare licuit ex iis, quae me praeſente
recitaſti: ſi modo mihi non impoſuit recitatio
tua. Legis enim ſuaviſſime et peritiſſime. Con-
fido tamen, me non ſic auribus duci, ut omnes
aculei iudicii mei illarum deliniментis refringan-

8 *balneum)* Cortius ex libris *balineum*, quem ſequitur Gierigius. Sane haec forma Secundo, non item altera, videtur placuiſſe. *S.*

XV, 1 *examinemque, an editione)* Rom. *examinem, an editione. H.*

ut aliquid ſubſecivi temporis) Rom. *ut aliquid ſuccіſivi temporis. H.*

Vid. Parei Lexic. Critic. pag. 1194. *S.*

impertiam tuis) Rom. *et impertiam tuis. H.*

3 *nec ſupprimendum, quantum etc.)* Rom. *nec ſupprimendum, quantum eſt iam placuit ex iis*, corrupte. *H.*

Monſtrum hoc lectionis, quod etiam Cortius in libro Mediceo reperit, natum ex literis male divulſis compendioque perperam intellecto. *S.*

Legis — Confido) Rom. *Legis enim ſuaviſſime. Confido.* Deſunt *et peritiſſime. H.*

refringantur) Aptiſſimum ad *aculeos* verbum. Avunculus noſtri, a Cortio excitatus, 8, 15. extr. *Mirum pardos, pantheras,*

tur. Hebetentur fortaſſe, et paullulum retundan- 4
tur; evelli quidem extorquerique non poſſunt.
Igitur non temere iam nunc de univerſitate pro- 5
nuntio: de partibus experiar legendo. Vale.

XVI.

Alia maiora, alia clariora eſſe, Arriae factis et exemplo probat.

C. PLINIVS NEPOTI SVO S.

Adnotaſſe videor, facta dictaque virorum feminarumque illuſtrium alia clariora eſſe, alia maiora. Confirmata eſt opinio mea heſterno Fanniae 2
ſermone. Neptis haec Arriae illius, quae marito et ſolatium mortis et exemplum fuit. Multa referebat aviae ſuae non minora hoc, ſed obſcuriora: quae tibi exiſtimo tam mirabilia legenti fore, quam mihi audienti fuerunt. Aegrotabat Caecina 3
Paetus, maritus eius, aegrotabat et filius, uterque mortifere, ut videbatur: filius deceſſit, eximia pulchritudine, pari verecundia, et parentibus non minus ob alia carus, quam quod filius erat. Huic 4
illa ita funus paravit, ita duxit exſequias, ut ignoraret maritus. Quin immo, quoties cubiculum eius intraret, vivere filium, atque etiam commo-

leones, et ſimilia, condito in corporis vaginas unguium mucrone, ne refringatur hebeteturve, ingredi. *Itaque verbum hoc reponendum erat, etſi plerique libri haberent *reſtringantur.* Quanto magis, cum contra ſe res habeat. *Evelli* pro *revelli* ex libris poſuit Cortius. *G.*

Rom. *evelli quidem extorquerique non poſſunt.* Recte, non *revelli.* *H.*

5 *iam nunc de univerſitate pronuntio)* Rom. *iam de univerſitate pronuntio.* *H.*

XVI, 1 *virorum feminarumque* etc.) Rom. *virorum feminarumque alia clariora eſſe.* Omiſit *illuſtrium.* *H.*

3 *Caecina Paetus*) Deſunt in cod. Oxon. facileque credo, e margine in textum irrepſiſſe. Maritum Arriae Caecinam Paetum dictum fuiſſe, Nepos ſcilicet docendus erat. *S.*

pari verecundia) Rom. *parique verecundia.* *H.*

4 *Huic illa ita funus paravit)* Rom. *Huic ita illa funus paravit.* *H.*

diorem esse simulabat. Ac persaepe interroganti, quid ageret puer, respondebat, *Bene quievit, li-*
5 *benter cibum sumsit.* Deinde quum diu cohibitae lacrymae vincerent prorumperentque, egrediebatur. Tum se dolori dabat. Satiata, siccis oculis, composito vultu redibat, tanquam orbitatem
6 foris reliquisset. Praeclarum quidem illud eiusdem, ferrum stringere, perfodere pectus, extrahere pugionem, porrigere marito, addere vocem immortalem ac paene divinam, PAETE, NON DOLET. Sed tamen ista facienti dicentique gloria et aeternitas ante oculos erant: quo maius est sine praemio aeternitatis, sine praemio gloriae abdere lacrymas, operire luctum, amissoque filio,
7 matrem adhuc agere. Scribonianus arma in Illyrico contra Claudium moverat: fuerat Paetus in partibus, et occiso Scriboniano, Romam trahebа-
8 tur. Erat adscensurus navem: Arria milites orabat, ut simul imponeretur. *Nempe enim,* inquit,

5 *Tum se dolori dabat*) Rom. *Tunc se dolori dabat. H.*

tanquam — reliquisset) Nollem haec adiecisse Plinium. Habet sententia quiddam acuminis simile, quod in hoc loco prope ineptum est. Ipse etiam sensus friget. Sic enim quaeramus, quid sit *orbitatem foris relinquere,* nihil, quod recte cogitemus, relinquitur. *E.*

Est i. q. tanquam omnem moeroris ex filii morte sensum ante cubiculi fores exuisset. Maior tamen vis verborum Plinii: in quibus quid ineptum sit aut frigeat, non intelligo. Ceterum magni sane haec, immo ingentis animi, quae qui a qualibet matre prudente in simili casu exspectat, nae is humana parum pensitavit. Omnino quae Gierigius in argumento huius epistolae de generosa illa femina satis maledice scripsit, nollem viro optimo excidisse. *S.*

6 *Paete, non dolet*) Martialis I, 14.

Casta suo gladium cum traderet Arria Paeto,
Quem de visceribus traxerat ipsa suis,
Si qua fides, vulnus, quod feci, non dolet, inquit,
Sed quod tu facies, hoc mihi, Paete, dolet.

G.

Rom. *Non dolet, Paete.* Postea tamen n. 13. ut vulgatum. *H.*

Vellem et ibi *Non dolet, Paete,* legi. Ἐμφατικώτερος hic verborum ordo, quorum vim vocativus praemissus videtur retundere. *S.*

ista facienti dicentique) Cortius ex libro Mediceo ordine meliore *facienti ista dicentique. S.*

7 *Scribonianus*) Rem narrat Sueton. Claud. c. 13. *G.*

8 *Nempe*) Non est h. l. indignantis. Serio Arria hoc argumento ad milites usa est, quos,

daturi estis consulari viro servulos aliquos, quo-
rum e manu cibum capiat, a quibus vestiatur, a
quibus calcietur: omnia vel sola praestabo. Non
impetravit. Conduxit piscatoriam naviculam, in- 9
gensque navigium minimo sequuta est. Eadem
apud Claudium uxori Scriboniani, quum illa
profiteretur indicium, *Ego*, inquit, *te audiam,*
cuius in gremio Scribonianus occisus est, et vivis?
Ex quo manifestum est, ei consilium pulcherrimae
mortis non subitum fuisse. Quin etiam quum 10
Thrasea, gener eius, deprecaretur, ne mori per-
geret, interque alia dixisset, *Tu vis ergo filiam*
tuam, si mihi pereundum fuerit, mori mecum?
respondit, *Si tam diu tantaque concordia vixerit*
tecum, quam ego cum Paeto, volo. Auxerat hoc 11
responso curam suorum: attentius custodiebatur:
sensit, et, *Nihil agitis*, inquit: *potestis enim effi-*
cere, ut male moriar; ne moriar, non potestis.
Dum haec dicit, exsiluit cathedra, adversoque 12
parieti caput ingenti impetu impegit, et corruit.
Resocillata, *Dixeram*, inquit, *vobis, inventuram*
me, quamlibet duram, ad mortem viam, si vos
facilem negassetis. Videnturne haec tibi maiora 13
illo, *Paete, non dolet*, ad quod per haec perven-

omnis expertes humanitatis, ita demum flectere posse putabat, si quid iis compendii ostenderet. *S.*

omnia vel sola praestabo) Rom. *omnia sola praestabo. H.*

9 *ingensque — sequuta est)* Cogita, quam periculosum sit navicula piscatoria *improbum Adriam* traiicere, hocque otiosum aut alienum esse negabis. *S.*

Ego — te audiam) et videam lucis usura fruentem, et periculum amicis mariti tui creantem, ut ipsa impunitatem consequaris. Illud enim fere praemium *indicii*. Formulam *profiteri indicium* illustravit Cort. ad Sall. Iug. 35. 6. *G.*

et vivis) Supple *quae*. Vid. Burmann. ad Phaedr. 1, 22, 12. *S.*

11 *ut male moriar)* Mox *dura ad mortem via.* De alia huius locutionis significatione vid. Gesneri ad I. A. Ernestium epistola. *S.*

12 *Resocillata, dixeram, inquit)* Rom. *Focillata, dixeram, inquit. H.*

13 *Videnturne)* I. e. annon videntur —? *Ne* hic affirmantis est, non, ut saepius, negantis. Infra ep. 21, 6. *Meritone eum — et tunc dimisi amicissime* etc. Supra 2, 17, 29. *Iustitne de caussis eum tibi videor incolere* etc. Vid. Heusing. ad Cicer. de offic. pag. 693. *S.*

tum eſt? quum interim illud quidem ingens fama, haec, nulla circumfert. Unde colligitur, quod initio dixi, alia eſſe clariora, alia maiora. Vale.

XVII.

Anxius de ſalute amici ob ſilentium eius, monet, ut propediem nuntiet, quid agat.

C. PLINIVS SERVIANO SVO S.

Rectene omnia? quod iampridem epiſtolae tuae
2 ceſſant. An omnia recte; ſed occupatus es tu? An tu non occupatus; ſed occaſio ſcribendi vel rara vel nulla? Exime hunc mihi ſcrupulum, cui par eſſe non poſſum. Exime autem vel data opera tabellario miſſo: ego viaticum, ego etiam praemium dabo: nuntiet mihi modo, quod opto.
3 Ipſe valeo: ſi valere eſt, ſuſpenſum et anxium vivere, exſpectantem in horas, timentemque pro capite amiciſſimo, quidquid accidere homini poteſt. Vale.

Unde colligitur — maiora) Adnexa haec perinvitus video, gauderemque, ſi quis ea codex non agnoſceret. Talia margines per me licet obſideant. *S.*

XVII, 1 *Rectene omnia?*) Interrogatio ſoliciti et metuentis aliquid ſiniſtrum, ut illud *ſatin' ſalvae?* apud Livium 1, 58. et alias ſaepe. Quin Ter. Andr. 4, 6, 9. *Quid vos quo pacto hic? ſati' ne recte?* Et noſter 6, 2, 10. *Ecquid omnia in tua* (domo) *recte?* Vid. omnino Briſſon. de form. 8, 65. pag. 724. nuperae edit. 'Ceterum hunc locum repraeſentavimus ex coniecturis Caſauboni, quas firmant libri, qui Cortio patuere. Vulgata ſententiam non habet, niſi quid forte exſculpis, lector, ex iſtis: *Rectene omnia, quod iam pridem epiſtolae tuae ceſſant, an non omnia recte? Sed occupatus es tu. An tu occupatus? Sed occaſio ſcribendi vel rara, vel nulla. G.*

Rom. *Rectene omnia, quod iam pridem epiſtolae tuae ceſſant? an non omnia recte, ſed occupatus es tu? An non occupatus, ſed occaſio.* Haec a vera lectione, quam Cortius reſtituit, non longe recedunt. *H.*

2 *Exime hunc mihi ſcrupulum*) Ita etiam Rom. *H.*

nuntiet mihi modo, quod opto) Rom. *nuntiet modo, quod opto. H.*

XVIII.

Panegyrici, uberius, quam in senatu dixerat, elaborati, recitationem cum voluptate exceptam denarrat.

C. PLINIVS SEVERO SVO S.

Officium consulatus iniunxit mihi, ut reipublicae nomine principi gratias agerem. Quod ego in senatu quum ad rationem et loci et temporis ex more fecissem; bono civi convenientissimum credidi, eadem illa spatiosius et uberius volumine
amplecti: primum, ut imperatori nostro virtutes 2
suae veris laudibus commendarentur: deinde, ut futuri principes non quasi a magistro, sed tamen sub exemplo praemonerentur, qua potissimum via
possent ad eandem gloriam niti. Nam praecipere, 3
qualis esse debeat princeps, pulchrum quidem, sed onerosum, ac prope superbum est: laudare vero optimum principem, ac per hoc posteris, velut e specula lumen, quod sequantur, ostendere,
idem utilitatis habet, arrogantiae nihil. Cepi autem 4
non mediocrem voluptatem, quod, hunc librum quum amicis recitare voluissem, non per codicillos, non per libellos, sed *si commodum esset* et *si valde vacaret*, admoniti (nunquam porro, aut valde raro,

XVIII, 1 *ad rationem et loci et temporis*) Rom. *ad rationem loci et temporis. H.*

3 *pulchrum* etc.) honestum et utile, alios praeceptis monere in re tam gravi. *Onerosum*, quia invidiosum et offensae plenissimum est. *Superbum*, arrogans, tantam rei gravitatem praeceptis assequi velle. Hunc sensum sequentia etiam confirmant: *idem utilitatis habet, arrogantiae nihil. E.*

4 *quod, hunc librum* etc.) Interpunge ita: *quod, hunc librum cum amicis recitare voluissem.* Vulgo post *librum* incidunt. *H.*

Obsecutus sum bene monenti. Sic et Ernestius distinxerat. *S.*

libellos) Facit huc inprimis Dialog. de Orator. cap. 9. ubi orator, ut habeat, qui audire dignentur, *libellos dispergere* dicitur. Vid. Schulz. ad h. l. pag. 33. sq. *S.*

sed si commodum etc.) Rom. *sed si commodum et si valde vacaret, admonui. H.*

porro) autem. Plinius 1, 8, 10. *Oculorum porro et aurium voluptates adeo non egent* etc.

vacat Romae, aut commodum est, audire reci-
tantem) foedissimis insuper tempestatibus per bi-
duum convenerunt: quumque modestia mea finem
recitationi facere voluisset, ut adiicerem tertium
5 diem, exegerunt. Mihi hunc honorem habitum pu-
tem, an studiis? Studiis malo, quo prope exstincta
6 refoventur. At cui materiae hanc sedulitatem prae-
stiterunt? Nempe quam in senatu quoque, ubi per-
peti necesse erat, gravari tamen vel puncto temporis
solebamus, eandem nunc et qui recitare, et qui
audire triduo velint, inveniuntur: non quia elo-
quentius, quam prius, sed quia liberius, ideoque
7 etiam libentius scribitur. Accedet ergo hoc quo-
que laudibus principis nostri, quod res antea tam
invisa quam falsa, nunc ut vera, ita amabilis fa-
8 cta est. Sed ego cum studium audientium, tum
iudicium mire probavi. Animadverti enim seve-
9 rissima quaeque vel maxime satisfacere. Memini
quidem, me non multis recitasse, quod omnibus
scripsi: nihilominus tamen, tanquam sit eadem
omnium futura sententia, hac severitate aurium
laetor. Ac sicut olim theatra male musicos cane-

1, 24, 4. *Scholasticis porro dominis, ut hic est, sufficit* etc. 6, 32, 2. *Te porro animo beatissimum, modicum facultatibus scio.* S.

5 *Mihi hunc honorem habitum putem, an studiis?*) Tertium esse potuit, Secunde: *Principi.* S.

6 *Nempe quam* etc.) Rom. *Nempe quam* [Medic. *qua*] *in senatu quoque, ubi perpeti necesse erat, gravari tamen vel puncto temporis solebamus, eadem* [pro *eandem*] *nunc et qui recitare, et qui audire triduo velint, inveniuntur.* Cortius coniicit, *Nempe quae*, deinde *eadem nunc.* Cum eo *recitare* praefero vulgato *recitari.* H.

liberius) securius, sine metu, ne quid apertius dictum, etiamsi verissimum sit, offendat. Sane, cum animus scribentis ita liber et securus est, non libentius solum, sed et melius scribi potest. E.

8 *severissima*) pressius et adstrictius scripta, austera; quibus opponuntur stilus laetior, hilarius et quasi exsultantius scripta, dulcia, blanda. Fallitur Gierigius, ad censuram vitiorum gravem et liberam referens. Scilicet antea de auditorum sedulitate Plinius egit: nunc eorum iudicium (*Geschmack*) laudat, quod dulcia minus quam austera probarint. S.

9 *nihilominus* etc.) Rom. *nihilo minus, tamquam sit eadem*, sine *tamen.* H.

theatra male musicos) Corruptorum ab aula hominum indi-

re docuerunt, ita nunc in ſpem adducor, poſſe fieri, ut eadem theatra bene canere muſicos doceant. Omnes enim, qui placendi cauſſa ſcri- 10
bunt, qualia placere viderint, ſcribent. Ac mihi quidem confido in hoc genere materiae laetioris ſtili conſtare rationem, quum ea potius, quae preſſius et adſtrictius, quam illa, quae hilarius et quaſi exſultantius ſcripſi, poſſint videri arceſſita et inducta: non ideo tamen ſegnius precor, ut quandoque veniat dies (utinamque iam venerit!) quo auſteris iſtis ſeveriſque dulcia haec blandaque vel iuſta poſſeſſione decedant. Habes 11
acta mea tridui: quibus cognitis volui tantum te

tium ſecuti tum ſcriptores: nunc ſpes eſt, meliora etiam ſcriptu ros homines, cum aulae vitia rectum de ſcriptis iudicium non amplius pervertunt. *G.*

Cod. Helmſt. *theatra male canere muſicos docuerunt.* ut mox omnes: *bene canere muſicos doceant.* Sed vulgaris ordo bene habet. Vid. Bentl. ad Hor. A. P. 441. *S.*

10 *Ac mihi quidem* etc.) Rom. *At mihi quidem, confido, in hoc genere materiae laetioris ſtili. H.*

Mihi — conſtare rationem, i. e. me iure quodam meo ſtilum laetiorem in argumento panegyrico confectatum eſſe, quaeque hilarius et quaſi exſultantius ſcripſi, non poſſe videri arceſſita et ab hoc materiae genere aliena. *S.*

laetioris ſtili) *Sic in pari fere auctoritate malui quam *laetioris*, quia ſynonymus videtur deinde dicere, *hilarius* et *exſultantius. G.*

Caeterum *laetum* illud genus dicendi, quod et *hilare*, *ſuave*, *dulce* Rhetores appellant, in verbis quidem delectum et concinnitatem auribus gratam, in ſententiis autem habet cum copiam, qua ſaepe in amoeniores locos excurritur, tum acumina, facetias, ſimiliaque ad delectationem comparata. Huic contrarium eſt, quod *preſſum adſtrictumque* Plinius appellat, magis rerum brevitatem et neceſſitatem quandam, verborumque et ſententiarum nudam et directam rationem conſectans. Si cui haec brevia non ſufficiunt, conſulat quae in Lex. Technol. Rhet. lat. ſ. v. *laetus*, *hilaris*, *adſtrictus*, *ſuavis*, *dulcis* copioſius diximus. *E.*

inducta) Inducuntur, quae aliena ſunt. Cf. Horat. A. P. 2. *S.*

non ideo tamen ſegnius precor) Nihil mutat hic Rom. ſed tamen apertum eſt, legi debere *ſecius*, cui librarii perpetuo fere alterum ſubſtituunt. Id. et factum lib. VI. ep. XX. 5. ubi reſcribendum, *nihilo ſecius ego intentus in librum.* Vide me ad Cornel. Nep. Dat. c. II. 5. *H.*

Aſſentior Heuſingero. Eſt tamen ubi *ſegnius* locum ſuum iure tueatur. Vid. Drakenb. ad Liv. 6, 38. 8. et Interpr. ad Iul. Caeſ. de B. C. 2, 7. pag. 618. ſq. ed. Oudend. *S.*

11 *volui tantum te voluptatis*)

voluptatis abſentem et ſtudiorum nomine et meo capere, quantum praeſens percipere potuiſſes. Vale.

XIX.

Conſulit, an emat praedia ſuis agris vicina, propoſitis in utramque partem rationibus.

C. PLINIVS CALVISIO RVFO S.

Adſumo te in conſilium rei familiaris, ut ſoleo.
Praedia agris meis vicina, atque etiam inſerta,
venalia ſunt. In his me multa ſolicitant; aliqua
2 nec minora deterrent. Solicitat primum ipſa
pulchritudo iungendi: deinde, quod non minus
utile quam voluptuoſum, poſſe utraque eadem
opera, eodem viatico inviſere, ſub eodem pro-
curatore, ac paene iisdem actoribus habere, unam
villam colere et ornare, alteram tantum tueri.
3 Ineſt huic computationi ſumtus ſupellectilis, ſum-
tus atrienſium, topiariorum, fabrorum, atque
etiam venatorii inſtrumenti: quae plurimum re-
fert, unum in locum conferas, an in diverſa di-
4 ſpergas. Contra vereor, ne ſit incautum, rem tam
magnam iisdem tempeſtatibus, iisdem caſibus
ſubdere. Tutius videtur, incerta fortunae poſſeſ-
ſionum varietatibus experiri. Habet etiam mul-
tum iucunditatis ſoli coelique mutatio, ipſaque

Rom. *volui tantum voluptatis,* ſine *te.* *H.*

XIX, 2 *ac paene iisdem actoribus habere)* Rom. *ac paene iisdem habitatoribus habere.* Hoc alienum. *H.*

3 *topiariorum)* Vid. Clav. Cic. h. v. *S.*

atque etiam venatorii inſtrumenti) Rom. *atque et venatoria inſtrumenta.* Melior vulgata. *H.*

4 *incerta fortunae)* Livius 30, 15, 4. *fidum e ſervis vocat, ſub cuius cuſtodia regio more ad incerta fortunae venenum erat.* Apud eundem 30, 30, 11. Hannibal in eximia illa ad Scipionem oratione: *Non temere incerta caſuum reputat, quem fortuna numquam decepit.* *S.*

illa peregrinatio interſita. Iam, quod deliberatio- 5
nis noſtrae caput eſt, agri ſunt fertiles, pingues,
aquoſi: conſtant campis, vineis, ſilvis, quae ma-
teriam et ex ea reditum ſicut modicum, ita ſtatum
praeſtant. Sed haec felicitas terrae imbecillis 6
cultoribus fatigatur. Nam poſſeſſor prior ſaepius
vendidit pignora: et dum reliqua colonorum mi-
nuit ad tempus, vires in poſterum exhauſit, qua-
rum defectione rurſus reliqua creverunt. Sunt 7
ergo inſtruendi complures frugi mancipes. Nam

interſita) interpoſita. Bona lectio, Gierigio nullo iure duriſſima viſa. Is cum Cortio e duobus codicibus *inter ſua;* quod non inſiter. Saepe *it* librariorum ſocordia in *u* depravavit. Horat. Epiſt. 1, 18, 12. *Sic iterat voces.* Ibi Barthius in codice reperit *Sic uerat voces.* inepte. Vid. Bentleium. *S.*

5 *Iam, quod deliberationis noſtrae caput eſt)* Rom. *Quod deliberationis noſtrae caput eſt. H.*

Cf. Excerpta Brummeri. Noſtra lectio praeſtat. *S.*

6 *felicitas — fatigatur)* fertilitas illa terrae coërcetur et impeditur cultoribus *imbecillis,* h. e. qui propter vendita pignora et aes alienum non poſſunt recte et utiliter colere agros ſuos. *E.*

vendidit pignora) colonis ablata a duro domino, (Servianae hypothecae nomine; qua obligantur coloni bona domino) ſi ii morosi viderentur in ſolvendis reliquis. *Pignora* autem cum nominat, comprehendit in primis inſtrumentum ruſticum, de quo poſtea lege Honorii et Theodoſii 8. C. quae res pignori, cautum eſt, *Pignorum gratia aliquid, quod ad culturam agri pertinet, auferri non convenit.* His nimirum ablatis ipſe cultus agrorum impeditur, ac debilitantur coloni, auctis denuo reliquis. *Reliqua,* ἐλλείμματα, funeſtum nomen, ut hodie *die Reſte, der Rückſtand,* apud ruſticos noſtros. *G.*

quarum defectione etc.) Rom. *quarum defectione rubus, reliqua incommoda creverunt.* Hic Rom. peſſimis accedit. *H.*

7 *inſtruendi mancipes)* Exhauſtis veteribus colonis, vel iisdem ipſi, vel iis maiorem partem diſſipatis, aut migrare iuſſis adeo, alii novi mancipes *inſtruendi ſunt,* et ornandi inſtrumento et rebus aliis neceſſariis, ut *frugi* et utiles ſibi ac domino eſſe poſſint. De novis quidem mancipibus (qui a colonis nomine ſolo differunt, quod latius patet et omne genus redemtoria complectitur) hic agi, ſatis illud indicat, quod negat Plinius *ſe vinctos habere,* quibus colere agrum poſſit. *Sic, puto, ſatis commode interpretari licet vulgatam lectionem. Eſt et alia a Gronovio prolata ex libris, et probata Cortio, *inſtruendi eo pluris, quod frugi, mancipes,* quae ad ſententiam parum a nobis diſcedit. Ceterum erat, cum aliter caperemus hunc locum, et *pignora* intelligeremus natos colonorum, a ſaevis dominis ablatos colonis cunctatoribus, venditosque; quorſum utebamur aliquot legibus Codicis ex L. 11. tit. 47 — 52. e quibus apparet, fuiſſe tum colonos ſervilis conditionis, eos certe, qui adſcripticii vocantur; et loco ex Evan-

nec ipse usquam vinctos habeo, nec ibi quisquam.
Supereſt, ut ſcias, quanti videantur poſſe emi;
ſeſtertio tricies: non quia non aliquando quinqua-
gies fuerint, verum et hac penuria colonorum et
communi temporis iniquitate, ut reditus agro-
8 rum, ſic etiam pretium retro abiit. Quaeris, an
hoc ipſum tricies facile colligere poſſimus? Sum
quidem prope totus in praediis, aliquid tamen
foenore; nec moleſtum erit mutuari. Accipiam

gelio Matth. 18, 24. ubi ad reliqua ſolvenda vendere iubetur ſive procurator eſt, ſive villicus, uxorem ac liberos; itemque illa Noodtiana ſententia de iure liberos vendendi ad Conſtantini usque M. aetatem durante. Sed in viam me reduxit Conſultiſſimus idemque humaniſſimus Gebauerus noſter, qui me docuit, colonos ſervilis conditionis et adſcripticios ad Conſtantini demum ſerius aevum pertinere, et a barbaris et Germanis videri in Romanum imperium invectos; ius autem illud vendendi liberos iam Plinii aetate ita fuiſſe reſtrictum, ut non niſi cum ad extrema ventum eſſet, uti illo liceret. Itaque manendum tandem putavi in ea quam ſupra propoſui, probataque Gabauero, interpretatione. *G.*

Rom. *Sunt ergo inſtruendi eo pluris, quod frugi mancipiis.* [Ald. etiam *mancipiis*]. Hoc eſt, priores ergo coloni, quod frugi ſunt, inſtruendi ſunt mancipiis, ſive ſervis *vinctis*, cum ipſorum paucitas labori non ſufficiat, idque *eo pluris*, id eſt, eo maiore impanſa, quod nec ipſe vinctos habeo, nec *ibi*, in illis praediis, aliqui ſunt. Hanc interpretationem cauſalis particula *nam* exigere videtur: quae ſi abeſſet, *pluris* eſſe *plures* dicerem. Itaque et Gronovius illud explicat, *eo maiore pecunia opus eſt ad eos inſtruendos*, qui vero *mancipes* maluit. *H.*

nec ibi quisquam. Supereſt) Poſt *quisquam* intellige, *vinctos habet.* Non eſt diſciplina illius viciniae, habere vinctos in agris, quorum conducere operas a dominis poſſis: ſed colonis utuntur ſ. mancipibus. * Debetur haec diſtinctio ingenio Gruteri. Vulgo legebatur, *nec ibi quisquam ſupereſt.* Nihil ſolemnius Secundo illa formula, *Supereſt ut*, v. g. 10, 50, 3. 10, 93, 3. etc. *G.*

Rom. *ſupereſt.* Lege cum Cortio: *Supereſt, ut ſcias.* *H.*

8 *foenore*) Cortius ex Mediceo et coniect. Lectii *foenero* legit. Si *foenore* ſervandum, ita interpungam: aliquid tamen foenore (nec moleſtum erit mutuari) accipiam a ſocru. *G.*

Rom. *aliquid tamen foenore,* ut vulgo: ſed verior lectio eſt *foenero* vel *fenero.* *H.*

Idem placebat Erneſtio, qui, expuncta Gesneri nota, hanc erat appoſiturus: „*foenero*) Ita Cor„tius ex Medic. et coniectura Le„ctii, pro *foenore*, quod male „coibat cum caeteris; nec ego „dubitavi cum Bipont. et Gieri„gio illud reponere. Senſus eſt: „omnes meas facultates colloca„vi quidem in praediis, aliquam „tamen pecuniam in foenore col„locatam habeo. Gesnerus, ſi „*foenore* ſervandum ſit, ita inter„pungendum cenſebat: aliquid „tamen foenore, (nec moleſtum „erit mutuari) accipiam a ſocru „etc." *S.*

a ſocru; cuius arca non ſecus ac mea utor.
Proinde hoc te non moveat, ſi cetera non refra- 9
gantur, quae velim quam diligentiſſime examines.
Nam quum in omnibus rebus, tum in disponen-
dis facultatibus plurimum tibi et uſus et provi-
dentiae ſupereſt. Vale.

XX.

In comitiis modum per tabellas ſuffragandi reſtitutum narrat, ex quo incommoda futura auguratur.

C. PLINIVS MAXIMO SVO S.

Meminiſtine, te ſaepe legiſſe, quantas conten-
tiones excitarit lex tabellaria, quantumque ipſi
latori vel gloriae vel reprehenſionis adtulerit?
At nunc in ſenatu ſine ulla diſſenſione hoc qui- 2
dem, ut optimum, placuit. Omnes comitiorum
die tabellas poſtulaverunt. Exceſſeramus ſane ma- 3
nifeſtis illis apertisque ſuffragiis licentiam concio-
num. Non tempus loquendi, non tacendi mode-
ſtia, non denique ſedendi dignitas cuſtodiebatur.
Magni undique diſſonique clamores: procurrebant 4

XX inſcr. Rom. *Meſio Max.* *H.*

1 *lex tabellaria*) De ſuffragiis, inſidiae vitandae cauſſa, non voce, ſed tabella ferendis, de qua laudatus hic a viris doctis Cic. de LL. 3, 15. ſq. De ipſa ratione ſuffragia ferendi, fraudisque et nectendae et deprehendendae quaedam a nobis disputata ſunt ad Varr. de R. R. 3, 5, 18. p. 335. ſq. *G.*

2 *in ſenatu*) Ad quem *comitia e campo translata* iam Tiberii aetate, teſte Tacito Ann. 1, 15, 1. ubi Lipſius peculiari excurſu, quibus illud gradibus initio a Iulio Caeſare facto contigerit, declarat. *G.*

hoc quidem) Melius Cortius *hoc idem* ex libris ſuis aliorumque. Vid. eundem ad Ciceron. epiſt. 7, 17, 10. Sic et alibi librarii lapſi ſunt. Cf. Drakenb. ad Liv. 6, 20, 12. *S.*

3 *ſane*) Noſtrum *freylich*. *S.*

licentiam concionum) Cicero epiſt 2, 12. in. ad Coelium; *tumultuoſae conciones*. *S.*

4 *Magni - clamores*) Rom. *Magni denique et undique diſſoni clamores.* Lege *magni undique et diſſoni clamores.* Pro *undique* alii ſcripſerunt *denique*. *H.*

omnes cum suis candidatis: multa agmina in
medio; multique circuli et indecora confusio:
adeo desciveramus a consuetudine parentum,
apud quos omnia disposita, moderata, tranquilla,
5 maiestatem loci pudoremque retinebant. Super-
sunt senes, ex quibus audire soleo hunc ordinem
comitiorum. Citato nomine candidati, silentium
summum. Dicebat ipse pro se, vitam suam ex-
plicabat, testes et laudatores dabat, vel eum, sub
quo militaverat, vel eum, cui quaestor fuerat, vel
utrumque, si poterat: addebat quosdam ex suf-
fragatoribus: illi graviter et paucis loquebantur.
6 Plus hoc, quam preces, proderat. Nonnunquam
candidatus aut natales competitoris, aut annos,
aut etiam mores arguebat. Audiebat senatus
gravitate censoria. Ita saepius digni, quam gra-
7 tiosi, praevalebant. Quae nunc immodico favore
corrupta, ad tacita suffragia, quasi ad remedium,
decurrerunt. Quod interim plane remedium fuit:
8 erat enim novum et subitum. Sed vereor, ne
procedente tempore ex ipso remedio vitia nascan-
tur. Est enim periculum, ne tacitis suffragiis
impudentia irrepat. Nam quotocuique eadem ho-
nestatis cura secreto, quae palam? Multi famam,
9 conscientiam pauci verentur. Sed nimis cito de
futuris: interim beneficio tabellarum habebimus

5 *et laudatores dabat* etc.) Rom. *et laudatores dabat, vel eum sub quo legatus, vel eum, cui quaestor fuerat.* Lectio optimorum librorum. *H.*

Gierigius negat latinitatis rationem pati *sub quo legatus*; quo iure, ipse viderit. Mox tres codices: *sub quo quaestor fuerat.* quod et ipsum bonum. *S.*

7 *Quae nunc — decurrerunt*) Ciceroniana figura adiuncta ponuntur pro subiectis. Sententia enim haec est, *quae cum corrupta sunt,* [*decurrerunt homines;* vel, *quibus corruptis decursum est.* Ipsi profecto homines corrupti, animadversa levitate sua, cui aliter obsisti non posset, decurrerunt ad illud remedium. *G.*

Rom. *quasi ad remedium decucurrerunt.* *H.*

Miror, Cortium hanc formam, quam in libris suis reperisset, vulgatae non praetulisse. Sed omnino in talibus parum constans fuit. Vide eum pag. 57. 98. 188. 202. 407. Cf. Drakenb. ad Liv. 1, 12, 8, 1, 15, 1. *S.*

magiſtratus, qui maxime fieri debuerunt. Nam ut in recuperatoriis iudiciis, ſic nos in his comitiis, quaſi repente apprehenſi, ſinceri iudices fuimus. Haec tibi ſcripſi, primum ut aliquid novi 10
ſcriberem, deinde ut nonnunquam de republica loquerer, cuius materiae nobis quanto rarior, quam veteribus, occaſio, tanto minus omittenda eſt. Et hercule quousque illa vulgaria? *Eho,* 11
quid agis? Ecquid commode vales? Habeant noſtrae quoque literae aliquid non humile, nec ſordidum, nec privatis rebus incluſum. Sunt 12
quidem cuncta ſub unius arbitrio, qui pro utilitate communi ſolus omnium curas laboresque ſuscepit: quidam tamen ſalubri quodam temperamento ad nos quoque velut rivi ex illo benigniſſimo fonte decurrunt, quos et haurire ipſi, et abſentibus amicis quaſi miniſtrare epiſtolis poſſumus. Vale.

XXI.

Mortem Martialis nuntiat, eiusque ingenium, ab ipſo laudatus, laudat.

C. PLINIVS PRISCO SVO S.

Audio Valerium Martialem deceſſiſſe, et moleſte

9 *Nam ut in* etc.) Rom. *Nam ut reciperatoriis iudiciis, ſic nos his comitiis quaſi repente.* Deeſt *in.* *H.*

recuperatoriis iudiciis) Recuperatores ex omni conventu civium ſubito datos eſſe, ex Cic. Verr. 3, 59. ſq. et Liv. 26, 48. hic oſtendit Cortius. Ceterum *repente apprehenſi* eo *ſunt ſinceri iudices*, quod tempus non habent corruptorem audiendi, vel ſtruendi fraudem. *G.*

11 *Et hercule quousque* etc.) Rom. *Et mehercule quousque illa vulgaria? quid agis? et quid? commode vales? H.*

Ecquid) num. Vid. Drakenb. ad Liv. 27, 10, 2. Horat. Turſ. de Partic. cap. LXVI. 5. Saepe confunditur cum *et quid.* Vid. Oudend. ad Lucan. 3, 38. Drakenb. ad Liv. 5, 36, 5. *S.*

12 *ſalubri quodam temperamento*) Cortius *quodam* omiſit bonorum librorum auctoritate. Laudo. Auribus quidem vulgata, *quidam — quodam*, parum placet. *S.*

fero. Erat homo ingeniosus, acutus, acer, et qui plurimum in scribendo et salis haberet et fellis, nec
2 candoris minus. Prosequutus eram viatico secedentem. Dederam hoc amicitiae, dederam etiam versi-
3 culis, quos de me composuit. Fuit moris antiqui, eos, qui vel singulorum laudes, vel urbium scripserant, aut honoribus aut pecunia ornare: nostris vero temporibus, ut alia speciosa et egregia, ita hoc in primis exolevit. Nam postquam desiimus facere laudanda, laudari quoque ineptum putamus.
4 Quaeris, qui sint versiculi, quibus gratiam retulerim? Remitterem te ad ipsum volumen, nisi quosdam tenerem: tu, si placuerint hi, ceteros in
5 libro requires. Adloquitur Musam, mandat, ut domum meam Esquiliis quaerat, adeat reverenter:

Sed, ne tempore non tuo disertam
Pulses ebria ianuam, videto.

XXI, 2 *secedentem*) In patriam suam Bilbilim. Vid. de tempore huius secessus, mortisque adeo poëtae, Massonus in vita Plinii nostri ad A. Chr. C. §. 12. Agit de hoc secessu suo ipse poëta in praefatione libri 12. *G.*

dederam etiam versiculis) Rom. *dederam versiculis*, sine *etiam*. *H.*

3 *Fuit moris antiqui*) Rom. *Fuit moris antiquis.* Sic lib. II. ep. XIX, 8. *ut illis moris erat.* *H.*

Add. 7, 27, 14. *reis moris est submittere capillum.* 8, 19. 2. *Est autem mihi moris.* *Antiquis.* Antea 20, 10. *veteribus.* Conf. Horat. Serm. 1, 4, 117. *traditum ab antiquis morem servare.* *S.*

moris antiqui) Exempla poëtarum et historicorum, honoribus aut pecunia ornatorum, interpretes multa retulerunt. Sic Ennius (Gierigii verba sunt ad h. l.) quia res Romanorum, atque etiam Scipionis celebraverat, ab hoc varie ornatus, ab illis in civitatem receptus est. Pompeius Theophanem Mitylenaeum, scriptorem rerum suarum, in concione militum civitate donavit. Et Cicero Arch. cap. 9 — 11. docet Archiam vel ideo civitate dignissimum esse, quod omne ingenium contulerit ad populi Romani gloriam celebrandam. *E.*

speciosa et egregia) Sic *magnus* et *speciosus* iungit Vellei. 2, 76, 2. *aeternus* et *spec.* Valer. Max. 2, 7, 15. Vid. Schwarz. ad Plin. Paneg. p. 40. *S.*

Nam postquam desiimus facere) Rom. *Nam postquam desinimus facere.* *H.*

4 *quibus gratiam retulerim*) Rom. *quibus gratiam rettuli.* *H.*

5 *Esquiliis*) Sine praepositione et secundā litera *S* ex libris optimis posuit Cortius. Ceterum totum carmen Martialis exstat Epigr. 10, 19. *G.*

Ita et Rom. sine praepositione, de qua Drakenb. ad Liv. lib. II. cap. 28. pr. *H.*

tempore non tuo) alieno. Mox: *Haec hora est tua.* Liv. 42, 43. 3. *suo maxime tempore atque alieno hostibus incipere bellum.* *S.*

Pulses ebria ianuam) Rom.

Totos dat tetricae dies Minervae,
Dum centum ſtudet auribus virorum,
Hoc quod ſecula poſterique poſſint
Arpinis quoque comparare chartis.
Seras tutior ibis ad lucernas.
Haec hora eſt tua, quum furit Lyaeus,
Quum regnat roſa, quum madent capilli.
Tunc me vel rigidi legant Catones.

Meritone eum, qui haec de me ſcripſit, et tunc 6
dimiſi amiciſſime, et nunc, ut amiciſſimum, defunctum eſſe doleo? Dedit enim mihi, quantum maxime potuit, daturus amplius, ſi potuiſſet. Tametſi quid homini poteſt dari maius, quam gloria, et laus, et aeternitas? At non erunt aeter- 7
na, quae ſcripſit. Non erunt fortaſſe: ille tamen ſcripſit tanquam eſſent futura. Vale.

Pultes ebria ianuam. Bene et poëtarum more, qui hoc verbum frequentarunt. *H.*

Apud comicos frequentiſſimum *pultare aedes, fores, oſtium.* Plautina loca collegit Pareus in Lex. Crit. p. 1016. b. *S.*

Arpinis — chartis) Ciceronis Arpinatis aemulum ſe nusquam negat Plinius. *G.*

Haec hora eſt tua etc.) Rom. *Haec hora eſt tua, dum furit Lyeus, Dum regnat roſa, dum madent capilli.* *H.*

Catones) non Cenſorius et Uticenſis, ſed omnino viri ſeveri et graves, quales qui *totos dant tetricae dies Minervae.* *S.*

6 *Meritone*) Vid. ſupra ad ep. 16, 13. *S.*

quantum maxime potuit) Rom. *quantum maximum potuit.* Sic et Ald. Hoc Plinianum eſt, non *maxime.* Lib. II. ep. XIII. 10. *Nam licet tribuas ei, quantum ampliſſimum potes.* Seneca ad Marciam c. XX. p. 182. Lipſ. *Comprehende, quantum plurimum procedere homini licet: quantulum eſt?* Curt. lib. IIII. c. VIII. 10. *Quanta maxima celeritate potuit, contendit.* *H.*

LIBER QVARTVS

I.

Prosocero adventum suum significat, eodem itinere Tiferni templum dedicaturus.

C. PLINIVS FABATO PROSOCERO SVO S.

Cupis post longum tempus neptem tuam meque una videre. Gratum est utrique nostrum, quod
2 cupis; mutuo me hercule. Nam invicem nos incredibili quodam desiderio vestri tenemur, quod non ultra differemus. Atque adeo iam sarcinulas adligamus, festinaturi, quantum itineris ratio per-
3 miserit. Erit una, sed brevis, mora: deflectemus in Tuscos, non ut agros remque familiarem oculis subiiciamus, (id enim postponi potest) sed ut fun-
4 gamur necessario officio. Oppidum est praediis nostris vicinum; nomen Tifernum Tiberinum; quod me paene adhuc puerum patronum coopta-

I, 1 *neptem tuam*) Calpurniam filii Fabati huius filiam, quam post obitum prioris uxoria duxerat. *G.*

2 *Atque adeo iam*) Cortius *atque iam adeo*, ordine verborum improbo. De *atque adeo* vid. Drakenb. ad Liv. 10, 5, 14. *S.*

adligamus) Pro simplici *ligamus*, minus tamen eleganter, si fides Plutarcho Moral. T. II. p. 145. ed. Wyttenb. τὸ δὲ δεσμεύειν ΑΛΛΙΓΑΡΕ λέγουσιν οἱ πολλοὶ Ῥωμαίων· οἱ δὲ καθαρεύοντες ἐν τῷ διαλέγεσθαι, ΛΙΓΑΡΕ. Sed fallitur. Vid. I. Fr. Gronov. ad Liv. 7, 24, 4. it. Drakenb. ad h. l. et ad 5, 27, 9. Schneider. ad Columell. p. 569. Ceterum *adligavimus*, quod alii libri habent, paene praeferam. *S.*

4 *nomen Tifernum Tiberinum etc*) Rom. *nomen Tiferni Tiberini: quod me paene adhuc puerum patronum cooptavit tanto maiore studio, quanto minore iudicio.* Ita contexuit, quae vulgo disiunguntur. Recte factum puto. Nam *iudicio* utimur magis in cooptando patrono, quam in adventibus eius celebrandis. Quid minoris iudicii vero esse

vit: tanto maiore ſtudio, quanto minore iudicio.
Adventus meos celebrat, profectionibus angitur,
honoribus gaudet. In hoc ego, ut referrem gra- 5
tiam, (nam vinci in amore turpiſſimum eſt) tem-
plum pecunia mea exſtruxi: cuius dedicationem,
quum ſit paratum, differre longius, irreligioſum
eſt. Erimus ergo ibi dedicationis die, quem 6
epulo celebrare conſtitui. Subſiſtemus fortaſſe et
ſequenti: ſed tanto magis viam ipſam corripiemus.
Contingat modo te filiamque tuam fortes invenire! 7
Nam hilares certum eſt, ſi nos incolumes recepe-
ritis. Vale.

II.

M. Regulum, morte filii dolorem ſimulantem, notabiliter perſtringit.

C. PLINIVS CLEMENTI SVO S.

Regulus filium amiſit: hoc uno malo indignus,

potuerat, quam quod puerum patronum ſibi eſſe voluerat? *H.*

Scilicet vulgo, etiam, quod mireris, in Cortiana, adeoque, quod paene indigneris, cum Geſnerus verum praeiverit, in Gierigiana, poſt *iudicio* non interpungitur. Quae negligentia, ut vibia varam ſequitur, Gierigium ſic transverſum egit, ut Secundum haec minore iudicio quam ſtudio ſcripſiſſe dicat. *S.*

minore iudicio) quia puer eram. *G.*

angitur) triſtes ſunt, cum ab iis diſcedo. *Gaudent honoribus*, quibus me alliciant, et colant. *E.*

Honores malim de iis intelligere, qui Plinio publice dabantur. *S.*

6 *epulo celebrare*) In dedicatione omni epulas fuiſſe adhibitas ex Dione 57. p. 610. Grut. Inſcr. p. 414. 2. Savaro. ad Sidon. 4, 15. pr. oſtendit Cortius. Et qui aliter? *cum dedicatio* ſine ſacrificio non fieret, nec ſine epulis ſacrificium, quemadmodum nec epulae ſolemniores ſine deorum honore: ipſa Ebraeorum ſacrificia epulis bonam partem comitata etc. *G.*

viam ipſam corripiemus) Nimis *ποιητικῶς* pro charactere epiſtolico. Virgil. Aen. I, 418. *Corripuere viam interea.* *S.*

7 *fortes*) bene valentes. Ita ſaepe in his epiſtolis Plinius *fortes* dicit, qui ſunt bonae valetudinis. *E.*

Vid. Indicem. *S.*

Nam hilares certum eſt) Optima lectio, quam miror Cortio diſplicuiſſe. Simili ellipſi Plinius 1, 2, 1. *Nam vim tantam verborum qui poſſunt?* ut ibi ſcribendum. *S.*

II, 1 *indignus*) qui non me-

quod nefcio an malum putet. Erat puer acris ingenii, fed ambigui: qui tamen poffet recta fe-
2 ctari, fi patrem non referret. Hunc Regulus emancipavit, ut heres matris exfifteret. Mancipatum (ita vulgo ex moribus hominis loquebantur) foeda et infolita parentibus indulgentiae fimulatione captabat. Incredibile eft; fed Regulum
3 cogita. Amiffum tamen luget infane. Habebat puer mannulos multos, et vinctos et folutos: habebat canes maiores minoresque: habebat lufcinias, pfittacos, merulas: omnes Regulus circa
4 rogum trucidavit. Nec dolor erat ille, fed oftentatio doloris. Conveuitur ad eum mira celebritate. Cuncti deteftantur, oderunt, et quafi pro-

ruit, adeoque commiferatione dignus. *E.*

Melius, ni fallor, Catanaeus: „Senlus eft, merebatur Regulus „mortem filii, fi eam malum pu„taret. Sed cum timendum obi„tum eius optaffet, ut haeres filii „exifteret, ideo indignum cenfeo „hoc malo, quia malum non „credit, fed utile." Profecto tota epiftola tam plena eft ftomachi, tamque acerbe perftringit nebulonem illum, ut initium eius a commiferatione fumtum effe vix credam. *S.*

2 *emancipavit*) Filius in patris poteftate ac manu dum eft, nihil fibi acquirit, omnia patri. Reguli filium mater mores mariti exofa heredem non vult fcribere, fi in patris poteftate effet; vel quod ne corrumpatur metuit, vel ne infidias filio pater ftruat. Emancipat igitur et poteftate fua folvit eum pater. Simillimam huic fpeciem habes 8, 18, 4. *G.*

exfifteret) Non fimpliciter *effet* fignificat, ut faex Scholafticorum poftea ufurpavit: fed *evaderet*, *prodiret*, *fieret*. *G.*

Mancipatum) Debebat dicere, fi recta via rem enarrare voluiffet, *emancipatum*. Sed iocum una refert hominum, qui non tam folutum patria poteftate Reguli filium ifta emancipatione dicere vellent, quam nova indulgentia, muneribus, corruptelis, *mancipatum* patri, et nexu novo devinctum. Regulus igitur, ut eft tota vita fimulator et fallax, et e contrariis vitiis compofitus, dum *emancipat* filium imaginaria venditione, re ipfa emit et *mancipat*. *G.*

Rom. *Emancipatum (ita vulgo ex moribus homines loquebantur).* *H.*

Neque *homines* ferendum, nec *emancipatum*. *Mancipatum* iocus hominum mores Reguli notantium poftulat. Ceterum *mancipare* et *emancipare*, cum alterum pro altero multis locis poni poffit, mirandum non eft faepe in libris confufa effe. vid. Gesneri Thef. L. L. et Clav. Ciceron. *S.*

3 *et vinctos et folutos*) *et iunctos et folutos* Rom. et Ald. bene. *H.*

Vid. ad 2, 17, 2. *S.*

omnes — — trucidavit) Vid. Kirchmann. de Funer. Romanor. L. 3. c. 4. ubi et hoc Plinii loco utitur. *S.*

bent, quasi diligant, cursant, frequentant: utque
breviter, quod sentio, enuntiem, in Regulo de-
merendo Regulum imitantur. Tenet se trans Ti- 5
berim in hortis, in quibus latissimum solum por-
ticibus immensis, ripam statuis suis occupavit, ut
est in summa avaritia sumtuosus, in summa infa-
mia gloriosus. Vexat ergo civitatem insaluberri- 6
mo tempore: et quod vexat, solatium putat.
Dicit se velle ducere uxorem: hoc quoque, sicut
alia, perverse. Audies brevi nuptias lugentis, 7
nuptias senis: quorum alterum, immaturum; al-
terum, serum est. Unde hoc augurer, quaeris? 8
Non quia adfirmat ipse (quo mendacius nihil est),
sed quia certum est, Regulum esse facturum,
quidquid fieri non oportet. Vale.

III.

Laus Antonini non tam ex honoribus, quos amplissimos gesserat, quam ex ingenio et stilo Graeco.

C. PLINIVS ANTONINO SVO S.

Quod semel atque iterum consul fuisti, similis antiquis, quod proconsul Asiae, qualis ante te,

6 *Vexat — civitatem*) Dum secessu suo imponit necessitatem salutatoribus, et adloquendi consolandique caussa ad eum venientibus, per aestum et vapores Romanos iter illud suscipere. *G.*

7 *Audies brevi nuptias* etc.) Rom. *Audies brevi nuptias lugentis senis: quorum alterum.* *H.*

Male. Iteranda vox *nuptias.* *S*

immaturum) nondum maturum, nimis praecipitatum, ut qui in ipso luctu, quem gravissimum simulat, nuptias et voluptatem cogitet. *G.*

III *Antonino*) *Dissensus inter Codd. facit, ut dubium sit, *Antonino*ne legendum sit, an *Hadriano.* Laudati iam sunt a viris doctis Casaubon. in Capitolini Anton. Pium c. 1. Reines. V. L. p. 277. Paullus Cigalinus de Plinii patria p. 1622. *G.*

Intelligitur autem M. Arrius Antoninus, avus maternus Antonini Pii, cui etiam Lib. 4. ep. 18. et 5, 10. Plinius scripsit. *E.*

Rom. *Antonino.* Itaque non est, cur in omnibus vetustis exemplaribus *Hadriano* legi dicatur. *H.*

qualis post te vix unus aut alter, (non sinit enim me verecundia tua dicere, nemo) quod sanctitate, quod auctoritate, aetate quoque princeps civitatis; est quidem venerabile et pulchrum; ego tamen te vel
2 magis in remissionibus miror. Nam severitatem istam pari iucunditate condire, summaeque gravitati tantum comitatis adiungere, non minus difficile, quam magnum est. Id tu cum incredibili quadam suavitate sermonum, tum vel praecipue
3 stilo adsequeris. Nam et loquenti tibi illa Homerici senis mella profluere, et quae scribis, complere apes floribus, et nectare videntur. Ita certe sum adfectus ipse, quum Graeca epigram-
4 mata tua, quum iambos proxime legerem. Quantum ibi humanitatis, venustatis! quam dulcia illa!

1 *ego tamen te* etc.) Rom. *ego tamen te vel magis in remissioribus miror.* Hoc in aliis etiam est, nec librariorum errore scriptum videtur pro *in remissionibus.* Dixerat, alios Antonini virtutem in administranda republica praestitam admirari: sibi eum magnum videri adfirmat in iis etiam rebus, quae sint *remissiores*, in quibus minus se intendere soleant alii, quae remisso ac soluto animo fiant, in quibus paullo plus quisque sibi indulgeat. Vox ipsa et Plinio et Suetonio, et aliis usitata; nec significatio rei, ad quam accommodatur, repugnat. *H.*

3 *Homerici senis*) Nestoris, de quo Il. α. 249. Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή. *G.*

et nectare) *Al. *nectere* vel *innectere*, verba floribus et sertis illa quidem commoda et coniuncta, sed non nimis apta sorte apibus. Et male sane hanc caussam egit, qui Ovidianum *innectere tempora sertis* huc advocavit. Maius praesidium illa habet Virg. Georg. 4, 250. *Complebuntque foros, et floribus horrea texent.* Unde Ambrosius *Intexta floribus horrea* illis tribuit. Cum tamen poeticum illud sit, et *nectare* sit ipsum quoque in bonis libris, hoc praetuli. *G.*

Et, quae scribis, complere apes floribus et innectere videntur, cum Cortianis quibusdam Rom. Hoc etsi poetis familiarius est, hic tamen tolerari potest, ubi de industria poëtarum sermonem imitatur, ut saepe alibi et maxime lib. VIIII. ep. 26. *Complere floribus* suavitatem significat, quae ab ingenio est; *innectere* artem, quae ingenium commendat. *H.*

4 *humanitatis*) leporis, urbanitatis, quae sale et facetiis etiam ostenditur. Illa saepe iunguntur, ut ap. Cic. de Orat. 3, 8. et 2, 67. cf. Lib. 1, 7. Hinc et *humanitatis sal* Ep. ad Att. 1, 13. Copiosius hunc omnem de humanitate locum tractavimus in Lex. technol. Rhet. lat. s. v. *humanitas.* *E.*

quam dulcia illa!) *quam amantia* hic inferunt libri plerique, quod expunxit merito Cortius. *G.*

quam antiqua! quam arguta! quam recta! Callimachum me, vel Herodem, vel si quid his melius, tenere credebam: quorum tamen neuter utrumque aut absolvit aut attigit. Hominemne

quam antiqua!) Desunt in Rom. *H.*

Callimachum me, vel Herodem) Rom. *Callimachum vel Herodem*, sine *me*. *H.*

Herodem) * Vix patiuntur temporum rationes, ut Herodes ille nobilis sub Hadriano et Antoninis Sophista intelligatur, de cuius reliquiis Cl. Salmasius; de vita autem et temporum rationibus Olearius ad Philostratos immortaliter meriti sunt. Igitur vel alterius maioris Herodis memoriam intercidisse oportet, vel hic locus corruptela non vacat. *Philetan* suspicabatur Barthius, Callimacho alias etiam iungi solitum, *Eratosthenem* Cortius. Mihi N. L. G.

Non Herodem Atticum, Sophistam, sed Herodem Iambographum h. l. intelligi, primus demonstravit Ruhnkenius in Histor. Crit. Orat. Rutilio Lupo praemissae pag. XCIX. quem locum, cum sit commentarii instar, ipsis Ruhnkenii verbis huc transscribo: „Interpretes multa ad huuc Plinii locum moliuntur, satisque ostendunt, se de Herode Iambographo ne fando quidem quicquam audivisse. Ex eius Choliambis fragmenta supersunt apud Zenobium VI. 10. Stobaeum S. LXXI. p. 439. LXXVI. p. 453. XCVI. p. 530. CXVIII. p. 591. et Maximum T. II. p. 636. Nomen eius abiit in notius Herodoti apud Etymolog. M. p. 411. 41. Ζήτριον διὰ τοῦ ῑ συνεσταλμένον. καὶ παρὰ Ἡροδότῳ· Ἄγ' αὐτὸν εἰς τὸ ζήτριον. ἔστι δὲ χωλιαμβικὸν τὸ μέτρον. In mendoso Ἡροδότῳ haerebat Cl. Wesselingius Diss. Herodot. p. 29. Idem Etymologi locus induxisse videtur Scaligerum ad Varron. de L. L. VI. p. 149. ut Iamborum scriptorem *Herodotum* vocaret. Athenaeus III. p. 86. B. laudat Ἡρώνδαν ἐν Συνεργαζομέναις, ubi Is. Casaubonus negat se alibi Herondam Comicum invenire. Verum non Comicus laudatur, sed, ut ex subiecto Choliambo apparet, Iamborum scriptor, Herodes, qui patronymica et Doribus propria forma Ἡρώνδας dicitur; quod bene vidit Salmasius Exerc. Plin. p. 111. Illam nominum formam illustrarunt Hemsterhusius ad Callimach. Fragm. p. 590. et Valckenarius ad Schol. in Euripid. Phoeniss. p. 764. Denique Herodem Iambographum cum Herode Attico gravissimo errore confundunt Interpretes Plinii, et Fabricius Bibl. Gr. Vol. VIII. p. 710." Haec Ruhnkenius. Caeterum huius Herodis fragmenta collegit Fiorillo ad calcem Herodis Attici p. 171. *E.*

neuter utrumque) Nec Callimachus nec Herodes in utroque genere poëseos, epigrammatico et iambico, perfectus fuit, hoc est, quod dicit, *neuter utrumque absolvit.* Deinde *neuter utrumque attigit*, hoc sensu addidit, quod Callimachus sola epigrammata, et non iambos, Herodes autem, missis epigrammatibus, iambos tantum scripsit. Inde igitur laudat Antoninum, qui utrumque optime scripserit. *E.*

Fallitur Ernestius. Callimachum etiam in genere iambico operam posuisse, novimus. *Absolvit* refer ad Callimachum, *attigit* ad Herodem. Ceterum Cortius *utrumque* perperam explicat, ad illa, *Quantum ibi humanitatis — — quam recta!* pertinere censens, in iisque nescio quam oppositionem reperire sibi visus. *S.*

Romanum tam Graece loqui? Non, medius fidius, ipſas Athenas tam Atticas dixerim. Quid multa? Invideo Graecis, quod illorum lingua ſcribere maluiſti. Neque enim coniectura eget, quid ſermone patrio exprimere poſſis, quum hoc inſiticio et inducto tam praeclara opera perfeceris. Vale.

IV.

Tribunatum ſemeſtrem Calviſio Nepoti petit.

C. PLINIVS SOSSIO SVO S.

Calviſium Nepotem validiſſime diligo, virum indu-

5 *quum hoc inſiticio et inducto)* Rom. *cum in hoc inſiticio et inducto*. Sic multi codices alii. *H.*

Praepoſitio nata videtur ex praegreſſa *m.* *S.*

inſiticio) Verbum paullo rarius, ſed eleganter ſignificans. *Inſiticia* proprie ſunt, quae in aliam ſtirpem inſeruntur, et loco non natali aluntur. Deinde tranſtulerunt ad alia, quae loco non nativo poſita intelligi volunt. Ita *inſiticius ſomnus* Varronis eſt, R. R. 1, 2, 5. qui medio die, vigilandique adeo tempore capitur: apud eundem 2, 8, 1. *inſiticii et bigeneri muli*, in aliud genus inſiti. Plane idem ſibi vult *inſitivus*, quod oſtendunt non *inſitiva* modo Horatii Ep. 2, 19. *pira:* ſed *inſitivus* ille *Gracchus* Ciceronis pro Sextio c. 47. i. e. in illud genus eamque familiam fraude inſertus. Sic *inſitivi liberi* Phaedr. 3, 3, 10. per adulterium in alienam familiam illati. *Inſiticius* igitur *ſermo* eſt Graecus hominis non Graeci, non primum enatus quaſi in Antonino, ſed arte paratus et illi velut inſitus. Cf. infra 4, 18. *G.*

IV, 1 *Calviſium Nepotem)* Rom. *Variſidium Nepotem*, cum Medic. quod fortaſſe verum. Deinde *valdiſſime* pro *validiſſime*. *H.*

induſtrium — rectum) Miror haec a noviſſimo editore, Gierigio, ſollicitata. In *diſertum* offendit, quod in Tribuno militari eloquentia non magnopere deſiderata fuerit. Hoc autem *rectum* ultimo loco poſitum ideo improbat, quod frigide illa addantur, *quod apud me vel potiſſimum eſt;* ita enim, inquit, omnes ſani homines iudicant. Me neutra ratio movet. Primum quis in *diſerto* ſtatim eloquentiam Demoſthenicam vel Ciceronianam cogitet? Eſt aliqua facundia, quae unumquemque et decet et iuvat in vita negotioſa. Deinde Plinius virtutes laudat non Tribuni, ſed hominis, quae tamen etiam Tribunum commendare poſſunt. Denique non video, cur frigide a Plinio addita ſint ea, quae fateri honeſtiſſimum eſt. Ergone nunquam virtutem laudabimus, nunquam dicemus, integritatem animi nobis ceteris bonis externis potiorem eſſe, quia omnes ſani ita iudicent? *E.*

ſtrium, diſertum, rectum, quod apud me vel po-
tiſſimum eſt. Idem C. Calviſium, contubernalem
meum, amicum tuum, arcta propinquitate com-
plectitur. Eſt enim filius ſororis. Hunc ergo 2
rogo ſemeſtri tribunatu ſplendidiorem et ſibi et
avunculo ſuo facias. Obligabis me, obligabis 3
Calviſium noſtrum, obligabis ipſum, non minus
idoneum debitorem, quam nos putas. Multa be- 4
neficia in multos contuliſti: auſim contendere,
nullum te melius, aeque bene vix unum aut alte-
rum collocaſſe. Vale.

V.

Studium auditorii, quum recitaret orationem, comparat cum Aeſchinis auditoribus Rhodiis.

C. PLINIVS SPARSO SVO S.

Aeſchinem, aiunt, petentibus Rhodiis legiſſe ora-
tionem ſuam, deinde Demoſthenis, ſummis utram-
que clamoribus. Quod tantorum virorum conti- 2

Rectum, i. e. bonum et honeſtum. Vid. Schwarz. ad Plin. Panegyr. p. 183. *S.*

2 *Hunc ergo rogo*) Rom. *Hunc, rogo*, omiſſo *ergo*. *H.* Sic et Cortiana. Bene. *S.*

ſemeſtri tribunatu) Oſtendit, hoc ipſo in primis loco uſus, Lipſius de Mil. Rom 2, 9. propter multitudinem petentium *ſemeſtres tribunatus* datos, et hinc explicat obſcurum ante locum Iuvenalis 7, 89. de Paride Domitiani hiſtrione,

> *Ille et militiae multis largitur honorem,*
> *Semeſtri vatum digitos circumligat auro.*

Semeſtre enim *aurum*, annulus tribunorum ſemeſtrium. Vid. Maſſon. 20, 4. *G.*

3 *idoneum*) Proprie de debitore, qui ſolvendo eſt. Gloſſarium H. Stephani: Idoneum, Ἀξιόχρεων, Ἱκανόν. Item: Ἀξιόχρεως, Idoneus. *S.*

4 *aeque bene vix unum*) Rom. *aeque bene unum*, ſine *vix*. *H.*

V, 1 *Aeſchinem*) Vid. ea de re ſupra ad 2, 3, 10. *G.*

ſummis — clamoribus) laudantium puta et plaudentium auditorum. Sic ſaepius noſter, de quo vid. Ind. Sed etiam Cic. de Orat. 1, 33. *haec ſunt, quae clamores et admirationes in bonis oratoribus efficiunt.* Hinc illud ad Q. Fratr. 3, 1, 3. *Clamores efficiam*, h. e. mirificum quid praeſtabo. *G.*

Ita et Rom. ſine verbis illis, quae explicandi cauſa aliquis, non ipſe Plinius, adſcripſit, *eſſe pro-*

gisse scriptis non miror, quum orationem meam
proxime doctissimi homines hoc studio, hoc ad-
sensu, hoc etiam labore per biduum audierint:
quamvis hanc intentionem eorum nulla hinc et
inde collatio, nullum quasi certamen accenderet.
3 Nam Rhodii quum ipsis orationum virtutibus,
tum etiam comparationis aculeis excitabantur:
nostra oratio sine aemulationis gratia probaba-
tur. An merito, scies, quum legeris librum;
cuius amplitudo non sinit me longiore epistola
4 praeloqui. Oportet enim nos in hac certe,
in qua possumus, breves esse: quo sit excusatius,
quod librum ipsum, non tamen ultra caussae am-
plitudinem, extendimus. Vale.

VI.

Laurentinum, propter studiorum secretum, reliquis praediis praefert.

C. PLINIVS NASONI SVO S.

Tusci grandine excussi; in regione Transpadana summa abundantia, sed par vilitas nuntiatur: so-

batam. Auditorum enim clamores sive plausus intelliguntur. *H.*

2 *labore)* Ita intentionem audiendi dicit, non quidem simpliciter, sed quod illa intentio *per biduum* continuata molestior erat, et ad laboris similitudinem accedebat. *E.*

Verissime hoc. Secus habet id, quod vir doctissimus, vi huius vocis nondum satis perspecta, adscripserat: „*Labore* non pla„cet. Quidni *clamore?*" *S.*

quamvis hanc intentionem eorum) Rom. *quamvis intentionem eorum*, non ut vulgo *hanc intentionem*. *H.*

VI, 1 *grandine excussi)* Horat. Carm. 3, 1, 29: *verberatae grandine vineae*. Geoponic. 1, 14, 2. οὔτε ἡ ἄμπελος, οὔτε τὰ σπέρματα ὑπὸ χαλάζης ἀδικηθήσεται. Graeci uno verbo χαλαζοβολεῖσθαι. Clemens Alex. Strom. L. VI. p. 754. ed. Pott. χαλαζοβλήσειν μελλόντων νεφῶν. leg. χαλαζοβολήσειν. Asclepiad. in Anal. Brunck. T. I. p. 216. Νῖφε, χαλαζοβόλει etc. Plutarch. Mor. T. III. p. 10. ed. Wyttenb. νίφη χαλαζοβόλα. *S.*

par vilitas) Non minus summa, quam est abundantia. Haec enim fere coniuncta sunt. Cic. in Verr. 3, 98. *Annona pretium, nisi in calamitate fructuum, non habet. Si autem ubertas in percipiendis fructibus fuit,*

lum mihi Laurentinum meum in reditu. Nihil 2
quidem ibi possideo praeter tectum et hortum, statimque arenas: solum tamen mihi in reditu. Ibi enim plurimum scribo: nec agrum (quem non habeo) sed ipsum me studiis excolo; ac iam possum tibi, ut aliis in locis horreum plenum, sic ibi scrinium ostendere. Igitur tu quoque, si cer- 3
ta et fructuosa praedia concupiscis, aliquid in hoc littore para. Vale.

VII.

Reguli ingenium et industriam in laudando et ornando filio describit.

C. PLINIVS LEPIDO SVO S.

Saepe tibi dico, inesse vim Regulo. Mirum est, quam efficiat, in quod incubuit. Placuit ei lugere filium: luget, ut nemo. Placuit statuas ei et imagines quam plurimas facere: hoc omnibus officinis agit. Illum coloribus, illum cera, illum aere, illum argento, illum auro, ebore, marmore

consequitur vilitas in vendendo etc. *G.*

Rom. *summa abundantia, sed parum utilitatis.* Hinc apparet, apud Cicer. lib. III. offic. c. XII. 10. recte emendatum esse *tritici vilitas*, etsi ibi in omnibus prope libris est *utilitas.* *H.*

Similiter *copiam* cum *vilitate* coniungit Livius 45, 33, 3. *ea copia rerum, ea vilitas annonae.* ubi item al. *utilitas.* Sic *vilis* et *utilis* confunduntur. Vid. Drakenb. ad Liv. 35, 14, 4. Burmann. ad Vellei. p. 910. ed. Ruhnk. *S.*

2 *statimque arenas)* Est enim maritima villa ipsi littori imposita. Vid. 2, 17. *G.*

3 *certa)* Cum alias *fides* praediorum laudetur, vel accusetur *fallacia:* hic Plinius alludens eo nomine *certa* vocat, quod ingenii fetus subministrant, nullis tempestatum casibus expositos. *G.*

VII, 1 *vim)* quam mox ipse explicat, intentionem, quicquid velis, obtinendi, quae tamen in Regulo audaciae et obstinaciae [obstinationis *S.*] adiunctam notionem haberet. *E.*

Mirum — incubuit Sic et Rom. Postea: *Placuit statuas eius et imagines quam plurimas facere,* Sic optimus quisque, non *ei,* quod nec Ald. habet. *H.*

ebore, marmore effingit) Rom. *illum ebore, illum marmore effingit.* *H.*

2 effingit. Ipſe vero et nuper, adhibito ingenti auditorio, librum de vita eius recitavit: de vita pueri recitavit; tamen eundem librum, in exemplaria transſcriptum mille, per totam Italiam provinciasque dimiſit. Scripſit publice, ut a decurionibus eligeretur vocaliſſimus aliquis ex ipſis,
3 qui legeret eum populo: factum eſt. Hanc ille vim (ſeu quo alio nomine vocanda eſt intentio, quidquid velis, obtinendi) ſi ad potiora vertiſſet, quantum boni efficere potuiſſet? Quamquam minor vis bonis, quam malis, ineſt, ac ſicut ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει, ita recta ingenia debilitat verecundia, perverſa confirmat
4 audacia. Exemplo eſt Regulus. Imbecillum la-

Vera haec lectio. Epanaphora ſatis gravis, quam nolim cum I. A. Erneſtio (vid. Gesneri ad eum epiſtolam) pro vitioſa habere. *S.*

2 *Ipſe vero et nuper)* Damus hic lectionem a Cortio ex bonis libris probatam, qui etiam id genus repetitionis, quae δεινότητα quandam adfert orationis, tum noſtro, tum optimis quibusque ſcriptoribus familiare eſſe oſtendit. *G.*

Ipſe vero et nuper Rom. et Ald. Poſt haec Rom. *librum de vita pueri recitavit:* Ald. *de vita eius.* Cortius ex Medic. *Ipſe vero et nuper, adhibito ingenti auditorio, librum de vita eius recitavit: de vita pueri recitavit.* Sequitur in Rom. *tamen eundem librum vel in exemplaria mille transſcriptum.* Coniunctionem *vel* non aſpernor: numerus vero poeticus minus placet. Sunt et alia, quae in Cortiana lectione offendunt. *H.*

Plinius, opinor, mallet ſic interpunctum: *librum de vita eius recitavit: de vita pueri: recitavit tamen. Eundem librum* etc. Ita in lectione Cortiana, quae item Gesneriana eſt, nil erit amplius, quod offendat. *S.*

Scripſit publice) ad civitates. Neque enim ea tantum *publice* ſcribuntur vel fiunt, quae *populi nomine* fiunt; ſed ea quoque, quae *ad populum* referuntur. Sic Cic. fam. 5, 7. pr. et alias. *G.*

ut a decurionibus etc.) Rom. *ut a decurionibus deligeretur vocaliſſimus aliquis ex ipſis.* Vulgo *eligeretur:* quod in tam paucis, ex quibus legendus erat, locum non habet. *H.*

Heuſing. ad Cornel. Nep. Ageſil. 1, 3. pag. 188. „*Deligitur,* qui „ex pluribus, ſed idoneis; *eligi-* „*tur,* qui ex promiſcua multitu- „dine legitur." Perpetua horum verborum confuſio. Vid. Oudendorp. ad Frontin. 1, 1, 9. pag. 23. ſq. ed. alt. *S.*

3 *ἀμαθία μὲν θράσος)* Vox Periclis in ſermone epitaphio apud Thucyd. 2, 40. Vertit Aem. Portus, *Imperitia quidem audaciam: conſideratio vero difficultatum ac periculorum cunctationem et metum adfert.* Add. 5, 17, 3. 7, 17, 13. *G.*

tus, os confusum, haesitans lingua, tardissima inventio, memoria nulla: nihil denique praeter ingenium insanum: et tamen eo impudentia ipsoque illo furore pervenit, ut a plurimis orator habeatur. Itaque Herennius Senecio mirifice Ca- 5
tonis illud de oratore in hunc e contrario vertit: *Orator est vir malus, dicendi imperitus.* Non, mehercule, Cato ipse tam bene verum oratorem, quam hic Regulum expressit. Habesne, quo tali 6
epistolae parem gratiam referas? Habes, si rescripseris, num aliquis in municipio vestro ex sodalibus meis, num etiam ipse tu nunc luctuosum Reguli librum, ut circulator, in foro legeris, scilicet, ut ait Demosthenes, ἐπάρας τὴν φωνὴν, καὶ

4 *os confusum)* Non intelligo vultum haud compositum. Nam Regulus, ut vultum recte componeret, satis audax et impudens erat. Vitium potius vocis et pronuntiationis describitur, quod est eius, qui verba singula non recte explicat, syllabas obscurat, devorat etc. Contrarium est *os planum*, quod idem Plinius Epist. 6, 11. commemorat, ubi vid. Gesner. *E.*

Valerius Maximus a Cortio laudatus 8, 7, Rom. 1. *os haesitatione impeditum.* *S.*

tardissima inventio) Hoc ipsum Regulum tardo et hebeti ingenio esse arguit. Nam ad excogitandum vel inveniendum *acumine* opus est, quod proprie de hoc sollertiae genere dicitur Cicer. Brut. 68. ubi etiam *tardus in excogitando* opponitur *acutiori.* *E.*

eo impudentia etc.) Rom. *eo impudentia ipsoque illo furore provenit, ut plurimis orator habeatur*, sine praepositione *a.* *H.*

5 *Itaque Herennius* etc.) Rom. *Itaque Herennius Senicio mirifice illud Catonis.* *H.*

Catonis) Definitio Catoniana, *Vir bonus, dicendi peritus*, est apud Quintil. 12, 1, 1. *G.*

6 *si rescripseris, num aliquis)* Rom. *si scripseris, num aliquis.* *H.*

scilicet, ut ait etc.) Rom. *ἐπάρας scilicet, ut ait Demosthenes, τὴν φωνήν.* *H.*

Idem ordo in aliis libris obvius. Placet. *S.*

Demosthenes) Orat. pro Corona c. 90. p. 166. cuius loci suavitas, et acumen Plinii intelligi non potest, nisi totus inspiciatur. Accusat inimicum suum Demosthenes, qui in commemoranda calamitate publica οὐδ' ἐδάκρυσεν, οὐδ' ἔπαθεν οὐδὲν τοιοῦτον τῇ ψυχῇ, *neque lacrymam effuderit, neque animo se commoveri ostenderit;* sed *sublata voce, exsultabundus* (illud enim est γεγηθὼς, quod gaudii notionem adiunctam habet) et *modulanti gutture* locutus sit etc. Hunc Aeschinem igitur imitatus est, de Plinii suspicione, Lepidus in praelegendo Reguli libro, ut non lugubri voce, et actione ad materiem composita, sed laetus, hilaris, ludensque recitaret. add. Luc. Rhet. praec. p. 320. *G.*

7 γεγηθὼς, καὶ λαρυγγίζων. Eſt enim tam ineptus, ut riſum magis poſſit exprimere, quam gemitum. Credas non de puero ſcriptum, ſed a puero. Vale.

VIII.

Gratulationi de auguratu reſpondet, cauſſas explicans, cur eo honore praecipue laetetur.

C. PLINIVS ARRIANO SVO S.

Gratularis mihi, quod acceperim auguratum. Iu-
re gratularis: primum, quod graviſſimi principis
iudicium in minoribus etiam rebus conſequi pul-
chrum eſt; deinde quod ſacerdotium ipſum cum
priſcum et religioſum, tum hoc quoque ſacrum
plane et inſigne eſt, quod non adimitur viventi.
2 Nam cetera, quamquam dignitate propemodum
paria, ut tribuuntur, ſic auferuntur. In hoc for-
3 tunae hactenus licet, ut dari poſſit. Mihi vero
etiam illud gratulatione dignum videtur, quod
ſucceſſi Iulio Frontino, principi viro: qui me
nominationis die per hos continuos annos inter

7 *ut riſum magis* etc.) Rom. *ut riſum mihi poſſit exprimere magis. H.*

VIII. 2 *Nam cetera* etc.) Rom. *Nam alia, quanquam dignitate. H.*

Sic et Cortiana. Bene. Ἄλλα, non τὰ ἄλλα. *S.*

fortunae — dari poſſit) Fortunae opus eſt, auguratum accipere. Sed in hoc etiam vis fortunae terminatur. Non enim facere poteſt, ut eum honorem amittamus, quia nunquam adimitur. *E.*

3 *Mihi vero etiam illud)* Rom. *Mihi vero illud etiam*, bene. *H.*

Bonus hic ordo, noſter tamen non deterior. Vid. Heuſinger. ad Cornel. Nep. Hamilc. 2, 3. pag. 265. Emendat. 2, 4. pag. 202. Omnino in poſitu huius particulae mira librariorum inconſtantia deprehenditur. *S.*

Iulio Frontino) Nobili auctori Strategematum et libri de aquaeductibus, de cuius mortis tempore, atque adeo, quo anno augur factus fuerit Secundus, diſputatur a Cl. Maſſono in vita Plinii ad A. C. CIII. et ab Illmo Poleno in Prolegom. ad Frontin. c. 1. §. 42. ſqq. *G.*

nominationis die) Vid. ad 2, 1, 8. *G.*

hos continuos annos) Ep. 9. 1. *Cauſſam per hos dies dixit Iulius Baſſus.* In talibus pronomen *hic* tempus proxime elapſum indicat. Vid. Drakenb. ad

ſacerdotes nominabat, tanquam in locum ſuum cooptaret: quod nunc eventus ita comprobavit, ut non fortuitum videatur. Te quidem, ut ſcri- 4
bis, ob hoc maxime delectat auguratus meus, quod Marcus Tullius augur fuit. Laetaris enim, quod honoribus eius inſiſtam, quem aemulari in ſtudiis cupio. Sed utinam, ut ſacerdotium idem 5
et conſulatum, multo etiam iuvenior quam ille, ſum conſequutus: ità ſenex ſaltem ingenium eius aliqua ex parte adſequi poſſim! Sed nimirum 6
quae ſunt in manu hominum, et mihi et multis contigerunt: illud vero ut adipiſci arduum, ſic etiam ſperare nimium eſt, quod dari niſi a diis non poteſt. Vale.

IX.

Narrat, Baſſum, ex Bithynia repetundarum reum, a ſe defenſum liberatumque eſſe.

C. PLINIVS VRSO SVO S.

Cauſſam per hos dies dixit Iulius Baſſus, homo laborioſus et adverſis ſuis clarus. Accuſatus eſt

Liv. 5, 51, 5. Ruhnken. ad Rutil. Lup. pag. 56. ſq. Sic et Graeci. Alciphron ep. 1, 14. p. 58. ſ. ed. Bergl. οἱ δὲ ἔφασαν τὸν κτῆμα γεγονέναι πρὸ τούτων τεττάρων ἐτῶν. *S.*

ut non fortuitum videatur) Rom. *ut non fortuitum videretur.* *H.*

4 *Te quidem* etc.) Rom. *Te quidem, ut ſcribis, hoc maxime delectat auguratus meus.* Ita et alii quidam libri, melius quam vulgo. *H.*

5 *ut ſacerdotium* etc.) Rom. *ut ſacerdotium idem, ut conſulatum multo etiam iunior quam ille.* *H.*

iuvenior) Etiam apud Apuleium eſſe hunc comparativum, iam a Cellario obſervatum eſt. *G.*

6 *quod dari — poteſt)* Sic et Rom. *H.*

Al. *quod dari non niſi a diis poteſt.* *S.*

IX, 1 *Iulius Baſſus)* Rom. *Iunius Baſſus*, quo nomine et Quintiliano vocatur lib. VI. c. III. 27. et 57. etſi ad illum Burmann. p. 545. non Iuniis, ſed Iuliis hoc cognomen fuiſſe contendit, et in Plinio nihil mutandum cenſet. *H.*

laborioſus) multis laboribus obrutus et vexatus, miſer. vid. Clav. Cic. h. v. *S.*

ſub Veſpaſiano a privatis duobus: ad ſenatum re-
miſſus, diu pependit; tandemque abſolutus vin-
2 dicatusque eſt. Titum timuit, ut Domitiani ami-
cus; a Domitiano relegatus eſt. Revocatus a
Nerva, ſortitusque Bithyniam, rediit reus, accu-
ſatus non minus acriter, quam fideliter defenſus:
varias ſententias habuit, plures tamen, quaſi mi-
3 tiores. Egit contra eum Pomponius Rufus, vir
paratus et vehemens. Ruſo ſucceſſit Theopha-
nes, unus ex legatis, fax accuſationis et origo.
4 Reſpondi ego. Nam mihi Baſſus iniunxerat, ut totius
defenſionis fundamenta iacerem: dicerem de orna-
mentis ſuis, quae illi et ex generis claritate et ex
5 periculis ipſis magna erant; dicerem de conſpi-
ratione delatorum, quam in quaeſtu habebant;
dicerem cauſſas, quibus factioſiſſimum quemque,
ut illum ipſum Theophanem, offendiſſet. Eun-
dem me voluerat occurrere crimini, quo maxime
premebatur: in aliis enim, quamvis auditu gra-
vioribus, non abſolutionem modo, verum etiam

pependit) inter ſpem et metum, de exitu et fortuna cauſſae ſuae incertus. *E.*

tandemque abſolutus vindicatusque eſt) Rom. *tandem abſolutus vindicatusque eſt.* *H.*

2 *ut Domitiani amicus*) Non tamen erat, quod vehementer timeret Titum, ſi vera narrat Suetonius c. 9. *Fratrem inſidiari ſibi non deſinentem, ſed paene ex profeſſo ſollicitantem exercitus, meditantem fugam, nec occidere, neque ſeponere, ac ne in minore quidem honore habere ſustinuit* etc. *G.*

quaſi mitiores) Vid. ſ. 17. et 18. *G.*

3 *Pomponius Rufus)* *Varenus*, de quo 5, 20, 1. *G.*

vir paratus et vehemens) Rom. *vir peritus et vehemens.* *H.*

fax accuſationis) Al. *princeps.* Propoſitam lectionem libris et auctoritate Plinii tuetur Cortius. *G.*

Ita et Rom., ut Medic. et optimus quisque. *H.*

4 *iniunxerat, ut totius defenſionis)* Rom. *iniunxerat, totius defenſionis*, ſine *ut.* *H.*

de ornamentis ſuis) de iis rebus, quae ipſum commendare, atque exculare et defendere poſſint [poſſent *S.*]. *E.*

5 *in quaeſtu habebant)* Quod quarta bonorum eius, quem damnaſſent, pars illis cederet, unde *quadruplatores* dicti. *G.*

Rom. *quam in quaeſtu haberent*, bene. *H.*

Nimirum haec ex perſona Baſſi, non Plinii, intelligenda: ut nullus indicativo locus ſit. *S.*

illum ipſum Theophanem) Sic et Rom. *H.*

laudem merebatur. Hoc illum alias onerabat, quod 6
homo fimplex et incautus quaedam a provincialibus,
ut amicis, acceperat. Nam fuerat in provincia eadem quaeftor. Haec accufatores furta ac rapinas;
ipfe munera vocabat: fed lex munera quoque accipi
vetat. Hic ego quid agerem? quod iter defenfionis 7
ingrederer? Negarem? Verebar, ne plane furtum videretur, quod confiteri timerem. Praeterea rem manifeftam infitiari, augentis erat crimen, non diluentis: praefertim quum reus ipfe nihil integrum advocatis reliquiffet. Multis enim, atque etiam principi, dixerat, fola fe munufcula, dumtaxat natali fuo aut Saturnalibus, accepiffe,
et plerisque mififfe. Veniam ergo peterem? Iu- 8
gularem reum, quem ita deliquiffe concederem, ut fervari, nifi venia, non poffet. Tanquam recte factum tuerer? Non illi profuiffem, fed ipfe
impudens exftitiffem. In hac difficultate placuit 9

6 *Hoc illum alias onerabat)* Rom. *Hoc illum onerabat,* omiffo *alias*, quod ineptiffime interponitur a multis, exclufum vero eft et ab Aldo. *H.*

Iure omifit, poft Cortium, Gierigius. Nec Brummeri Excerpta agnofcunt. *S.*

ut amicis, acceperat) Rom. *ut amicus acceperat. H.*

Praefero *amicis*. Interpretare: *ut quos amicos fibi effe ob neceffitudinem olim contractam crederet. S,*

Nam fuerat etc.) Rom. *Nam fuerat in eadem provincia quaeftor. H.*

Haec accufatores etc.) Rom. *Haec accufatores furta et rapinas. H.*

lex munera — accipi vetat) Laudat hic Cellarius *Cinciam* legem, *Aciliam* item et *Calpurniam*. Sed nefcio, an ipfa, de qua hic agitur, fpecies in ulla earum, quatenus notae funt hodie, oftendi poffit. Facilius forte fuerit hoc demonftrare de *Cornelia* itemque *Iulia repetundarum*. Sed hoc agunt ICti. *G.*

De ipfis his legibus vid. Clav. Cicer. *E.*

7 *iter)* Cf. Interpr. ad Gratii Fal. Cyneg. v. 5. Similia in Graecis leguntur. Herodotus p. 615, 46. *οὐ γὰρ ἔχεις αὐτέων τὰς διεξόδους τῶν βουλευμάτων.* Vid. Kufter. ad Ariftoph. Equit. 1012. *S.*

nihil integrum — reliquiffet) Ipfe fua confeffione advocatos impediverat, quominus factum infitiari poffent. Nam ipfe multis dixerat, fe munufcula accepiffe. *E.*

Rom. *nihil advocatis integrum. H.*

8 *Iugularem reum*) Rom. *Iugulaffem reum.* Sic et Mediceus. *H.*

Item Excerpta Brummeri. Placet. Sic mox, *profuiffem*, *exftitiffem. S.*

medium quiddam tenere. Videor tenuisse. Actionem meam, ut praelia solet, nox diremit. Egeram horis tribus et dimidia; supererat sesquihora. Nam quum e lege accusator sex horas, novem reus accepisset; ita diviserat tempus reus inter me, et eum, qui dicturus post erat, ut ego quin-
10 que horis, ille reliquis uteretur. Mihi successus actionis silentium finemque suadebat. Temerarium est enim, secundis non esse contentum. Ad hoc verebar, ne mox corporis vires iterato labore deficerent; quem difficilius est repetere, quam
11 iungere. Erat etiam periculum, ne reliqua actio mea et frigus, ut deposita, et taedium, ut resumta, pateretur. Ut enim faces ignem assidua concussione custodiunt, dimissum aegerrime reparant; sic et dicentis calor et audientis intentio continuatione servatur, intercapedine et quasi remissio-
12 ne langueseit. Sed Bassus multis precibus, paene etiam lacrymis, obsecrabat, implerem meum tempus. Parui, utilitatemque eius praetuli meae. Bene cessit: inveni ita erectos animos senatus, ita recentes, ut priori actione incitati magis,
13 quam satiati viderentur. Successit mihi Lucius Albinus tam apte, ut orationes nostrae varietatem

9 *Nam quum e lege accusator*) Rom. *Nam cum ex lege accusator.* *H.*

diviserat tempus) Rom. *diviserat tempora.* *H.*

Sic et Cortius, nulla ex libris varietate notata. Terentius Andr. 3, 1, 17. sq. *non sat commode Divisa sunt temporibus tibi, Dave, haec.* *S.*

10 *Ad hoc verebar* etc.) Rom. *Ad hoc verebar, ne mox corporis vires iterato labore deficerent,* non *defererent,* ut Cortius. *H.*

Cort. *ne me corporis — — deferrent.* haud ingrate ad aurium sensum. *S.*

repetere, quam iungere) *Repetere* nimirum *laborem* est intermissum denuo adgredi; *iungere* est continuare. Verum hoc deprehendunt viatores, qui multo facilius durant, si uno quasi tenore pergant, quam si aliquamdiu interquieverint. *G.*

11 *Frigus — taedium*) *Frigus* intellige adfectuum; cito enim arescit lacrymula ab oratore expressa: *taedium* est a continuatione et longitudine. *G.*

13 *Lucius Albinus*) Rom. *Luceius Albinus*, non *Lucius*, ut perperam supra lib. III. ep. VIIII, 7. *H.*

Cortius et Gierigius bene *Luceius Albinus.* *S.*

duarum, contextum unius habuiſſe credantur.
Reſpondit Herennius Pollio inſtanter et graviter: 14
deinde Theophanes rurſus. Fecit enim hoc quo-
que, ut cetera, impudentiſſime, quod poſt duos,
et conſulares et diſertos, tempus ſibi, et quidem
laxius, vindicavit. Dixit in noctem, atque etiam
nocte, inlatis lucernis. Poſtero die egerunt pro 15
Baſſo Titius Homullus, et Fronto, mirifice: quar-
tum diem probationes occupaverunt. Cenſuit 16
Baebius Macer, conſul deſignatus, lege repetun-
darum Baſſum teneri: Caepio Hiſpo, ſalva di-
gnitate, iudices dandos. Uterque recte. Qui 17
fieri poteſt, inquis, quum tam diverſa cenſue-
rint? quia ſcilicet et Macro, legem intuenti,
conſentaneum fuit damnare eum, qui contra le-
gem munera acceperat: et Caepio, quum putaret
licere ſenatui, ſicut licet, et mitigare leges et in-
tendere, non ſine ratione veniam dedit facto,
vetito quidem, non tamen inuſitato. Praevaluit 18
ſententia Caepionis: quin immo conſurgenti ei
ad cenſendum, acclamatum eſt, quod ſolet reſi-
dentibus. Ex quo potes aeſtimare, quanto con-
ſenſu ſit exceptum, quum diceret, quod tam fa-
vorabile fuit, quum dicturus videretur. Sunt 19
tamen, ut in ſenatu, ita in civitate, in duas par-
tes hominum iudicia diviſa. Nam quibus ſenten-
tia Caepionis placuit, ſententiam Macri, ut duram

14 *poſt duos*) Intelliguntur Pomponius Rufus et Herennius Pollio. *Dicere poſt aliquem, ſuccedere alicui*, eſt eius, qui eandem quam ille cauſſam tuetur. *S.*

atque etiam nocte etc.) Rom. *atque etiam illatis lucernis. H.*

Longe melior noſtra lectio. *S.*

15 *probationes occupaverunt*) Rom. *probationes occuparunt. H.*

18 *conſurgenti ei*) Al. omittunt *ei*: et videtur a gloſſatore profectum. Centies librarii hoc pronomen interſerunt. *S.*

Ex quo potes aeſtimare) Rom. *Ex quo potes exiſtimare*, recte. *H.*

Perpetua conſuſio, cuius fontem aperuit Drakenb. ad Liv. 34, 2, 5. Add. Bünem. ad Lactant. pag. 687. coll. Heuſinger. Emendat. p. 89. *S.*

19 *ut duram* etc.) Rom. *ut rigidam duramque reprehendunt. H.*

rigidamque, reprehendunt: quibus Macri, illam alteram dissolutam atque etiam incongruentem vocant. Negant enim congruens esse, retinere in
20 senatu, cui iudices dederis. Fuit et tertia sententia. Valerius Paullinus adsensus Caepioni, hoc amplius censuit, referendum de Theophane, quum legationem renuntiasset. Arguebat enim multa in accusatione fecisse, quae illa ipsa lege, qua Bas-
21 sum accusaverat, tenerentur. Sed hanc sententiam consules, quamquam maximae parti senatus mire probatur, non sunt persequuti. Paullinus tamen et iustitiae famam et constantiae tulit.
22 Misso senatu Bassus, magna hominum frequentia, magno clamore, magno gaudio exceptus est. Fecerat eum favorabilem renovata discriminum vetus fama, notumque periculis nomen, et in procero
23 corpore moesta et squalida senectus. Habebis hanc interim epistolam ut πρόδρομον: exspectabis orationem plenam onustamque: et exspectabis diu: neque enim leviter et cursim, ut de re tanta, retractanda est. Vale.

20 *legationem renuntiasset*) h. e. deposuisset. Renuntiato enim quid egeris, finita censetur legatio. Copiose illustrat hanc formulam Burmannus ad Quintil. 7, 4. p. 634. *G.*

Rom. *cum legationem renuntiasset.* *H.*

Arguebat enim) Rom. *Arguebatur enim.* *H.*

21 *mire probatur* etc.) Rom. *mire probabatur, non sunt persecuti.* Sic Ald. quoque, non *probatur.* *H.*

Item Cort. nulla notata varietate lectionis. Nec Brummeri Excerpta quidquam habent discrepantiae. Praefero imperfectum. *S.*

23 *Habebis hanc* etc.) Rom. *Habebis hanc interim epistolam ut ιππόδρομον. Exspectabis orationem plenam honustam, exspectabis diu.* Ald. *plenam onustamque, exspectabis.* *H.*

exspectabis orationem) Vid. supra quae diximus, ad 1, 20, 6. *G.*

Mox *plenam* et *onustam* dicit, copiosam et amplam rerum variarum et multarum tractatione. *E.*

leviter et cursim etc.) Rom. *breviter et cursim, ut de re tua retractanda est.* Bis peccatum videtur, in *breviter* et *tua.* *H.*

Vide Drakenb. ad Liv. 21, 28, 9. *S.*

X.

Heres cum Sabino factus de libertate servi, quamvis non plene scripta, ex aequitate censet.

C. PLINIVS SABINO SVO S.

Scribis mihi, Sabinam, quae nos reliquit here-
des, Modestum servum suum nusquam liberum
esse iussisse: eidem tamen sic adscripsisse legatum,
Modesto, quem liberum esse iussi. Quaeris, quid
sentiam? Contuli cum prudentibus. Convenit in- 2
ter omnes, nec libertatem deberi, quia non sit
data; nec legatum, quia servo suo dederit. Sed
mihi manifestus error videtur: ideoque puto no-
bis, quasi scripserit Sabina, faciendum, quod ipsa
scripsisse se credidit. Confido, accessurum te sen- 3
tentiae meae, quum religiosissime soleas custodire
defunctorum voluntatem, quam bonis heredibus
intellexisse pro iure est. Neque enim minus apud
nos honestas, quam apud alios necessitas valet.
Moretur ergo in libertate, sinentibus nobis, frua- 4
tur legato, quasi omnia diligentissime caverit. Ca-
vit enim, quae heredes bene elegit. Vale.

X, 1 *cum prudentibus*) Cortius ex Mediceo, *cum peritis iuris.* Sententia eadem; quae sint *responsa prudentum*, nemo ignorat. *G.*

Rom. *Contuli cum peritis iuris*, ut Medic. *H.*

Difficile est definire, utrum a Plinio profectum sit. Mihi tamen *prudentibus* genuinum videtur. *S.*

4 *caverit*) Etiam hoc iuris verbum, quo ludit aliquoties apud Trebatium suum, et contra Servium pro Murena Tullius. *G.*

Nempe *cavere* dicuntur, qui testamento aliquid rite sanciunt, ita ut nulla nec controversia nec calumnia locum habere possit. Mox heredes *bene elegisse* Sabina dicitur, quod eos elegit, quos crederet voluntatem suam honeste atque ex aequitate interpretaturos. Amabili igitur modestia Plinius Sabinae tribuit, quod sibi et coheredi suo tribuere debebat. *E.*

XI.

Liciniani rhetoricam professionem narrat, tanquam propter incestum cum Vestali a Domitiano ad exsilium redacti.

C. PLINIVS MINVTIANO SVO S.

Audiſtine Valerium Licinianum in Sicilia profiteri? Nondum te puto audiſſe; eſt enim recens nuntius. Praetorius hic modo inter eloquentiſſimos cauſſarum actores habebatur: nunc eo decidit, ut exſul de ſenatore, rhetor de oratore fieret.
2 Itaque ipſe in praefatione dixit dolenter et graviter: *Quos tibi, Fortuna, ludos facis? Facis enim ex profeſſoribus ſenatores, ex ſenatoribus profeſſores.* Cui ſententiae tantum bilis, tantum amaritudinis ineſt, ut mihi videatur ideo profeſ-

XI in Rom. *Minutiano* inſcribitur, ſine *Cornelio*. *H.*

1 *profiteri)* literas intellige, ſpeciatim Rhetoricen. Sic dixerat etiam 2. 18, 4. *G.*

Praetorius hic modo) Rom. *Praetorius modo hic.* Paucis interiectis: *ut exul de ſenatore et rhetor fieret.* *H.*

2 *Quos tibi* etc.) Rom. *Quos tibi, Fortuna, ludos facis? Ex ſenatoribus profeſſores, ex profeſſoribus ſenatores.* Intermedia, *facis enim*, fortaſſe temere, omiſſa ſunt, etſi abeſſe poſſunt: ordinem autem verborum, qui et in Medic. et in Brummer. A. manſit. vulgato antepono. Primum queritur de ſua fortuna, *facis ex ſenatoribus profeſſores:* deinde aliorum novitatem mordet, *ex profeſſoribus ſenatores.* Hoc itaque dicere videtur: nos demergis, ut alios extollas. Tanto ſaevior fortunae luſus eſt, quanto iniquius, ſenatores cum vulgo exaequari, plebeios ſenatores fieri. *H.*

Plinius videtur ſcripſiſſe: *Facis ex ſenatoribus profeſſores, ex profeſſoribus ſenatores.* omiſſa particula *enim*, quam „ſoliti fuerunt librarii interponere, ut orationem, ex eorum ſententia male hiantem, melius connecterent." Drakenb. ad Liv. 10, 39, 4. *S.*

amaritudinis) Quaeret forte aliquis, qua in re inſit δριμύτης illa ſive amaritudo? Credo ego in eo, quod Quintilianum mordet, Hiſpanum hominem, et artis, quam profitebatur, opera honores ſummos et ornamenta conſularia adeptum. Quantacunque enim eſſet viri virtus, non poterat tamen carere fortuna ipſius, quam diu vixit, obtrectatoribus. Igitur etiam Iuvenalis dentem in illum ſtringit 7, 189 ſqq. et nec meritis viri, nec iudicio principum tribuit, quod *ſaltus multos haberet; verum ſideribus, quae exceperint modo primos incipientem edere vagitus* etc. Altera pars dicti, quo uſus eſt Valerius, ad M. Tullium etiam ſpectare videtur, qui ſenatoriis curis a Iulio Caeſare liberatus, ſcholas domi ſuae habuit.

ſus, ut hoc diceret. Idem, quum Graeco pallio 3
amictus intraſſet, (carent enim togae iure, quibus
aqua et igni interdictum eſt) poſtquam ſe compo-
ſuit, circumſpexitque habitum ſuum: *Latine*, in-
quit, *declamaturus ſum*. Dices, triſtia et miſe- 4
randa: dignum tamen illum, quia haec ipſa ſtudia
inceſti ſcelere maculaverit. Confeſſus eſt quidem 5
inceſtum: ſed incertum, utrum quia verum erat,
an quia graviora metuebat, ſi negaſſet. Fremebat
enim Domitianus, aeſtuabatque ingenti invidia,
deſtitutus. Nam quum Corneliam, maximam Ve- 6
ſtalem, defodere vivam concupiſſet, ut qui illu-
ſtrari ſeculum ſuum eiusmodi exemplo arbitrare-
tur, pontificis maximi iure, ſeu potius immanitate
tyranni, licentia domini, reliquos pontifices non
in Regiam, ſed in Albanam villam convocavit.
Nec minore ſcelere, quam quod ulciſci videba-
tur, abſentem inauditamque damnavit inceſti,

Denique cum fortunae tribuit mutatam vitae ſuae conditionem, innocens videri vult. *G.*

3 *Graeco*) Non deſiderarem, ſi abeſſet. *S.*

poſtquam ſe compoſuit) Vid. quae diximus ſupra ad 2, 3, 2. *G.*

Latine — declamaturus ſum) Licet veſtis me admoneat Romanae ac Latinae adeo civitatis, et veſtis iure excidiſſe, *Latine* tamen, quod ſolum adhuc poſſum, *declamaturus ſum*. *G.*

Latine declamaturus ſum, non Graece, ut habitus videtur polliceri. Etiam hoc acerbe et amare. *S.*

4 *Dices, triſtia et miſeranda*) Sic et Rom. *H.*

inceſti ſcelere) In Veſtalem commiſſi, uti ea quae ſequuntur declarant. *G.*

maculaverit) Rom. *macularit*. *H.*

5 *deſtitutus*) a teſtibus tanti ſceleris, cuius Veſtalem virginem damnare cuperet. Suetonius tamen Domit. c. 8. *Corneliam Virginem Maximam, abſolutam olim, dehinc longo intervallo repetitam atque convictam, defodi imperavit, ſtupratoresque virgis in comitio ad necem caedi:* adiungit tamen, quod ad hunc noſtrum pertinet, *excepto Praetorio viro, cui* dubia etiam tum cauſſa, et incertis quaeſtionibus atque tormentis de ſemet profeſſo, *exſilium indulſit*. *G.*

6 *maximam Veſtalem*) Ita dicuntur ut *Pontifices maximi*. Saepe ita Inſcriptiones antiquae, v. g. apud Gruterum p. 309. ſqq. *G.*

Rom. *Corneliam Veſtalium maximam* bene cum Medic. *H.*

eiusmodi exemplo) Rom. *eiusmodi exemplis*. *H.*

Regiam) Servius ad Aen. 8. 363. *Domus, in qua Pontifex habitat. Regia dicitur, quod in ea Rex ſacrificulus habitare conſueſſet*. *G.*

quum ipſe fratris filiam inceſto non polluiſſet ſolum, verum etiam occidiſſet: nam vidua abortu
7 periit. Miſſi ſtatim pontifices, qui defodiendam necandamque curarent. Illa nunc ad Veſtam, nunc ad ceteros deos manus tendens, multa, ſed hoc frequentiſſime, clamitabat: *Me Caeſar inceſtam putat; qua ſacra faciente, vicit, triumpha-*
8 *vit.* Blandiens haec, an irridens; ex fiducia ſui, an ex contemtu principis dixerit, dubium eſt. Dixit, donec ad ſupplicium, neſcio an innocens,

quum ipſe fratris filiam) Iuliam Titi Veſpaſiani filiam: narrat Sueton. Domit. c. 22. *ubi de hoc ipſo Plinii noſtri loco Heinſianam coniecturam profert Burmannus. Cum enim vix appareat, aiunt, cur *viduam* appellet Plinius, quae viro iam antea orbata erat, quum ex Domitiano conciperet; forte legendum, *nam biduo ab abortu periit.* Ut dignam Heinſii ingenio coniecturam haud negaverim: ſic *viduae* appellationem apud Plinium minime ſupervacuam eſſe, arbitror. Intelligitur enim cauſſa, cur Domitianus illam coëgerit abortivum ſumere, quod ſcilicet non eſſet decorum viduae parere, quod ex marito defuncto conceptum dicere non poſſet. *G.*

nam vidua abortu periit) Sic et Rom. *H.*

7 *multa — clamitabat)* Debet hoc factum eſſe ante ultimam et ſolemnem ad ipſum ſupplicium deductionem, ſi recte rem narrat Plutarchus in Numa p. 122. H. Steph. αὐτὴν δὲ τὴν κολαζομένην εἰς φορεῖον ἐνθέμενοι, καὶ καταστεγάζοντες ἔξωθεν καὶ καταλαβόντες ἱμᾶσιν, ὡς μηδὲ φωνὴν ἐξάκουστον γενέσθαι κ. τ. λ. Nam lecticae ſi impoſita fuit contectae undique et obligatae, ut vox inde exaudiri non poſſet, non eſt, ut apophthegmata eius obſervari potuerint. Eſt etiam aliud in Plutarchi deſcriptione, quod cum Plinio pugnare videtur. Facit hic mentionem carnificis. Sed vide quid Plutarchus: ὅταν πρὸς τὸν τόπον κομισθῇ τὸ φορεῖον, οἱ μὲν ὑπηρέται τοὺς δεσμοὺς (non ipſius Veſtalis, puto, ſed lora, quibus lectica devincta et occluſa fuit undique) ἐξέλυσαν, ὁ δὲ τῶν ἱερῶν ἔξαρχος — ἐξάγει συγκεκαλυμμένην καὶ καθίστησιν ἐπὶ κλίμακος εἰς τὸ οἴκημα κάτω φερούσης. Sed reſponſionem forte ſubiiciunt, quae ſtatim ſequuntur: Εἶτα αὐτὸς μὲν ἀποτρέπεται μετὰ τῶν ἄλλων ἱερέων, τῆς δὲ καταβάσης ἥ τε κλίμαξ ἀναιρεῖται κ. τ. λ. Videtur itaque, ſalva Plutarchi deſcriptione, carnifex (cuius etiam eſſe potuerunt ὑπηρέται modo commemorati) cui forte ingerendae telluris negotium datum fuit, retro abeunte Pontifice, illud miniſterium Veſtali obtuliſſe. *G.*

ſed hoc frequentiſſime) Rom. *ſed haec frequentiſſime.* *H.*

Me Caeſar etc.) Signum interrogandi videtur apponendum. *S.*

8 *neſcio an innocens)* Qui Germanice ſic ordinat verba, dubitat ita, ut ad negantem ſententiam inclinet. Aliter Latine, quod et hic multis demonſtrat Cortius, et copioſe ad Fabrianum theſaurum oſtenſum eſt. *Neſcio an innocens* ſimpliciter ſignificat, forte innocens. *G.*

certe tanquam innocens, ducta eſt. Quin etiam, 9
quum in illud ſubterraneum cubiculum demitteretur, haeſiſſetque deſcendenti ſtola, vertit ſe ac recollegit; quumque ei carnifex manum daret, averſata eſt, et reſiluit; foedumque contagium, quaſi plane a caſto puroque corpore, noviſſima ſanctitate reiecit; omnibusque numeris pudoris,
πολλὴν πρόνοιαν εἶχεν εὐσχήμως πεσεῖν. Praeterea 10

tanquam innocens) i. e. omnium opinione innocens. Sic ex Mediceo Cortius. *G.*

Rom. *donec ad ſupplicium, neſcio an innocens, certe tanquam nocens, ducta eſt.* Bene. In Cortiana operarum incuria bis *innocens* legitur. *H.*

Non operarum incuria, ſed Cortio ſic volente. Verum puto *tanquam nocens*, prae quo noſtra lectio; ſi quid video, miſere friget. *S.*

9 *quum in illud* etc.) Rom. *cum in illud ſubterraneum demitteretur*, ſine *cubiculum*, quod et in Medic. fortaſſe recte, et Plinio volente, omiſſum eſt. *H.*

Appuleius Metam. pag. 766. ed. Oudend. *in ipſo ſubterraneo ſemirotundo*, pro quo *hypogeum* Petronius cap. 111. *S.*

quumque ei carnifex etc.) Rom. *cum ei manum carnifex daret, adverſata eſt, et reſiluit: foedumque contactum, quaſi plane a caſto puroque corpore.* Fucum aliis facit Cortius, quibus perſuadere vult, *contagium* bonis ſcriptoribus magis placuiſſe, ubi de tactu ſermo ſit, *contactum* vero, ubi de contagione. Nam et Ovidius dixit lib. VII. metam. v. 239. *refugitque viriles contactus*: et Virgil. lib. III. Aen. v. 227. *contactuque omnia foedant Immundo.* Tacit. lib. I. annal. c. 43. *Diſcedite a contactu, ac dividite turbidos.* Columell. lib. XI. c. 3. *Nam fere contactu eius* [mulieris] *langueſcunt incrementa virentium.* Plinius lib. XXXIII. c. 7. extr. *Solis atque lunae contactus inimicus*, [minio]. Quare *contactum* retineo, quod et in Medic. eſt. *H.*

Add. eximium Lexicographum, Aeg. Forcellinum in v. *contactus*. *S.*

quaſi plane a caſto) Quid ſi transpoſitis verbis duobus legamus, *quaſi a caſto plane puroque corpore*. Certe ἡ *plane* ad *caſto* referenda eſt haud dubie. Et quam frequentes ſint in libris antiquis id genus transpoſitiones, nemo ignorat. *G.*

Malim, *plane quaſi a caſto* etc. Cicero Orat. 2. contra Rullum cap. 18. *plane quaſi ea res vobis ſaluti futura ſit.* Florus 1, 10, 8. *plane quaſi adulterum ad inferos usque ſequeretur.* 1, 11, 4. *reddidit plane quaſi ſtipendium commilitonibus diis.* Pro eo alibi *prorſus quaſi*. Iuſtin. 1, 7, 16. *prorſus quaſi ſilentium damnum pulchritudinis eſſet.* *S.*

πολλὴν πρόνοιαν) Verſus Euripidis in Hecuba. Inſpiciamus totam Talthybii de ultimo actu vitae Polyxenae narrationem verſ. 568. Ἡ δὲ καὶ θνήσκουσ' ὅμως Πολλὴν πρόνοιαν εἶχεν εὐσχήμως πεσεῖν Κρύπτειν θ' ἃ κρύπτειν ὄμματ' ἀρσένων χρεών. Transtulit Ovid. metam. 13, 479:

Tunc quoque cura fuit partes velare tegendas,
Cum caderet, caſtique decus ſervare pudoris.

Celer, eques Romanus, cui Cornelia obiiciebatur, quum in comitio virgis caederetur, in hac voce
11 perſtiterat: *Quid feci? Nihil feci.* Ardebat ergo Domitianus et crudelitatis et iniquitatis infamia. Arripit Licinianum, quod in agris ſuis occultaſſet Corneliae libertam: ille ab iis, quibus erat curae, praemonetur, ſi comitium et virgas pati nollet, ad confeſſionem confugeret, quaſi ad
12 veniam: fecit. Loquutus eſt pro abſente Herennius Senecio tale quiddam, quale eſt illud, Κεῖται Πάτροκλος. Ait enim: *Ex advocato nuntius fa-*
13 *ctus ſum. Receſſit Licinianus.* Gratum hoc Domitiano, adeo quidem, ut gaudio proderetur, diceretque, *Abſolvit nos Licinianus.* Adiecit etiam, *non eſſe verecundiae eius inſtandum:* ipſi vero

De ſimili decoris et verecundiae in moribundis ſtudio plura hic notavit Cortius: v. g. de Lucretia Ovid. Faſt. 2, 833:

Tunc quoque iam moriens, ne non procumbat honeſte,
Reſpicit; haec etiam cura cadentis erat.

G.

Rom. πολλὴν πρόνοιαν ἔσχεν, [non εἶχεν] εὐσχήμων, pro εὐσχήμως, non εὐσχημόνως, quod iambicus verſus non admittit. *H.*

Hanc lectionem Baſtius, puto, haud invitus amplecteretur. Cf. eius Specim. Ariſtaen. p. 29. ſq. *S.*

10 *in comitio)* More veteri. Liv. 22, 57. *L. Cantilius, ſcriba Pontificis, quos nunc minores Pontifices appellant, qui cum Floronia* (Veſtali, ſub terram ad portam Collinam necata) *ſtuprum fecerat, a Pontifice Maximo eo usque virgis in comitio caeſus erat, ut inter verbera exſpiraret. G.*

11 *et iniquitatis infamia* etc.) Rom. *et iniquitatis infania,* [vitioſe.] *Arripit Licinianum, quod — — libertum. H.*

Arripit) iratus increpat et accuſat. *E.*

12 *Herennius Senecio)* Rom. *Herennius Senicio:* cetera, ut a Cortio edita, praeter unum *vos,* pro *nos,* n. 13. ubi *abſolvit vos. H.*

Κεῖται Πάτροκλος) Iliad. σ, 20. ubi Antilochus Patrocli mortem ita narrat Achilli, Κεῖται Πάτροκλος, νέκυος δὲ δὴ ἀμφιμάχονται Γυμνοῦ· ἀτὰρ τάγε τεύχε' ἔχει κορυθαίολος Ἕκτωρ. De hoc loco Quintil. 10, 1, 49. *Narrare vero quis brevius* [poteſt] *quam qui mortem nuntiat Patrocli? G.*

13 *non eſſe — inſtandum)* Ut revocatus ab exſilio cauſſam dicat, aut crimen fateatur. Scilicet metuerat tyrannus, ne forti defenſione Licinianus invidiam ſibi maiorem crearet: triumphat igitur, Licinianum fuga ſua et voluntario exſilio confeſſionem ediditſſe, non falſo crimine interfectam Corneliam: igitur beneficium agnoſcit ſeceſſum Liciniani, et ei praemium tribuit, molle exſilium. *G.*

permiſit, ſi qua poſſet, ex rebus ſuis raperet,
antequam bona publicarentur; exſilium molle,
velut praemium, dedit. Ex quo tamen poſtea cle- 14
mentia divi Nervae translatus eſt in Siciliam, ubi
nunc profitetur, ſeque de fortuna praefationibus
vindicat. Vides, quam obſequenter paream tibi, 15
qui non ſolum res urbanas, verum etiam peregri-
nas tam ſedulo ſcribo, ut altius repetam. Et
ſane putabam te, quia tunc abfuiſti, nihil aliud
de Liciniano audiſſe, quam relegatum ob ince-
ſtum. Summam enim rerum nuntiat fama, non
ordinem. Mereor, ut viciſſim, quid in oppido 16
tuo, quid in finitimis agatur (ſolent enim notabi-
lia quaedam incidere) perſcribas: denique quid-
quid voles, dummodo non minus longa epiſtola
nunties. Ego non paginas tantum, ſed etiam
verſus ſyllabasque numerabo. Vale.

XII.

Marcellini factum laudat, qui defuncti ſcribae reſiduum ſalarium apud ſe ſubſidere noluerit.

C. PLINIVS ARRIANO SVO S.

Amas Egnatium Marcellinum, atque etiam mihi ſaepe commendas: amabis magis commendabis-

ex rebus ſuis raperet) Rom. *ex rebus ſuis rapere.* Deinde *exiliumque molle. H.*

exſilium molle) in loco hoſpitali, ubi Licinianus, rebus ſuis non prorſus exutus, vitam, ut exſul, ſatis commode degere poſſet. Longe tamen praeferenda commoratio in Sicilia. Ita ſi intelligas, Gierigium vulgatam ſolicitantem non audies. *S.*

14 *praefationibus*) Vid. 2, 3, 1. *Proluſiones* fere appellant recentiores, item disputationes in *ſtudiorum inſtauratione* habitas. *G.*

vindicat) Eadem conſtructione Florus 3, 21, 19. *Et ſane quum tam ferus in Sullanos Marius fuiſſet: quanta ſaevitia opus erat, ut Sulla de Mario vindicaretur?* Vid. Duker. ad 1, 22, 4. *S.*

16 *ſolent enim etc.*) Rom. *ſolent enim quaedam notabilia incidere. H.*

non minus etc.) Rom. *non minus longa epiſtola nuntia. H.*

ſed etiam etc.) Rom. *ſed verſus etiam ſyllabasque. H.* Praeferam hunc ordinem. *S.*

XII, 1 *atque etiam mihi ſaepe commendas*) Rom. *atque etiam ſaepe commendas. H.*

2 que, ſi cognoveris recens eius factum. Quum
in provinciam quaeſtor exiſſet, ſcribamque, qui
forte obtigerat, ante legitimum ſalarii tempus
amiſiſſet, quod acceperat ſcribae daturus, intel-
lexit et ſtatuit ſubſidere apud ſe non oportere.
3 Itaque reverſus, Caeſarem, deinde, Caeſare aucto-
re, ſenatum conſuluit, quid fieri de ſalario vellet.
Parva, ſed tamen quaeſtio. Heredes ſcribae ſibi;
4 praefecti aerario populo vindicabant. Acta cauſ-
ſa eſt: dixit heredum advocatus, deinde populi:
uterque percommode. Caecilius Strabo aerario
cenſuit inferendum: Baebius Macer heredibus dan-
5 dum. Obtinuit Strabo. Tu lauda Marcellinum,
ut ego ſtatim feci. Quamvis enim abunde ſuffi-
ciat illi, quod eſt et a principe et a ſenatu pro-
6 batus; gaudebit tamen teſtimonio tuo. Omnes
enim, qui gloria famaque ducuntur, mirum in
modum adſenſio et laus, a minoribus etiam pro-
fecta, delectat. Te vero Marcellinus ita verere-
7 tur, ut iudicio tuo plurimum tribuat. Accedit
his, quod, ſi cognoverit factum ſuum iſto usque
penetraſſe, neceſſe eſt, laudis ſuae ſpatio, et cur-
ſu, et peregrinatione laetetur. Etenim, neſcio

Placet. Arrianus Marcellinum omnino commendabat, non ſoli Plinio. *S.*

2 *qui forte obtigerat)* Rom. *cui ſorte obtigerat*, dictantis vitio, pro *qui*. *H.*

Vid. de hoc loco Drakenb. ad Liv. 9, 34, 14. 28, 45, 11. *Sorti* poëtarum proprium videtur coryphaeo recentiorum Lexicographorum, Aeg. Forcellino. *S.*

ſubſidere) Explicavimus ad 2, 16, 4. *G.*

3 *Parva, ſed tamen quaeſtio)* Rom. *Et parva quaeſtio: ſed tamen quaeſtio.* *H.*

Leg. *Parva quaeſtio, ſed tamen quaeſtio.* Optima haec lectio, cui Barthii commentum Gesnerus praeferre non debebat. *S.*

praefecti aerario populo vindicabant) Rom. *praefecti aerarii populo vindicabant.* Ut vero Rom. ita et Medic. et ex eo Cortius. Nec Gesneriana coniectura non placere poteſt *praefecti aerario populo vindicabant.* Sed *praefecti aerarii* frequentius dixit. *H.*

6 *ita vereretur, ut)* Rom. *ita veretur, ut.* *H.*

7 *quod, ſi cognoverit)* Rom. *quod ſi cognorit.* *H.*

Etenim, neſcio quo pacto etc.) Rom. *Neſcio enim, quo pacto vel homines magis iuvat gloria lata.* *H.*

quo pacto, vel magis homines iuvat gloria lata, quam magna, Vale.

XIII.

Municipes ſuos hortatur, ut ſcholam inſtituant, etiam tertiam ſumtus partem pollicitus; rogat Tacitum, ut praeceptores circumſpiciat.

C. PLINIVS CORNELIO TACITO SVO S.

Salvum te in urbem veniſſe gaudeo. Veniſti autem, ſi quando alias, nunc maxime mihi deſideratus. Ipſe pauculis adhuc diebus in Tuſculano commorabor, ut opuſculum, quod eſt in manibus, abſolvam. Vereor enim, ne, ſi hanc intentio- 2
nem iam in finem laxavero, aegre reſumam. Interim ne quid feſtinationi meae pereat, quod ſum praeſens petiturus, hac quaſi praecurſoria epiſtola rogo. Sed prius accipe cauſſas rogandi; [deinde ipſum, quod peto]. Proxime quum in 3

gloria lata, quam magna) *Lata*, quae ad multos pervaſit, ut etiam remoti locorum intervallis de nobis audiant; *magna*, quae magnifica nobis facta, ſed inter paucos tribuit. *G.*

XIII, 1 *in Tuſculano commorabor)* Nimirum *Tuſculanum* etiam praedium habuit Plinius. Vid. 5, 6, 45. *G.*

2 *in finem laxavero) In finem* eſt verſus finem. Quid autem ſit *laxare intentionem*, dubitationem non habet, nimirum *remittere* ſive ad tempus, ſive in perpetuum. *Commoda igitur eſt lectio Aldi et MSS. Palatinorum. Verum eſt alia etiam non minoribus praeſidiis nixa, *in fine intermiſero*, quam pro gloſſa habuit Cellarius; alteri autem Cortius praetulit. Mihi N. L. *G.*

Rom. *Vereor enim, ne ſi hanc intentionem iam in finem intermiſero.* Lego cum Cortio *in fine*, et in ceteris hanc ſcripturam vulgatae *(iam in finem laxavero)* praefero, quae nihil ſignificat. Vide ſupra epiſt. VIIII. 11. *H.*

feſtinationi) Paullo aliter hoc nomine utuntur Romani, quam linguae hodiernae his, quae ſynonyma ei habentur. Significat enim non actum modo, quo urgemus opus, ſed etiam ſtudium et cupiditatem mox perficiendi, aut perfectum videndi opus alterius. Sic Cicero in nobiliſſima ad Lucceium epiſtola 5, 12. ubi etiam *alacritatem* eodem modo accipit; ſic hoc in loco Plinius. *G.*

praecurſoria epiſtola) Sic et Rom. *H.*

[deinde — peto]) *Incluſa tum Medicei libri auctoritate, tum eo nomine abeſſe vult Cortius, quod putidum faciant Plinium. Τῷ δ' ἕτερον μὲν ἐγὼ δῴην, ἕτερον δ' ἀπονεύσω. Roga-

patria mea fui, venit ad me salutandum munici-
pis mei filius praetextatus. Huic ego, *Studes?*
inquam. Respondit, *Etiam. Ubi? Mediolani.*
Cur non hic? Et pater eius, (erat enim una, at-
que etiam ipse adduxerat puerum) *Quia nullos hic*
4 *praeceptores habemus. Quare nullos? Nam ve-*
hementer intererat vestra, qui patres estis, (et
opportune complures patres audiebant) *liberos*
vestros hic potissimum discere. Ubi enim aut iu-
cundius morarentur, quam in patria? aut pudi-
cius continerentur, quam sub oculis parentum?
5 *aut minore sumtu, quam domi? Quantulum est*
ergo, collata pecunia, conducere praeceptores?
quodque nunc in habitationes, in viatica, in ea

tionem suam quidni in duo quasi capita tribuat, *in caussas rogandi*, .et in *ipsum* id, *quod petit?* *G.*

Haec suspecta quamvis verba habet Rom. et fortasse marito retinet. *H.*

3 *Huic ego, Studes? inquam*) Sic et Rom. Bene *ego*. *H.*

Al. solenni confusione *ergo*. *S.*

Mediolani) Commode huc advocat Cellarius Inscriptionem ex Grut. p. 177. 4. qua vel urbs vel pars eius *Novarum Athenarum* nomine indicatur. *G.*

5 *Quantulum est ergo* etc.) Rom. *Quantulum est ergo, collata pecunia conducere praeceptores? quodque nunc in habitationes, in viatica, in ea, quae peregre emuntur. (omnia autem peregre emuntur) impenditis, addicere mercedibus.* Ubi vulgo *adiicere* scribitur, hic *addicere* reperio, nec temere reiicio. Id et Catanaeus variantis lectionis loco adscripsit, qui explicat *adsignare salario praeceptoris.* Ea enim *addici* dicuntur, quae rei alicui mancipantur, dicantur, destinantur et, ut vulgus loquitur, deputantur. Frequentia sunt *addicere morti, supplicio, vastitati, servituti.* Erat et praetorium verbum, cum res aliqua adiudicabatur et propria dabatur. Nihilo tamen minus *adiicere* praeferri posse video, si *mercedes* intelligas, quae Mediolani praeceptoribus solvendae erant: quibus si adiicerentur, quae peregre impendenda erant, Novocomenses domi praeceptores alere poterant. *H.*

Recte intellexit *mercedes* vir doctissimus. Igitur *adiicere* servandum. Ceterum Romani libri lectio, si propius intuearis, ne varians quidem videtur, sed nata ex *adicere*, ut librarii saepissime pro *adiicere* scripserunt. Fons hic errorum uberrimus. Vid. Drakenb. ad Liv. 2, 10, 9. — *Ergo* deest in Mediceo, cuius auctoritate Cortius delere debebat. Dici vix potest, quot locorum vim et venustatem inepti glossatores talibus coniunctionibus inferciendis pessum dederint. *S.*

viatica) Non sunt h. l. quae proprie dicuntur s. ἐφόδια, sed pecunia, qua quis procul a patria, e. g. studiorum caussa agens, in alimenta sua utitur. Vid. Ulpian. Dig. lib. 12. tit. 1. leg. 17. *S.*

quae peregre emuntur, (omnia autem peregre emuntur) impenditis, adiicere mercedibus? Atque adeo, ego, qui nondum liberos habeo, paratus sum pro republica nostra, quasi pro filia vel parente, tertiam partem eius, quod conferre vobis placebit,
dare. Totum etiam pollicerer, nisi timerem, ne 6
hoc munus meum quandoque ambitu corrumperetur, ut accidere multis in locis video, in quibus
praeceptores publice conducuntur. Huic vitio uno 7
remedio occurri potest, si parentibus solis ius conducendi relinquatur, iisdemque religio recte iudicandi necessitate collationis addatur. Nam qui 8
fortasse de alieno negligentes, certe de suo diligentes erunt: dabuntque operam, ne a me pecuniam [non] nisi dignus accipiat, si accepturus et

(omnia autem — emuntur)) Inclusa in quibusdam absunt. Sed habent optimi et plures libri. *G.*

Intelliguntur ea, quae peregre, h. e. Mediolani, praeter *ἐφόδια*, viatica, mercedes, impendenda erant. De luxuria saeculi sui Plinius hic ne per somnium quidem cogitavit. *S.*

tertiam partem eius) Considera lector prudentem Secundi liberalitatem, et quas quasi fidiculas suis municipibus adhibeat, ad extorquendam et ipsis collationem. Non pollicetur certam summam: sed solus promittit trientem eius summae, cuius reliqui municipes bessem collaturi essent. Itaque non pudorem modo bonorum virorum acuit, ut erubescant nimis parum conferre: sed ipsam quorundam malevolentiam servire optimo instituto cogit. Procul dubio enim erant, qui iactationem interpretarentur illam Plinii promissionem, eaque ut ipsi non parvo constaret, plus quam alioqui tulisset animus, conferrent. *G.*

6 *ambitu corrumperetur)* Hoc fieret, si eligeretur vel conduceretur is, qui gratia, opibus, precibusve plurimum polleret: nam in his rebus *ambitus* cernitur. *E.*

7 *Huic vitio* etc.) Rom. *Huic vitio occurri uno remedio potest. H.*

Praestat hic ordo. *S.*

8 *ne a me pecuniam* [*non*] *nisi dignus)* Varietatem circa hunc locum notarunt viri docti, quod pro *a me* habent *meam* quidam, alii *eam*, alii denique utrumque. Sed illud nemo, quod sciam, observavit, negationem hic plane incongruam esse, et ad sententiam perturbandam evertendamque pertinere. Quid enim? illudne dari operam vult Secundus, *Ne non accipiat nisi dignus?* an potius, *Ne accipiat nisi dignus?* Igitur *non* illud importunum uncis certe inclusi, ne temere turbet aliquid, dum librorum praesidio quandoque eiiciatur, vel praecedens *ne* in *ut* mutetur. *G.*

Rom. *dabuntque operam, ne eam a me pecuniam non nisi dignus accipiat, si accepturus et ab his erit.* Duplex negatio non iniuria suspecta est: quia vero ea omnibus exemplaribus haeret, haud scio an servari possit.

9 *ab ipsis erit. Proinde consentite, conspirate, ma-*
ioremque animum ex meo sumite, qui cupio esse
quam plurimum, quod debeam conferre. Nihil
honestius praestare liberis vestris, nihil gratius
patriae potestis. Edoceantur hic, qui hic nascun-
tur, statimque ab infantia natale solum amare,
10 *frequentare consuescant. Atque utinam tam cla-*
ros praeceptores inducatis, ut a finitimis oppidis
studia hinc petantur, utque nunc liberi vestri alie-
na in loca, ita mox alieni in hunc locum con-
11 *fluant!* Haec putavi altius et quasi a fonte re-
petenda; quo magis scires, quam gratum mihi
foret, si susciperes, quod iniungo. Iniungo autem,
et pro rei magnitudine rogo, ut ex copia studio-
sorum, quae ad te ex admiratione ingenii tui
convenit, circumspicias praeceptores, quos solici-
tare possimus; sub ea tamen conditione, ne cui
fidem meam obstringam. Omnia enim libera pa-
rentibus servo. Illi iudicent, illi eligant: ego
12 mihi curam tantum et impendium vindico. Pro-
inde si quis fuerit repertus, qui ingenio suo fidat,

Sunt certe exempla eius, ubi negandi vim habet, iteratae. Propert. lib. II. eleg. XV, 32. *Absenti nemo ne nocuisse velit.* Petron. c. 42. *Neminem nihil bonifacere oportet.* Talia plura congesserunt Broukhus. ad Tibull. lib. II. eleg. XV, 5. [immo ad Propert. 2, 15, 5. add. eundem ad Tibull. 4, 1, 127. *S.*] Oudendorp. ad Caesar. lib. V. Gall. c. 23. ad Hirt. de bell. Afr. c. 26. p. 871. b. Vechnerus hellenolex. lib. I. part. II. c. 35. interpretes Cornel. Nep. ad Attic. c. XI. 5. Agesil. VII. 3. *H.*

Dubito tamen, an locum plane gemellum uspiam reperias. Facile igitur assentior Gesnero de vulgatae corruptione; sic tamen, ut *ne* malim, quam *non*, uncis includere. *S.*

9 *Edoceantur*) Cortius ex libris suis *educentur.* Sed recte Gierigius *edoceantur* praetulit. De eruditione hic agitur, non de educatione. Cornel. Nep. Alcib. 2, 1. *Educatus est in domo Periclis — eruditus a Socrate.* Etiam *frequentare*, quod mox sequitur, Gr. φοιτᾷν, nostram lectionem videtur tueri. *S.*

10 *ut a finitimis — petantur*) Sic et Rom. *H.*

11 *si susciperes, quod iniungo*) Rom. *si susceperis, quod iniungo.* *H.*

Hoc si scripsit Plinius, non scripsit *scires*, *foret.* *S.*

ut ex copia studiosorum) Ita et Rom., non *studiorum*, ut quidam. *H.*

eat illuc ea lege, ut hinc nihil aliud certum, quam fiduciam fuam ferat. Vale.

XIV.

Hendecafyllabos, quorum lafciviam excufat, iudicio Paterni fubmittit.

C. PLINIVS PATERNO SVO S.

Tu fortaffe orationem, ut foles, et flagitas et exfpectas: at ego, quafi ex aliqua peregrina delicataque merce, lufus meos tibi prodo. Accipies 2
cum hac epiftola hendecafyllabos noftros: quibus nos in vehiculo, in balineo, inter coenam oblectamus otium temporis. His iocamur, ludimus, 3
amamus, dolemus, querimur, irafcimur: defcribimus aliquid modo preffius, modo elatius: atque

12 *nihil aliud certum)* Cavet his Plinius, ne quis praeceptorum certam et promiffam a fe mercedis fummam expectet. Nam antea dixerat, fe nemini fidem fuam obftringere, fed omnia parentibus libera fervare vello. *E.*
fiduciam fuam ferat) Rom. *fiduciam fuam ferant.* *H.*

XIV, 1 *lufus meos tibi prodo)* Verum quidem eft, quod hic obfervat Cortius, *prodere* effe interdum fimpliciter proferre, producere. Sed tamen nihil impedit, quo minus hoc potiffimum verbo ufum dicamus Plinium, uti fignificaret, fe arcana quafi fua, et non temere omnibus oftendenda, illi aperire. Hoc fuadet etiam f. 6. *G.*

2 *hendecafyllabos)* De toto illo inftituto fuo, verficulos faciendi, agit 7, 4. *G.*

3 *modo preffius, modo elatius)* Sic Rom. cum Medic. *H.*

Cum de hendecafyllabis fermo fit, in quibus lufus maxime et ioci, nulla autem gravitas aut fublimitas dominaretur, malim pro *elatius* legi *latius*, h. e. copiofius, cui faepe *preffa* h. e. brevior oratio opponi folet. Illud et τῷ *defcribere* aptius eft. Nam in defcribendo magis brevitas aut copia, quam aliqua fublimitas aut vis adhibetur. Multi Cortii MSS. et edd. habent *altius*, quod una litera tranfpofita facile ex *latius* fieri poterat. *E.*

Noli vulgatam folicitare. Quidni enim gravitas verfibus conveniat, quibus poëtae non modo iocarentur, luderent, amarent, fed etiam dolerent, quererentur, irafcerentur? Cf. ep. 27, 1. Et in defcriptiones vim etiam atque gravitatem cadere, nemo erit qui neget. Plinius eadem oppofitione 7, 12, 4. *Nam quum fufpicarer, futurum, ut tibi tumidius videretur, quod eft fonantius et elatius; non alienum exiftimavi, — addere ftatim preffius quiddam et exilius.* Ceterum *altius* aliorum librorum a gloffatore profectum. *S.*

ipsa varietate tentamus efficere, ut alia aliis, quae-
4 dam fortasse omnibus placeant. Ex quibus tamen
si nonnulla tibi paullo petulantiora videbuntur,
erit eruditionis tuae cogitare, summos illos et
gravissimos viros, qui talia scripserunt, non mo-
do lascivia rerum, sed ne verbis quidem nudis
abstinuisse. Quae nos refugimus, non quia seve-
riores (unde enim?) sed quia timidiores sumus.
5 Scimus alioqui huius opusculi illam esse verissi-
mam legem, quam Catullus expressit,

Nam castum esse decet pium poëtam
Ipsum, versiculos nihil necesse est:
Qui tunc denique habent salem et leporem,
Si sunt molliculi et parum pudici.

6 Ego quanti faciam iudicium tuum, vel ex hoc
potes aestimare, quod malui omnia a te pensitari,
quam electa laudari. Et sane quae sunt commo-
dissima, desinunt videri, quum paria esse coepe-

quaedam fortasse omnibus placeant) Rom. *quae fortasse omnibus placeant.* Hoc nemini placebit. *H.*

4 *verbis — nudis*) quae rei obscenitatem non velant, adeoque turpibus, obscenis. Iam alii interpp. attulerunt Quintil. 8, 3. 38. *si obscena nudis verbis enunciantur.* His adde Cic. Lib. 9. Epist. 22. de loco, cuius obscenitas non tam in verbis, quam in re inesset: *sermo est totus verbis tectus, re impudentior.* Eadem metaphora Lamprid. Heliog. 34. *praetextum verborum* dixit. De verbis *praetextatis* cf. quae copiosius diximus in Lex. technol. lat. Rhet. *E.*

unde enim?) Interrogatio valdius negans. Sic Graeci: πόθεν γάρ; πόθεν; πῶς γάρ; πῶς γὰρ ἢ πόθεν; Vid. Bergler. ad Alciphr. p. 92. Hemsterh. ad Lucian. T. I. p. 115. *S.*

5 *Catullus;* Exstant carm. 16 ad Aurelium et Furium. add. quae dicimus ad illa 4, 27, 4. *I nunc, quisquis amas.* *G.*

versiculos) Ita et Rom., non *versiculo.* *H.*

Versiculo. Medic. quod miror Cortio non displicuisse. *Versiculos* poscit oppositio, *ipsum.* *S.*

Qui tunc etc.) Rom. *Qui tum denique habent salem et leporem.* Sic scribendum. *H.*

Cicero ep. 14, 2, 7. *ego vero tum denique mihi videbor restitutus, si illa nobis erit restituta.* *S.*

6 *ex hoc* etc.) Rom. *ex hoc potes existimare, quod malui a te.* Deest *omnia.* *H.*

quum paria esse coeperunt) Cum uno tenore plura leguntur brevia carmina, aeque arguta, aeque salsa, gratiam amittunt omnia, vel ob id ipsum, quod nihil eminet. Haec ipsa caussa est, quod argutiis illis, quibus condiuntur epigrammata, in seria oratione caute admodum et mo-

runt. Praeterea fapiens fubtilisque lector debet 7
non diverfis conferre diverfa, fed fingula expendere, nec deterius alio putare, quod eft in fuo
genere perfectum. Sed quid ego plura? Nam 8
longiore praefatione vel excufare vel commendare
ineptias, ineptiffimum eft. Unum illud praedicendum videtur, cogitare me has nugas meas ita
infcribere, HENDECASYLLABI, qui titulus fola
metri lege conftringitur. Proinde five *epigram-* 9
mata, five *idyllia*, five *eclogas*, five (ut multi)
poëmatia, feu quod aliud vocare malueris, licebit
voces: ego tantum *hendecafyllabos* praefto. A fim- 10

derate utendum eft non minus, quam condimentis acrioribus etc. *G.*

Non fatis intelligitur, quomodo *paria* hoc fenfu dicantur. Senfus eft: cum faepius repetuntur eadem acumina et commode dicta. *E.*

Nulla hîc obfcuritas. *Paria* Catanaeus commode interpretatur *omnia optima.* Talia enim electa effe folent. *S.*

7 *debet non diverfis conferre*) Rom. *non debet diverfis conferre. H.*

nec deterius alio putare) Rom. *nec deterius in alio putare. H.*

8 *Nam longiore praefatione*) Rom. *Nam longa praefatione. H.*

Sic Cortius ex duobus codicibus. Accedo. Praeferendus pofitivus, cum Secundus univerfe de nugarum commendatione loquatur. Idem Sidonius videtur legiffe. *S.*

cogitare me has etc.) Rom. *cogitare me has meas nugas ita infcribere Endecafyllabos.* Facile Cortio concedo, *meas* et *ita*, quorum locus incertus eft, delenda effe. *H.*

metri lege) Undecim nimirum fyllabarum menfurae adftricti funt verficuli; quo in genere funt Sapphici, Phaleuci, et Hipponactei. *G.*

9 *Proinde five* etc.) Rom. *Proinde five epigrammata, five elegidria,* [ita fcriptum] *five eglogas, five, ut multi, poēmata, feu quod aliud vocare volueris, licebit voces: ego tantum Endecafyllabos.* Verbum *praefto* non habet. *H.*

Non pro nihilo eft illa libri Romani lectio, Catanaeo etiam oblata. Secundus, ni fallor, fcripfit: *five epigrammata, five elegidia, five idyllia, five eclogas* etc. Cafaubonus ad Perfium pag. 97. ed. Londin. „*elegidia*, h. e. non magna poë„mata et opera legitima: fed „minuta quaedam opufcula, ut „elegiae non πολύστιχοι: et fi„milia momenti non magni car„mina. — — elegia appellarunt „etiam alia parva atque εὐτελῆ „carmina etc." *S.*

hendecafyllabos praefto) Pofterior vox in bonis quibusdam libris abeft; et poteft intelligi ex fuperioribus *voco.* Sed elegans etiam eft *praefto*, ex forenfi illa fignificatione, q. d. ego nihil aliud promitto, nifi verficulos XI fyllabis conclufos; fi quis v. g. *epigrammata* exfpectet, is fibi imputet, fi falfus fuerit, non mihi, qui nihil promiferim. *G.*

10 *A fimplicitate tua*) Candore adulari, diffimulare, mentiri, nefcio. *G.*

Hoc fenfu femper in his epiftolis Plinius. Supra aliquoties. Vid. Index. *E.*

plicitate tua peto, ut, quod de libello meo dicturus es aliis, mihi dicas: neque est difficile, quod postulo. Nam si hoc opusculum nostrum aut potissimum esset aut solum, fortasse posset durum videri dicere, *Quaere, quod agas:* molle et humanum est, *Habes, quod agas.* Vale.

XV.

Futuro consuli, ut auguratur, Asinium, tanquam eius quaestorem futurum, commendat.

C. PLINIVS FVNDANO SVO S.

Si quid omnino, hoc certe iudicio facio, quod
Asinium Rufum singulariter amo. Est homo ex-
imius et bonorum amantissimus. Cur enim non
me quoque inter bonos numerem? Idem Corne-
lium Tacitum (scis quem virum) arcta familiari-
2 tate complexus est. Proinde si utrumque nostrum
probas, de Rufo quoque necesse est idem sen-
tias, quum sit ad connectendas amicitias vel te-
3 nacissimum vinculum morum similitudo. Sunt
ei liberi plures. Nam in hoc quoque functus est
optimi civis officio, quod foecunditate uxoris lar-
ge frui voluit eo seculo, quo plerisque etiam
singulos filios orbitatis praemia graves faciunt:

peto, ut, quod etc.) Rom. *peto, quod de libello meo*, sine *ut.* *H.*

Delent *ut* Cortius et Gierigius. Bene. Vid. Drakenb. ad Liv. 32, 35, 5. *S.*

Quaere, quod agas) Circumspice aliud scribendi genus, in quo operae pretium facias: in hoc enim laudem vix assequeris. Contra Plinio potest dici, Habes orationes, in quibus decus aliquod iam consecutus es, in his porro elabora, et spera plausum eruditum; quid tibi vis cum versiculis, quibus facilius partam gloriam effundes, quam novam parias. *G.*

XV, 1 *iudicio facio*) Non caeco impetu, amore praecurrente cognitionem: sed postquam inspexi hominem, et iudicavi amore meo dignum. *G.*

2 *necesse est idem sentias*) Rom. *necesse est, ut idem sentias.* *H.*

3 *orbitatis praemia*) Orbos enim captant reliqui, et infimis blanditiis testamenti honorem ab iis promereri cupiunt. Multa in

quibus ille despectis, avi quoque nomen adsum-
sit. Est enim avus, et quidem ex Saturio Firmo,
quem diliges, ut ego, si, ut ego, propius inspe-
xeris. Haec eo pertinent, ut scias, quam copio- 4
sam, quam numerosam domum uno beneficio sis
obligaturus: ad quod petendum, voto primum,
deinde bono quodam omine adducimur. Opta- 5
mus enim tibi ominamurque in proximum annum
consulatum. Ita nos virtutes tuae, ita iudicia
principis augurari volunt. Concurrit autem, ut 6
sit eodem anno quaestor, maximus ex liberis
Rufi, Asinius Bassus, iuvenis, (nescio an dicam,
quod me pater et sentire et dicere cupit, adole-
scentis verecundia vetat) ipso patre melior. Dif- 7
ficile est, ut mihi de absente credas, quamquam
credere soles omnia, tantum in illo industriae,
probitatis, eruditionis, ingenii, studii, memoriae
denique esse, quantum expertus invenies. Vellem 8
tam ferax seculum bonis artibus haberemus, ut
aliquos Basso praeferre deberes: tum ego te pri-
mus hortarer moneremque, circumferres oculos,

orborum captatores Horatius, v. g. Sat. 2, 5, 28. sqq. et Iuvenalis 4, 18. inprimis 5, 137. *Dominus tamen, et Domini Rex Si vis tu fieri, nullus tibi parvulus aula Luserit Aeneas, nec filia dulcior illo.* ii. 6, 3, 8. sqq. et 12, 99. Lepidissimus autem ut ubique ita circa hoc argumentum, in mortuorum Dialogis Lucianus. *G.*

Ceterum *orbitatis praemia* dicit munera, quae orbis mittebantur ab heredipetis. *E.*

5 *Optamus enim — — consulatum*) Ita et Rom. *H.*

Ita nos etc.) Rom. *Ita nos virtuti tuae iudicia principis augurari volunt.* *H.*

iudicia principis) optimi ac sapientissimi, Traiani, bonos eligere consueti. *G.*

6 *Concurrit*) Prospere simul accidit, vel accedit illis commodis. *E.*

nescio an dicam) Nota, qui veram pulchritudinem vel amas, vel intelligere cupis, ut amare possis; observa igitur ἦθος mirificum, pater videri cupit filium suum se ipso meliorem, adolescentis verecundia vetat hoc dicere Plinium. Ita me Deus amet, ut pater ille amabilis, ut amari dignissimus filius, ut venustissimus, qui ista prodiderit, Secundus, et ipsa dubitatione sua quasi animaverit, atque in rem praesentem nos deduxerit. *G.*

7 *Difficile est* etc.) Rom. *Difficile est mihi, ut de absente credas.* *H.*

8 *hortarer moneremque*) Rom. *hortarer inoraremque.* *H.*

9 ac diu penſitares, quem potiſſimum eligeres. Nunc vero — Sed nihil volo de amico meo arrogantius: hoc ſolum dico, dignum eſſe iuvenem, quem
10 more maiorum in filii locum adſumas. Debent autem ſapientes viri, ut tu, tales quaſi a republica liberos accipere, quales a natura ſolemus optare. Decorus erit tibi conſuli quaeſtor patre praetorio, propinquis conſularibus: quibus, iudicio ipſorum, quamquam adoleſcentulus adhuc, iam
11 tamen invicem ornamento eſt. Proinde indulge precibus meis, obſequere conſilio, et ante omnia, ſi feſtinare videor, ignoſce: primum, [quia votis ſuis amor plerumque praecurrit: deinde,] quod in ea civitate, in qua omnia quaſi ab occupantibus aguntur, quae legitimum tempus exſpectant, non matura, ſed ſera ſunt: deinde, quod rerum,

quem potiſſimum eligeres) Sic et Rom. Perperam vulgo *elegeris*. *H.*

9 *Nunc vero — Sed*) Apoſiopeſis elegans. Reticet, quod triſto erat commemorare, et invidioſum, nimirum ſeculum adeo effoetum et inane, ut inveniri par Baſſo virtus non poſſit. *G.*

Rom. *Hunc vero*. *H.*

Perperam. Sic Graeci *νῦν δέ*. *S.*

in filii locum) Religionem enim et pietatem quaſi paternam inter Conſulem et Quaeſtorem intercedere volebant Romani, de qua *ſortis neceſſitudine*, ut ibi vocatur, loca Ciceronis plura laudat Boſius ad Nepotis Catonem 1, 3. *G.*

10 *tales quaſi a republica liberos*) Rom. *tales a republica liberos*, omiſſo *quaſi*. *H.*

Cortius e codicibus, ordine meliore: *tales quaſi liberos a rep.* *S.*

Decorus erit tibi) Rom. *Decorum erit tibi*. *H.*

11 [*quia votis — deinde,*]) Haec Cortio teſte abſunt in optimis libris et vix efficiunt ſententiam Plinio dignam. *G.*

Haec ita, ut vulgata ſunt, habet Rom. etſi abeſſe poſſunt. *H.*

Immo retinenda ſunt. Omiſit librarius, cuius oculus a priore nota nunc *quia* nunc *quod* ſignificante (unde nata frequentiſſima harum particulauum confuſio; vid. Drakenb. ad Liv. 38, 36, 4. coll. Cort. ad Plin. ep. 1, 13, 4.) ad poſteriorem aberraſſet. Pro genuinis habebat Erneſtius etiam, qui, „Gesnerus," inquit, „ea verba „uncis incluſerat, quos nunc delevimus. Argumenta Cortii non „ſatis firma ſunt, et a Gierigio „bene refutata. Tironum gratia „monendum, *votis ſuis* non eſſe „dativos, qui a *praecurrit* pendeant, ſed ablativos hoc ſenſu: „*amor votis ſuis praecurrit* ſcil. „legitimum tempus, non expectare illud poteſt." *S.*

ſed ſera — rerum) Sic et Rom. *H.*

deinde) Sic libri optimi modo laudati: alii habent *in ſumma*. *G.*

Praeſtat *in ſumma*, a Gierigio bene reductum. Eſt i. q. denique. *S.*

quas adsequi cupias, praesumtio ipsa iucunda est.
Revereatur iam te Bassus ut consulem: tu dilige 12
eum ut quaestorem: nos denique, utriusque ve-
strum amantissimi, duplici laetitia perfruamur.
Etenim quum sic te, sic Bassum diligamus, ut et 13
illum cuiuscunque, et tuum quemcunque quae-
storem in petendis honoribus omni opera, omni
labore, gratia simus iuvaturi; perquam iucundum
nobis erit, si in eundem [iuvenem] studium no-
strum, et amicitiae meae et consulatus tui ratio
contulerit: si denique precibus meis tu potissimum
adiutor accesseris, cuius senatus et suffragio liben-
tissime indulgeat, et testimonio plurimum credat.
Vale.

XVI.

Hortatur ad studium, quum sit literis adhuc honor.

C. PLINIVS VALERIO PAVLLINO SVO S.

Gaude meo, gaude tuo, gaude etiam publico nomine. Adhuc honor studiis durat. Proxime,

praesumtio) Fructus quasi praecox, cum ante tempus legitimum frui licet votis. Videmus hoc quotidie in lautorum hominum epulis, qui asparagos, pisa, cerasa, flores, res alioquin satis vulgares, tempore non suo magno redimunt, maturas adspernantur. *G.*

12 *duplici laetitia perfruamur*) Rom. *laetitia duplici perfruamur.* *H.*

13 *cuiuscunque*) scil. consulis fiat quaestor. *E.*

omni opera etc.) Rom. *omni opera, labore gratia simus adiuturi, perquam iucundum nobis erit, si in eundem studium nostrum.* Deest *iuvenem.* *H.*

gratia Leg. ex libris bonae notae *omni gratia.* *S.*

si in eundem etc.) si unum eundemque Bassum non solum amicitia mea, sed et consulatus tui futuri auctoritate adiutum videro. — Ceterum, ut omnis epistola, ita inprimis ultimus locus, *Etenim quum* etc. usque ad finem, tam operosi studii, quo Plinius scripsit, vestigia habet, ut se argutiis, et omnem orationem obscuritate quadam vix liberam praestiterit. *E.*

[*iuvenem*]) Desideratur haec vox in bonis quibusdam libris, et abesse potest, iudice Cortio. *G.*

si denique etc.) Rom. *si denique precibus meis tu potissimum adiutor adcesseris, cuius et senatus suffragio.* *H.*

Cortius ex Mediceo: *cuius et suffragio senatus l. i.* Ordo hic verborum genuinus. *S.*

XVI, 1 *Gaude meo* etc.) Rom. *Gaudeo meo, gaudeo tuo, gaudeo.* *H.*

quum dicturus apud centumviros essem, adeundi mihi locus, nisi a tribunali, nisi per ipsos iudices,
2 non fuit: tanta stipatione cetera tenebantur. Ad hoc quidam ornatus adolescens, scissis tunicis, ut in frequentia solet, sola velatus toga perstitit, et quidem horis septem. Nam tamdiu dixi, ma-
3 gno cum labore, sed maiore cum fructu. Studeamus ergo, nec desidiae nostrae praetendamus alienam. Sunt qui audiant, sunt qui legant: nos modo dignum aliquid auribus, dignum chartis elaboremus. Vale.

XVII.

Admonitus a Gallo, Corelliae suam operam contra designatum consulem pollicetur, idque propter Corellii patris in se merita, quae praedicat.

C. PLINIVS GALLO SVO S.

Et admones et rogas, ut suscipiam absentis Corelliae caussam contra C. Caecilium, consulem designatum. Quod admones, gratias ago: quod rogas, que-

2 *scissis tunicis)* Merito miratur Marklandus ad Stat. Silv. 4, 9, 24. quomodo scindi tunicae potuerint, toga integra, suspicaturque legendum *scissa toga, sola velatus tunica.* Huic ita satis putabat fieri posse Cortius, quod toga laxius iniecta prementibus facillime crederet, eam potuisse integram servari, non item tunicam pressius adstrictam. Nobis videbatur ita etiam tueri licere lectionem receptam, uti dicamus, togam et robustiorem et in bracbium humerosque collectam facilius vim urgentium sustinuisse, quam tenuioris fili tunicas, quas ita colligere non licuisset. Ita nostris moribus pallio integro scindi possunt vestes aliae. *G.* Add. Gesneri ad I. A. Ernestium epistola.

Mihi nec Cortii nec Gesneri ratio placet. Sola Marklandi interpretatio intelligi potest. Locus non est satis emendatus, vel ratio vestimentorum, quae hic valuit, nobis ignota est. *E.*

ut in frequentia solet) Rom. *ut in frequentia solet fieri.* *H.* Vid. Drakenb. ad Liv. 6, 34, 5. 36, 23, 2. *S.*

XVII, 1 *quod rogas, queror)* Ut ille Terentianus Chremes Andr. 3, 3, 12. *Ah ne me obsecra, Quasi hoc te orando a me impetrare oporteat.* Pluscula ex hoc genere sunt apud Ciceronem, quibus indicatur, in vera amicitia non opus esse precibus ad hoc, ut alter alterius commoda procuret; indicato tantum opus esse, et monitu, ut sciatur, qua ratione consuli illi queat. *G.*

tor. Admoneri enim debeo, ut sciam: rogari
non debeo, ut faciam, quod mihi non facere
turpissimum est. An ego tueri Corellii filiam du- 2
bitem? Est quidem mihi cum isto, contra quem
me advocas, non plane familiaris, sed tamen ami-
citia. Accedit huc dignitas hominis, atque hic 3
ipse, cui destinatus est, honor: cuius nobis hoc
maior habenda reverentia est, quod iam illo fun-
cti sumus. Naturale est enim, ut ea, quae quis
adeptus est ipse, quam amplissima existimari velit.
Sed mihi cogitanti, adfuturum me Corellii filiae, 4
omnia ista frigida et inania videntur. Obversatur
oculis ille vir, quo neminem aetas nostra gravio-
rem, sanctiorem, subtiliorem denique tulit: quem
ego, quum ex admiratione diligere coepissem,
quod evenire contra solet, magis admiratus sum,
postquam penitus inspexi. Inspexi enim penitus: 5
nihil a me ille secretum, non ioculare, non se-

Admoneri enim debeo etc.) Rom. *Admoneri enim debeo, non rogari ut faciam.* Desunt *ut sciam*, quae tamen adesse debent. Alterum *debeo* minus necessarium est. *H.*

2 *Corellii filiam*) De quo 1, 12. et 3, 3. quae ad ipsam Corelliam scripta est. *G.*

non plane familiaris) Lectio elegans et vera a Cortio e MSS. prolata. *Non plane familiaris amicitia, sed amicitia tamen.* Consueta Plinio ellipsis. Etiam reliqua, in quibus a Cellariana editione hic disceditur, Cortii debentur diligentiae. *G.*

Rom. *non plane familiaris, sed tamen amicitia.* *H.*

3 *Accedit huc dignitas* etc.) Rom. *Adcedit huc dignitas hominus adhoc ipse, cui destinatus est honor, cuius nobis maior habenda reverentia est*, non *agenda.* *H.*

Ad hoc verum videtur. Paullo ante ep. 16, 2. *Ad hoc quidam ornatus adolescens* etc. multisque aliis locis. *S.*

Naturale est enim etc.) Rom. *Naturale est enim, ut ea, quae quis adeptus est, ipse quam amplissima existimari velit.* *H.*

Rectius post *ipse* inciditur. *S.*

4 *subtiliorem*) doctiorem, ut supra Epist. 1, 22. Semper subtilitate, si de ICtis vel oratoribus sermo est, acumen, prudentia, doctrina comprehenditur. Vid. Lex. techn. rhet. lat. s. v. *Subtilis.* *E.*

Ep. 2, 9, 3. *iuvenem probissimum, gravissimum, eruditissimum.* *S.*

Rom. *subtiliorem tulit.* Abest *denique.* *H.*

Abest item in Mediceo: nec commode hic ponitur. *S.*

quod evenire contra solet) Plerique enim extra nitent, introrsum turpes; quo magis noveris, eo magis contemnendi. Hinc illud, quod minuit praesentia famam, quod pauca adeo beata coniugia. *G.*

5 *nihil a me ille secretum*) Rom. *nihil ille a me secretum*, ut scripti omnes. *H.*

6 rium, non trifte, non laetum. Adolefcentulus
eram, et iam mihi ab illo honor, atque etiam
(audebo dicere) reverentia, ut aequali, habebatur.
Ille meus in petendis honoribus fuffragator et te-
ftis; ille in inchoandis deductor et comes; ille in
gerendis confiliator et rector; ille denique in
omnibus officiis noftris, quamquam et imbecillus
et fenior, quafi iuvenis et validus confpiciebatur.
7 Quantum ille famae meae domi, quantum in pu-
blico, quantum etiam apud principem adftruxit?
8 Nam quum forte de bonis iuvenibus apud Ner-
vam imperatorem fermo incidiffet et plerique me
laudibus ferrent, paullisper fe intra filentium te-
nuit, quod illi plurimum auctoritatis addebat;
deinde gravitate, quam noras, *Neceffe eft*, inquit,
parcius laudem Secundum, quia nihil nifi ex con-
9 *filio meo facit.* Qua voce tribuit mihi, quantum
petere voto immodicum erat: nihil me facere
non fapientiffime, quum omnia ex confilio fapien-
tiffimi viri facerem. Quin etiam moriens, filiae
fuae, (ut ipfa folet praedicare) *Multos quidem ami-*
cos, inquit, *tibi in longiore vita paravi, praeci-*
10 *puos tamen, Secundum et Cornutum.* Quod dum
recordor, intelligo mihi laborandum, ne qua par-
te videar hanc de me fiduciam providentiffimi vi-
11 ri deftituiffe. Quare ego vero Corelliae adero
promtiffime; nec fubire offenfas recufabo: quam-
quam non folum veniam me, verum etiam laudem

6 *reverentia, ut aequali, habebatur)* Rom. *reverentia, ut ab aequali, habebatur.* *H.*
Longe praeftat noftra lectio. Reverentia non adolefcentulis defertur, fed fenioribus. *S.*

quamquam et imbecillus et fenior) Rom. *quamquam et imbecillis et fenior.* *H.*
Bene habet noftra forma. Vid. Cort. ad Salluft. p. 24. Schwarz. ad Plin. Paneg. p. 392. *S.*

7 *quantum in publico)* Rom. *in publico*, omiffo *quantum.* *H.*

8 *Neceffe eft* etc.) alioqui non tam Secundum laudarem, quam me ipfum, auctorem omnium eius factorum. *S.*

9 *Multos quidem amicos* etc.) Rom. *Multos quidem amicos tibi,* fine verbo *inquit,* nec male. *H.*

10 *Quod dum recordor)* Rom. *Quod cum recordor.* *H.*

11 *Quare ego vero)* Vid. de hac compofitione ad 3. 8. 4. *G.*

apud istum ipsum, a quo, ut ais, nova lis fortasse, ut feminae, intenditur, arbitror consequuturum, si haec eadem in actione, latius scilicet et uberius, quam epistolarum angustiae sinunt, contigerit mihi vel in excusationem, vel etiam in commendationem meam dicere. Vale.

XVIII.

Antonini epigrammata Graeca laudat, ex quibus Latine se, sed impari successu, convertisse dicit.

C. PLINIVS ANTONINO SVO S.

Quemadmodum magis approbare tibi possum, quantopere mirer epigrammata tua Graeca, quam quod quaedam aemulari Latine et exprimere tentavi? In deterius quidem. Accidit hoc primum imbecillitate ingenii mei, deinde inopia, vel potius, ut Lucretius ait, egestate patrii sermonis.
Quod si haec, quae sunt et Latina, et mea, ha- 2

ut feminae) Scio quas interpretationes admittat τὸ *ut*. Potest intelligi, *tanquam feminae*, quae consilii inops sit. Verum hoc prudentiae adversarii repugnat et honestati, quam non negat illi hoc ipso loco Plinius. Potest intelligi de iuribus et privilegiis mulierum, et hoc malim. Sed vide tamen, an non commodius sit, si addicant quandoque libri, legere simpliciter, *nova lis fortasse* huic *feminae intenditur*. *G.*

Plane et certo scire, quem sensum nunc illa, *ut feminae*, habeant, non possumus prius, quam, qualis illa *nova lis* fuerit, didicerimus. Interim Gesneriana illa sufficient. *E.*

Ita interpungo: *a quo, ut nisi nova lis, fortasse ut feminae intenditur*. Litem intendi a Caecilio, certum erat; eam vero, ut feminae, intendi, Galli coniectura fuit. *H.*

XVIII *Antonino*) Conf. supra 4, 3. *G.*

1 *quaedam aemulari* etc.) Rom. *quaedam Latine aemulari et exprimere tentavi*. *H.*

In deterius etc.) Rom. *In deterius tamen adcidit hoc*. *H.*

Tamen etiam Cortiana. Mihi *quidem* genuinum videtur. *S.*

inopia, vel potius) Rom. *inopia, ac potius*. *H.*

Vid. Cort. ad 2, 14, 13. *S.*

ut Lucretius ait) v. g. de homoeomeria Anaxagorae 1, 832. *Quam Graeci memorant, nec nostra dicere lingua Concedit nobis patrii sermonis egestas.* Add. 1, 140. Est autem *egestas* amplius quiddam et gravius, quam *paupertas*. *G.*

bere tibi aliquid venuſtatis videbuntur, quantum putas ineſſe eis gratiae, quae et a te, et Graece, proferuntur? Vale.

XIX.

Uxoris ingenium et mores, ſoceri ſorori, quae educaverat, mirifice laudat, et gratias agit.

C. PLINIVS HISPVLLAE SVAE S.

Quum ſis pietatis exemplum, fratremque optimum, et amantiſſimum tui, pari caritate dilexeris, filiamque eius, ut tuam, diligas, nec tantum amitae eius, verum etiam patris amiſſi adfectum repraeſentes; non dubito, maximo tibi gaudio fore, quum cognoveris, dignam patre, dignam te, di-
2 gnam avo evadere. Summum eſt acumen, ſumma frugalitas: amat me, quod caſtitatis indicium eſt. Accedit his ſtudium literarum, quod ex mei cari-
3 tate concepit. Meos libellos habet, lectitat, ediſcit etiam. Qua illa ſolicitudine, quum videor acturus, quanto, quum egi, gaudio adficitur? Disponit, qui nuntient ſibi, quem adſenſum, quos clamores excitarim, quem eventum iudicii tulerim. Eadem,

XIX *Hiſpullae*) Corellii, de quo 1, 12. et 3, 3. itemque 4, 17. viduae. *G.*

1 *fratremque optimum*) Patrem Calpurniae ſecundae coniugis Plinii noſtri ante patrem ſuum Fabatum, quod vel ex hac epiſtola verbisque quae tractamus apparet, defunctum. *G.*

nec tantum amitae eius) Rom. *nec tantum amitae ei*, non *eius*, quod deterius eſt. *H.*

Sic et alii libri. Bene. Saepius confuſa *ei, eius*. Vid. Cort. ad 2, 9, 4. Similiter 2, 1, 8. *praeterea quod ille tutor mihi relictus, adfectum parentis exhibuit.* *S.*

2 *acumen*) animi velocitas, agilitas, non ſemper coniuncta illa cum frugalitate. Sic, Columella auctore 1, 9, 4. vineae non tam homines *frugi*, quam *acuminis ſtrenui* exigunt. *S.*

caſtitatis indicium) Quomodo? Nempe Plinius paullo poſt ipſe cauſſam ſuam dicit. *Non aetatem meam*, inquit, *aut corpus, quae paullatim occidunt ac ſeneſcunt, ſed gloriam diligit.* Itaque et eam ex ſui caritate *ſtudium literarum concepiſſe* praedicat. Niſi cui forte magis placuerit, illa *amat me* ita inſignire voce et pronuntiatione, ut ſenſus prodeat hic: amat me ſolum, mei unius amore contenta eſt. *E.*

3 *quos clamores*) Plauſus. vid. 4, 5, 1. *G.*

ſt quando recito, in proximo, discreta velo, ſe-
det, laudesque noſtras avidiſſimis auribus excipit.
Verſus quidem meos cantat formatque cithara, 4
non artifice aliquo docente, ſed amore, qui ma-
giſter eſt optimus. His ex cauſſis in ſpem cer- 5
tiſſimam adducor, perpetuam nobis maioremque
in dies futuram eſſe concordiam. Non enim aeta-
tem meam, aut corpus, quae paullatim occidunt
ac ſeneſcunt, ſed gloriam diligit. Nec aliud de- 6
cet tuis manibus educatam, tuis praeceptis inſti-
tutam: quae nihil in contubernio tuo viderit, niſi
ſanctum honeſtumque: quae denique amare me
ex tua praedicatione conſueverit. Nam quum ma- 7
trem meam parentis loco venerarere; me quoque
a pueritia ſtatim formare, laudare, talemque,
qualis nunc uxori meae videor, ominari ſolebas.
Certatim ergo tibi gratias agimus: ego, quod il- 8
lam mihi; illa, quod me ſibi dederis, quaſi invi-
cem elegeris. Vale.

XX.

De libris Maximi cum laude eorundem iudicat.

C. PLINIVS MAXIMO SVO S.

Quid ſenſerim de ſingulis libris tuis, notum tibi, ut quemque perlegeram, feci. Accipe nunc, quid

4 *Verſus quidem meos* etc.) Rom. *Verſus quidem meos cantat etiam format atque cithara*, male. *H.*

Etiam genuinum puto: *atque* natum eſt ex iteratione duarum literarum. *S.*

formatque cithara) Hoc ita intelligo: formam et ſpeciem quandam verſibus dat, eos cithara ornat, ut iam magis etiam placeant. Non raro *formare* ita dicitur, ut adiunctam commendandi aut ornandi notionem habeat, inprimis de oratione. *E.*

Immo ſimpliciter eſt, ad ſonum citharae modulatur. Vide, praeter interpretes ad h. l., Aeg. Forcellin. Lex. h. v. *S.*

5 *Non enim aetatem meam)* Rom. *Non aetatem meam*, ſine *enim*. *H.*

7 *Nam quum matrem* etc.) Rom. *Nam cum matrem meam parentis vice dilexeris: me a pueritia*, omiſſo *quoque*. *H.*

Placuit *vice dilexeris* Cortio et Gierigio: nec ego refragor. Mallem tamen *diligeres*. *S.*

8 *quaſi invicem elegeris)* Sic et Rom. *H.*

XX, 1 *Quid ſenſerim* etc.) Rom. *Quid ſenſerim de ſingulis tuis libris*. *H.*

2 de universis generaliter iudicem. Est opus pul-
chrum, validum, acre, sublime, varium, elegans,
purum, figuratum, spatiosum etiam, et cum ma-
gna tua laude diffusum. In quo tu ingenii simul
dolorisque velis latissime vectus es, et horum
3 utrumque invicem adiumento fuit. Nam dolori
sublimitatem et magnificentiam ingenium; ingenio
vim et amaritudinem dolor addidit. Vale.

XXI

Helvidias sorores, a partu exstinctas, deflet.

C. PLINIVS VELIO CEREALI SVO S.

Tristem et acerbum casum Helvidiarum sororum!
Utraque a partu, utraque filiam enixa decessit.
2 Adficior dolore, nec tamen supra modum doleo.
Ita mihi luctuosum videtur, quod puellas hone-
stissimas in flore primo foecunditas abstulit. An-
gor infantium sorte, quae sunt parentibus statim,
et dum nascuntur, orbatae. Augor optimorum

2 *opus pulchrum) pulchrum*, si certam notionem quaerimus, apud Plinium fere habet laudem utilitatis, et honestatis, quae h. l. ad argumentum referri possunt. Cf. Ep. 3, 18, 3. — *varium*, rerum vicissitudine, quae taedium legendi tollit, *τὸ ποικίλον* Graecorum, cui *τὸ ὁμοειδὲς, προσκορὲς, μονότροπον* opponunt. — *purum*, emendatum, latinum. vid. Cic. de Or. 3, 8. et 10. et Brut. 74. ubi *inquinate loqui* contrarium illi puritati vitium commemoratur. *E.*

vectus es etc.) Rom. *vectus es: horum utrumque invicem adiumento fecit.* Malo hoc pro *fuit. H.*

3 *amaritudinem)* Quam *δριμύτητα* vocant Graeci, acrimoniam vehementem ac mordacem, quae ad iram, invidiam, reprehensionem, severitatem, pertinet. *G.*

XXI, 1 *Helvidiarum*) De quarum patre et actione librisque, quos deinde §. 3. commemorat, agit infra 9, 13. *G.*

Utraque a partu) Rom. *Utraque partu*, sine praepositione. *H.*

2 *Ita mihi luctuosum videtur)* Etsi ita omnes adhuc ediderunt, nec aliud quidquam in scriptis reperitur: apertum tamen est, Plinium scripsisse, *Id mihi luctuosum videtur.* Non supra modum se dolere dicit: sequitur, quid luctuosissimum putet: postremo quid solatio sit, exponit. *H.*

Vulgatam Gierigius tuetur loco Tulliano Verr. 1, 46. Vid. Clav. Cicer. *S.*

maritorum, angor etiam meo nomine. Nam pa- 3
trem illarum defunctum quoque perseverantiſſime
diligo, ut actione mea, librisque teſtatum eſt,
cui nunc unus ex tribus liberis ſupereſt, domum-
que, pluribus adminiculis paullo ante fundatam,
deſolatus fulcit ac ſuſtinet. Magno tamen fo- 4
mento dolor meus adquieſcet, ſi hunc ſaltem for-
tem et incolumem, paremque illi patri, illi avo
fortuna ſervaverit. Cuius ego pro ſalute, pro
moribus, hoc ſum magis anxius, quod unicus
factus eſt. Noſti in amore mollitiem animi mei, 5
noſti metus. Quo minus te mirari oportebit,
quod plurimum timeam, de quo plurimum ſpero.
Vale.

XXII.

Iunii Maurici graviter et fortiter dicta.

C. PLINIVS SEMPRONIO RVFO SVO S.

Interfui principis optimi cognitioni, in conſilium
adſumtus. Gymnicus agon apud Viennenſes, ex
cuiusdam teſtamento, celebrabatur. Hunc Tre-
bonius Rufinus, vir egregius nobisque amicus, in
duumviratu ſuo tollendum abolendumque curavit.
Negabatur ex auctoritate publica feciſſe. Egit 2

3 *domumque — ſuſtinet)* unus ex tribus liberis gentem et familiam ſuſtinet. Hanc ſententiam ornat: *domus* eſt familia, hanc *fundatam* a patre, liberi tanquam *adminicula* fulciunt ac ſuſtinent. *E.*

4 *unicus factus*) Metuebat enim, ne forte hunc iam unicum filiolum nimius amor matris, ut fit, corrumperet. *E.*

Rom. *quod unicus eſt.* Deeſt *factus*, quod abeſſe quidem poteſt, nec tamen unius exemplaris ſuffragio damnandum videtur. *H.*

5 *mollitiem animi mei*) Rom. *mollitiam a. m.* *H.*

XXII, 1 *in duumviratu) Duumviros* in coloniis et municipiis eo loco fuiſſe inter decuriones, quo in Senatu Romano Conſules, notum. Laudarunt iam hic viri docti Sigonium de iure Ital. 3, 4. *G.*

Rom. *in duumviratu tollendum.* Abeſt *ſuo.* *H.*

Deeſt in aliis quoque libris, omiſitque Cortius. Et poteſt commode abeſſe: ſaepe tamen *ſuus* additum eſt, ubi tuto omitti potuiſſet. Vid. Drakenb. ad Liv. 3, 8, 8. *S.*

ipſe cauſſam non minus feliciter quam diſerte. Commendabat actionem, quod tanquam homo Romanus et bonus civis in negotio ſuo mature et
3 graviter loquebatur. Quum ſententiae perrogarentur, dixit Iunius Mauricus (quo viro nihil firmius, nihil verius) non eſſe reſtituendum Vienneuſibus agona: adiecit, *Vellem etiam Romae*
4 *tolli poſſet.* Conſtanter, inquis, et fortiter. Quidni? Sed hoc Maurico novum non eſt. Idem apud Nervam imperatorem non minus fortiter. Coenabat Nerva cum paucis. Veiento proximus, atque etiam in ſinu recumbebat. Dixi omnia,
5 quum hominem nominavi. Incidit ſermo de Catullo Meſſalino, qui, luminibus orbatus, ingenio ſaevo mala caecitatis addiderat: non verebatur, non erubeſcebat, non miſerebatur: quo ſaepius

2 *mature et graviter*) Macrob. Saturn. 5, 1. Sunt, inquit, ſtili dicendi duo, diſpari moralitate diverſi. Unus eſt *maturus et gravis*, qualis L. Craſſo adſignatur etc. Iam de eodem Craſſo Cicero Bruto 38. Equidem Craſſo nihil ſtatuo fieri potuiſſe *perfectius.* Erat ſumma gravitas etc. *E.*

3 *Vellem etiam Romae)* Viri graves ſemper ludos publicos, otii, luxuriae, libidinum officinas, vel contemſerunt vel reprehenderunt: Chriſtiani etiam deteſtati ſunt, ac *daemonum malorum conſiſtoria* dixere. *G.*

4 *Dixi omnia*) Satis tibi iam deſcripſi hominem, cum nominavi. Impotentem adulatorem et gratia principis abutentem colligas ex Iuvenalis 3, 185. et 6, 113. Cum Catullo Meſſalino iungit 4, 113. ubi Senatum Domitiani recenſet de magno piſce convocatum, *Et cum mortifero prudens Veiento Catullo*, qui mox *coecus adulator* ab eo vocatur. Dicit deinde talem ſententiam Veiento, unde inter principes adulatores fuiſſe intelligas. *G.*

5 *Catullo Meſſalino*) De quo modo ex Iuvenali. Unde probari poſſit, eſſe eum ipſum Catullum, cuius Cyrenaicae praefecti crudelitatem in Iudaeos, et miſerum vitae exitum enarrat Ioſephus de Bello Iud. 7. extr. neſcio. Ingenium quidem convenit, nec repugnant tempora. Inter dedecora ſeculi Domitiani refert etiam Meſſalinum Tac. Agric. c. 45. *G.*

mala caecitatis) Non phyſica, ut diſtinguunt hodie, ſed moralia, quae ſtatim ſequuntur, quod non erubeſceret etc. Iuvenalis aliter, ſed amare non minus de eodem homine 4, 113. *Qui nunquam viſae flagrabat amore puellae.* *G.*

Plinius hoc vult: in Meſſalino ingenii ſaevitiam caecitate etiam auctam fuiſſe: itaque *non verebatur, non erub.* Nam hi animi motus oculorum uſu maxime adiuvantur. Qui uſus ſi tollitur caecitate, ipſum hoc adiumentum tollitur: homo ſaevus tum multo ſit ſaevior. *E.*

non erubeſcebat etc.) Rom. *non erubeſcebat, non miſerabatur. Quo ſaepius a Domitia-*

a Domitiano non fecus ac tela, quae et ipfa caeca et improvida feruntur, in optimum quemque contorquebatur. De eius nequitia fanguinariisque 6
fententiis in commune omnes fuper coenam loquebantur, cum ipfe imperator, *Quid putamus paffurum fuiffe, fi viveret?* et Mauricus, *Nobiscum coenaret.* Longius abii, libens tamen. Pla- 7
cuit agona tolli, qui mores Viennenfium infecerat, ut nofter hic omnium. Nam Viennenfium vitia intra ipfos refidunt, noftra late vagantur: utque in corporibus, fic in imperio, graviffimus eft morbus, qui a capite diffunditur. Vale.

XXIII.

Laudat Pomponium, fapienter otio in fenectute ufum: fibique fimilem aliquando quietem optat.

C. PLINIVS POMPONIO BASSO SVO S.

Magnam cepi voluptatem, quum ex communibus amicis cognovi, te, ut fapientia tua dignum eft, et disponere otium et ferre, habitare amoe-

no, et in fine fententiae *contorquebatur.* Semper et aliis locis Plinio *miferari* potius in ore fuiffe reperio, quam *libereri*. *H.*

6 *De eius nequitia)* Rom. *De huius nequitia:* paucisqne interiectis, *cum ipfe imperator.* Optime. *H.*

Nobiscum coenaret) Amariffima vox, qua lenitatem aut lentitudinem potius et *ἀοργησίαν* Nervae obiicit Mauricus. *Nobiscum coenaret*, inquit, non minua quam Veiento ille focius fcelerum, in tuo, Caefar, finu recumbit. *G.*

7 *vitia intra ipfos refidunt)* Sic et Rom. *H.*

XXIII, 1 *et disponere otium et ferre)* Sic et Rom. *H.*

Ferre otium dicunt effe eius, qui otio bene utatur. Non placet hic fenfus, qui in hoc loco etiam frigeret. Puto exquifitius, ut folet, Plininm *ferre otium* dixiffe de eo, qui non in uno loco nec uno modo otiofus eft. Hinc illa otii varietas, *nunc terra, nunc mari corpus agitare, disputare, audire* etc. Vulgarius erat *disponere otium*, ergo addidit *ferre*, fimili fenfu, fed acriori metaphora. *E.*

Hoc vero argutari eft. Sane otium fapienter ferre, h. e. ita, ut ne pro onere habeatur, non omnium eft fenum. Cicero quidem in quatuor cauffis, cur fenectus vulgo mifera videatur, primam numerat, quod avocet a rebus gerendis. *S.*

nissime, et nunc terra, nunc mari corpus agitare;
multum disputare, multum audire, multum lectitare; quumque plurimum scias, quotidie tamen
2 aliquid addiscere. Ita senescere oportet virum,
qui magistratus amplissimos gesserit, exercitus rexerit, totumque se reipublicae, quamdiu decebat,
3 obtulerit. Nam et prima vitae tempora et media
patriae, extrema nobis impertire debemus, ut
ipsae leges monent, quae maiorem annis LX otio
4 reddunt. Quando mihi licebit? quando per aetatem honestum erit imitari istud pulcherrimae quietis exemplum? quando secessus mei non desidiae
nomen, sed tranquillitatis accipient? Vale.

XXIV.

Fragilitatis humanae admonetur, quum nullos in quadruplici iudicio, quos iuvenis in eodem habuerat, socios vidisset.

C. PLINIVS VALENTI SVO S.

Proxime quum apud centumviros in quadruplici iudicio dixissem, subiit recordatio, egisse me iu-

3 *maiorem annis LX)* Sen. de brevit. vitae c. 20. *Lex a sexagesimo anno senatorem non citat.* Sed Seneca pater controv. 1, 8. *Senator post sexagesimum et quintum annum in curiam venire nec cogitur nec vetatur.* Diversaene leges sunt, an interdum rotundo numero utuntur scriptores, an numeri corrupti? Observat certe Cortius, in optimis Plinii Codicibus numerum plane abesse. Videndi, ad priorem locum Senecae Lipsius; ad alterum, qui in primis copiosus est, Schottus, qui etiam de *senibus depontanis*, h. e. de ponte comitiorum post LX. annum deiiciendis, disputat. *G.*

Rom. *quae maiorem annis otio reddunt.* Numerus LX non adest. *H.*

4 *Quando mihi licebit*) Vid. 3, 1, 12. *G.*

XXIV. 1 *Proxime quum etc.)* Rom. *Proxime cum apud centumviros in quadruplici iudicio dixissem:* proxime, *aeque in quadruplici. Processit. H.*

in quadruplici iudicio) Vid. 1, 18, 3. Ceterum non puto commode abesse haec verba in MSS. a Cortio laudatis, propter verba, quae sequuntur, *aeque in quadruplici. G.*

Si quid delendum esset, ego delerem *apud centumviros.* Nam haec verba ab aliquo explicandi quadruplicis iudicii caussa adscribi poterant. *E.*

venem aeque in quadruplici. Processit animus, 2
ut solet, longius: coepi reputare, quos in hoc iudicio, quos in illo socios laboris habuissem. Solus eram, qui in utroque dixissem: tantas conversiones aut fragilitas mortalitatis aut fortunae mobilitas facit. Quidam ex iis, qui tunc ege- 3
rant, decesserunt; exsulant alii; huic aetas et valetudo silentium suasit; hic sponte beatissimo otio fruitur; alius exercitum regit; illum civilibus officiis principis amicitia exemit. Circa nos ipsos 4
quam multa mutata sunt! Studiis processimus: studiis periclitati sumus, rursusque processimus. Profuerunt nobis bonorum amicitiae, et obfue- 5
runt, iterumque prosunt. Si computes annos, exiguum tempus: si vices rerum, aevum putes. Quod potest esse documento, nihil desperare, nul- 6
li rei fidere, quum videamus tot varietates tam volubili orbe circumagi. Mihi autem familiare 7
est, omnes cogitationes meas tecum communicare, iisdemque te vel praeceptis vel exemplis monere, quibus ipse me moneo: quae ratio huius epistolae fuit. Vale.

A Plinio scriptum puto: *Proxime quum apud centumviros dixissem, subiit recordatio, egisse me iuvenem aeque in quadruplici iudicio.* Sic cod. Voss. *S.*

2 *socios laboris habuissem)* Rom. *laboris socios habuissem. H.*

4 *studiis periclitati sumus)* sub Domitiano bonos quacunque arte suspectos habente. Breviter complectitur cursum illum suum Paneg. 95, 4. *G.*

Ex eodem hoc loco Panegyr. discimus, Plinium *studiis processisse*, cum eloquentiae munere et laudibus plures deinceps honores, Quaesturam, Tribunatum, Praeturam consequeretur. *E.*

5 *Profuerunt nobis bonor.* etc.) Rom. *Profuerunt nobis amicitiae bonorum et obfuerunt, iterumque prosunt.* Deinde, *aevum putes. H.*

Hinc apparet, unde in aliis iteratio vocis *bonorum* nata sit. Placuit ea Cortio et Gierigio: pro sua, opinor, Plinius non agnosceret. *S.*

6 *potest esse documento)* admonere nos potest. *E.*

nihil — fidere) Videtur hic aliquid deesse ad sensus integritatem. Num post *fidere* excidit *decere? S.*

XXV.

Narrat evenisse, quod de tabellaria lege praedixerat: et in scurriliter ludentes invehitur.

C. PLINIVS MESSIO MAXIMO SVO S.

Scripseram tibi, verendum esse, ne ex tacitis suf-
fragiis vitium aliquod exsisteret: factum est. Pro-
ximis comitiis in quibusdam tabellis multa iocu-
laria, atque etiam foeda dictu; in una vero
pro candidatorum nominibus, suffragatorum no-
2 mina inventa sunt. Excanduit senatus, magnoque
clamore ei, qui scripsisset, iratum principem est
comprecatus. Ille tamen fefellit, et latuit, fortasse
3 etiam inter indignantes fuit. Quid hunc putamus
domi facere, qui in tanta re, tam serio tempore,
tam scurriliter ludat? qui denique omnino in
4 senatu dicax et urbanus et bellus est? Tantum
licentiae pravis ingeniis adiicit illa fiducia, *Quis
enim sciet?* Poposcit tabellas, stilum accepit,
demisit caput, neminem veretur, se contemnit.
5 Inde ista ludibria, scena et pulpito digna. Quo
te vertas? quae remedia conquiras? Ubique

XXV, 1 *Scripseram tibi)* supra 3, 20. *G.*

2 *magnoque clamore* etc.) Rom. *magnoque clamore in eum, qui scripsisset, iratum principem imprecatus est. H.*

iratum principem) Uti contra *propitium principem* comprecabantur. vid. 6, 5, 5. *G.*

3 *tam serio tempore* etc.) Rom. *tam serio tempore scurriliter ludat. H.*

ludat) Praestat Gierigii aliorumque *ludit. S.*

4 *tabellas)* Leg. *tabellam.* Scriptum fuit *tabellā*, ubi cum lineola transversa, quod in codicibus saepe factum, excidisset, post voci illi *s*, proximae prima litera, adhaesit. *S.*

demisit caput) scribendi caussa, in sinum vestis, quo facto non ita facile apparet, si conscientia ruborem illi exprimat. "Itaque non multum tribuo coniecturae meae, qua putabam, forte scriptum fuisse *demisit tabulam*, id est, *tabulam* suffragii, in situlam. *G.*

Gesnerus argutatus est, cum ista scriberet. In illo *caput demittere* nil est aliud nisi caput incurvare, ut fit, scribendi caussa. Gestus et actus describuntur hominis ad scribendum se comparantis. Nec de sinu vestis, nec de rubore conscientiae cogitandum. *E.*

neminem veretur etc.) Rom. *neminem veretur, sed contemnit. H.*

vitia remediis fortiora. Ἀλλὰ ταῦτα τῶν ὑπὲρ ἡμᾶς ἄλλῳ μελήσει, cui multum quotidie vigiliarum, multum laboris adiicit haec nostra iners, sed tamen effrenata petulantia. Vale.

XXVI.

Pollicetur, libellos se emendaturum esse, etiam alios additurum.

C. PLINIVS NEPOTI SVO S.

Petis, ut libellos meos, quos studiosissime com-
parasti, recognoscendos emendandosque curem.
Faciam. Quid enim suscipere libentius debeo,
te praesertim exigente? Nam cum vir gravissi- 2
mus, doctissimus, disertissimus, super haec occu-
patissimus, maximae provinciae praefuturus, tanti
putes scripta nostra circumferre tecum; quanto
opere mihi providendum est, ne haec pars sarci-
narum, tanquam supervacua offendat? Adnitar 3
ergo primum, ut comites istos quam commodissi-
mos habeas; deinde, ut reversus invenias, quos
istis addere velis. Neque enim mediocriter me
ad nova opera tu lector hortaris. Vale.

5 Ἀλλὰ ταῦτα) Non recte distinxerunt nuperi editores, neque melius interpretati sunt ista, *sed haec alii eorum, qui supra nos, erunt curae*. Debebant ita: *Sed haec supra nos: alii curae erunt*. nimirum Traiano, optimo principi, *cui multum quotidie vigiliarum* etc. Adiungenda enim haec propositio, nec, ut adhuc factum, interpuncto a Graecis separanda. *G.*

Graeca in Rom. desunt, quae ita Latine converto: *Sed haec, quae supra nos sunt, alii curae erunt.* Ita, ut post ἡμᾶς incidatur, non est necesse. *H.*

Accuratius sic convertas: *Sed haec ex iis, quae supra nos, alii curae erunt.* Ante ἄλλῳ fortasse ἃ excidit. *S.*

XXVI, 1 *recognoscendos emendandosque*) Voluit Nepos libros Plinii emendatissime scriptos habere, *einen revidirten und berichtigten Text der Schriften des Plinius.* De vitiis librariorum, non ipsius scriptoris, cogitandum. *S.*

2 *ne haec pars* etc.) Rom. *ne te haec pars sarcinarum, tamquam supervacua, offendat. H.*

Pronomen Cortius et Gierigius bene revocarunt. *S.*

supervacua) propter vilitatem abiicienda. *E.*

XXVII.

Commendat Augurini poëmata, occasione eorum, quae in laudem suam scripserat.

C. PLINIVS FALCONI SVO S.

Tertius dies est, quod audivi recitantem Sentium Augurinum cum summa mea voluptate, immo etiam admiratione. Poëmatia appellat. Multa tenuiter, multa sublimiter, multa venuste, multa
2 tenere, multa dulciter, multa cum bile. Aliquot annis, puto, nihil generis eiusdem absolutius scriptum, nisi forte me fallit aut amor eius, aut
3 quod me ipsum laudibus evexit. Nam lemma sibi sumsit, quod ego interdum versibus ludo. Atque adeo iudicii mei te iudicem faciam, si mihi ex hoc ipso lemmate secundus versus occurrerit. Nam ceteros teneo, et iam explicui.

4 *Canto carmina versibus minutis,*
His, olim quibus et meus Catullus,
Et Calvus, veteresque. Sed quid ad me?
Unus Plinius est mihi priores.

XXVII, 1 *Tertius dies est* etc.) Rom. *Tertius dies est, quod audivi Sentium Augurinum.* Deest *recitantem. H.*

tenuiter) in laudem dictum. Opp. *sublimiter.* Conf. Ernest. Lex. Techn. Lat. Rhet. v. *tenuis. S.*

multa tenere, multa dulciter) Rom. *multa tenerrime, multa dulciter. H.*

2 *nihil generis* etc.) Rom. *nihil generis eiusdem gravius et absolutius.* Postea, *laudibus vexit. H.*

3 *lemma sibi sumsit*) Paregmenon esset, si Graece locutus esset: λῆμμα enim *sumtio* est. Intelligit nempe argumentum seu materiam, quam quis sibi sumit. Unde inscripta paucis vel singulis adeo verbis argumenta *lemmata* et ipsa dicuntur. Mox *lemma* pro carmine posuit, ut scilicet *argumentum* pro narratione vel pictura. *G.*

si mihi ex hoc ipso lemmate) Rom. *si mihi ex hoc lemmate*, sine *ipso.* Haec vero ita interpungo: *si mihi ex hoc* [ipso] *lemmate secundus versus occurrerit: (nam ceteros teneo) et iam explicui*, scil. totum carmen, et secundum quoque versum, qui exciderat, in memoriam redigo. *H.*

4 *Canto* etc.) Vid. Antholog. Lat. II. epigr. 254. *E.*

est mihi priores) Ut deinde, *Ille o Plinius, ille quot Catones!* Est mihi instar multorum Catonum, instar antiquorum om-

Mavult versiculos, foro relicto.
Et quaerit, quod amet, putatque amari,
Ille o Plinius, ille quot Catones!
I nunc, quisquis amas, amare noli.

Vides, quam acuta omnia, quam apta, quam ex-

nium. Hi enim Plinio sunt *priores*, v. g. 3, 4, 5. Neque singularis *est* offendere quemquam debet. Multa ex eo genere se contulisse ait Cortius ad Illud Lucani 3, 108. *Omnia Caesar erat.* Et sane incommodo nostro illis thesauris perpetuo forte carebimus. *G.*

Vid. omnino Heusinger. in Addend. ad Vechner. Hellenol. p. 587. ubi et hoc loco utitur. *S.*

putatque amari) Sensus plane idem est, sive legas, *putat amari* se Plinius, sive, paullo altius repetita constructione, *quaerit, quod amet, et quod putat* mutuo se *amare*, quod placet Cortio. Nisi quod sic melius legeretur *putet*, et quod obscura est nihilo minus constructio. Reliqua in hoc epigrammate s. lemmate dedimus ad mentem Heinsii, et qui illum laudat Cortii, h. e. ex auctoritate MSStorum. *G.*

Rom. *Et quaerit, quod amet, iuvatque amare.* rectius, ni fallor, quam vulgo. *Iuvat amare* est, iucundum ei est, non pudet eum amare. *H.*

Veram lectionem esse *quod amet, putatque amari*, patet ex ipso Plinio Lib. IX. Epist. 33. *amari putat, amat ipse, neuter timet, neuter timetur,* Burmann. in Anthol. Lat. l. l.

Ille o *Plinius* etc.) Rom. *Illos (Plinius ille) quid Catones.* corrupte. In postremo versu minus aberrasse videtur:

I nunc, quisquis amas, amare noli.

Id est, noli fateri, te amare, quamvis uraris. *H.*

I nunc, quisquis) Si figuram demas, hoc dicit, Post Plinium auctorem mollium et amatoriorum versiculorum, pudere neminem eius rei debet. *Amas* enim et *amare* non ad rem ipsam, sed ad versiculos pertinere, res loquitur. Inter egregia enim humanae stultitiae specimina illud referas non postremum, quod licet multis verbis, lacrymis etiam et Deorum invocationibus atque sacramentis interpositis, ea de se praedicare poëtis, quae si fecisse eos alius arguat, calumniatorem dicant et inimicum machinis omnibus repellendum.

Nam castum esse decet pium poëtam
Ipsum; versiculos, nihil necesse est.

vid. noster 4, 14, 4. sq. et 5, 3. init. Sic Vara Vibiam sequitur, Secundus Catullum, hunc Augurinus; hos quasi re bene gesta, et sub magnis auspiciis sexcenti minuti Musarum stupratores, qui meminisse debebant illius, quod est apud Quintilianum 10, 1, 100. ubi tales ait *mores suos fateri.* Sidon. Apoll. 3, 13. ult. *Denique facilius obtingit, ut quispiam seria loquens vivat obscene, quam valeat ostendi, qui pariter exsistat improbus dictis et probus moribus. G.*

Praeclare haec omnia Gesnerus, cum semel ultimi versus hunc sensum statuisset: *post Plinium pudere neminem eius rei debet.* Sed nescio quomodo mihi videbatur sensus plane contrarius inesse hic: *post Plinium nemo audere debet similia scribere, viliora scilicet scripturus. E.*

preſſa? Ad hunc guſtum totum librum repromitto; quem tibi, ut primum publicaverit, exhibebo. Interim ama iuvenem et temporibus noſtris gratulare pro ingenio tali, quod ille moribus adornat. Vivit cum Spurinna, vivit cum Antonino: quorum alteri
6 adfinis, utrique contubernalis eſt. Poſſis ex hoc facere coniecturam, quam ſit emendatus adoleſcens, qui a graviſſimis ſenibus ſic amatur. Eſt enim illud veriſſimum

γιγνώσκων, ὅτι
Τοιοῦτός ἐστιν ἕκαστος, οἷσπερ ἥδεται ξυνών.

Vale.

5 *Ad hunc guſtum)* Opportune laudavit huc Cortius Senec. de clem. 1, 1. *Principatus tuus ad anni guſtum exigitur:* quemadmodum Gronovius hoc noſtro ad Senecam uſus fuerat. *Guſtus* eſt ſpecimen, quod a venditore rerum eſculentarum poculentarumve emtori offertur. *G.*

Spurinna) De quo 3, 1. de Antonino 4, 3. *G.*

vivit cum Antonino etc.) Rom. *vivit cum Antonino pio, quorum alteri.* Gloſſa. *H.*

6 *qui a graviſſimis* etc.) Rom. *qui a graviſſimis ſenibus ſic ornatur amaturque. H.*

Genuinum videtur. Secundus 6, 34, 1. *gladiatorium munus Veronenſibus noſtris promiſiſti; a quibus olim amaris, ſuſpiceris, ornaris. S.*

γιγνώσκων, ὅτι) *Mihi non ſit veriſimile, ita, ut hic expreſſus eſt, laudatum a Plinio Euripidis locum. Certe illud γιγνώσκων non apparet, quomodo uſurpare potuerit. Cohaeret enim ſententia, quam ex Barneſianis fragmentis, Phoenice, verſ. 9. (ex Aeſchine in Timarchum p. 191. edit. 1607. f.) proponemus, hoc modo,

Ὅστις δ' ὁμιλῶν ἥδεται κακοῖς ἀνὴρ,
Οὐ πώποτ' ἠρώτησα, γιγνώσκων, ὅτι
Τοιοῦτός ἐστιν, οἷσπερ ἥδεται ξυνών.

Negat ſe inquirendum ultra putaſſe in mores eius viri, qui pravorum conſortio delectaretur, *quod ſciret*, talem eſſe, quales ſint, quorum ſocietate gaudeat. Quomodo, quaeſo vos, illud γιγνώσκων ad Plinii ſententiam pertinet? Quantum ſibi in Graeca licere putaverint librarii et Critici, conſtat. Itaque putaverim ita dediſſe Plinium: Τοιοῦτός ἐστιν ἕκαστος, οἷσπερ ἥδεται ξυνών. Vocem ἕκαστος habent libri quidam: eiecerunt, puto, qui apud Aeſchinem abeſſe, et in metro redundare, viderent. *G.* Add. Geſneri ad I. A. Erneſt. epiſtola.

Scribendum, ut habet margo Stephanicae Aeſchinis pag. 21, 42. Τοιοῦτός ἐσθ' οἷοισπερ ἥδεται ξυνών. *S.*

XXVIII.

Cornelii Nepotis et T. Cassii imagines pro Herennii bibliotheca fieri postulat.

C. PLINIVS SEVERO SVO S.

Herennius Severus, vir doctissimus, magni aestimat in bibliotheca sua ponere imagines municipum tuorum, Cornelii Nepotis et Titi Cassii: petitque, si sunt isthic, ut esse credibile est, exscribendas pingendasque delegem. Quam curam 2
tibi potissimum iniungo: primum, quia desideriis meis amicissime obsequeris: deinde, tibi studiorum summa reverentia, summus amor studiosorum: postremo, quod patriam tuam, omnesque qui nomen eius auxerunt, ut patriam ipsam, veneraris et diligis. Peto autem, ut pictorem quam dili- 3
gentissimum adsumas. Nam cum est arduum similitudinem effingere ex vero, tum longe difficillima est imitationis imitatio. A qua, rogo, ut artificem, quem elegeris, ne in melius quidem, sinas aberrare. Vale.

XXVIII inscr. Rom. *Iulio Severo. H.*

1 *T. Cassii)* Circa nomen et patriam huius Cassii nihil constitui potest. Coniecturas dabunt Cellarius et Cortius. *G.*

Gierigius existimat, intelligi posse Cassium Severum, Augusto aequalem, quem ab eloquentia laudarunt Senec. Controv. 3. init. Plin. H. N. 7, 12. Quintil. inprimis X, 1, 116. ubi tamen eius acerbitatem improbat. Historiam ab eo scriptam commemorat Sueton. Vesp. 2. Idem et passim cum Cornelio Nepote laudatur, ut Tertull. Apol. 10. Minuc. Fel. Oct. 22. Lactant. Inst. 1, 13. *E.*

Rom. *Cornelii Nepotis et Titi Catii.* Deinde, *pingendasque deligere. H.*

2 *deinde, tibi)* Al. *deinde, quia tibi.* quod verum puto. *S.*

3 *ex vero)* Gierigius ex animali exemplo. Immo est, vere, re ipsa. Vid. Parei Lex. Crit. pag. 433. b. *S.*

difficillima imitationis imitatio) Dum acumen quaerit Secundus noster, verum, puto, deserit. Novi ego mediocres pictores, qui magnorum pictorum opera satis felici penicillo imitentur, similitudinem certe vultuum ita adsequantur, ut nihil desiderare possis; naturam, quod illi magni homines potuere, consequi, et ex animali exemplo in mutam tabellam transferre veritatem non possint. Et nota sunt pictorum tirocinia. *G.*

Ego ut non negem, Plinium acumen quaesivisse, tamen et sententiae Plinianae veritas constabit, si teneas, hic maxime de similitudine imaginis exprimenda quaeri. Notum autem est, quo-

XXIX.

Voconium Romanum monet, ut ad iudicandum veniat, ne multam committat.

C. PLINIVS ROMANO SVO S.

Eia tu, quum proxime res agentur, quoquo modo ad iudicandum veni. Nihil eſt, quod in dextram aurem fiducia mei dormias: non impune ceſſatur.
2 Ecce, Licinius Nepos, praetor, acer et fortis vir, multam dixit etiam ſenatori. Egit ille in ſenatu cauſſam ſuam: egit autem ſic, ut deprecaretur. Remiſſa eſt multa: ſed timuit, ſed rogavit, ſed
3 opus venia fuit. Dices, *Non omnes praetores tam ſeveri.* Falleris. Nam vel inſtituere vel reducere eiusmodi exemplum, non niſi ſeveri: inſtitutum, reductumve exercere, etiam leniſſimi poſſunt. Vale.

XXX.

Miram naturam fontis in Comenſi agro narrat, cuius cauſſam et ipſe inquirit, et inquirendam commendat.

C. PLINIVS LICINIO SVO S.

Attuli tibi ex patria mea pro munuſculo quae-

ties ex primo imaginis exemplo *(Original-Bild)* alia exſcribantur, *(Copie)* toties aliquid de ſimilitudine detrahi, certe periculum eſſe, ne detrahatur. Hoc ergo ſenſu *difficillima imitationis imitatio*, ſcil. ſi ſimilitudinem ſervari velis. *E.*

XXIX inſcr. Rom. *Romatio. H.*

1 *Eia tu* etc.) Rom. *Heia tu, cum proxime.* Deinde, *nihil quod*, ſine *eſt. H.*

in dextram aurem) ſecurus, non ſollicitus ſis. In proverbium abiiſſe iſta formula videtur. *E.*

Alibi: dormire in utramvis aurem., ut Graeci, ἐπ' ἀμφότερα ὦτα ſ., omiſſo ὦτα, ἐπ' ἀμφότερα, ἐπ' ἄμφω καθεύδειν. Vid. Dorvill. Vann. Crit. pag. 233. „*Dexteram aurem* dixit Plinius, „quia nobilior eſt, et quia in „eam partem dormire arctius, et „commodius homines ſolent." Forcellinus. *S.*

2 *praetor, acer et fortis vir, multam*) Rom. *praetor acer et fortis mulctam.* Non adeſt *vir. H.*

3 *tam ſeveri*) ut multae mihi ceſſanti irrogatio metuenda ſit. Ad hoc refertur *Falleris. S.*

XXX inſcr. Rom. *Surae. H.*

Fontis, de quo hic agitur, naturam explicuit magnus geometra, Segnerus. Vid. Geſneri ad I. A. Erneſt. epiſtola. *S.*

ſtionem, altiſſima iſta eruditione digniſſimam. Fons 2
oritur in monte, per ſaxa decurrit, excipitur coenatiuncula manu facta: ibi paullulum retentus in Larium lacum decidit. Huius mira natura: ter in die, ſtatis auctibus ac diminutionibus, creſcit decreſcitque. Cernitur id palam, et cum ſumma 3
voluptate deprehenditur. Iuxta recumbis et veſceris: atque etiam ex ipſo fonte (nam eſt frigidiſſimus) potas: interim ille certis dimenſisque momentis vel ſubtrahitur vel adſurgit. Annulum, 4
ſeu quid aliud, ponis in ſicco, adluitur ſenſim, ac noviſſime operitur: detegitur rurſus paullatimque deſeritur: ſi diutius obſerves, utrumque iterum ac tertio videas. Spiritusne aliquis occultior 5
os fontis et fauces modo laxat, modo includit, prout illatus occurrit, aut deceſſit expulſus? Quod 6
in ampullis ceterisque generis eiusdem videmus accidere, quibus non hians, nec ſtatim patens ex-

1 *altiſſima iſta erudit.*) *Non habent quidam libri pronomen *iſta*. concedo. Non poſuit Plinius. non pugnaverim. Non habet quod agat *iſta*. immo habet, ſignificat enim eruditionem eius, ad quem ſcribitur, non minus quam ſi poſuiſſet Plinius, *altiſſima eruditione tua digniſſimam*. Niſi forte otioſum putamus in illo Cic. Phil. 2, 25 *Tu iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate, tantum vini exhauſeras*. *G.*

Rom. *altiſſima iſta eruditione digniſſimam*. Cortio pronomen *iſta* abundare viſum, non item aliis. Subintellige *iſta, quae in te eſt*. Cic. pro Roſc. Amer. c. 53. *Homines ſapientes et iſta auctoritate et poteſtate praeditos, qua vos eſtis*. Adde a me dicta ad eamd. orat. c. 7. pr. *H.*

Altiſſima eruditio, quam vulgo dicimus profundam, *tiefe Gelehrſamkeit*. Lucian T. 2. p. 312. τὴν παιδείαν βαθύν. *S.*

2 *Fons oritur*) Huius fontis etiam meminit Plin. H. N. II, 103. In Comenſi agro iuxta Larium lacum fons largus horis ſingulis ſemper intumeſcit, ac reſidet. *E.*

coenatiuncula) quam accolae ſibi exſtruendam curaverant, ut in convivio frigidiſſimae aquae recreatione fruerentur. Sed et aliud genus voluptatis mox Plinius commemorat. *E.*

3 *nam eſt frigidiſſimus*) Rom. *nam eſt frigidus*. *H.*

5 *Spiritus aliquis occultior*) Hic ventus eſſet, cuius ita ſtati et temporum vices ſervantia rationes reddere non facilius eſt, quam ipſius fluxus et refluxus. *G.*

modo includit etc.) Rom. *modo includit, aut in latus occurrit, aut decidit expulſus*. Lege *decedit*. *H.*

Neque duplex *aut* displicet. Legerim igitur: *prout aut illatus occurrit, aut decedit expulſus*. *S.*

6 *non hians*) ut in lagenis noſtris, collum longum et anguſtum habentibus. *E.*

itus. Nam illa quoque, quamquam prona et vergentia, per quasdam obluctantis animae moras crebris quasi singultibus sistunt, quod effundunt.
7 An quae Oceano natura, fonti quoque? quaque ille ratione aut impellitur aut resorbetur, hac modicus hic humor vicibus alternis supprimitur
8 vel egeritur? An ut flumina, quae in mare deferuntur, adversantibus ventis, obvioque aestu retorquentur, ita est aliquid, quod huius fontis ex-
9 cursum [per momenta] repercutiat? An latentibus venis certa mensura, quae dum colligit quod

quamquam prona et vergentia) Rom. *quamquam prona atque urgentia.* *H.*

7 *quae Oceano natura)* Obscurum, quid hic sit *natura.* Dixeris aliquid, si ponas per occultos meatus et quasi cuniculos commeare ex ipso Oceano aquas. Sed deinde docendum etiam fuerit, quomodo salsua non sit fons ille. Dicere forte possis effluentem in mare rivum subterraneum ab aestu retineri, ut redundet circa fontem, quale quid in Albi, ut hoc utamur, sentiunt Hamburgenses. Et fateor hanc rationem, a qua non multum abludit ea, quae sequitur, maxime mihi arridere, si cetera conveniant nimirum. *G.*

Non adeo obscurum videtur, quid sit h. l. *natura*, nempe indoles, mos, vel id, quod lege naturae accidit in Oceano. Nam fluxum et refluxum, qualis in Oceano est, vult cum illo fontis simili aestu et refluxu comparare. Itaque ne Plinio quidem in mentem venit, fontis illum aestum ex ipso Oceano derivare, cum quo fons cohaerere nullo modo poterat. Segneri de illo fluxu et refluxu sententia eo redit, siphonia cuiusdam a natura inter lapidea et argillas fabrefacti ope totum illud peractum fuisse. Vir doctus in Ephem. lit. Ienens. a. 1802. n. 36. notat in suo Segneri edit. exemplari ab ignota manu haec adscripta ad hunc locum fuisse: „Similis fons est in Sabaudia 2 miliar. a Chambery, haud procul a lacu Bourget, qui sexies per singulas horas verno tempore, aestivo autem bis, in summo aestu semel tantum fluit. Alius est in Helvetia in valle Hasli, de q. Scheuchzer in Itiner. I. p. 26. De illo vid. Keisler Itin. T. I. p. 158. la Fontaine de Merveille." *E.*

vicibus alternis etc.) Rom. *vicibus alternis supprimitur erigiturque et egeritur.* Duplex lectio pro una: primam Cortius recepit, postremam plures retinent, quae forsasse a prima manu fuit *egeriturve.* Nil ad hunc locum facit, quod *oceanus erigi* dicitur, ubi *supprimitur* contrarium est, non *deprimitur*, nec significatio convenit. *H.*

8 [*per momenta*]) *Absunt quidem haec verba a bonis quibusdam libris: sed cum nulla caussa vel occasio fuerit inferendi, omittendi plures; malim ea servari. *G.*

9 *latentibus venis)* Hic iterum quaerendum superest, cur venae per intervalla impleant mensuram et depleant, cur non potius, quantum supra mensuram adfluit, tantundem redundet iisdem portionibus. *G.*

exhauserat, minor rivus est et pigrior; quum col-
legit, agilior maiorque profertur? An, nescio 10
quod, libramentum abditum et coecum, quod
quum exinanitum est, suscitat et elicit fontem:
quum repletum, moratur et strangulat? Scrutare 11
tu caussas, (potes enim) quae tantum miraculum
efficiunt. Mihi abunde est, si satis expressi, quod
efficitur. Vale.

minor rivus est et pigrior) Praestat Cortii, *minor rivus et pigrior*, scil. *profertur*. S.

10 *libramentum*) Hic non intelligo illud, quod in disciplina aquaeductuum proprie *libramentum* vocatur, nimirum, definiente Illustrissimo Poleno ad Frontinum p. 25, 19. mensura declivitatis plani, supra quod aqua ducitur: sed machinationem ei similem, quam in *claustris aquarum*, quae vocant, sive catarractis videmus, ubi, pro structurae diversitate, adfluens aqua sibi viam vel praecludit vel aperit. *Libramentum* ad versatilem quamcunque machinam referri posse, tum coniugata nominis ostendunt, tum locus Plinii maioris de theatro Scauri 36, 15. s. 24. ubi *theatra duo* [illegible] *e ligno, cardinum singulorum versatili suspensa libramento*. Alia illa quaestio est, an commode commentus sit Plinius tale in natura huius fontis libramentum; de quo equidem vehementer dubito. G.

Nos hodie talia nescire, non potest nobis turpe esse, fateri, quum ipsum Plinium additum illud *nescio quod* alicuius ignorationis suspectum reddat. E.

11 *potes enim)* Cf. N. Heinsii Adversar p. 225. Graecorum δύνασαι γάρ. Vid. Iacobs ad Anthol. Gr. III, 1. p. 75. S.

LIBER QVINTVS

I.

Narrat, quae, heres Gratillae factus, cum filio eius exheredato egerit.

C. PLINIVS SEVERO SVO S.

Legatum mihi obvenit modicum, fed ampliffimo gratius. Cur ampliffimo gratius? Pomponia Gratilla, exheredato filio Affudio Curiano, heredem reliquerat me: dederat coheredes Sertorium Severum, praetorium virum, aliosque equites Ro-
2 manos fplendidos. Curianus filius orabat, ut fibi donarem portionem meam, feque praeiudicio iuvarem: eandem tacita conventione falvam mihi
3 pollicebatur. Refpondebam, non convenire moribus meis aliud palam, aliud agere fecreto: praeterea non effe fatis honeftum dare et locupleti et

I, 1 *Cur ampliffimo gratius?)* Plinianum effe, ita per interrogationem repetere dicta, oftendit Cortius ex 3, 9, 2. 6, 2, 1. et 23. 1. itemque 29, 2. Igitur fervanda Plinio interrogatio, licet in quibusdam libris defideretur. *G.*

Sic etiam Rom. bene. *H.*

aliosque equites Romanos fplendidos) Rom. *aliosque fplendidos equites Rom.* *H.*

Ita et Brummeri Excerpta. Placet hic ordo: fic enim Plinius. 6, 15, 1. *Paffienus Paullus, fplendidus eques Romanus,* 6, 25, 1. *Robuftum, fplendidum equitem Romanum.* Alii, ut Cicero, poftponunt. *S.*

2 *Curianus filius orabat)* Rom. *Curianus orabat.* Cortius quoque omiffum nomen *filius* tacitus eiecit. *H.*

Deeft item in Brummeri Excerptis. Bene. *S.*

praeiudicio) eo de moribus ipfius, et pietate in primis, iudicio, quod alii deinde fequerentur. *G.*

3 *dare)* Cortius ex omnium Codicum fide *donare.* Noftrum qua auctoritate nitatur, nefcio. Haud infrequens confufio horum verborum. Vid. Drakenb. ad Liv. 2, 35, 5. *S.*

locupleti et orbo) quem proinde non fublevare donatione, cum fit dives; fed captare, quod liberos non haberet, viderer. Vid. ad 4, 15, 3. *G.*

orbo: in ſumma, non profuturum ei, ſi donaſſem:
profuturum, ſi ceſſiſſem: eſſe autem me paratum
cedere, ſi inique exheredatum mihi liqueret.
Ad hoc ille, *Rogo cognoſcas.* Cunctatus paullum, 4
Faciam, inquam: *neque enim video, cur ipſe me
minorem putem, quam tibi videor. Sed iam nunc
memento, non defuturam mihi conſtantiam, ſi
ita fides duxerit, ſecundum matrem tuam pro-
nuntiandi. Ut voles*, ait: *voles enim, quod aequiſ-* 5
ſimum. Adhibui in conſilium duos, quos tunc
civitas noſtra ſpectatiſſimos habuit, Corellium et
Frontinum. His circumdatus in cubiculo meo
ſedi. Dixit Curianus, quae pro ſe putabat. Re- 6
ſpondi paucis ego (neque enim aderat alius, qui
defunctae pudorem tueretur,) deinde ſeceſſi, et
ex conſilii ſententia, *Videtur*, inquam, *Curiane,
mater tua iuſtas habuiſſe cauſſas iraſcendi tibi.*
Poſt hoc ille cum ceteris ſubſcripſit centumvirale
iudicium, mecum non ſubſcripſit. Appetebat 7
iudicii dies: coheredes mei componere et transi-
gere cupiebant: non diffidentia cauſſae, ſed metu
temporum. Verebantur, quod videbant multis

non profuturum ei etc.) *Donare* enim liberalitatis; ſed *cedere*, iuſtitiae ſtudii et aequitatis, quae ſola ad Curianum praeiudicio iuvandum valere poterant. *S.*

mihi liqueret) Iudiciale verbum, de certa ſcientia. Itaque ſtatim Curianus ipſum iudicem conſtituit, et, *ut cognoſcas*, petit. *G.*

4 *minorem*) Minori magnitudine animi et conſtantia praeditum, ut non poſſim vel contra meam utilitatem te immerentem pronuntiare; vel invidiam ſuſcipere iudicii in rem meam facti, ſi mihi pareat, matrem recte de te iudicaſſe. *G.*

6 *pudorem*) Honorem mulieris ſapientis nec impiae aut nimis certe durae. *G.*

mater tua etc.) Rom. *mater tua multas habuiſſe cauſas iraſcendi.* Sed potior eſt vulgata lectio *iuſtas.* *H.*

ſubſcripſit centumvirale iudicium) Accuſavit ceteros heredes, et repetiit ab iis hereditatem maternam contra tabulas. Vid. 1, 20, 7. Phraſin totam eſſe inſolentiorem, monuere interpretes; ſententia quidem aperta. *G.*

7 *metu temporum*) Domitiani; cui quaelibet cauſſa ſufficeret ad poenam innocentis. Interfectus fuerat Ruſticus, relegata uxor eius Gratilla, de cuius hereditate quaerebatur: invidioſa igitur heredibus amicitia talis, qua filio praeferrentur. *G.*

Rom. *ſed metu ipſorum temporum.* *H.*

accidiſſe, ne ex centumvirali iudicio capitis rei
8 exirent. Et erant quidam in illis, quibus obiici
et Gratillae amicitia et Ruſtici poſſet. Rogant me,
9 ut cum Curiano loquar. Convenimus in aedem
Concordiae. Ibi ego, *Si mater*, inquam, *te ex parte quarta ſcripſiſſet heredem, num queri poſſes? Quid ſi heredem quidem inſtituiſſet ex aſſe, ſed legatis ita exhauſiſſet, ut non amplius apud te, quam quarta, remaneret? Igitur ſufficere tibi debet, ſi, exheredatus a matre, quartam partem ab heredibus eius accipias, quam tamen ego*
10 *augebo. Scis te non ſubſcripſiſſe mecum, et iam biennium tranſiſſe, omniaque me uſucepiſſe. Sed ut te coheredes mei tractabiliorem experiantur, utque tibi nihil abſtulerit reverentia mei; offero pro mea parte tantundem.* Tuli fructum non
11 conſcientiae modo, verum etiam famae. Ille ergo Curianus legatum mihi reliquit: et factum meum, niſi forte blandior mihi, antiquum nobili
12 honore ſignavit. Haec tibi ſcripſi, quia de omni-

8 *Et erant* etc.) Rom. *Et erant quidam ex illis.* Poſtea: *rogant, ut cum Curiano. H.*

In Gesneriana legebatur *quidem;* negligentiâ, ni fallor, operarum. Itaque correxi. *S.*

9 *inſtituiſſet ex aſſe*) Hoc ipſum altero capite legis Falcidiae iam Divi Auguſti temporibus latae cautum fuit. Verba ſervavit Paullus ICtus, et ex illo Tribonianus l. 1. π. ad L. Falcidiam, *Quicunque civis Romanus poſt hanc legem rogatam teſtamentum faciet, is quantum cuique civi Romano pecuniam iure publico dare legare volet, ius poteſtasque eſto, dum ita detur legetur, ne minus quam quartam partem hereditatis eo teſtamento heredes capiant.* Itaque Ulpiano auctore l. 8. π. de inofficioſo teſtam. §. 8. *Quarta debitae portionis ſufficit ad excludendam querelam. G.*

10 *biennium tranſiſſe*) Quod conſtitutum olim erat uſucapioni, pr. Inſtit. h. t. *G.*

11 *factum — ſignavit*) Ita ex Mediceo libro Cortius. *Factum antiquum* eſt antiqua fide et religione adminiſtratum, *nobilis honor* vel *notabilis* (utrumque enim legitur) eſt legatum teſtamento relictum, quod *honoris* nomine centies venit. *G.*

Hoc tamen longius petitum videtur. *Honore ſignare* haud dubie nihil eſt amplius, quam honorare. Sed *nobilis honor* diſplicet. *Notabilem*, ut in aliis libris legitur, nunc magis ferrem. Si tamen illud retineamus, *nobilis honor* erit is, qui nobili ex animo, et honeſtatis ſenſu ducto, tribuitur. *E.*

Rom. *antiquorum notabili more. H.*

bus, quae me vel delectant vel angunt, non aliter tecum, quam mecum, loqui ſoleo: deinde, quod durum exiſtimabam, te amantiſſimum mei fraudáre voluptate, quam ipſe capiebam. Neque 13
enim ſum tam ſapiens, ut nihil mea interſit, an iis, quae honeſte feciſſe me credo, teſtificatio quaedam, et quaſi praemium accedat. Vale.

II.

Gratias agit pro turdorum dono.

C. PLINIVS FLACCO SVO S.

Accepi pulcherrimos turdos, cum quibus parem calculum ponere, nec ullis copiis ex Laurentino, nec maris tam turbidis tempeſtatibus poſſum. Recipies ergo epiſtolas ſteriles, et ſimpliciter in- 2
gratas, ac ne illam quidem ſolertiam Diomedis in permutando munere imitantes. Sed, quae facilitas tua, hoc magis dabis veniam, quod ſe non mereri fatentur. Vale.

13 *tam ſapiens)* Nempe ſeveriſſimae ſapientiae eſt, ex honeſte agendo nullum praemium exſpectare. Plinius ita ſentire negat, non quidem ſerio, ſed ludens apud amicum, qui ipſum intelligeret. Et ipſum praemium nunc honeſtum eſt. *E.*

Non ludit Plinius apud amicum, ſed ſerio agit: tot tam clara *φιλοδοξίας* eius exempla exſtant. *S.*

Rom. *tam ſapiens, quod nihil.* Nusquam antea peius ſcriptum. *H.*

II, 1 *turdos)* non aves, ſed piſces lupis ſimiles. Sic Quintil. 8, 2. 7. *ſoleas et turdos piſces* iungit. *E.*

Vid. Schneider. Hiſtor. Piſc. p. 171. ſq. *S.*

nec ullis copiis ex Laurentino) Rom. *nec urbis copiis ex Laurentino.* Non mutandum erat. Dolet, ſe paria facere non poſſe, *nec urbis copiis,* ſcilicet *ex Laurentino,* in quo tum erat, cum turdos acciperet, *nec maris copiis, tam turbidis tempeſtatibus,* quibus piſcari non licebat. Significat ergo, ſe non ex urbe, ſed ex Laurentina villa ſcribere, quae, ſi non mediterraneis, urbanis tamen copiis utique deſtituebatur. *Copias urbanas* legas etiam lib. VI. ep. 28. *H.*

2 *ſimpliciter ingratas)* Ingenue profeſſas, ſe nihil habere, quo gratias referant. *G.*

ſolertiam Diomedis) Qui perfecit, ut ſibi permutaret Glaucus χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων. Il. ζ, 236. *G.*

quod — fatentur) quod ita modeſtae ſunt, ut fateantur ſe veniam non mereri. *E.*

III.

Reprehenſus quorumdam ſermonibus, quod verſus laſciviores ſcribat recitetque, ſe aliorum exemplo tuetur.

C. PLINIVS ARISTONI SVO S.

Cum plurima officia tua mihi grata et iucunda
ſunt, tum vel maxime, quod me celandum non
putaſti, fuiſſe apud te de verſiculis meis multum
copioſumque ſermonem, eumque diverſitate iudi-
ciorúm longius proceſſiſſe: exſtitiſſe etiam quos-
dam, qui ſcripta quidem ipſa non improbarent,
me tamen amice ſimpliciterque reprehenderent,
2 quod haec ſcriberem recitaremque. Quibus ego,
ut augeam meam culpam, ita reſpondeo: Facio
nonnunquam verſiculos, ſeveros parum, facio co-
moedias, et audio, et ſpecto mimos, et lyricos
lego, et Sotadicos intelligo; aliquando praeterea
rideo, iocor, ludo; utque omnia innoxiae remiſ-
3 ſionis genera breviter amplectar, homo ſum. Nec
vero moleſte fero, hanc eſſe de moribus meis
exiſtimationem, ut, qui neſciunt, talia doctiſſi-
mos, graviſſimos, ſanctiſſimos homines ſcripti-
4 taſſe, me ſcribere mirentur. Ab illis autem,
quibus notum eſt, quos quantosque auctores ſe-

III, 2 *Facio nonnunquam* etc.) Rom. *Facio nonnumquam verſiculos, ſeveros parum, facio et comoedias, audio et ſpecto mimos, et lyricos lego.* Hactenus melius, quam vulgo: ſequitur vero *et ſatyricos intelligo*, quod magno conſenſu omnes hodie damnant, cum in aliis quoque repertum fuerit, pluresque *Socraticos* habeant, nullus *Sotadicos*. Satyrae quam protervae fuerint, niſi exempla docebunt, Horatius teſtis erit epiſt. ad Piſones v. 221. ad 233. *H.*

Nec mihi diſplicet *ſatyricos*, cui etiam verbum *intelligo* videtur patrocinari. *S.*

Sotadicos) Oſtendit hic Plinius, ſe a magiſtro iam liberum, et parum curare Quintilianum ſuum praeceptorem, qui *de Sotadeis*, inquit, obſcenis nimirum impuriſque carminibus, *ne praecipiendum quidem eſt* 1, 8, 6. *G.*

3 *hanc eſſe de moribus*) Id ipſum, quod mirantur homines, verſus parum ſeveros a Plinio ſcribi, indicat, illos bene alioqui de illo exiſtimare, et virum gravem putare, a quo leve ita ſcripturae genus non exſpectarent. *G.*

quar, facile impetrari poſſe confido, ut errare
me, ſed cum illis, ſinant, quorum non ſeria mo-
do, verum etiam luſus exprimere, laudabile eſt.
An ego verear (neminem viventium, ne quam in 5
ſpeciem adulationis incidam, nominabo) ſed ego
verear, ne me non ſatis deceat, quod decuit M.
Tullium, Caium Calvum, Aſinium Pollionem,
Marcum Meſſallam, Quintum Hortenſium, M.
Brutum, L. Sullam, Q. Catulum, Quintum Scae-
volam, Ser. Sulpicium, Varronem, Torquatum,
(immo Torquatos) C. Memmium, Lentulum,
Gaetulicum, Annaeum Senecam, et proxime
Verginium Rufum, et, ſi non ſufficiunt exempla
privata, divum Iulium, divum Auguſtum, divum
Nervam, T. Caeſarem? Neronem enim transeo, 6
quamvis ſciam, non corrumpi in deterius, quae
aliquando etiam a malis; ſed honeſta manere,
quae ſaepius a bonis fiunt. Inter quos vel prae-
cipue numerandus eſt P. Virgilius, Corn. Nepos,
et prius Ennius, Acciusque. Non quidem hi ſe-
natores: ſed ſanctitas morum non diſtat ordini-
bus. Recito tamen: quod illi an fecerint, neſcio. 7

5 *M. Tullium)* Texit hic catalogum poëtarum ſatis longum, qui longae disputationi materiem praebere poſſit. Sed praeſtat, credo, hic nihil dicere, et rem integram relinquere, ſi quis Voſſianum de Poetis opus, poſthumum et imperfectum, retractare velit. *G.*

Caeterum de *Auguſti* facultate poëtica vid. Sueton. 85. De *Nerva* Martial. 8, 70. De *Tito* Eutrop. 7, 14. et Sueton. 3. De *Nerone* Sueton. 52. Sed hunc ſe *transire* dicit, quia nunc non niſi de bonis et ſanctis quaeſtio erat. *E.*

T. Caeſarem) *divum* puto excidiſſe. Nam *dicavit coelo Domitianus Titum*, Panegyr. 11. init. Ibid. cap. 35, 4. *divus Titus.* ubi item *divus* in nonnullis libris deeſt. *S.*

6 *quae aliquando etiam a malis)* Rom. *quae etiam a malis aliquando.* Sequitur, *vel praecipue numerandus P. Virgilius*, ſine verbo *eſt.* *H.*

non diſtat ordinibus) non uni tantum ordini adſtricta eſt, ſed omnibus communis eſſe debet. *E.*

7 *Recito tamen)* Reſtituit hunc locum Cortius. Nos declarare conabimur. Duo crimina ſunt, quibus reſpondet Plinius: unum, quod ſcribit carmina obſcena; alterum, quod recitat. Priori ſatisfeciſſe ſe putat auctoribus laudatis: iam transit ad alterum. *Recito tamen* etc. Illud *Etiam* eſt concedentis, quod obiectum fuit. Quoties ita uſus ſit Plinius, docet Index. *G.*

Ergo ſenſus eſt: concedam, illos non recitaſſe. *E.*

Etiam. Sed illi iudicio ſuo poterant eſſe contenti: mihi modeſtior conſcientia eſt, quam ut ſatis abſo-
8 lutum putem, quod a me probetur. Itaque has recitandi cauſſas ſequor: primum, quod ipſe, qui recitat, aliquanto acrius ſcriptis ſuis, auditorum reverentia, intendit: deinde, quod, de quibus du-
9 bitat, quaſi ex conſilii ſententia ſtatuit. Multa etiam a multis admonetur: et, ſi non admoneatur, quid quisque ſentiat, perſpicit ex vultu, oculis, nutu, manu, murmure, ſilentio; quae ſatis apertis
10 notis iudicium ab humanitate diſcernunt. Atque adeo, ſi cui forte eorum, qui interfuerunt, curae fuerit eadem illa legere, intelliget me quaedam aut commutaſſe, aut praeteriiſſe, fortaſſe etiam ex ſuo
11 iudicio, quamvis ipſe nihil dixerit mihi. Atque ita hoc diſputo, quaſi populum in auditorium, non in cubiculum amicos advocarim, quos plures habere, multis glorioſum, reprehenſioni nemini fuit. Vale.

IV.

Avaritiam Nominati cauſſidici notat, qui Vicentinos, a quibus grandem pecuniam acceperat, feſellit.

C. PLINIVS VALERIANO SVO S.

Res parva, ſed initium non parvae. Vir praetorius Solers a ſenatu petiit, ut ſibi inſtituere in

Rom. *quod illi an etiam fecerint, neſcio: ſed illi iudicio ſuo.* Poſtea: *mihi modeſtior conſtantia eſt.* Vid. epiſt. XIII, 4. *H.*

Utrumque placet. Prius habent etiam Brummeri Excerpta. Poſterius in omnibus legitur libris, nec debebat Caſauboni coniecturae loco cedere. *S.*

8 *ſcriptis ſuis — intendit)* 8, 19, 2. *ſi quando, nunc intende libro, quem cum hac epiſtola accipies; quia vereor, ne ipſe, ut triſtis, parum intenderim.* *S.*

9 *et, ſi non — — murmure)* Sic et Rom. *H.*

iudicium — diſcernunt) ſatis perſpicue oſtendunt, quid iudicent auditores etiam illi, qui humanitatis cauſſa iudicium ſuum aperte non dixiſſent. *E.*

11 *Atque ita hoc diſputo)* Praeſtat Cortii et Gierigii *Atque haec ita diſputo.* *S.*

IV, 1 *ſed initium non parvae)* Rom. *ſed initium non parvum*, male cum aliis. *H.*

ut ſibi inſtituere etc.) Sueton. Claud. 12. *Ius nundinarum in privata praedia a conſulibus petiit.* *S.*

agris suis nundinas permitteretur: contradixerunt
Vicentinorum legati: adfuit Tuscilius Nomina-
tus: dilata caussa est. Alio senatu Vicentini 2
sine advocato intraverunt: dixerunt, se deceptos.
Lapsine verbo, an quia ita sentiebant? Interro-
gati a Nepote praetore, quem docuissent, respon-
derunt, quem prius. Interrogati, an tunc gratis
adfuisset, responderunt, sex millibus nummûm:
an rursus aliquid dedissent, dixerunt, mille de-
narios. Nepos postulavit, ut Nominatus induce- 3
retur. Hactenus illo die. Sed, quantum augu-
ror, longius res procedet. Nam pleraque tacta
tantum et omnino commota, latissime serpunt.
Erexi aures tuas. Quam diu nunc oportet quam 4
blande roges, ut reliqua cognoscas! si tamen non
ante ob haec ipsa veneris Romam, spectatorque
malueris esse, quam lector. Vale.

Tuscilius Nominatus) Ita etiam Rom. *H.*

2 *Alio senatu)* senatorum consessu. Plinius 2, 11, 10. *Dilata res est in proximum senatum.* Sueton. Claud. 26. *subornavit proximo senatu, qui censerent* etc. *S.*

se deceptos) Destitutos ab advocato, qui secum se intraturum recepisset. Vid. 5, 14, 2. Quaerit Plinius, cur usi sint hoc verbo, *se deceptos*, studione ita grave verbum adhibuerint, an lapsi errore, cum se destitutos vellent dicere. *G.*

quem docuissent) Caussam suam, ut ille eam deinde in senatu ageret. *G.*

3 *et omnino commota)* Quantumvis leviter commota, ut nihil aliud, nisi commota esse dici possit. *Sanitas loci huius Scheffero debetur, cuius coniecturam (qua *tacita* in *tacta* mutavit) bone est, quod recepit Cortius: *et omnino* ex libris est. *G.*

Rom. *nam pleraque tacita tantum et omnino commota. H.*

4 *ut reliqua cognoscas)* Cui longum est exspectare, adeat 5, 14. ubi exitus narratur. *G.*

Caeterum hic omnis locus non satis videtur emendatus. Putavi aliquando sensum hac interpunctione iuvari posse: *Erexi aures tuas. quam diu nunc oportet; quam blande roges, ut* etc. *E.*

Fallitur vir doctissimus. Locus, ut nunc interpunctus est, optime habet. *S.*

V.

Fannii obitum luget tum ob alias cauſſas, tum maxime, quod opus de ſceleribus Neronis imperfectum reliquerat.

C. PLINIVS MAXIMO SVO S.

Nuntiatum mihi eſt, C. Fannium deceſſiſſe, qui
nuntius gravi me dolore confudit. Primum, quod
amavi hominem elegantem et diſertum: deinde,
quod iudicio eius uti ſolebam. Erat enim natu-
ra acutus, uſu exercitatus, varietate promtiſſimus.
2 Angit me ſuper iſta, caſus ipſius. Deceſſit veteri
teſtamento: omiſit, quos maxime diligebat: pro-
ſequutus eſt, quibus offenſior erat. Sed hoc ut-
cunque tolerabile: gravius illud, quod pulcherri-
3 mum opus imperfectum reliquit. Quamvis enim
agendis cauſſis diſtringeretur, ſcribebat tamen ex-
itus occiſorum aut relegatorum a Nerone: et iam
tres libros abſolverat, ſubtiles, et diligentes, et
Latinos, atque inter ſermonem hiſtoriamque me-
dios. Ac tanto magis reliquos perficere cupiebat,
4 quanto frequentius hi lectitabantur. Mihi autem
videtur acerba ſemper et immatura mors eorum,
qui immortale aliquid parant. Nam qui volu-

V, 1 *Nuntiatum mihi* etc.) Rom. *Nuntiatur mihi, C. Fannium.* Deinde tamen *confudit*, ubi alii *confundit*. *H.*

elegantem et diſertum) Sic et Rom. Sequitur *varietate promtiſſimus*. *H.*

varietate promtiſſimus) ita multarum rerum ſcientia imbutus, ut promte de omnibus iudicare et conſilium dare poſſet. Conf. Lib. I, ep. 22. 2. *E.*

2 *proſequutus eſt*) ſcil. legatis vel partibus hereditatis. Plene Suetonius Claud. 6. *legato etiam circa ſeſtertium vicies proſecutus*. *S.*

3 *inter ſermonem hiſtoriamq.*) De qua differentia vid. noſter 5, 8, 9. ſq. *G.*

4 *acerba*) Proprio hic ſenſu ponitur, quod arguunt adiunctum *immatura*, et poſt ſequens *repentina*. Auſonius Parent. 14, 12. *Indole maturus, funere acerbus obis.* quod expreſſum ad Virgilianum: *funere merſit acerbo.* Graecorum *ἄωρος θάνατος, πρόωρος μοῖρα*. *S.*

ptatibus dediti quasi in diem vivunt, vivendi
caussas quotidie finiunt: qui vero posteros cogi-
tant, et memoriam sui operibus extendunt, his
nulla mors non repentina est, ut quae semper in-
choatum aliquid abrumpat. Caius quidem Fan- 5
nius, quod accidit, multo ante praesensit. Visus
est sibi per nocturnam quietem iacere in lectulo
suo compositus in habitum studentis, habere ante
se scrinium ita, ut solebat: mox imaginatus est
venisse Neronem, in toro resedisse, promsisse
primum librum, quem de sceleribus eius edide-
rat, eumque ad extremum revolvisse, idem in se-
cundo ac tertio fecisse, tunc abiisse. Expavit; et 6
sic interpretatus est, tanquam idem sibi futurus
esset scribendi finis, qui fuisset illi legendi: et
fuit idem. Quod me recordantem miseratio sub- 7
it, quantum vigiliarum, quantum laboris exhau-
serit frustra. Occursant animo mea mortalitas,
mea scripta. Nec dubito, te quoque eadem co-

quasi in diem vivunt) Hanc formulam commodissime interpretatur Columella 3, 3, 6. *Fructum plerique quam uberrimum consectantur*, nec provident futuro tempori, *sed quasi plane* in diem vivant, *sic imperant vitibus et eas multis palmitibus onerant, ut* posteritati non consulant. *G.*

vivendi caussas quotidie finiunt) nulla caussa est, cur non quotidie moriantur. Pessime explicat Catanaeus. *S.*

ut quae semper etc.) Rom. *ut quae semper incohatum aliquid abrumpat. H.*

De hac scriptura, quam cave pro vitiosa habeas, vid. Casaub. et Burmann. ad Sueton. Caes. c. 46. p. 107. sq. *S.*

5 *in lectulo suo*) Notum est, in lectis vel lecticis iacentes non cibum modo cepisse, verum etiam studuisse. Multa ad Augusti *lecticulam lucubratoriam*, Sueton. c. 78. Casaubonus. *G.*

compositus in habitum studentis) Rom. *compositus in habitu studentis.* Sic Aldus etiam. *H.*

ita, ut solebat) Sic et Rom. Ald. *sic solebat. H.*

Neque hoc ferendum, nec quod Cortius adscivit, *ita solebat.* Indicaret id, proprium fuisse morem Fannii, habere ante se scrinium, quoties in lectulo lucubratorio iaceret. Is vero mos communis fuit omnium, qui in lecto recumbentes legerent aut scriberent. *S.*

mox imaginatus est venisse) Rom. *mox imaginatus venisse. H.*

in toro resedisse) Sic et Rom. Deinde *revolvisse. H.*

Bonum *revolvisse.* Frustra praefert Cortius *evolvisse.* Livius 34, 5, 7. *Tuas adversus te Origines revolvam. S.*

gitatione terreri pro iſtis, quae inter manus ha-
8 bes. Proinde, dum ſuppetit vita, enitamur, ut mors quam pauciſſima, quae abolere poſſit, inveniat. Vale.

VI.

Apollinari, qui Plinio, in Tuſcis aeſtatem acturo, timuerat, et ſalubritatem huius villae, et commoditatem exponit.

C. PLINIVS APOLLINARI SVO S.

Amavi curam et ſolicitudinem tuam, quod, quum audiſſes me aeſtate Tuſcos meos petiturum, ne
2 facerem ſuaſiſti, dum putas inſalubres. Et ſane gravis et peſtilens ora Tuſcorum, quae per litus

7 *quae inter manus habes*) libros in Plantam, de quibus Lib. 9. epiſt. 1. *E.*

VI Habet haec epiſtola elegantem villae in Tuſcis Plinianae deſcriptionem, de qua eadem hic dicta intelligi volumus, quae ſupra ad Laurentinam 2, 17. obſervata ſunt. Non difficile eſſet hic etiam ire per ſingula, et quantum Felibenius, quantum Caſtellus, a verbis et ſententia Plinii aberraverint, oſtendere. Sed cum pictorem et chalcographum vix admittat haec editio, nec multum referat aliorum errores redarguere, niſi meliora ipſe ſubſtituas: ſatis in praeſentia fuerit, novum quaſi opus nuntiaſſe viris alioquin elegantiſſimis, ne illorum aedificationes Plinianis epiſtolis in poſterum officiant. Ceterum video recuſum eſſe Felibenii opuſculum hoc titulo: *Delices des maiſons de campagne appellées le Laurentin et la maiſon de Toſeane.* Amſt. 1736, 12. Et Plinii et Felibenii mentio fraude neſcio cuius omiſſa. *G.*

Theotiſce vertit et interpretatus eſt A. Rode in vernacula Vitruvii verſione T. II. p. 54. ſqq. *S.*

1 *Amavi curam et ſolicitudinem tuam*) Cicero ep. 9, 16. init. *Delectaverunt me tuae litterae: in quibus primum amavi amorem tuum, qui* etc. ubi vid. Cortium. *S.*

quod, quum audiſſes) Rom. *qui cum audiſſes:* Ald. *quod cum. H.*

Praefero *qui* ut exquiſitius. Cicero ep. 1, 9, 31. *Illud quidem certe noſtrum conſilium iure laudandum eſt, qui meos cives — ſervis armatis obiici noluerim.* vid. ibi Cortium. *S.*

2 *Et ſane gravis)* Non opus eſt Cortii coniectura uti, *eſt ſane* etc. Nam et ſimili modo Plinius 2, 17. 25. *Et omnino litoris illius mira natura.* Sed offendere poſſit, *ora, quae per litus extenditur*, tanquam admodum pleonaſtice dictum. Nonne aptius eſſet, ſi legeretur, *gravis et peſtilens aura Tuſcorum, qua litus extenditur?* Haec ſcita coniectura eſt viri docti, qui in Ephem. lit. Ienenſ. hunc locum in cenſura edit. Gierig. tractaverat. *E.*

Eſt ſane Cortiana in textu habet, nihil in notis monens de

extenditur. Sed hi procul a mari recesserunt:
quin etiam Apennino, saluberrimo montium, sub-
iacent. Atque adeo, ut omnem pro me metum 3
ponas, accipe temperiem coeli, regionis situm,
villae amoenitatem: quae et tibi auditu, et mihi
relatu iucunda erunt. Coelum est hieme frigidum 4
et gelidum, myrtos, oleas, quaeque alia assiduo
tepore laetantur, aspernatur ac respuit: laurum
tamen patitur, atque etiam nitidissimam profert:
interdum, sed non saepius quam sub urbe nostra,
necat. Aestatis mira clementia. Semper aer spi- 5
ritu aliquo movetur; frequentius tamen auras,
quam ventos habet. Hinc senes multos videas, 6
avos proavosque iam iuvenum; audias fabulas
veteres, sermonesque maiorum: quumque veneris
illo, putes alio te seculo natum. Regionis forma 7
pulcherrima. Imaginare amphitheatrum aliquod
immensum, et quale sola rerum natura possit ef-
fingere. Lata et diffusa planities montibus cingi-
tur: montes summa sui parte procera nemora et
antiqua habent. Frequens ibi et varia venatio: 8

lectionis varietate. Cetera noli tentare. Nullus hic pleonasmus. *Ora* enim et *litus* non sunt synonyma, sed illud quiddam amplius, omninoque terminum, extremitatem, ἐσχατιάν, indicat. Pomponius Mela Prooem. *deinde rursus oras omnium et litora* (expediam). ubi vid. interpr. inprimis Ciacconium. Cicero de Nat. D. 2. 39. *quae amoenitates orarum et litorum?* Aegid. Forcellinus: „Ora differt a lito„re, quia *ora* latius patet: quia „est alicubi *ora*, ubi tamen *litus* „non est." *S.*

4 *quaeque alia* etc.) Rom. *quaeque alia aestivo tempore* [lege *tepore*] *laetantur, aspernatur, et respuit. H.*

atque etiam nitidissimam profert) Sic et Rom. *H.*

5 *Semper aer — movetur*) Sic et Rom. *H.*

auras — ventos) *aura* aer lenis, inprimis a mari spirans: Eurip. Hec. 443. αὔρα ποντιάς. ubi Schol. αὔρα. ἡ ἐξ ὑγροῦ ἐκφερομένη πνοή. Aristoteles de Mundo c. 4. pag. 88. ed. Vulc. τὰ δὲ ἐν ἀέρι πνέοντα πνεύματα, καλοῦμεν ἀνέμους· αὔρας δὲ, τὰς ἐξ ὑγροῦ φερομένας ἐκπνοάς. *S.*

6 *Hinc senes multos* etc.) Rom. *Hinc senes multos videas avos proavosque. Iam iuvenum audias fabulas.* Interpunctionis huius vitium merito correxit Casaubonus: verba ipsa mutari nihil necesse est. *H.*

quumque veneris illo etc.) Rom. *cum veneris illo, putes te alio seculo natum. H.*

7 *antiqua habent*) *Caeduis* silvis opponuntur *antiquae*, quibus vel ob religionem aliquam parcitur, vel quod remotiores sunt ab habitationibus hominum. *G.*

inde caeduae ſilvae cum ipſo monte deſcendunt: has inter pingues terrenique colles (neque enim facile unquam ſaxum, etiam ſi quaeratur, occurrit) planiſſimis campis fertilitate non cedunt, opimamque meſſem ſerius tantum, ſed non minus
9 percoquunt. Sub his per latus omne vineae porriguntur, unamque faciem longe lateque contexunt; quarum a fine imoque quaſi margine arbu-
10 ſta naſcuntur. Prata inde, campique. Campi, quos non niſi ingentes boves et fortiſſima aratra perfringunt. Tantis glebis tenaciſſimum ſolum, quum primum proſecatur, adſurgit, ut nono de-
11 mum ſulco perdometur. Prata florida et gemmea, trifolium, aliasque herbas, teneras ſemper et molles, et quaſi novas alunt. Cuncta enim perennibus rivis nutriuntur: ſed ubi aquae plurimum, palus nulla; quia devexa terra, quidquid liquoris
12 accepit, nec abſorbuit, effundit in Tiberim. Medios ille agros ſecat, navium patiens, omnesque fruges devehit in urbem, hieme dumtaxat et vere; aeſtate ſubmittitur, immenſique fluminis nomen
13 arenti alveo deſerit, auctumno reſumit. Magnam capies voluptatem, ſi hunc regionis ſitum ex monte proſpexeris. Neque enim terras tibi, ſed

8 *inde caeduae ſilvae* etc.) Rom. *inde crebrae ſilvae cum monte ipſo deſcendunt.* *H.*

Senſus, qui Barthium fefellit: *qua mons deſcendit, caeduae ſilvae ſunt.* De ſilvis caeduis vid. Schneider. ad Caton. p. 17. *S.*

10 *Tantis glebis* etc.) Rom. *Tantis glebis tenaciſſimum ſolum, cum proſecatur, aſſurgit.* Deeſt *primum.* *H.*

nono demum ſulco) Incredibile videatur nona demum aratione in pulverem redigi terram, et eſſe, qui tantum laboris impendant agro ita difficili. Sed eadem tradit avunculus noſtri 18, 20. ſ. 49. n. 3. Utrumque igitur Plinium advocavimus nuper ad Colum. 2, 4, 2. ubi *complures* et ipſe *iterationes* poſtulat. *G.*

Rom. *ut demum nono ſulco perdometur.* *H.*

11 *teneras ſemper et molles*) Rom. *teneras ſemperque molles.* *H.*

12 *Medios ille agros ſecat*) Sic et Rom. Extrema hac periodo, *reaſſumit*, barbare. *H.*

Ducangius: „*Reaſſumere* vox „nota Plinio atque etiamnum Ita- „lis in uſu." Notam Plinio non dixerim, malimque cum Heuſingero pro barbara habere. *S.*

aeſtate ſubmittitur; h. e. ſubſidit, humilior multum fit ripis ſuis et marginibus, ut nec nomen magni fluminis iam tueatur, ſed potius deſerat. *G.*

formam aliquam, ad eximiam pulchritudinem pictam, videberis cernere. Ea varietate, ea descriptione, quocunque inciderint oculi, reficiuntur. Villa in 14
colle imo sita prospicit quasi ex summo: ita leniter et sensim clivo fallente consurgit, ut, quum adscendere non putes, sentias adscendisse. A tergo Apenninum, sed longius habet. Accipit ab hoc auras quamlibet sereno et placido die, non tamen acres et immodicas, sed spatio ipso lassas et infractas. Magna sui parte meridiem spectat, 15
aestivumque solem ab hora sexta, hibernum aliquanto maturius, quasi invitat in porticum latam, et pro modo longam. Multa in hac membra; atrium etiam ex more veterum. Ante porticum 16
xystus concisus in plurimas species, distinctusque buxo; demissus inde pronusque pulvinus, cui bestiarum effigies invicem adversas buxus inscripsit. Acanthus in plano mollis, et, paene dixerim, li-

13 *formam — pictam)* Picturam, in qua artifex formam s. ideam pulchrae regionis animo conceptam proposuerit: quod genus hodie vocamus *Landschaften*, Galli *paisages*. Antiquum id genus picturae apud Romanos etiam. Sic *situm Carthaginis et expugnationes depictas proponit in foro Hostilius Mancinus* apud Plin. 35, 4. s. 7. *Formam* et *situm* in tali re iungit Horatius epist. 1, 16, 4. *G.*

quocunque inciderint oculi, reficiuntur) Ita et Rom. *H.*

14 *in colle imo sita)* Cave *sita* iungas cum *villa*. Nec enim villa sita est in imo colle; sed ea quae *sita* sunt *in imo colle quasi prospicit ex summo*. *G.* Vereor tamen, ne Plinius, dum acute dicere volebat, obscurus factus sit. Poterat nempe et hoc velle: villa (quae universe sumta cum suis hortis ab imo colle usque ad summum attollebatur) quamvis in colle imo sita est, tamen prospectum quasi ex summo aperit etc. *E.*

ita leniter et sensim) Rom. *ita leviter et sensim.* Proxime, *cum ascendere te non putes.* Tum, *spatio ipso lassas*. *H.*

15 *ab hora sexta)* h. e. post horam sextam. Hoc docent ea quae sequuntur. Illud enim *aliquanto maturius* ad ipsum meridiem refero. Hieme sol in meridiano constitutus aliquanto humilior est, ut nihil obstante tecto et proiectis porticus eam intus illustrare possit; aestate altior, ut eodem non perveniat, nisi post aliquam in occasum declinationem. *G.*

hibernum aliquanto maturius) Rom. *hiberno aliquanto maturius.* Male. *H.*

in porticum — longam) Sic et Rom. *H.*

Prominulam Cortii et Gierigii agnoscit etiam Forcellinus. *S.*

16 *xystus — distinctusque)* Sic et Rom. *H.*

paene dixerim) Opus omnino fuit, audax epitheton, et herbae vix aptum, ista adiectione excusare et reddere tolerabi-

17 quidus. Ambit hunc ambulatio preſſis varieque
tonſis viridibus incluſa: ab his geſtatio in modum
circi, quae buxum multiformem, humilesque et
retentas manu arbuſculas circumit. Omnia ma-
ceria muniuntur: hanc gradata buxus operit et
18 ſubtrahit. Pratum inde non minus natura, quam
ſuperiora illa arte, viſendum: campi deinde por-
19 ro, multaque alia prata et arbuſta. A capite
porticus triclinium excurrit: valvis xyſtum deſi-
nentem, et protinus pratum, multumque ruris,
videt feneſtris. Hac latus xyſti, et quod proſilit
villae, hac adiacentis hippodromi nemus comas-

lius. Vult autem hoc indicare, nihil durum, aut ſpinoſum (eſt enim etiam acanthus ſilveſtris, vim nominis ſui, quod *ſpinas* notat, implens) nihil emarcidum, nihil pedibus, manibus, oculisve moleſtum, acantho huic admiſtum eſſe. *G.*

Commode Gierigius contulit ὑγρὸν ἄκανθον Theocr. Idyll. 1, 65. qui idem ſ. 36. *lubricus*. *E.*

17 *ambulatio — geſtatio*) Has ita diſtinguunt, ut illa noſtro *ein Heckengang*, haec noſtro *ein Baumgang* reſpondeat. *E.*

preſſis — viridibus) Proprium rei hortenſi et vinitoriae verbum, quo notatur ſubinde tondendo et iis quae ſuccreſcunt amputandis intra certum modum continere plantam. Praeivit poëta Georg. 1, 57. *Ruris opaci Falce premes umbras.* *G.*

retentas manu) Ab incremento nimio tonſura frequenti et putatione *retentas* et impeditas hominum opera. *Sic recte legit et interpretatur Cortius. *Retonſas* quod habent alii, bonum eſſet, niſi illud *manu* adiectum ineptum paene faciat Plinium. *Retentae* dici poſſunt quacunque etiam alia cauſſa arbuſculae, ut non ſit otioſum *manu*: qui *retonſas* dixit, *manu* adiicere nihil opus habet. *G.*

Rom. etiam *retentas*. *H.*

In Gesneriana, ſed nolente Gesnero, ut nota appoſita docet, excuſum erat *retonſas*. Correxerat Erneſtius: eumque ſecuti ſumus. *S.*

gradata buxus) cuius remotiores a maceria plantae preſſe tonſae ad terram continentur; quo proximiores ſunt maceriae, tanto altioribus truncis conſurgunt, in ſummo tantum virides: ſic fit, ut tota tegatur et a conſpectu ſubducatur maceria. Nomen *gradatus* didiciſſe videtur noſter ab avunculo ſuo, qui 13, 4. ſ. 7. *gradatos corticum pollices* palmis tribuit. *G.*

19 *A capite porticus*) Sic et Rom. *H.*

valvis — feneſtris) De harum differentia dicimus ad 2, 17, 5. *G.*

Cum Gierigio interpungendum: *valvis xyſtum — — videt: feneſtris, hac latus xyſti — — proſpectat.* *S.*

hac adiacentis hippodromi) Rom. *ac adiacentis hyppodromi*. Non ita temere ante vocalem *ac* leges apud Plinium: rectius itaque Cortius *hac adiacentis*. *H.*

hippodromi) Spatioſior locus, viis latioribus, longioribus, ſemicircularem anfractum habentibus diſtinctus, umbroſus item, verbo ita inſtitutus, ut in eo non mol-

que prospectat. Contra mediam fere porticum 20
diaeta paullum recedit; cingit areolam, quae quatuor platanis inumbratur. Inter has marmoreo labro aqua exundat, circumiectasque platanos, et subiecta platanis leni adspergine fovet. Est in hac 21
diaeta dormitorium cubiculum, quod diem, clamorem sonumque excludit; iunctaque quotidiana amicorum coenatio. Areolam illam porticus alia, eademque omnia, quae porticus, adspicit. Est et 22
alind cubiculum a proxima platano viride et umbrosum, marmore excultum podio tenus: nec

si modo gestatione uti, sed in equo etiam moveri fortius, vel iunctis etiam equis raptare per ea spatia currum possis. Hoc nomen docet, Graecis usitatum; hoc descriptio ingerit, quam latiorem habet f. 32. sq. *Hippodromi* habent typis vulgati, credo, omnes ex MSS. procul dubio; *Hipodromi* Mediceus, quo usus est Cortius: neque quisquam de mutatione cogitasset, nisi Iac. Sirmondo, viro doctissimo, ad Sidon. 2, 2. in mentem venisset *Hypodromum* substituere, et interpretari *tectam longitudinem*, et *clausum undequaque deambulacrum*, quae quidem ipsa *cryptoporticus* definitio est, et clarissime repugnat Plinianae descriptioni f. 32. Mirum est, quam multa committantur a viris etiam doctissimis in veterum librorum vel emendatione vel interpretatione ea caussa, quod non totos legunt, quos curare volunt, sed ut in quemque locum inciderunt, ita, ingenio suo confisi scilicet, sanare illum locum aggrediuntur, conatu specioso, et cui plausores tanto minus desunt, quo pauciores serio et totos legunt libros veterum; sed infelici saepe successu. *G.*

20 *diaeta paullum recedit*) Rom. *diaeta parum recedit.* Prope inde: *et subiecta platanis leni aspergine fovet.* *H.*

21 *clamorem sonumque excludit*) Sic et Rom. *H.*

Areolam illam — adspicit) Sic et Rom. *H.*

eademque omnia quae porticus) *Eadem* porticus, cuius hic cum areola mentionem facit, *adspicit*, h. e. in conspectu habet, *omnia, quae porticus* illa superior a f. 15. descripta. *G.*

Mediceus liber: — *coenatio, quae areolam illam, porticum aliam, eademque omnia, quae porticus, adspicit.* Adscivit hanc lectionem Gierigius, eandemque probabat Ernestius, in locum notae Gesneri hanc adscripturus: „Hanc „lectionem Cod. Medic. etiam „Cortio probatam, et receptam „a Gierigio, revocare non dubi„tavi, quippe intellectu facilem. „Sensus hic est: coenatio *adspi„cit* fenestris interioribus areolam, „exterioribus *porticum* illam, de „qua f. 31. *eademque omnia, „quae porticus* prior. Pristinae „Gesneri editiones post *coenatio* „interpungebant. Deinde seque„bantur haec: *Areolam illam „porticus alia, eademque omnia, „quae porticus, adspicit:* quae „nullum sensum habebant." *S.*

22 *podio tenus*) Ad proiecturam usque parietum, cui lacunar impositum est: dictam a podio theatri, f. ima et proiecta aliquantum ultra murum praecinctione theatri. Nisi vero melius

cedit gratiae marmoris, ramos, insidentesque ramis
23 aves imitata pictura. Cui subest fonticulus. In
hoc fonte crater, circa siphunculi plures miscent
iucundissimum murmur. In cornu porticus am-
plissimum cubiculum a triclinio occurrit; aliis fe-
nestris xystum, aliis despicit pratum, sed ante
piscinam; quae fenestris servit ac subiacet, stre-
24 pitu visuque iucunda. Nam ex edito desiliens
aqua, suscepta marmore, albescit. Idem cubicu-
lum hieme tepidissimum, quia plurimo sole per-
funditur. Cohaeret hypocauston, et, si dies nu-
25 bilus, immisso vapore, solis vicem supplet. Inde
apodyterium balinei laxum et hilare excipit cella
frigidaria; in qua baptisterium amplum atque
opacum. Si natare latius aut tepidius velis, in
area piscina est, in proximo puteus, ex quo pos-
26 sis rursus adstringi, si poeniteat teporis. Frigida-
riae cellae connectitur media, cui sol benignissi-
me praesto est; caldariae magis: prominet enim.
In hac tres descensiones: duae in sole, tertia a
27 sole longius, a luce non longius. Apodyterio
superpositum est sphaeristerium, quod plura gene-
ra exercitationis, pluresque circulos capit. Nec

videatur sic accipere: ad dimidii hominis altitudinem, ad fenestrarum limen inferius. *G.*

Rom. *marmore exculptum podio tenus. H.*

aves imitata etc.) Rom. *aves imitata pictura, fonticulus: in hoc fonte crater.* Desunt *cui subest. H.*

23 *Cui subest fonticulus*) Cubiculo intelligo subesse, vel in proximo esse fontem, non in ipso cubiculo salire siphunculos. *G.*

cubiculum a triclinio occurrit) Rom. *cubiculum triclinio occurrit. H.*

sed ante piscinam) Rom. *sed ante piscina*, cui respondet deinde *iucunda. H.*

fenestris servit) Vide de usu huius verbi dicta ad 1, 3, 1. *G.*

25 *Inde apodyterium)* Rom. *Inde apodyterion. H.*

baptisterium) Sidon. Apoll. 2, 2. *Huic basilicae appendix piscina forinsecus s. si graecari mavis, baptisterium. G.*

26 *prominet enim*) Rom. *prominent enim. H.*

descensiones) loca depressiora, lacus, labra, in quae descendere lavandi, natandive caussa possis. *G.*

27 *sphaeristerium, quod plura)* Rom. *spheristerion, quod plura. H.*

circulos) Una ludentium pila. (σφαίρα, a qua σφαιρίζειν est *pila ludere* etc.) eoque motu cor-

procul a balineo fcalae, quae in cryptoporticum ferunt, prius ad diaetas tres. Harum alia areolae illi, in qua platani quatuor, alia prato, alia vineis imminet, diverfasque coeli partes, ut profpectus, habet. In fumma cryptoporticu cubicu- 28
lum, ex ipfa cryptoporticu excifum, quod hippodromum, vineas, montes, intuetur. Iungitur cubiculum obvium foli, maxime hiberno. Hinc oritur diaeta, quae villae hippodromum adnectit. Haec facies, hic vifus a fronte. A latere aeftiva 29
cryptoporticus in edito pofita; quae non adfpicere vineas, fed tangere videtur. In media triclinium faluberrimum adflatum ex Apenninis vallibus recipit: poft latiffimis feneftris vineas, valvis aeque vineas, fed per cryptoporticum, quafi admittit. A latere triclinii, quod feneftris caret, 30
fcalae convivio utilia fecretiore ambitu fuggerunt. In fine cubiculum; cui non minus iucundum profpectum cryptoporticus ipfa, quam vineae praebent. Subeft cryptoporticus, fubterraneae fimilis; aeftate inclufo frigore riget, contentaque aëre fuo, nec defiderat auras nec admittit. Poft utram- 31
que cryptoporticum, unde triclinium definit, incipit porticus; ante medium diem, hiberna; inclinato die, aeftiva. Hac adeuntur diaetae duae, quarum in altera cubicula quatuor, altera tria, ut circuit fol, aut fole utuntur, aut umbra. Hanc 32
difpofitionem amoenitatemque tectorum longe

pus exercentium. De fphaerifterio et diverfitate lufuum horum vid. Mercurial. de arte gymnaft. 1, 9. it. 2, 4. et 5. *G.*

fcalae) Non opus eft, ut intelligamus gradus in ipfa aedificatione comprehenfos ac tectos: poffunt effe gradus etiam fubdivales, quibus diverfae in eodem colle planities iunguntur. *G.*

diverfasque coeli etc.) Rom. *diverfasque coeli partis ut profpectus habet*, ut Medic. *H.*

29 *ex Apenninis vallibus recipit*) Rom. *ex Apenninis vallibus accipit.* *H.*

30 *fecretiore ambitu fuggerunt*) Rom. *fecretiore aditu fuggerunt.* *H.*

Sic alii etiam libri: nec difplicet. *S.*

31 *ut circuit fol*) Rom. *ut circumierit fol.* *H.*

De hac forma vid., praeter Cortium ad h. l., Drakenb. ad Liv. 3, 6, 9. *S.*

praecedit hippodromus. Medius patefcit, ftatim-
que intrantium oculis totus offertur, platanis cir-
cuitur. Illae hedera veftiuntur, utque fummae
fuis, ita imae alienis frondibus virent. Hedera
truncum et ramos pererrat, vicinasque platanos
transitu fuo copulat. Has buxus interiacet. Ex-
teriores buxos circumvenit laurus, umbraeque
33 platanorum fuam confert. Rectus hic hippodro-
mi limes in extrema parte hemicyclo frangitur,
mutatque faciem: cupreffis ambitur et tegitur,
denfiore umbra opacior nigriorque; interioribus
circulis (funt enim plures) puriffimum diem reci-
34 pit. Inde etiam rofas effert umbrarumque frigus
non ingrato fole diftinguit. Finito vario illo mul-
tiplicique curvamine recto limiti redditur, nec
huic uni. Nam viae plures, intercedentibus bu-
35 xis, dividuntur. Alibi pratulum, alibi ipfa buxus
intervenit in formas mille defcripta, literis inter-

32 *longe praecedit hippodromus*) Rom. *longe lateque praecedit hyppodromus. H.*

umbraeque) In Gesneriana erat *umbraque*, negligentiâ, ni fallor, operarum. Idem in Gierigiana, quae an eandem habeat excufationem, ipfe viderit Gierigius. *S.*

33 *hemicyclo*) Cortius *hemicyclio* dedit e cod. Medic. etc. *G.*

34 *Inde etiam* etc.) Rom. *Inde rofas offert*, fine *etiam*, et *offert* pro *effert. H.*

recto limiti etc.) Rom. *recto limite redditur, ne huic uni. H.*

35 *mille defcripta* etc.) Rom. *mille defcripta litteris. Interdumque modo nomen domini, modo artificis.* Verbum *dicunt* omiffum. Tum, *Alternis metulae exurgunt, alternis infita funt poma.* Non dubito, quin *infita* a Plinio fit. Poftea, *Medium in fpatium brevioribus. H.*

Erneftio placebat *literas* pro *literis*. Tum, τελείᾳ στιγμῇ poft *imitatio* pofita, legebat *Medium fpatium* etc. Apponam eius notam: „*literas*) Sic pro *literis* „Cort. et Bipont. e Medic. ediderant, quos et fecutus eft „Gierigius. Cohaerent enim illa „*in formas — literas interdum.* „Deinde et *metulae* an h. l. aptae „fint, dubitarunt. *Metulae* funt „coni ex buxo, pinu aut fimilis „incrementi arbore formati. Sed „quaeritur, quomodo talia ornamenta mox Plinius *ruris imitationem* appellare potuerit. Itaque e Cod. Voff. et Edd. Gryph. „*viticulae* commemorant. Eorundem librorum lectionem cum „Bipont. etiam in feqq. tenui, „ubi vulgata — *velut illati ruris imitatio medium in fpatium* „*brevioribus utrinque platanis* „*adornatur*, commodum fenfum „non habere videbatur." Locus hic, ut pleraque huius epiftolae, tam eft obfcurus, ut nolim in crifi lectionis multùm operae perdera: nedum cum Gierigio coniecturis audacioribus indulgeam. Aliis quid acciderit, nefcio: mihi quidem, ut Laurentini defcri-

dum, quae modo nomen domini dicunt, modo
artificis: alternis metulae ſurgunt, alternis inſerta
ſunt poma: et in opere urbaniſſimo ſubita velut
illati ruris imitatio medium in ſpatium breviori-
bus utrinque platanis adornatur. Poſt has acan- 36
thus hinc inde lubricus et flexuoſus, deinde plu-
res figurae, pluraque nomina. In capite ſtiba-
dium candido marmore, vite protegitur. Vitem
quatuor columellae Caryſtiae ſubeunt. E ſtibadio
aqua, velut expreſſa cubantium pondere, ſiphun-
culis effluit; cavato lapide ſuſcipitur, gracili mar-
more continetur, atque ita occulte temperatur,
ut impleat, nec redundet. Guſtatorium, gravior- 37
que coenatio, margini imponitur; levior navicu-
larum et avium figuris innatans circuit. Contra
fons egerit aquam et recipit: nam expulſa in al-

ptio, ita hae literae, ſi exordium earum perquam ſuave excipias, iucunditatis minimum, taedii ſatis ſuperque attulerunt. *S.*

metulae) Coni ex buxo, pinu aut ſimilis incrementi arbore formati. *G.*

36 *acanthus hinc inde lubricus et flexuoſus*) An indicat in labyrinthi parvuli formam diſpoſitum acanthum? Quamquam ne hoc quidem plane intelligo. *G.* Add. Gesneri ad I. A. Erneſt. epiſt.

columellae Caryſtiae) E marmore Caryſtio. Laudavit Cellarius Plin. 36, 6. et Tib. 3, 3, 14. ubi reliquos citat Broukhuſius. *G.*

E ſtibadio aqua etc.) Rom. *Stibadio aqua, velut expreſſa cubantium pondere ſipunculis effluit.* Praepoſit. *e* omiſſa. *H.*

aqua — effluit) Magnam ſtibadium hoc ſimilitudinem habet cum ornithone Varronis, quem deſcripſit ipſe, nos explicavimus de R. R. 3, 5, 10. ſqq. *Stibadium* hoc reſpondet *faleri* Varroniano. Ex interiore huius margine proſilit aqua in cavatum lapidem; hic occultum habet emiſſarium, quo cum defluat et quaſi reſorbeatur aquae tantundem, quantum e ſiphunculis influxit, ea nunquam ultra definitam lineam et ipſum os emiſſarii attollitur. conf. ſ. 37. *G.*

37 *Guſtatorium — coenatio*) Haec vocabula pro ipſis lancibus et menſis (*menſis* inquam, quae idem quod lances interdum ſive patinae) cum cibis vel liquidis vel ſolidis quos continent, poni, res ipſa loquitur. Margo autem intelligitur ipſius ſtibadii, in quo accumbunt hoſpites. Ex veteribus formis tricliniorum apud Mercurialem atque alios, apparet, cibos vel in eadem libella ſ. horizontali linea, vel non multum certe altius poſitos fuiſſe, quam erant lecti accubitorii. Itaque margo ille ſtibadii tantum videtur fuiſſe elevatus, ut cum pulvinis in reliqua parte poſitis, quibus fulciuntur hoſpites, aequaretur. *G.*

Gierigius *marginem* intelligit non ſtibadii, ſed labri marmorei, circa quod convivae accumbant. *E.*

tum in ſe cadit, iunctisque hiatibus et abſorbetur
et tollitur. E regione ſtibadii adverſum cubicu-
lum tantum ſtibadio reddit ornatus, quantum ac-
38 cipit ab illo. A marmore ſplendet, valvis in vi-
ridia prominet et exit: alia viridia ſuperioribus
inferioribusque feneſtris ſuſpicit deſpicitque. Mox
zothecula refugit quaſi in cubiculum idem atque
aliud. Lectus hic, et undique feneſtrae, et tamen
39 lumen obſcurum umbra premente. Nam laetiſſi-
ma vitis per omne tectum in culmen nititur et
adſcendit. Non ſecus ibi, quam in nemore, ia-
ceas: imbrem tantum, tanquam in nemore, non
ſentias. Hic quoque fons naſcitur, ſimulque
40 ſubducitur. Sunt locis pluribus diſpoſita ſedilia
e marmore, quae ambulatione feſſos, ut cubicu-
lum ipſum, iuvant. Fonticuli ſedilibus adiacent,
per totum hippodromum inductis fiſtulis ſtrepunt
rivi, et, qua manus duxit, ſequuntur. His
nunc illa viridia, nunc haec, interdum ſimul
omnia, iuvantur. Vitaſſem iamdudum, ne vide-

iunctisque — — tollitur) Sic et Rom. *H.*

38 *A marmore ſplendet)* Sic et Rom. *H.*

prominet et exit) Rom. *prominet et texit.* *H.*

zothecula) Vid. ad 2, 17, 21. *Qui *diaetulam* hic defendunt, non cogitare videntur, *diaetam* eſſe non partem aut partem membrum cubiculo adiunctum; verum pluribus ipſum cubiculis conſtare, quod vel ex ſ. 31. ſatis conſtat. Denique ſi 2, 17, 21. recte *zotheca* ex libris optimis reſtituta et explicata eſt; de *zothecula* hic non poteſt dubitari. *G.*

Rodius corrigit: *Mox zothecula refugit, quaſi cubiculum idem atque aliud.* *S.*

39 *imbrem tantum* etc.) Rom. *hymbrem tamen, tanquam in nemore.* *H.*

Locus Gierigio ſine cauſſa videtur corruptus eſſe. Senſus eſt: non ſecus ibi, quam in nemore, umbra fruaris; praetereaque non ſentias imbrem, a quo nemus te tutum non praeſtet. *S.*

40 *locis pluribus)* Hippodromi, in quo deſcribendo adhuc verſatur. *G.*

diſpoſita ſedilia) Sic et Rom. Deinde: *Fonticuli ſedibus adiacent per totum hyppodromum inductis fiſtulis ſtrepunt rivi, et qua manus duxit, ſequuntur.* *H.*

iuvantur) *Cortius in pari fere auctoritate librorum praefert *lavantur:* ſed hoc videtur eſſe poëtarum proprium. Burmannus notis maioribus ad Phaedr. 2. 5, 14. *laetantur* malit, quod pulchrum ſane eſt, nec ab auctoritate librorum deſtituitur. *G.*

Rom. *interdum ſimul omnia lavantur.* Poëticum quidem hoc

rer argutior, niſi propoſuiſſem omnes angulos
tecum epiſtola circumire. Neque enim verebar, 41
ne laborioſum eſſet legenti tibi, quod viſenti non
fuiſſet; praeſertim quum interquieſcere, ſi liberet,
depoſitaque epiſtola, quaſi reſidere, ſaepius poſ-
ſes. Praeterea indulſi amori meo. Amo enim,
quae maxima ex parte ipſe inchoavi, aut inchoa-
ta percolui. In ſumma (cur enim non aperiam 42
tibi vel iudicium meum vel errorem?) primum
ego officium ſcriptoris exiſtimo, ut titulum ſuum
legat, atque identidem interroget ſe, quid coe-
perit ſcribere: ſciatque, ſi materiae immoratur,
non eſſe longum; longiſſimum, ſi aliquid arceſ-
ſit atque adtrahit. Vides, quot verſibus Home- 43
rus, quot Virgilius arma, hic Aeneae, Achillis
ille, deſcribat: brevis tamen uterque eſt, quia
facit, quod inſtituit. Vides, ut Aratus minutiſ-
ſima etiam ſidera conſectetur et colligat: modum
tamen ſervat. Non enim excurſus hic eius, ſed
opus ipſum eſt. Similiter nos, ut parva magnis, 44
quum totam villam oculis tuis ſubiicere conamur,
ſi nihil inductum, et quaſi devium, loquimur,
non epiſtola, quae deſcribit, ſed villa, quae de-

verbum eſt, ſed multa huius generis alia Plinius in deſcriptionibus adhibet. Sic n. 19. *Nemus comasque proſpectat*, et alia aliis locis plurima. *H.*

argutior) loquacior. Cicero ad Attic. 6, 5. in. *obvias mihi literas quam argutiſſimas de omnibus rebus crebro mittas. S.*

41 *ne laborioſum* etc.) Rom. *ne laborioſum eſſet tibi legenti, quod viſenti. H.*

42 *In ſumma*) Etiam Rom. *In ſumma*, ut alibi. Poſt, *primum ego de officio ſcriptoris exiſtimo.* Tum, *ſi aliquid arceſſit. H.*

43 *Homerus — Virgilius*) Ille Il. σ, 478. ſqq. hic Aen. 8, 407. ſqq. *G.*

Achillis ille, deſcribat) Rom. *ille Achillis deſcribat. H.*

44 *ut parva magnis*) ſcil. *componamus.* Proverbium ex illo Virg. ecl. 1, 23. *ſic magnis componere parva ſolebam.* Ut ſupra 1, 2, 2. *Pauci, quos aequus amavit.* *Nam *conferamus*, quod eſt in libris quibusdam, e gloſſa eſt. *G.*

Rom. *ut parva magnis comparemus*, ubi vulgo *conferamus.* Utrumque verbum omiſit Plinius. *H.*

oculis tuis ſubiicere conamur) Sic et Rom. Poſtea *in hoc, in quo exceſſi:* Ald. *in quod. H.*

ſcribitur, magna eſt. Verum illuc, unde coepi; ne ſecundum legem meam iure reprehendar, ſi
45 longior fuero in hoc, in quod exceſſi. Habes cauſſas, cur ego Tuſcos meos Tuſculanis, Tiburtinis, Praeneſtinisque meis praeponam. Nam ſuper illa, quae retuli, altius ibi otium et pinguius, eoque ſecurius, nulla neceſſitas togae, nemo arceſſitor ex proximo. Placida omnia et quieſcentia, quod ipſum ſalubritati regionis, ut purius coelum, ut aër liquidior, accedit. Ibi animo, ibi corpore, maxime valeo. Nam ſtudiis animum,
46 venatu corpus exerceo. Mei quoque nusquam ſalubrius degunt; usque adhuc certe neminem ex iis, quos eduxeram mecum (venia ſit dicto) ibi amiſi. Dii modo in poſterum hoc mihi gaudium, hanc gloriam loco ſervent. Vale.

in quod exceſſi) in eo argumento, in quod digreſſus ſum. *Exceſſum* pro oratoria *digreſſione* tum noſter, tum Quintilianus dixere. Praepoſitionem *in* ante *quod* ex libris dedit Cortius. *G.*

45 *neceſſitas togae)* Qua ſc. extra urbem et forum nihil opus eſt. Pars vitae beatioris ſecundum Martialem 10, 47. *toga rara.* Multa hic de non uſu togae extra urbem Buchnerus. *G.*

ſalubritati — accedit) Ipſa illa tranquillitas, et placida in liberali otio quies a nullis negotiis importunis vel hominibus interturbata, *accedit ſalubritati*, vel partem illius ſalubritatis, quam haec praeſtat villa, efficit. Eſt ſane etiam Medicis inter res, quas non naturales vocant, vel maximi momenti, ſtatus ille tum animi tum corporis, vel quietus vel turbatior. *G.*

Rom. *ſalubritate regionis.* *H.*

46 *(venia ſit dicto)*) a diva Nemeſi, quae invidia quadam proſequitur eos, qui beati ſibi nimis videntur, et felicitatem ſuam praedicant, vel praedicari libenter audiunt; precibus proinde placanda, quoties iactantius aliquid nobis, vel aliis de nobis excidit. Praeclara, ſi DIS placet, eius rei ratio eſt, quam ſapiens ille Solon profert in Disputatione cum Croeſo, apud Herodotum 1, 32. τὸ θεῖον πᾶν φθονερόν τε καὶ ταραχῶδες. Rationem hanc deteſtamur hodie, ſed rem ipſam ut aliis in rebus ſcilicet retinemus. Laudavimus pulchellum infantem et valentulum; ſubiicimus, *Gott behüte es!* Diximus aliquid de ſecunda fortuna noſtra vel aliorum; exſilit illud, *Gott laſſe mich es zur guten Stunde reden!* Hoc ipſum eſt, *venia ſit dicto!* *G.*

Rom. *venia ſit dictum, amiſi.* ſine *ibi.* *H.*

VII.

Saturninus Plinium heredem instituerat et rempublicam Comensium, quod ipse ratum vult esse, etsi secundum leges respublica heres institui non possit, quod ut decurionibus indicetur, rogat.

C. PLINIVS CALVISIO SVO S.

Nec heredem institui, nec praecipere posse rem-
publicam, constat: Saturninus autem, qui nos re-
liquit heredes, quadrantem reipublicae nostrae,
deinde pro quadrante praeceptionem quadringen-
torum millium dedit. Hoc, si ius adspicias, irri- 2
tum; si defuncti voluntatem, ratum et firmum est.
Mihi autem defuncti voluntas (vereor, quam in
partem iurisconsulti, quod sum dicturus, accipiant)
antiquior iure est, utique in eo, quod ad commu-
nem patriam voluit pervenire. An, cui de meo 3
sestertium undecies contuli, huic quadringentorum
millium paullo amplius tertiam partem ex adven-
ticio denegem? Scio te quoque a iudicio meo
non abhorrere, cum eandem rempublicam ut ci-
vis optimus diligas. Velim ergo, quum proxime 4

VII, 1 *nec praecipere) Praecipere* apud ICtos est partem aliquam hereditatis ante reliquos heredes capere, unde dicitur *praecipuum*. Qui igitur aliquid *praecipere* testamento iubetur, illum eo ipso heredem etiam cum aliis esse intelligitur. Vid. Brisson. de form. 7, 143. p. 635. sq. Sed hic paullo alia videtur species. Saturninus primo ex quadrante instituerat rempublicam, deinde hoc mutavit, et loco illius quadrantis ex integra hereditate praecipi et ante divisionem numerari reipublicae iussit quadringenta millia: sive quod putaret ita eludi legem posse, quae institui heredem vetaret rempublicam, sive quacunque alia caussa. *G.*

3 *An, cui de meo)* Contulerat Plinius reipublicae per varias occasiones *undecies*, intell. centena millia HS. quae sunt 55000 florenorum imperialium (quos besses 2/3 vocant mercatores) in alimenta ingenuorum, in aedes sacras etc. In hac liberalitate parum sibi constitisset, si 400000 HS. s. 20000 floren. imp. quae paullo amplius tertia pars est superioris summae (est enim ipsa tertia ex duodecies) aliunde ei obvenientia, invideret, vel tabulis testamenti oppugnatis negaret. *G.*

Rom. *An cui de meo sexdecies adiiciens contuli. H.*

quadringentorum millium) al. *quadringenta millia.* quod unice verum. *S.*

decuriones contrahantur, quid ſit iuris, indices,
parce tamen et modeſte; deinde ſubiungas, nos
quadringenta millia offerre, ſicut praecepit Satur-
ninus. Illius hoc munus, illius liberalitas; no-
5 ſtrum tantum obſequium vocetur. Haec ego ſcri-
bere publice ſuperſedi: primum, quod memine-
ram, pro neceſſitudine amicitiae noſtrae, pro fa-
cultate prudentiae tuae, et debere te et poſſe
perinde meis ac tuis partibus fungi: deinde, quia
verebar, ne modum, quem tibi in ſermone cuſto-
dire facile eſt, tenuiſſe in epiſtola non vide-
6 rer. Nam ſermonem vultus, geſtus, vox ipſa
moderatur: epiſtola, omnibus commendationibus
deſtituta, malignitati interpretantium exponitur.
Vale.

VIII.

Admonitus, ut hiſtoriam ſcriberet, reſpondet ſibi idem ſtetiſſe, cauſſasque conſilii ita exponit, ut diſcrimen ſimul orationis et hiſtoriae oſtendat.

C. PLINIVS CAPITONI SVO S.

Suades, ut hiſtoriam ſcribam, et ſuades non ſolus: multi hoc me ſaepius monuerunt, et ego

4 *decuriones contrahantur*) Si de Roma ſermo eſſet, diceret, *Senatus cogatur.* G.

Rom. *decuriones contrahentur*, pro quo male Cellar. et eum ſecuti *contrahantur.* H.

Bene Cortiana *contrahentur*, quam Gierigius, non Gesnerianam, ſequi debebat. S.

ſicut praecepit Saturninus) Sic etiam Rom. et Ald. non tantum recentiores, ut Gruterus opinatur. H.

5 *pro facultate prudentiae tuae*) Haec omiſſa ſunt in Rom. omittendi vero nullam rationem reperio. Deſunt tamen et in Brummerianis. H.

Suſpicor Plinium, chiaſmo ſervato, ſcripſiſſe hoc ordine: *quod memineram, pro facultate prudentiae tuae, pro neceſſitudine amicitiae noſtrae, et debere te et poſſe perinde* etc. Sic apparet, unde lacuna illa in libris originem traxerit. Adde quod hic verborum ordo paullo humanior videtur. S.

6 *moderatur*) Gierigius recte interpretatur: indicat, quomodo eum accipi velimus. Mox *omnibus* mihi ſuſpectum eſt. Deſidero *ſimilibus*, aut *omnibus his*; ut ad vultum, geſtus, et vocem referatur. E.

Mihi vero nihil videtur tentandum. Plinius omnino intellexit res adventicias, quibus epiſtola commendari poſſit. S.

VIII, 1 *multi hoc mè ſaepius monuerunt*) Ròm. *multi me hoc ſaepe monuerunt.* H.

volo, non quia commode facturum esse confido,
(id enim temere credas, nisi expertus,) sed quia
mihi pulchrum in primis videtur, non pati occi-
dere, quibus aeternitas debeatur, aliorumque fa-
mam cum sua extendere. Me autem nihil aeque 2
ac diuturnitatis amor et cupido solicitat: res ho-
mine dignissima, praesertim qui nullius sibi con-
scius culpae, posteritatis memoriam non reformi-
det. Itaque diebus ac noctibus cogito, si *qua* 3
me quoque possim Tollere humo: (id enim voto
meo sufficit: illud supra votum) *victorque virûm*
volitare per ora. Quamquam o! Sed hoc satis
est, quod prope sola historia polliceri videtur.
Orationi enim et carmini parva gratia, nisi elo-
quentia sit summa: historia quoquo modo scripta
delectat. Sunt enim homines natura curiosi, et 4
quamlibet nuda rerum cognitione capiuntur, ut
qui sermunculis etiam fabellisque ducantur. Me
vero ad hoc studium impellit domesticum quo-
que exemplum. Avunculus meus, idemque per 5

facturum esse confido) Sic et Rom. *H.*

Cort. et Gierig. *confidam.* quod praefero. Columella 8, 9. laudatus in Horat. Tursell. Cap. CLII. 35. *nec quia tritico vel aliis frumentis minus crassescant, verum quod semine huius maxime delectantur.* S.

non pati occidere, quibus aeternitas debeatur) Rom. *non pati occidere, quibus aeternitas debetur*, sine adsuticio panno illo Florentino. *H.*

2 *Me autem nihil aeque* etc.) Rom. *Me autem nihil aequi ac diuturnitatis et amoris cupido sollicitat, res homine dignissima.* Suspicor ex glossa aliquid accessisse, et prius fuisse *diuturnitatis cupido.* *H.*

3 *si qua me quoque)* Virg. Georg. 3, 8. *Tentanda via est, qua me quoque possim Tollere humo, victorque virûm volitare per ora.* G.

Quamquam o!) Elegans aposiopesis itidem Virgiliana, apud quem Aen. 5, 195. Mnestheus, *Non iam prima peto, neque vincere certo; Quamquam o - - Sed superent, quibus hoc, Neptune, dedisti.* Similiter noster, post aposiopesin, *sed hoc satis est,* nimirum *diuturnitas, et memoria posteritatis.* G.

Rom. *Quamquam o. Sed satis est*, sine *hoc.* *H.*

Orationi enim et carmini) Rom. *Orationi et carmini.* Deest *enim.* *H.*

nisi eloquentia sit summa) Rom. *nisi eloquentia est summa.* *H.*

4 *et quamlibet nuda)* Rom. *et qualibet nuda.* Ald. tamen, *et quamlibet.* *H.*

domesticum quoque exemplum) Rom. *domesticum exemplum*, sine *quoque.* *H.*

adoptionem pater, historias, et quidem religiosissime, scripsit. Invenio autem apud sapientes, honestissimum esse maiorum vestigia sequi, si modo
6 recto itinere praecesserint. Cur ego cunctor?
Egi magnas et graves caussas. Has (etiamsi mihi
tenuis ex eis spes) destino retractare, ne tantus
ille labor meus, ni hoc, quod reliquum est stu-
7 dii, addidero, mecum pariter intercidat. Nam si
rationem posteritatis habeas, quidquid non est
peractum, pro non inchoato est. Dices, *Potes
simul et rescribere actiones, et componere historiam.* Utinam! sed utrumque tam magnum est,
8 ut abunde sit alterum efficere. Undevicesimo aeta-
tis anno dicere in foro coepi, et nunc demum,
quid praestare debeat orator, adhuc tamen per
caliginem, video. Quid, si huic oneri novum
9 accesserit? Habet quidem oratio et historia mul-
ta communia, sed plura diversa in his ipsis, quae
communia videntur. Narrat sane ipsa, narrat
haec: sed aliter. Huic pleraque humilia et sor-
dida et ex medio petita; illi omnia recondita,
10 splendida, excelsa conveniunt. Hanc saepius ossa,

5 *historias — scripsit*) Vid. supra 3, 5, 4. sq. *G.*

6 *Cur ego etc.*) Rom. *Cur enim cum tot egi magnas et graves causas.* Ald. *Cui ergo cunctor? Egi. H.*

tenuis ex eis spes) Rom. *tenuis ex his spes. H.*

mecum — intercidat) Et tamen intercidit. Poteras itaque, Secunde, quantum ad nos illo retractandi labore supersedere. Sed exstiterunt tamen aliquamdiu post Plinium Orationes illius, quod ex Apollinari Sidonio et Cassiodoro constat. *G.*

9 *Habet quidem oratio et historia*) Rom. *Habent quidem oratio et historia. H.*

Narrat sane ipsa) Cort. *Narrat sane illa*, nulla notata lectionis varietate: idque praestat. *S.*

Huic pleraque humilia) Ad orationem haec pertinent, (contra quam visum Catanaeo) ubi etiam de tribus capellis, aut de stillicidio, aut de sterquilinio adeo narrandum est quam planissime. *G.*

Quae sequuntur, *ossa*, *musculi*, *nervi*, eo valent, ut in oratione saepe sola vis, vehementia, robur, et aculei desiderentur, historiam autem *tori* et *iubae*, h. e. eminentior species et insignis nitor deceat. Nam *tori* sunt, qui carnibus vestita et decora ossa habent, *iubae* autem, quae, ut in equis et leonibus, speciem et maiestatem corpori addunt. Eodem sensu Quintil. X, 1. 33. militum *lacertis*, in quibus ossa et nervi et musculi sufficiunt, athletarum *toros* opposuit, qui speciosiora corpora efficiant. Ea-

mufculi, nervi; illam tori quidam et quafi iubae decent. Haec vel maxime vi, amaritudine, inftantia; illa tractu et fuavitate, atque etiam dulcedine placet. Poftremo alia verba, alius fonus, alia conftructio. Nam plurimum refert, ut Thu- 11
cydides ait, κτῆμα fit, an ἀγώνισμα: quorum alterum oratio, alterum hiftoria eft. His ex cauffis non adducor, ut duo diffimilia, et hoc ipfo diverfa, quod maxima, confundam mifceamque, ne tanta quafi colluvione turbatus ibi faciam, quod hic debeo: ideoque interim veniam (ne a meis

dem mox Plinius mutatis verbis et metaphoris repetit, cum orationi *vim, amaritudinem, inftantiam* h. e. acrem, concifam, et vibrantem veluti vehementiam, hiftoriae autem *tractum*, h. e. motum veluti moderatiorem, tribuit. Ita plane Cicero in Orat. 20. *contortam et acrem* orationem oratoris forenfis opponit hiftoricorum rationi dicendi *tractae* et *fluenti* h. e. leniori, moderatiori, quod in ea magis perfpicuitas et explanatio et ordo et concinnitas, quam vis et celeritas aut impetus fententiarum quaeritur. Denique *fonus* eft forma dicendi vel elocutionis hiftoriae aut orationi peculiaris. Copiofe id explicavimus in Lex. techn. rhet. f. v. *fonus*. *E.*

10 *inftantia)* Vid. ep. 19. ubi *acriter, inftanter, intente* permutantur. *E.*

11 *κτῆμα — ἀγώνισμα*) Hiftoria κτῆμα eft, poffeffio, bonum perpetuo noftrum, poftquam femel effe coepit, (vid. fupra 1, 3, 3.) ex quo fera etiam pofteritas de nobis iudicat. Oratio autem ἀγώνισμα eft certamen, in quo femel viciffe fatis eft, non curante auctore, quid deinde de ea iudicent alii. Ceterum locus Thucydidis eft 1, 22. extr. qui de fua hiftoria κτῆμα ἐς ἀεὶ μᾶλλον, ἢ ἀγώνισμα ἐς τὸ παραχρῆμα ἀκούειν σύγκειται. Quintilianus 10, 1, 31. *Non ad actum rei pugnamque praefentem, fed ad memoriam pofteritatis et ingenii famam componitur.* Ceterum videndum adhuc, annon refpexerit forte Thucydides ad illam recitationem Herodoti in ludis Olympicis, quae lacrymas excuffiffe dicitur puero Thucydidi. *G.*

Rom. *ut Thucydides ait, ἤδημα καὶ ἀγώνισμα: quorum alterum oratio, alterum hiftoria,* omiffo verbo *eft*. Poft, *ex his caufis*. *H.*

diverfa, quod maxima) Ob id ipfum non poffunt ab eodem homine tempore eodem tractari, quod funt maxima et fuum fibi hominem integrum unum quodque depofcit. *G.*

ne tanta quafi colluvione) Sic et Rom. *H.*

ibi faciam, quod hic debeo) Ne in hiftoria contentiofius afperiusque, aut in oratione nitidius feftiviusque quam deceat, agam et utriusque generis virtutes permutem, quae hoc ipfo fiunt vitia, quod loco non adhibentur. *G.*

(ne a meis verbis difcedam)) Ut iis verbis utar, quibus uti in foro et cauffis confuevi. Ita praefatur formulae e foro defumtae, quam mox declarabimus. *Recepi nimirum Cortianam, f. Mediceam potius, hic quoque lectionem; al. *ne a* forenfibus *verbis recedam*, quod ex gloffa eft procul dubio. *G.*

12 verbis discedam) advocandi peto. Tu tamen iam nunc cogita, quae potiſſimum tempora adgrediamur. Vetera et ſcripta aliis? parata inquiſitio, ſed onerosa collatio: intacta et nova? graves
13 offenſae, levis gratia. Nam praeter id, quod in tantis vitiis hominum plura culpanda ſunt, quam laudanda: tum ſi laudaveris, parcus; ſi culpaveris, nimius fuiſſe dicaris; quamvis illud pleniſſime, hoc
14 reſtrictiſſime feceris. Sed haec me non retardant: eſt enim mihi pro fide ſatis animi. Illud peto praeſtruas, ad quod hortaris, eligasque materiam, ne mihi, iam ſcribere parato, alia rurſus cunctationis et morae iuſta ratio naſcatur. Vale.

IX.

Dolet, Valentem graviter iacere: moleſtius fert, Avitum deceſſiſſe.

C. PLINIVS SATVRNINO SVO S.

Varie me adfecerunt literae tuae: nam partim laeta, partim triſtia continebant. Laeta, quod te

veniam — advocandi) Nimirum amicos, et cum iis de cauſſa deliberandi. Quae quidem res adeo frequens in iudiciis fuit, ut inde *advocatio* pro mora ac dilatione frequenter dicatur. vid. ad Cic. fam. 7, 11. et Sen. Conſol. ad Marc. 10. *G.*

Senſus igitur: *ideoque interim cunctor.* Supra 6. erat: *Cur ergo cunctor?* Mox 14: *cunctatio et mora.* *S.*

Rom. *ſed interim veniet, et ne a forenſibus verbis recedam advocatum peto.* *H.*

12 *Tu tamen iam nunc cogita)* Rom. *Tu tamen nunc cogita.* *H.*

onerosa collatio) Difficile eſt aliquid de tuo conferre, quod non iam alii occupaverint. Hic, opinor, ſenſus loci longe aliter vulgo intellecti. *S.*

13 *Nam praeter id, quod in tantis vitiis)* Rom. *Praeterea quod in tantis vitiis.* Omiſſum eſt *nam.* Unde non contemnenda Gruteri ſuſpicio, *praeterea quod in tantis.* Florentinae lectioni non convenit *tum*, quod ſequitur. *H.*

quamvis — feceris) Nihil horum in Rom. eſt, nec in Brummerianis, et quatuor Cortianis, quae lectoris alicuius manu adſcribi potuerunt. *H.*

Vix putem inſiticia eſſe. *S.*

14 *Illud peto praeſtruas)* Rom. *Illud, peto, perſtruas.* *H.*

in urbe teneri nuntiabant. Nollem, inquis: ſed
ego volo, propterea, quod recitaturum ſtatim, ut
ego veniſſem, pollicebantur. Ago gratias, quod
exſpector. Triſte illud, quod Iulius Valens gra- 2
viter iacet; quamquam ne hoc quidem triſte, ſi
illius utilitatibus aeſtimetur, cuius intereſt quam
maturiſſime inexplicabili morbo liberari. Illud 3
plane non triſte ſolum, verum etiam luctuoſum,
quod Iulius Avitus deceſſit, dum ex quaeſtura
redit: deceſſit autem in navi, procul a fratre
amantiſſimo, procul a matre, a ſororibus. Nihil 4
iſta ad mortuum pertinent; ſed pertinuerunt, quum
moreretur: pertinent ad hos, qui ſuperſunt. Iam, 5
quod in flore primo tantae indolis iuvenis exſtin-
ctus eſt, ſumma conſequuturus, ſi virtutes eius
maturuiſſent. Quo ille ſtudiorum amore flagra-
bat! quantum legit! quantum etiam ſcripſit! quae
nunc omnia cum ipſo ſine fructu poſteritatis arue-
runt. Sed quid ego indulgeo dolori? cui ſi fre- 6
nos remittas, nulla materia non maxima eſt. Fi-
nem epiſtolae faciam, ut facere poſſim etiam la-
crymis, quas epiſtola expreſſit. Vale.

IX, 1 *ſed ego volo* etc.) Rom. *ſed ego volo. Praeterea quod.* Paullo ante *quod* deſideratur in his, *quod te in urbe teneri. H.*

2 *morbo liberari*) Refero ad illud neſcio cuius Οἱ μεγάλοι πόνοι συντόμως ἐξάγουσι. Quo acutior eſt morbus, tanto minus durat. Cumque *inexplicabilem* praeterea *morbum* dicat, puto, Secundum εὐφημίᾳ quadam uſum, inſtantem proxime Valenti mortem ſic indicare, ipſamque in beneficio ponere, quae deſperato illum morbo liberet. *G.*

3 *deceſſit autem in navi*) Rom. *deceſſit in navi. H.*

Bene: ſicque etiam alii libri bonae notae. Repetit Secundus ab amico ſibi ſcripta, non ipſe illi narrat. Ideo *autem* hic importunum. *S.*

5 *Iam, quod in*) Ex ſuperioribus ita explenda oratio, *Iam illud luctuoſum eſt* etc. *G.*

Immo ſupplendum, *quam luctuoſum eſt.* Ῥῆσις haec eſt exclamatio. Sic Graeci κατ' ἔλλειψιν Τὸ δὲ, ſequ. accuſat. cum infinitivo. *S.*

Etiam in Rom. *Iam, quod in flore primo.* Deinde, *ſi virtutes eius maturuiſſent. Quod ille. H.*

ſcripſit) ſed non edidit: alioqui non aruiſſent ſine fructu poſteritatis. Editurus, opinor, erat, ſi prius expoliviſſet. *S.*

6 *cui ſi frenos — eſt*) Non reprehenderem Secundum, ſi haec omiſiſſet. Parum humanum videtur, in iam luctuoſi caſus comploratione addere, dolori non indulgendum, *quod*, ſi frenos illi remittas, *etiam levior dolendi cauſſa graviſſima fiat. S.*

X.

Versus Antonini laudat, ut sibi inimitabiles, et ad plures edendos hortatur.

C. PLINIVS ANTONINO SVO S.

Cum versus tuos aemulor, tum maxime, quam sint boni, experior. Ut enim pictores pulchram absolutamque faciem raro, nisi in peius, effingunt;
2 ita ego ab hoc archetypo labor et decido. Quo magis hortor, ut quam plurima proferas, quae imitari omnes concupiscant, nemo, aut paucissimi, possint. Vale.

XI.

Hortatur ad edenda sua scripta, quia ipse eorum spem hendecasyllabis fecerat.

C. PLINIVS TRANQVILLO SVO S.

Libera tandem hendecasyllaborum meorum fidem, qui scripta tua communibus amicis spoponderunt. Appellantur quotidie et flagitantur: ac iam periculum est, ne cogantur ad exhibendum formulam

X inscr. Etiam Rom. *Antonino. H.*

1 *in peius, effingunt*) Rom. *in peius fingunt.* Post *labor et decido. H.*

XI inscr. Rom. *Tranquillo. H.*

1 *Libera — fidem*) Far, quod ego in hendecasyllabis tuo nomine promisi. *E.*

spoponderunt) Rom. *speponderunt*, antique. Vid. Gell. VII. c. 9. *H.*

Conf. Voss. de Analog. L. III. c. 19. p. 87. *S.*

ad exhibendum formulam) Accipit *formulam* in iure, et a Praetore, non actor modo, sed etiam is, quicum agitur, vel unde petitur; actionis ille, hic exceptionis. Vid. Brisson. de form. 5, 74. Hendecasyllabi Pliniani *appellantur, flagitantur*, agitur cum illis, ut praestent denique praesentiam scriptorum Tranquilli. Miram suavitatem huius loci intelliget, qui considerabit Ulpiani verba l. 3. *π*. §. 8. de hom. libero exhibendo. *Ait Praetor* Exhibeas: Exhibere *est in publicum producere, et videndi tangendique hominis facultatem praebere. Proprie autem* exhibere *est* extra secretum habere. Ut igitur *plagium*, quod est furtum in libero capite commissum, eleganter ad libros et scripta transtulere; ita hic *ad exhiben-*

accipere. Sum et ipſe in edendo haeſitator, tu 2
mora tamen meam quoque cunctationem tarditatemque viciſti. Proinde aut rumpe iam moras, aut cave, ne eosdem illos libellos, quos tibi hendecaſyllabi noſtri blanditiis elicere non poſſunt, convicio ſcazontes extorqueant. Perfectum opus 3
abſolutumque eſt; nec iam ſplendeſcit lima, ſed atteritur. Patere, me videre titulum tuum; patere audire, deſcribi, legi, vaenire volumina Tranquilli mei. Aequum eſt, nos in amore tam mutuo eandem percipere ex te voluptatem, qua tu perfrueris ex nobis. Vale.

XII.

Proſocerum laudat, quod porticum dedicaverit, et in portarum ornamentum pecuniam promiſerit.

C. PLINIVS FABATO PROSOCERO SVO S.

Accepi literas tuas, ex quibus cognovi ſpecioſiſſimam te porticum ſub tuo filiique tui nomine

dum agitur cum eo, qui ſcripta, quae libera vagari debebant, domi per iniuriam contineat. Luſerimne praeterea in nominum *libri* et *liberi* ſimilitudine, non temere dixerim. G.

2 *Sum et ipſe* etc.) Rom. *Sum et ipſe in edendo haeſitator tu. O ſi tamen meam quoque cunctationem tarditatemque viceris. Proinde aut rumpe moras.* H.

convicio ſcazontes) Scazontes aſperum et ſatiricis epigrammatis aptum genus carminis, aptum proinde etiam *convicio* faciendo, quod non ad maledicta ſemper, ſed ad importunam quoque, et parum modeſtam repetitamque ſubinde petitionem vel admonitionem pertinet, ut in praefatione Quintiliani ad Tryphonem, *Efflagitaſti quotidiano convicio* etc. G.

3 *ſed atteritur*) Summa in his elegantia, quod translationem continuat. Laudavit iam Cellarius 9, 35, 2. et Quintil. 10, 4, 4. *ut opus poliat lima, non exterat*, quem praeceptoris ſui locum imitatus videtur noſter. Deſcribitur hic illud vitium, quod κακιζοτεχνίαν poſſis appellare cum avunculo noſtri 34, 8. ſ. 19. ubi commemoratur ab illo Callimachus inter nobiles ſtatuarios (quorum *lima* eſt propria) *ſemper calumniator ſui, neque finem habens diligentiae* etc. G.

Cf. quae nos in Techn. rhet. ſ. v. *calumniari* diximus. E.

Etiam Rom. *nec iam ſplendeſcit lima, ſed atteritur.* H.

titulum tuum) libro inſcriptum et pendentem in bibliopoliis atque bibliothecis. G.

XII inſcr. Rom. *Fabato proſocero.* H.

1 Quod ſaepe obſervo, Plinium in his epiſtolis voluiſſe nobis ima-

dedicasse; sequenti die in portarum ornatum pe-
cuniam promisisse, ut initium novae liberalitatis
2 esset consummatio prioris. Gaudeo primum tua
gloria, cuius ad me pars aliqua pro necessitudine
nostra redundat: deinde, quod memoriam soceri
mei pulcherrimis operibus video proferri: postre-
mo, quod patria nostra florescit: quam mihi a
quocunque excoli iucundum, a te vero laetissi-
3 mum est. Quod superest, Deos precor, ut ani-
mum istum tibi, animo isti tempus quam longis-
simum tribuant. Nam liquet mihi futurum, ut
peracto, quod proxime promisisti, inchoes aliud.
Nescit enim semel incitata liberalitas stare, cuius
pulchritudinem usus ipse commendat. Vale.

XIII.

Orationem, paucis amicis recitatam, iudicio Scauri subiicit.

C. PLINIVS SCAVRO SVO S.

Recitaturus oratiunculam, quam publicare cogito, advocavi aliquos, ut vererer; paucos, ut ve-

ginem animi sui pulcherrimam relinquere, illud hic etiam locum habet. Intererat ipsius, liberorum suorum proavum quam adstrictissimum esse, et corradere potius magnam rem familiarem, quam publica eam liberalitate minuere. At gratulatur illius magnificentiae, eamque stimulis incitat quantum potest; quod non multo minus est, quam si ipse elargitus esset, quae publico impendit prosocer. *G.*

Accepi literas tuas) Rom. *Recepi litteras tuas. H.*

ut initium novae liberalitatis) Rom. *ut initium liberalitatis* omisso cum aliis epitheto *novae. H.*

2 *pro necessitudine nostra redundat*) Rom. *pro necessitudine redundat.* Deest *nostra. H.*

quam mihi a quocunque) Rom. *quam mihi et a quocumque. H.*

3 *quod proxime promisisti*) Rom. *quod maxime promisisti. H.*

Livius 22, 53, 2. *Ap. Claudius Pulcher, qui proxime aedilis fuerat.* ubi item Drakenb. e codice *maxime* enotavit. Solennis confusio: ne suspiceris, a Plinio *cum maxime* scriptum esse. Cf. Cortium, it. Oudend. ad Caes. p. 167. *S.*

XIII, 1 *ut veerre*) Sic et Rom. *H.*

H. e. quorum reverentia me in recitando intentum et acrem faciat. Eo pertinet, quod mox di-

rum audirem. Nam mihi duplex ratio recitandi:
una, ut ſolicitudine incendar; altera, ut admo-
near, ſi quid forte me, ut meum, fallat. Tuli, 2
quod petebam: inveni, qui mihi copiam conſilii
ſui facerent. Ipſe praeterea quaedam emendanda
adnotavi. Emendavi librum, quem miſi tibi.
Materiam ex titulo cognoſces, cetera liber explica- 3
bit: quem iam nunc oportet ita conſueſcere, ut
ſine praefatione intelligatur. Tu velim, quid de 4
univerſo, quid de partibus, ſentias, ſcribas mi-
hi. Ero enim vel cautior in continendo, vel con-
ſtantior in edendo, ſi huc vel illuc auctoritas tua
acceſſerit. Vale.

XIV.

Cauſſa et iudicium Tuſcilii quem exitum habuerit, pernarrat.

C. PLINIVS VALERIANO SVO S.

Et tu rogas, et ego promiſi, ſi rogaſſes, ſcripturum me tibi, quem habuiſſet eventum poſtulatio Nepotis circa Tuſcilium Nominatum. Inductus eſt Nominatus; egit ipſe pro ſe, nullo accuſante.

cit, ſe velle, ut *ſolicitudine incendatur:* hoc ergo reverentiae auditorum tribuit. In aliis libris eſt *intendar.* Ceterum de ſententia ipſa cf. Epiſt. V, 3. 8. *E.*

ſi quid forte etc.) Rom. *ſi quid forte me ut meum fallit. H.*

3 *ita conſueſcere)* Si figuram demas, illud dicere videtur, oportet librum ipſum per ſe ita paullatim notum et familiarem fieri hominibus, ut ſine praefatione argumentum et ordinem indicante, quid ſibi velit, intelligant. *G.*

Puto ſimpliciter eſſe: cui nunc non magis poſſum (quod otium deeſt aut alia de cauſſa) praefationem praemittere, quam tum praemittam, cum publicabo. *S.*

Etiam Rom. *oportet ita conſueſcere. H.*

XIV, 1 *poſtulatio Nepotis)* de qua ſupra 5, 4. *G.*

circa Tuſcilium Nominatum) Rom. *contra Tuſcilium Nominatum.* Deinde, *Etenim legati Vicentinorum non modo preſ. ſerunt.* Altera negatio excidit. *H.*

Alibi etiam libri *non modo* pro *non modo non* exhibent, ſequente *verum etiam.* E. c. Cic. Offic. 1, 21, 4. ubi v. Heuſing., ibid. 2, 13, 4. coll. Muret. Var. Lect. 10, 7., Cat. mai. cap. 16. coll. Cort. ad Plin. 8, 7, 2. ut alia loca omittam. *S.*

Etenim legati Vicentinorum non modo non pres-
2 ferunt eum, verum etiam sublevaverunt. Summa
defensionis, *Non fidem sibi in advocatione, sed*
constantiam defuisse; descendisse ut acturum, at-
que etiam in curia visum; deinde sermonibus ami-
corum perterritum recessisse; monitum enim, ne
desiderio senatoris, non iam quasi de nundinis,
sed quasi de gratia, fama, dignitate certantis,
tam pertinaciter, praesertim in senatu, repugna-
ret; alioqui maiorem invidiam, quam proxime,
3 *passurus.* Erat sane prius, tamen a paucis, ac-
clamatum exeunti. Inde subiunxit preces multum-
que lacrymarum: quin etiam tota actione, homo
in dicendo exercitatus, operam dedit, ut deprecari
magis (id enim et favorabilius et tutius) quam
4 defendi videretur. Absolutus est sententia desi-
gnati consulis Afranii Dextri, cuius haec summa,
Melius quidem Nominatum fuisse facturum, si
caussam Vicentinorum eodem animo, quo suscepe-
rat, pertulisset: quia tamen in hoc genus culpae
non fraude incidisset, nihilque dignum animad-
versione admisisse convinceretur, liberandum: Vi-
5 *centinis, quod acceperat, redderet.* Adsenserunt
omnes, praeter Flavium Aprum. Is, *Interdicen-*

2 *sermonibus — recessisse*) Rom. *sermonibus amicorum recessisse.* Verbum *perterritum* vel *deterritum* abest. *H.*

ne — repugnaret — passurus) Si haec verba, ut sunt iam interpunctione connexa, etiam sententia et constructione iungantur, nihil impedit, quo minus retineamus nominativum *passurus* ad verbum *repugnaret* respicientem. Sed nec damnamus alteram rationem in Mediceo libro inventam, *ne repugnaret: alloquin — passurum.* G.

non iam quasi etc.) Rom. *non quasi de nundinis, sed quasi de gloria fama.* Deest *iam.* *H.*

alioqui maiorem etc.) Rom. *alioqui maiorem invidiam proxime passurus erat. Sane prius tamen paucis adclamatum exeunti. Subiunxit.* *H.*

4 *Afranii Dextri* etc.) Rom. *Afranii Dexteri cuius haec summa sententia, melius.* *H.*

liberandum: Vicentinis) Rom. *liberandum, ita tamen, ut Vicentinis.* *H.*

Idem in aliis libris reperitur. Placet. *S.*

5 *Adsenserunt omnes* etc.) Rom. *Assenserunt omnes praeterquam Licinius. Is interdicendum et advocatione.* *H.*

dum ei advocationibus in quinquennium, cenſuit:
et quamvis neminem auctoritate traxiſſet, conſtan-
ter in ſententia manſit: quin etiam Dextrum, qui
primus diverſum cenſuerat, prolata lege de ſena-
tu habendo, iurare coëgit, *E republica eſſe, quod
cenſuiſſet.* Cui, quamquam legitimae poſtulationi, 6
a quibusdam reclamatum eſt. Exprobrare enim
cenſenti ambitionem videbatur. Sed priusquam
ſententiae dicerentur, Nigrinus, tribunus plebis,
recitavit libellum diſertum et gravem, quo que-
ſtus eſt, *Vaenire advocationes, vaenire etiam prae-
varicationes; in lites coiri; et gloriae loco poni
ex ſpoliis civium magnos et ſtatos reditus.* Reci- 7
tavit capita legum, admonuit SCtorum: in fine
dixit, *Petendum ab optimo principe, ut, quia le-
ges, quia SCta contemnerentur, ipſe tantis vitiis
mederetur.* Pauci dies, et liber principis ſeverus, 8
et tamen moderatus. Leges ipſum; eſt in publi-
cis actis. Quam me iuvat, quod in cauſſis agen-

quin etiam Dextrum etc.) Rom. *quin etiam Dexterum, qui primus.* Proxime *perlata lege. H.*

prolata lege) Laudavit legem Aper, praelegi forte iuſſit, certe Senatum illius admonuit. Nimirum moris fuiſſe, ut Senatus iuratus nonnunquam ſententias diceret, (hoc enim eſt *cenſere*) multis oſtendit Lipſius ad Tac. Annal. 4, 21. Sed quod id ipſum lege Traiani ſancitum eſſe ex hoc, quem tradimus, loco effici putat (quod ipſi ſuaſerunt, credo, libri, qui *perlata lege* habent, non *prolata*) in eo diſſentientem habet Caſaubonum ad Sueton. Aug. c. 35. qui ad ipſum hunc principem referre eam legem malit. *G.*

coëgit) Accipiendum ſine effectu. Ita ſaepiſſime Graeci et Latini ſcriptores. Vid. Duker. ad Flor. 1, 18, 12. *S.*

6 *in lites coiri*) Paciſci homines de eventu litium cum advocatis, cum ipſis adeo iudicibus. Notae ſunt noſtro et patrum ſeculo ſponſiones, cum talibus perſonis factae, quae procurare vel impedire eventum eius rei, de qua ſponſio fiebat, poſſent. *G.*

magnos et ſtatos reditus) Rom. *magnos et ſtatutos reditus. H.*

7 *legum — SCtorum*) Quae enarrantur a ICtis, cum de Lege Cincia agunt. Vid. noſter 4, 9, 6. 5, 21, 4. *G.*

Etiam Rom. *admonuit ſenatus conſultorum. H.*

8 *Pauci dies, et liber*) H. l. *et*, ut Graecorum καὶ, habet temporis celeritatisque notionem. Vid. Hoogev. Doctr. Partic. L. Gr. p. 536. ſqq. Livius 22, 1, 1. *Iam ver adpetebat, quum Hannibal ex hibernis movit.* ibi in variis lectionibus enotatum: *et Hannibal* etc. quod fortaſſe genuinum. *S.*

dis non modo pactione, dono, munere, verum
9 etiam xeniis femper abstinui! Oportet quidem, quae funt inhonefta, non quafi illicita, fed quafi pudenda, vitare: iucundum tamen, fi prohiberi publice videas, quod nunquam tibi ipfe permife-
10 ris. Erit fortaffe, immo non dubie, huius propofiti mei et minor laus, et obfcurior fama, quum omnes ex neceffitate facient, quod ego fponte faciebam. Interim fruor voluptate, quum alii divinum me; alii, meis rapinis, meae avaritiae occurfum, per ludum ac iocum dictitant. Vale.

XV.

Cornutum curatorem viae factum effe, vel ideo laetatur, quia tum amicitia femper, tum collegio non femel coniuncti fuerint. Addit de fuis in villa hofpitibus.

C. PLINIVS PONTIO SVO S.

Seceſſeram in municipium, quum mihi nuntiatum eft, Cornutum Tertullum accepiffe Aemiliae viae

dono, munere — xeniis) Hic forte locum habeat illa horum verborum differentia, quam tradit Ulpianus l. 194. de V. S. quod *munus* fit *donum cum cauffa, ut puta natalicium, nuptialicium. Xenia* non melius intelliguntur, quam ex XIII Martialis. Sunt nimirum efculenta et poculenta varia, fed quae tamen ex quantitate certe pretium habere poffunt, ut *piper, alica, far, ficus, cafei, vina* varii generis etc. *G.*

9 *illicita — pudenda) Illicita* funt, legibus publicis vetita; *pudenda*, a quibus honeftatis fenfu naturali ducti abstinemus: illa igitur *publice prohibentur;* haec *nunquam nobis ipfi permittimus. E.*

10 *divinum me)* Qui praeviderim fore, ut interdicatur omni genere munerum, atque ideo ante legem illis abstinuerim. De *divinatione* Attici fui fimilia Nepos 9, 1. *G.*

Simili fenfu *divini* ap. Cic. Divin. 2, 3. et Horat. 1. Sat. 6, 114. *E.*

Fortaffe Plinius, ut eft perpetuus Ciceronis imitator, (fimiam fi dixeris, vix te calumniae infimulem,) ad illius divinationem, ab ipfo Tullio toties, interdum fatis φορτικῶς, iactatam, refpexit. Conf. Cornel. Nep. Attic. 16, 4. *S.*

per ludum ac iocum dictitant) Rom. *per ludum acceptum dictitant. H.*

XV, 1 *Aemiliae viae curam)* Rem Cenforum olim propriam,

curam. Exprimere non possum, quanto sim gau- 2
dio adfectus et ipsius et meo nomine. Ipsius,
quod, sit licet, sicut est, ab omni ambitione lon-
ge remotus, debeat tamen ei iucundus esse honor
ultro datus; meo, quot aliquanto magis me delectat
mandatum mihi officium, postquam par Cornuto
datum video. Neque enim augeri dignitate, quam 3
aequari bonis, gratius. Cornuto autem quid me-
lius? quid sanctius? quid in omni genere laudis
ad exemplar antiquitatis expressius? Quod mihi
cognitum est non fama, qua alioqui optima et
meritissima fruitur, sed longis magnisque experi-
mentis. Una diligimus, una dileximus omnes 4
fere, quos aetas nostra in utroque sexu aemulan-
dos tulit: quae societas amicitiarum arctissima
nos familiaritate coniunxit. Accessit vinculum 5
necessitudinis publicae. Idem enim mihi, ut scis,
collega, quasi voto petitus, in praefectura aerarii
fuit: fuit et in consulatu. Tum ego, qui vir, et
quantus esset, altissime inspexi, quum sequerer
ut magistrum, ut parentem vererer: quod non
tam aetatis maturitate, quam vitae, merebatur.

quo magis viris Consularibus eam demandabant, Augusti instituto, Imperatores. De his post Lips. ad Tac. An. 3, 31. sive Exc. E copiose egit Ev. Otto de tutela viar. publ. 2, 5. Ceterum Plinius noster non ipse quoque fuit *Curator viae Aemiliae*, sed *Curator alvei Tiberis et riparum, et cloacarum urbis*, cuius muneris memoria est in inscriptione, quam et nos vitae ipsius subiecimus. Huic *muneri par est curatio viae Aemiliae*, quod ait f. 2. cf. f. 9. Viderat hoc Buchnerus, probarunt Cellarius et Massonus ad A. Plinii 39 et 40, 6. Ceterum *alveus ripaeque Tiberis* iunguntur cum *cloacis*, quod hae ad illud ipsum quoque structae fuerant, magnum Romae et orbis miraculum, ut exundantem Tiberim reciperent, et eadem eluerentur ipsae, atque eluvionem ab urbe averterent. *G.*

2 *Ipsius, quod* etc.) Rom. *Ipsius, quod scilicet, sicut est.* Voluit *sit licet. H.*

debeat tamen ei) Rom. *debet tamen ei*, non *debeat*, quod nuperorum editorum incuria propagatum est. *H.*

Gierigius, si Cortianam inspexisset, non erat, puto, *debeat* servaturus. *S.*

3 *quid in omni genere*) Sic et Rom. *H.*

4 *Una diligimus, una dileximus omnes*) Non potuit vitare versum hexam., quales plures observavi. *H.*

5 *in praefectura* etc.) Rom. *in praefectura aerarii fuit et in consulatu.* Sed *fuit* elegantius iteratur. *H.*

aetatis — vitae) *Aetatis maturitas*, annis et senectute, *vi-*

6 His ex caussis ut illi, sic mihi gratulor: nec privatim magis, quam publice, quod tandem homines non ad pericula, ut prius, verum ad honores
7 virtute perveniunt. In infinitum epistolam extendam, si gaudio meo indulgeam. Praevertor ad ea, quae me agentem hic nuntius deprehendit.
8 Eram cum prosocero meo, eram cum amita uxoris, eram cum amicis diu desideratis; circumibam agellos; audiebam multum rusticarum querelarum: rationes legebam invitus et cursim (aliis enim chartis, aliis sum literis initiatus) coeperam etiam
9 itineri me praeparare. Nam includor angustiis commeatus, eoque ipso, quod delegatum Cornuto audio officium, mei admoneor. Cupio te quoque sub idem tempus Campania tua remittat, ne quis, quum in urbem rediero, contubernio nostro dies pereat. Vale.

XVI.

Mortem Fundani filiae luget, et Marcellinum, ut patrem consoletur, monet.

C. PLINIVS MARCELLINO SVO S.

Tristissimus haec tibi scribo. Fundani nostri filia minor est defuncta: qua puella nihil unquam festivius, amabilius, nec modo longiore vita, sed
2 prope immortalitate, dignius vidi. Nondum annos quatuordecim impleverat, et iam illi anilis

tae maturitas perfecta virtute cernitur. *E.*

6 *quod tandem* etc.) In Rom. nova sententia incipit, *Tandem homines non ad pericula*, omisso *quod*. *H.*

7 *Praevertor ad ea, quae me*) Rom. *Pervertam ad ea, quae me.* *H.*

XVI, 1 *Fundani nostri* etc.) Rom. *Fundani nostri filia minor defuncta*, ut fere vulgo. *H.*

Cortiana: *Tristissimus haec tibi scribo, Fundani nostri filia minore defuncta.* Languide. *S.*

sed prope immortalitate, dignius) Rom. *sed paene immortalitate dignius.* *H.*

2 *annos quatuordecim impleverat*) Rom. *annos quatuordecim expleverat.* *H.*

prudentia, matronalis gravitas erat: et tamen
ſuavitas puellaris cum virginali verecundia. Ut 3
illa patris cervicibus inhaerebat! ut nos amicos
paternos et amanter et modeſte complectebatur!
ut nutrices, ut paedagogos, ut praeceptores, pro
ſuo quemque officio, diligebat! Quam ſtudioſe,
quam intelligenter lectitabat! ut parce cuſtodite-
que ludebat! Qua illa temperantia, qua patien-
tia, qua etiam conſtantia noviſſimam valetudinem
tulit! Medicis obſequebatur, ſororem, patrem 4
adhortabatur, ipſamque ſe deſtitutam corporis ſui
viribus, vigore animi ſuſtinebat. Duravit hic illi 5
usque ad extremum, nec aut ſpatio valetudinis,
aut metu mortis infractus eſt; quo plures gravio-
resque nobis cauſſas relinqueret et deſiderii et
doloris. O triſte plane acerbumque funus! o morte 6
ipſa mortis tempus indignius! Iam deſtinata erat
egregio iuveni, iam electus nuptiarum dies, iam
nos vocati. Quod gaudium quo moerore muta- 7
tum eſt! Non poſſum exprimere verbis, quantum
animo vulnus acceperim, quum audivi Fundanum
ipſum (ut multa luctuoſa dolor invenit) praeci-
pientem, quod in veſtes, margarita, gemmas,
fuerat erogaturus, hoc in thura et unguenta et
odores impenderetur. Eſt quidem ille eruditus 8
et ſapiens, ut qui ſe ab ineunte aetate altioribus

3 *Ut illa patris cervicibus)* Rom. *Ut patris cervicibus.* Deinde, *ut nutrices et paedagogos,* recte. Hi erant eiusdem conditionis. *H.*

cuſtodite) tam pudice et verecunde, tanquam cuſtos in propinquo eſſet. *E.*

qua patientia) Deſunt in Rom. *H.*

4 *patrem adhortabatur)* Rom. *partim adhortabatur.* Et poſtea *corporis viribus,* ſine pronomine *ſui.* *H.*

Delendum *ſui,* quod nec Cortius in libris ſuis reperit, ideoque iure expunxit. *S.*

6 *o morte ipſa mortis tempus)* Sic et Rom. Deinde, *iam nos advocati.* *H.*

7 *Fundanum ipſum* etc.) Rom. *Fundanum ut multa.* Deeſt *ipſum.* *H.*

multa — dolor invenit). Nempe omnis dolens quodammodo amat dolorem ſuum. Itaque Fundanus pater, dum praecipit ſuis, ut pro veſtibus, gemmis, margaritis, thura et unguenta emant, hac ſententia, cui ipſi ex rebus tam moleſte contrariis quidam aculeus ineſt, dolorem ſuum oſtendit et acuit. *E.*

in thura et unguenta) Rom. *in tura et in unguenta.* *H.*

ſtudiis artibusque dediderit: ſed nunc omnia, quae audiit ſaepe, quae dixit, aſpernatur; expulſisque
9 virtutibus aliis, pietatis eſt totus. Ignoſces, laudabis etiam, ſi cogitaveris, quid amiſerit. Amiſit enim filiam, quae non minus mores eius, quam os vultumque referebat, totumque patrem mira
10 ſimilitudine exſcripſerat. Proinde ſi quas ad eum de dolore tam iuſto literas mittes, memento adhibere ſolatium, non quaſi caſtigatorium et nimis forte, ſed molle et humanum. Quod ut facilius admittat, multum faciet medii temporis ſpatium.
11 Ut enim crudum adhuc vulnus medentium manus reformidat, deinde patitur, atque ultro requirit; ſic recens animi dolor conſolationes reiicit ac refugit, mox deſiderat, et clementer admotis acquieſcit. Vale.

XVII.

Calpurnium bene recitaſſe nuntiat, fratrisque illius pietate laudata, nobiles adoleſcentes hortatur.

C. PLINIVS SPVRINNAE SVO S.

Scio, quantopere bonis artibus faveas, quantum gaudii capias, ſi nobiles iuvenes dignum aliquid maioribus ſuis faciant: quo feſtinantius nuntio tibi, fuiſſe me hodie in auditorio Calpurnii Piſonis.
2 Recitabat *καταςερισμῶν* eruditam ſane luculentam-

8 *ſtudiis artibusque dediderit)* Sic et Rom. *H.*

expulſisque virtutibus etc.) Rom. *expulſisque virtutibus et aliis pietatis eſt totus. Ignoſces. Laudaveris etiam, ſi cogitaveris.* Deſunt *et talis eſt pietas cui. H.*

pietatis eſt totus) Vid. Burmann. ad Valer. Flacc. 1, 207. qui bene comparat Graecorum *ὅλον εἶναί τινος.* Alciphron p. 306. *αἱ αἶγες — — ὅλαι τοῦ μέλους ἐγίνοντο.* ubi vid. Bergler. *S.*

10 *ſi quas ad eum* etc.) Rom. *ſi quas ad eum de dolore litteras mittes.* Poſtea, *non quaſi caſtigaturum. H.*

11 *clementer admotis acquieſcit)* Rom. *vehementer admotis acquieſcit. H.*

XVII, 2 *καταςερισμῶν)* Relationum in ſtellas ſ. rerum hominumque in ſidera relatorum hiſtorias. *Alii, et Cortius etiam, *ἐρω_*

que materiam. Scripta elegis erat fluentibus, et
teneris, et enodibus, sublimibus etiam, ut popo-
scit locus. Apte enim et varie nunc adtolleba-
tur, nunc residebat: excelsa depressis, exilia ple-
nis, severis iucunda mutabat; omnia ingenio
pari. Commendabat haec voce suavissima, vo- 3
cem verecundia. Multum sanguinis, multum so-
licitudinis in ore, magna ornamenta recitantis.
Etenim, nescio quo pacto, magis in studiis homi-
nes timor, quam fiducia decet. Ne plura: (quam- 4
quam libet plura, quo sunt pulchriora de iuvene,
rariora de nobili,) recitatione finita, multum ac
diu exosculatus adolescentem, qui est acerrimus

τοπαίγνιον. Sed cum *eruditam luculentamque materiam* vocet Secundus, quod nescio quam bene *ἐρωτοπαιγνίῳ* conveniat, (quo titulo alioquin habemus lepidum carmen Ausonii) ac praeterea magna sit, ut fere solet in Graecis, huius loci in libris varietas: reducere ausus sum Aldi ac Medicei codicis lectionem, a qua non longe abire *tacteptgmon* et similia monstra lectionum, ille videt, qui observavit, quomodo in Graecis exprimendis versari soleant Latini librarii. Potest vocari *erudita materia καταστερισμῶν*, de relatis in sidera hominibus, animalibus, rebus aliis; quod mythicae historiae bonam partem complectatur scilicet: *luculentam* nemo negabit, nisi qui lucem astris. Nondum observavi *καταστερισμῶν* nomen: [conf. Gesneri ad I. A. Ernestium epistola:] sed dubitare nos de vi illius et significatione non sinit vel unus Apollodori locus 3, 8. extr. p. 190. Galei, de Iove, *τὴν δὲ Καλλιστὼ καταστερίσας ἐκάλεσεν Ἄρκτον*. Sic nuper *ἀπαστέρωσιν* legimus de relata carmine Emman. Martini inter astra ipsius arca. Vid. Gregor. Mayansii Ep. 5, 7. p. 290. *G.*

Luculentam materiam quis credat propter lucem astrorum nunc dictam? Gesnerus illud lepide, ut nonnunquam solet. *Luculenta* est insignis, ampla, nobilis, propter rei sanctimoniam et auctoritatem. *E.*

Rom. *Recitabat apte ποιεῖν*. *H.*

Scripta elegis etc.) Rom. *Scriptae legis erat fluentibus, teneris et enodibus. H.*

fluentibus etc.) Concinnitatem, dulcedinem et nitorem cogita. Sed omnem hunc locum de industria copiosius exposuimus in Lex. technol. rhet. p. 177. *E.*

ut poposcit etc.) Rom. *ut poscit locus. Altae enim et variae sententiae nunc attollebantur, nunc residebant. H.*

severis iucunda mutabat) Rom. *iucunda severis mutabat. H.*

Hunc ordinem malim. *S.*

3 *vocem verecundia. Multum*) Rom. *voce verecunda, multum. H.*

Multum sanguinis) Explicat 1, 14, 8. *Est illi facies liberalis, multo sanguine, multo rubore suffusa.* Sed ibi signum est sanitatis, hic verecundiae. *S.*

magis — timor, quam fiducia) Nimirum Ἀμαθία μὲν θράσος κ.τ.λ. vid. 4, 7, 3. *G.*

4 *quo sunt pulchriora* etc.) Rom. *quo pulchriora sunt de iuvene nobili, rariora de nobis. H.*

ſtimulus monendi, laudibus incitavi, *Pergeret,*
qua coepiſſet, lumenque, quod ſibi maiores ſui
5 *praetuliſſent, poſteris ipſe praeferret.* Gratulatus
ſum optimae matri, gratulatus et fratri, qui ex
auditorio illo non minorem pietatis gloriam, quam
ille alter eloquentiae tulit: tam notabiliter pro
fratre recitante primum metus eius, mox gaudium
6 eminuit. Dii faciant, ut talia tibi ſaepius nun-
tiem! Faveo enim ſeculo, ne ſit ſterile et effoe-
tum: mireque cupio, ne nobiles noſtri nihil in
domibus ſuis pulchrum, niſi imagines habeant:
quae nunc mihi hos adoleſcentes tacite laudare,
adhortari, et, quod amborum gloriae ſatis ma-
gnum eſt, agnoſcere videntur. Vale.

XVIII.

Seceſſus amoenitatem ei gratulatur.

C. PLINIVS MACRO SVO S.

Bene eſt mihi, quia tibi bene eſt. Habes uxorem tecum, habes filium. Frueris mari, fontibus, viridibus, agro, villa amoeniſſima. Neque

quod ſibi maiores etc.) Rom. *quod ſui maiores praetuliſſent,* [ſine *ſibi*] *poſteris praeferret. H.*

5 *qui ex auditorio illo — — tulit)* Rom. *qui in auditorio illo — — rettulit. H.*

6 *Faveo — ne)* Breviloquentia, qualem tetigimus ſupra ad 3, 5, 16. Supple *et opto. S.*

ſterile et effoetum) Rom. *ſterile effetum,* ſine copula. *H.*

mireque cupio, ne — nihil — niſi) Inſolens conſtructio, a Plinii tamen manu profecta. Debebat eſſe: *mireque cupio, ut* etc. En igitur locus, quem fruſtra quaerebam ad 4, 13, 8. ubi unci amovendi. *S.*

quae nunc mihi etc.) Rom. *quae nunc hos mihi adoleſcentes. H.*

Placet hic ordo. *S.*

agnoſcere) Proſopopoeia utitur. Imagines maiorum ſuorum agnoſcunt Calpurnium, et dicunt ei, quod Terentianus Demea Ad. 4, 2, 25. *Laudo, o Cteſipho, patriſſas: abi, virum te iudico.* Hoc eſt, agnoſcunt homines, qui utrosque norunt, ſimilitudinem quandam inter veteres Calpurnios, et hunc iuvenem. Huic glorioſum eſt maioribus eſſe ſimilem: illis decorum, tales praedicari, qualis eſt hic eorum ſanguine ortus etc. *G.*

Rom. *cognoſcere videntur. H.*

XVIII, 1 *fontibus, viridibus,*

enim dubito esse amoenissimam, in qua se composuerat homo felicior, antequam felicissimus fieret. Ego in Tuscis et venor et studeo, quae in- 2 terdum alternis, et interdum simul facio: nec tamen adhuc possum pronuntiare, utrum sit difficilius capere aliquid, an scribere. Vale.

XIX.

Rogat, ut Paullinus villam suam Zosimo liberto commodet valetudinis recuperandae caussa.

C. PLINIVS PAVLLINO SVO S.

Video, quam molliter tuos habeas: quo simplicius tibi confitebor, qua indulgentia meos tractem. Est mihi semper in animo et Homericum 2 illud, πατὴρ δ' ὣς ἤπιος ἦεν, et hoc nostrum, *pater familias*. Quod si essem natura asperior et durior, frangeret me tamen infirmitas liberti mei Zosimi, cui tanto maior humanitas exhibenda est,

agro) Rom. *fontibus, ruribus, agro. H.*

in qua se composuerat) ad vitam privatam, ut suo arbitratu viveret, redierat: ut *componere se* dicuntur, qui in lecto ad mensam vel alias accumbunt. Ceterum ille *felicior homo, antequam felicissimus fieret,* Nerva videtur Cataneo. Mihi magis placet, quod etiam Cortio in mentem venit, ipsum Sullam *Faustum*, illum, *Felicem*, *ἐπαφρόδιτον*, intelligere, eiusque villam Puteolanam, de qua Victor de Vir. Ill. c. 75. Brevi nimirum sententia complectitur noster, quod latius ab avunculo ipsius disputatur 7, 43. s. 44. *G.*

2 *et venor)* Vid. 1, 6. init. *G.*

quae interdum etc.) Rom. *quae interdum simul facio.* Desunt *alternis et interdum. H.*

Leg. *quae interdum alternis, interdum simul facio*, copula deleta, quam non agnoscunt libri Cortiani. *S.*

XIX, 2 *in animo et Homericum illud)* Rom. *in animo Homericum illud*, sine et. *H.*

Copula melius adest. *S.*

Homericum) Od. β. 47. et 234. Quantam autem vim habeat ea vox apud Homerum, inde quoque apparet, quod Iupiter omnem suam benevolentiam pollicens Palladi Il. θ, 40. ἐθέλω δὲ, inquit, τοὶ ἤπιος εἶναι. Dixerat θάρσει, φίλον τέκος, κ. τ. λ. *G.*

hoc nostrum, pater familias Rom. *hoc nostrum, pater familiae. H.*

Vid. Drakenb. ad Liv. 34, 2, 1. *S.*

exhibenda est etc.) Rom. *exhibenda est, quanto nunc minor venit debilitas: iam angi-*

3 quanto nunc illa magis eget. Eſt homo probus, officioſus, literatus, et ars quidem eius, et quaſi inſcriptio, comoedus, in qua plurimum facit. Nam pronuntiat acriter, ſapienter, apte, decenter etiam; utitur et cithara perite, ultra quam comoedo neceſſe eſt. Idem tam commode orationes et hiſtorias et carmina legit, ut hoc ſolum
4 didiciſſe videatur. Haec tibi ſedulo expoſui, quo magis ſcires, quam multa unus mihi et quam iucunda miniſteria praeſtaret. Accedit huc longa iam caritas hominis, quam ipſa pericula auxe-
5 runt. Eſt enim ita natura comparatum, ut nihil aeque amorem incitet et accendat, quam carendi metus, quem ego pro hoc non ſemel patior.
6 Nam ante aliquot annos, dum intente inſtanterque pronuntiat, ſanguinem reiecit, atque ob hoc in Aegyptum miſſus a me, poſt longam peregri-

tur homo probus et officioſus et litteratus. H.

3 *inſcriptio*) Titulus, qui in tabella a collo ipſius pendente ſcribendus eſſet, ſi inter venales proſtare iubeas. *G.*

apte, decenter) *Decenter* aliquanto plus eſt, quam *apte*. *Apte* pronuntiat, qui perſonam non laedit, cum ſenem agit, ſenili geſtu utitur, et voce tremula etc. *Decenter*, qui ad minutias usque minimas deſcendit, et perſonam totam ita, ut pulchra imago animale exemplum ſuum, exprimit. add. 6, 21, 5. *G.*

utitur et cithara) Rom. *utitur cithara. H.*

commode — legit) Nimirum comoedo operam dabant, qui legere recte aut agere in concione diſcere vellent. Vid. Quint. 1, 11, 1. *Dandum aliquid comoedo quoque* etc. *G.*

4 *Accedit huc longa iam caritas*) Rom. *Accedit longa iam caritas. H.*

Plerique libri *huc* omittunt; delevitque cum Cortio Gierigius. *S.*

5 *Eſt enim ita natura comparatum*) Rom. *Eſt enim natura comparatum. H.*

6 *dum intente* etc.) Rom. *dum intente inſtanterque pronuntiaret. H.*

ob hoc in Aegyptum) Adpoſite laudavit hic Cellarius Plinium maiorem 31, 6. ſ. 33. *Neque Aegyptus propter ſe petitur, ſed propter longinquitatem navigandi.* Sed maxime huc pertinent, quae praecedunt, *Principalis* maris uſus eſt *navigandi phthiſi affectis, aut ſanguinem egerentibus.* Quod autem negavit *Aegyptum propter ſe peti*, in hoc contradicere videtur Celſo, qui 3, 22. phthiſicis *opus eſt*, inquit, *ſi vires patiuntur, longa navigatione, coeli mutatione, ſic, ut denſius, quam id eſt, ex quo diſcedit aeger, petatur: ideoque aptiſſime Alexandriam ex Italia itur. G.*

nationem confirmatus rediit nuper: deinde dum per continuos dies nimis imperat voci, veteris infirmitatis tussicula admonitus, rursus sanguinem reddidit. Qua ex caussa destinavi eum mittere in 7
praedia tua, quae Foroiulii possides. Audivi enim te saepe referentem, esse ibi et aëra salubrem, et lac huiusmodi curationibus accommodatissimum.
Rogo ergo, scribas tuis, ut illi villa, ut domus 8
pateat; offerant etiam sumtibus eius, si quid opus erit: erit autem opus modico. Est enim tam par- 9
cus et continens, ut non solum delicias, verum etiam necessitates valetudinis, frugalitate restringat. Ego proficiscenti tantum viatici dabo, quantum sufficiat eunti in tua. Vale.

XX.

Varenum, a Bithynis ex proconsulatu accusatum, defendit.

C. PLINIVS VRSO SVO S.

Iterum Bithyni, post breve tempus a Iulio Basso, etiam Rufum Varenum proconsulem detulerunt: Varenum, quem nuper adversus Bassum advocatum et postularant et acceperant. Inducti in se- 2
natum, inquisitionem postulaverunt: tum Varenus

nimis imperat) vocem legendo aut declamando nimium et supra vires intendit. — Catanaeus notat etiam legi *minus imperat voci*, quae sane facilior et usitatior forma est. *E.*

Nihil de hac διττογραφίᾳ in Cortiana, quae et alibi, quantum commemini, in notis Catanaei reddendis negligentior fuit. Ceterum *nimis imperat* genuinum. *S.*

7 *aëra salubrem*) Rom. *aërem salubrem. H.*

8 *ut illi villa, ut domus pateat)* Rom. *ut illi villa, illi domus pateat. H.*

Excerpta Brummeri *ut illi villa et domus pateat*, quod praefero. *S.*

9 *quantum sufficiat* etc.) Rom. *quantum sufficit et eunti in rura tua. H.*

XX, 1 *a Iulio Basso)* h. e. post accusatum a se Iulium Bassum, qua de re supra 4, 9. actum. *Rufus Varenus* est ille *Pomponius*, de quo 4, 9, 3. *G.*

Rom. *Iterum Bithyni (breve tempus) a Iulio Basso et Ru-*

petiit, ut sibi quoque defensionis caussa evocare testes liceret: recusantibus Bithynis, cognitio suscepta est. Egi ego pro Vareno, non sine eventu:
3 nam bene an male, liber indicabit. In actionibus enim utramque in partem fortuna dominatur: multum commendationis et detrahit et adfert memoria, vox, gestus, tempus ipsum; postremo vel amor vel odium rei: liber offensis, liber gratia, liber et secundis casibus, et adversis caret.
4 Respondit mihi Fonteius Magnus, unus ex Bithynis, plurimis verbis, paucissimis rebus. Est plerisque Graecorum, ut illi, pro copia volubilitas: tam longas, tamque frigidas periodos uno spiritu, quasi

sum. Proxime, *Varenum quem adversus Bassum*, sine *nuper*. *H.*

2 *sibi quoque)* Nimirum qui *inquisitionem postulant*, ii petunt mitti in provinciam, qui quaerant de factis, qui instrumenta conquirant, qui testes adducant: hic Varenus *invicem* sibi *quoque* hoc vult tribui, ut *evocare* liceat testes. Hoc cum negarent fieri debere Bithyni; de hoc, nondum de criminibus Vareni, *cognitio suscepta est*; de hoc egit Plinius, *non sine eventu*. Nam *impetratum est*, ut et ex hac ipsa epistola l. 7. apparet, et repetitur 6, 5, 1. it. 6, 13. init. ac 6, 29, 11. *Haec monenda fuere, quod vir doctus hic putabat, τὸ *quoque* nihil habere, quo referatur, et substitui volebat ex Mediceo libro *undique*. *G.*

Rom. *ut sibi quoque defensionis causa vocare testes*. *H.*

Egi ego) Pronomen Cortius et Gierigius recte omiserunt. *S.*

nam bene an male) Illud *nam* Atticae cuiusdam elegantiae est, et indicat omissam propositionem, hic ita forte supplendam: Dixi, *non sine eventu*. Non mirum, me eventum solum commemorare: *nam* etc. Saepe ita Quintilianus, v. g. 2, 12, 7. 6, 3, 63 et 76. Saepe Lucianus, et confabulatores Attici. *G.*

Ita et Rom. *H.*

liber indicabit) Hoc est oratio scripta. De differentia *actionis* et *orationis* s. libri noster 1, 20, 9. sq. *G.*

3 *et detrahit et adfert)* Rom. *et detrahit et aufert*. Deinde, *postremo vel amorem*. *H.*

4 *plurimis verbis)* Rom. *pluribus verbis*. Et inde: *Mos est plerisque Graecorum, ut sit illis*. Tum, *frigidas periodos*. *H.*

Est plerisque) *Revocavit hanc lectionem e bonis libris Cortius, et mox *frigidas* e Mediceo. De hoc res clara, et vel sine libro audenda. [Add. Gesneri ad I. A. Ernest. epistola. *S.*] Quod Graecos nominat, sui illum temporis homines Asiatico tumore corruptos intelligere, palam est. *G.*

De his oratoribus v. Cic. Brut. 13. Sueton. Aug. 86. Et Petron. II. *nuper*, inquit, *ventosa istihaec et enormis loquacitas Athenas ex Asia commigravit*. Mox *frigidas* periodos dicit inanea sensu ex verborum redundantia. *Contorquent* autem periodos, qui rapidissime et celerrime efferunt voce et spiritu. *E.*

torrente, contorquent. Itaque Iulius Candidus 5
non invenuſte ſolet dicere, *aliud eſſe eloquentiam,*
aliud loquentiam. Nam eloquentia vix uni aut
alteri, immo, ſi Marco Antonio credimus, nemi-
ni; haec vero, quam Candidus *loquentiam* appel-
lat, multis, atque etiam impudentiſſimo cuique
maxime contingit. Poſtero die dixit pro Vareno 6
Homullus callide, acriter, culte; contra Nigrinus
preſſe, graviter, ornate. Cenſuit Acilius Rufus,
conſul deſignatus, inquiſitionem Bithynis dandam:
poſtulationem Vareni ſilentio praeteriit. Haec
forma negandi fuit. Cornelius Priſcus conſularis 7
et accuſatoribus, quae petebant, et reo tribuit,
vicitque numero. Impetravimus rem nec lege
comprehenſam, nec ſatis uſitatam, iuſtam tamen.
Quare iuſtam, non ſum epiſtola exſequuturus, ut 8
deſideres actionem. Nam ſi verum eſt Homeri-
cum illud,

contorquent) Manet in metaphora de *ſpiritu* et *torrente*: haec duo enim *contorquent* obvia quaeque; arbores venti, ſaxa fluvii etc. *G.*

5 *vix uni aut alteri* etc.) Rom. *vix uni aut alteri: iam non ſumus Antonii: credamus nemini.* *H.*

M. Antonio) Apud Ciceronem in Oratore c. 5. *Diſertos* ait *ſe vidiſſe multos, eloquentem omnino neminem*, quod explicat ibi Tullius. *G.*

contingit) Cortius ex Mediceo *contigit*, quod noſtro praeferendum. *S.*

6 *Homullus callide, acriter*) Sic et Rom. *H.*

callide — culte) Haec optime ſe habent, tresque praecipuas oratoris virtutes ſignificant. *Callide* dicit, qui verſute et ſubtiliter et acute, ingenio, inventione, et rerum prudentia excellens. Haec ſaepe iunguntur. vid. Cic. Orat. 6. et 28. Inſigni autem loco de Orat. 1, 20. omnis facultas dicendi et eloquentia, quatenus rebus et verbis continetur, *calliditate* et *copia* deſcribitur, quarum illa ad omnem inveniendi, haec ad enunciandi facultatem pertinet. *Acriter* dicit, qui cum vigore et affectu dicit, ut moveat. *Culte*, qui ornate verbis et ſententiis. Male igitur quidam editores *callide* praetulerunt, quod ab hoc loco alienum eſt, nec poteſt ab illo *acriter* recte diſtingui. *E.*

7 *Cornelius Priſcus* etc.) Rom. *Cornelius Priſcus, actoribus quae petebant.* Deeſt *conſularis et.* *Actoribus* in pluribus, nec aſpernandum eſt. *H.*

Impetravimus rem etc.) Rom. *Impetravimus rem negligenter comprehenſam nec ſatis ſuis. tantum, iuſtam.* *H.*

8 *Homericum*) Od. α, 351. *G.*

In Rom. Homerici verſus omiſſi ſunt. *H.*

Τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι,
Ἥπερ ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται,

apud te providendum est mihi, ne gratiam novitatis et florem, quae oratiunculam meam vel maxime commendat, epistolae loquacitate praecerpam. Vale.

XXI.

Centumvirale iudicium edicto praetoris proposito dimissum dilatumque, et varii hominum de eo sermones.

C. PLINIVS RVFO SVO S.

Descenderam in basilicam Iuliam, auditurus, qui-
bus proxima comperendinatione respondere debe-
2 bam. Sedebant iudices, decemviri venerant, ob-
versabantur advocati; silentium longum, tandem
a praetore nuntius. Dimittuntur centumviri: ex-
imitur dies, me gaudente, qui nunquam ita para-
3 tus sum, ut non mora laeter. Caussa dilationis,
Nepos praetor, qui legibus quaerit. Proposuerat

apud te providendum est mihi) Rom. *a te providendum est mihi.* *H.*

oratiunculam meam vel maxime) Rom. *oratiunculam illam vel maxime.* *H.*

XXI, 2 *decemviri venerant)* *Decemviri litibus iudicandis,* qui nempe cogebant centumviros et iis praerant. vid. Cuiac. Observatt. 3, 32. atque ad Pompon. de O. I. §. 29. Add. Torrent. ad Sueton. Aug. 37. *G.*

obversabantur advocati) Sic et Rom. *H.*

eximitur dies) Vid. Clav. Ciceron. *S.*

3 *Nepos praetor* etc.) Rom. *Nepos praetor des.* (id est *designatus) qui legibus quaerit.* Hanc lectionem confirmant, quae sequuntur n. 6. *Initurus magistratum iura recognovit.* Vide de hac lectione Brummerum ad L. Cinciam c. VI, 6. *H.*

Eandem lectionem enotavit eodemque confirmavit argumento Catanaeus ad 6. *S.*

qui legibus quaerit) Sic habere libros optimos, notat Cortius, nec opus esse emblemate illo, *de muneribus.* *Leges* autem intellige iudiciales contra munera, praevaricationes, corruptiones, quales sunt, de quibus noster 5, 14, 6. sq. itemque *quaestiones perpetuae de pecuniis repetundis,* de quibus Cic. Bruto c. 27. et ad quas hanc etiam speciem referri, apparet ex 6, 5, 2. Huc pertinet bona pars legis Cinciae, ad quam Brummerus c. 6, 6. sq. de hoc etiam loco disputat, quod indicavit Cortius. *G.*

breve edictum; admonebat accusatores, admonebat reos, exsequuturum se, quae senatusconsulto
continerentur. Suberat edicto senatusconsultum: 4
hoc OMNES, QUIDQUID NEGOTII HABERENT, IURARE
PRIUS, QUAM AGERENT, iubebantur, NIHIL SE OB
ADVOCATIONEM CUIQUAM DEDISSE, PROMISISSE, CAVISSE. His enim verbis, ac mille praeterea, et
vaenire advocationes et emi vetabantur. Peractis
tamen negotiis permittebatur pecuniam dumtaxat
decem millium dare. Hoc facto Nepotis commo- 5
tus praetor, qui centumviralibus praesidet, deliberaturus an sequeretur exemplum inopinatum, nobis otium dedit. Interim tota civitate Nepotis 6
edictum carpitur, laudatur. Multi: *Invenimus, qui curva corrigeret. Quid? ante hunc praetores non fuerunt? Quis autem hic est, qui emendet publicos mores?* Alii contra: *Rectissime fecit initurus magistratum: iura cognovit: senatusconsulta legit: reprimit foedissimas pactiones: rem pulcherrimam turpissime vaenire non patitur.*
Tales ubique sermones: qui tamen alterutram in 7

Gierigius illa, *qui legibus quaerit*, ita interpretatur: qui non indulget advocatis, ut caeteri, sed in quaerendo severe leges sequitur et premit. An vero illud nunc aliquid valeat, quod *Nepos praetor, qui legibus quaerit*, mox distinguitur a *praetore, qui centumviralibus praesidet?* Sed mihi tamen illa priora non satis emendata videntur. *E.*

4 *senatusconsultum: hoc* etc.) Rom. *Senatus consultum hoc: omnes.* Sed *hoc* est sextus casus, cum verbo *iubebantur* coniungendus, ut factum in Gesnerianis exemplaribus, rectius quam in Cellarianis et Cortianis. *H.*

Etiam Cortius *hoc* cum verbo *iubebantur* coniunxit: nec aliter, puto, intellexit Cellarius. *S.*

omnes, quidquid etc.) Rom. *omnes, quisquis negotium haberet, prius quam agere iubebantur. H.*

Cort. *omnes, qui quid negotii haberent. S.*

et emi vetabantur) Rom. *et emi vetabatur. H.*

5 *deliberaturus an* etc.) Rom. *deliberaturus an sequeretur exemplum, inopinatum nobis otium dedit.* Ita recte incisum est, non, ut vulgo, post *inopinatum. H.*

6 *Invenimus, qui curva corrigeret*) Rom. *Invenimus, qui cuncta corrigerent. H.*

Rectissime fecit etc.) *Rectissime fecit: initurus magistratum iura cognovit.* Haec coniungo, vulgo divulsa: pro *cognovit* cum Catanaeo et Cortio lego *recognovit. H.*

7 *Tales ubique sermones* etc.) *Tales ubique sermones, qui tamen alterutram in partem ex usu* [error calami pro *eventu. S.*]

partem ex eventu praevalebunt. Eſt omnino iniquum, ſed uſu receptum, quod honeſta conſilia vel turpia, prout male aut proſpere cedunt, ita vel probantur vel reprehenduntur. Inde plerumque eadem facta modo diligentiae, modo vanitatis, modo libertatis, modo furoris nomen accipiunt. Vale.

praevalebunt: (eſt omnino iniquum, ſed uſu receptum) quod honeſta conſilia et [voluit, opinor, *vel. S.*] *turpia, prout male aut proſpere cedunt, ita vel probuntur.* [Rom. *procedunt.* iterato priori verbo] *vel reprehenduntur.* Ita h. l. ſemper interpungendum credidi, et incluſa verba prope ſuſpecta habui. *H.*

modo diligentiae, modo vanitatis) In Rom. exciderunt. *H.*

diligentiae — vanitatis) Ergo, ſi conſilium honeſtum, quo quis *diligentiam* probavit, male cedit, tum *vanitatis* nomine idem reprehenditur. Ergo in *vanitate* vitioſae diligentiae notionem eſſe oportet, ſicuti in *furore*, vitioſae libertatis. *E.*

LIBER SEXTVS

I.

Hortatur, ut in urbem redeat, quia impatienter deſideretur.

C. PLINIVS TIRONI SVO S.

Quamdiu ego trans Padum, tu in Piceno, minus
te requirebam; poſtquam ego in urbe, tu adhuc
in Piceno, multo magis: ſeu quod ipſa loca, in
quibus eſſe una ſolemus, acrius me tui commo-
nent: ſeu quod deſiderium abſentium nihil per-
inde ac vicinitas acuit: quoque propius acceſſeris
ad ſpem fruendi, hoc impatientius careas. Quid- 2
quid in cauſſa, eripe me huic tormento. Veni,
aut ego illuc, unde inconſulte properavi, rever-
tar, vel ob hoc ſolum, ut experiar, an mihi,
quum ſine me Romae coeperis eſſe, ſimiles his
epiſtolas mittas. Vale.

II.

De increbeſcente brevitate forenſium actionum, qua ſtudia negligantur, conqueritur ita, ut Regulum quadam ratione deſideret.

C. PLINIVS ARRIANO SVO S.

Soleo nonnunquam in judiciis quaerere Marcum Regulum, nolo enim dicere, deſiderare. Cur er-

I, 1 *multo magis* etc.) Rom. *multo magis ex quo ipſa loca*, cum multis quidem, ſed hic parum emendatis. *H.*

acrius — commonent) Sic et Rom. *H.*

2 *unde inconſulte properavi*) Rom. *unde conſulto properavi.* *H.*

II, 1 *quaerere — deſiderare*) ſubtili discrimine nunc poſuit. *Quaerebat* Regulum in iudiciis,

partem ex eventu praevalebunt. Eſt omnino iniquum, ſed uſu receptum, quod honeſta conſilia vel turpia, prout male aut proſpere cedunt, ita vel probantur vel reprehenduntur. Inde plerumque eadem facta modo diligentiae, modo vanitatis, modo libertatis, modo furoris nomen accipiunt. Vale.

praevalebunt: (*eſt omnino iniquum, ſed uſu receptum*) *quod honeſta conſilia et* [voluit, opinor, *vel. S.*] *turpia, prout male aut proſpere cedunt, ita vel probantur.* [Rom. *procedunt*, iterato priori verbo] *vel reprehenduntur.* Ita h. l. ſemper interpungendum credidi, et incluſa verba prope ſuſpecta habui. *H.*

modo diligentiae, modo vanitatis) In Rom. exciderunt. *H.*

diligentiae — vanitatis) Ergo, ſi conſilium honeſtum, quo quis *diligentiam* probavit, male cedit, tum *vanitatis* nomine idem reprehenditur. Ergo in *vanitate* vitioſae diligentiae notionem eſſe oportet, ſicuti in *furore*, vitioſao libertatis. *E.*

LIBER SEXTVS

I.

Hortatur, ut in urbem redeat, quia impatienter desideretur.

C. PLINIVS TIRONI SVO S.

Quamdiu ego trans Padum, tu in Piceno, minus
te requirebam; postquam ego in urbe, tu adhuc
in Piceno, multo magis: seu quod ipsa loca, in
quibus esse una solemus, acrius me tui commonent:
seu quod desiderium absentium nihil perinde
ac vicinitas acuit: quoque propius accesseris
ad spem fruendi, hoc impatientius careas. Quid- 2
quid in caussa, eripe me huic tormento. Veni,
aut ego illuc, unde inconsulte properavi, revertar,
vel ob hoc solum, ut experiar, an mihi,
quum sine me Romae coeperis esse, similes his
epistolas mittas. Vale.

II.

De increbescente brevitate forensium actionum, qua studia negligantur, conqueritur ita, ut Regulum quadam ratione desideret.

C. PLINIVS ARRIANO SVO S.

Soleo nonnunquam in judiciis quaerere Marcum Regulum, nolo enim dicere, desiderare. Cur er-

I, 1 *multo magis* etc.) Rom. *multo magis ex quo ipsa loca,* cum multis quidem, sed hic parum emendatis. *H.*

acrius — commonent) Sic et Rom. *H.*

2 *unde inconsulte properavi*) Rom. *unde consulto properavi.* *H.*

II, 1 *quaerere — desiderare*) subtili discrimine nunc posuit. *Quaerebat* Regulum in iudiciis,

2 go quaero? Habebat ſtudiis honorem, timebat, pallebat, ſcribebat: quamvis non poſſet dediſcere illud ipſum, quod oculum modo dextrum, modo ſiniſtrum circumlinebat; dextrum, ſi a petitore, alterum, ſi a poſſeſſore eſſet acturus: quod candidum ſplenium in hoc aut in illud ſupercilium transferebat: quod ſemper aruſpices conſulebat de

h. e. optabat, ut adeſſet exemplum induſtriae et ſtudii, quo in actionibus utebatur. Eundem vero *non deſiderabat* propter alias cauſſas, quae eum odioſum et contemtibilem reddiderant. Nam in deſiderio eſt notio cuiusdam amoris vel reverentiae, qua is, quem deſideramus, dignus ſit. cf. §. 4. Vid. ad Ep. 2, 1. 7. *E.*

2 *ſcribebat)* Non fidebat ingenio vel extemporali facultate; ſed ſcribendi laborem et commentandi dum ſustineret, rem magnam eſſe bene dicere, oſtendebat. *G.*

quamvis non poſſet etc.) Rom. *quamvis non poſſet ediſcere illud ipſum.* Ex hoc quoque apparet id, quod ſaepe dico, librarios non ſuos oculos ſemper, ſed dictantis plerumque vocem ſecutos eſſe. Hic fons mendorum fere eſt uberrimus. *H.*

Ediſcere in aliis quoque libris legitur: idque verum puto. *Dediſcere* natum, librarii ſive audientis errore ſive legentis, ex ultimae literae vocabuli praegreſſi repetitione: quod arguit lectio libri Medicei, *te diſcere.* Totum locum ſic legam et interpungam: *Habebat ſtudiis honorem: timebat, pallebat, ſcribebat, quamvis non poſſet ediſcere. Illud ipſum, quod — — — eventu, anili ſuperſtitione, ſed tamen* [*et* poſt *tamen* delendum] *a magno ſtudiorum honore veniebat.* Oculos circumlinere ſplenioque uti item anilis ſuperſtitionis videtur fuiſſe. *S.*

oculum circumlinebat) Collyrio utebatur, indicaturus lucubrationum frequentiam et noxam. Videtur autem liberum ſibi reliquiſſe eum oculum, quem iudici obverteret, ut cuius vultus obſervandus eſſet: quod ſi ponas, conſequetur ex hoc loco, petitorem dextrum ſtetiſſe iudici, poſſeſſorem ſiniſtrum. Sed poteſt etiam contra ſe res habuiſſe. Ceterum etiam qui in publicum prodirent non refugiſſe medicamenta, quae linerentur, notat iocus ille Sicinii apud Ciceronem Bruto c. 60. in Cn. Octavium conſulem, *qui devinctus erat faſciis, et multis medicamentis propter dolorem artuum delibutus* etc. et Martialis, qui 11, 99. negat adverſus importunos baſiatores prodeſſe *labra pingui delibuta ceroto.* De *ſpleniis* multa ſunt apud eundem Martialem. Vid. Rameſius ad 2, 29. p. 168. Gorraeus definit, linteolum vel emplaſtrum, quacunque forma, (non *ſplenis* tantum, unde dictum) quo exceptum vel illitum medicamentum adhibetur. *G.*

Rom. *modo ſiniſtrum circumliniebat. H.*

Conſ. Drakenb. ad Liv. 21, 8, 10. *S.*

aruſpices conſulebat) Quod aliis quoque in rebus ſolebat. Vid. 2, 20, 4. quo loco ad ſallendum cum adhibuerit; fieri poteſt, ut non tam ſuperſtitione anili, quam iactatione quadam, et ut vanae choragium gloriae adhibuerit, tanquam qui maximam rem agi videri vellet, de cuius eventu vehementer laboret. Honos habetur auditoribus, ſi de illorum iu-

actionis eventu, anili superstitione, sed tamen et a magno studiorum honore veniebat. Iam illa 3
perquam iucunda una dicentibus, quod libera tempora petebat, quod audituros conrogabat. Quid enim iucundius, quam sub alterius invidia, quamdiu velis, et in alieno auditorio quasi deprehensum commode dicere? Sed utcunque se habent 4
ista, bene fecit Regulus, quod est mortuus; melius, si ante. Nunc enim sane poterat sine malo publico vivere sub eo principe, sub quo nocere non poterat. Ideo fas est, non nunquam eum quaerere. Nam postquam obiit ille, increbuit 5
passim et invaluit consuetudo, binas vel singulas clepsydras, interdum et dimidias, et dandi et petendi. Nam et qui dicunt, egisse malunt quam agere; et qui audiunt, finire quam iudicare.

dicio vehementer nos solicitos esse fingamus. 'Quo magis probo *et* illud e libria adiectum a Cortio, cum alii habeant, *sed tamen a magno* etc. *G.*

anili superstitione) Rom. *animi superstitione.* Post, *sed tamen et magno.* Satis hunc locum a Cortio emendstum puto. *H.*

3 *libera tempora*) Gratiosua et potens petebat impetrabatque (vid. s. 7.) temporis quantum vellet: non clepsydris circumscribi spatia patiebatur, quo fiebat, ut eadem libertas negari non posset in eodem iudicio dicentibus: quae enim invidia, si idem sibi sumat Plinius, quod in eadem caussa licuisset Regulo? Si quid invisum aut molestum; hoc ad Regulum exempli auctorem omne pertinebat. *Sub* huius *invidia* dicit Pliniua. De *corrogatis* auditoribus vid. 2, 14, 4. *Deprehensus* est, qui dicit non quando, aut quam diu ipse voluit ac destinavit; sed ad alienam occasionem vel voluntatem. *G.* Add. Gesneri ad I. A. Ernest. epistola.

Quid enim iucundius) Rom. *Quid denique iucundius. H.*

4 *Sed utcunque — — non poterat;* Gierigius, pro spuriis habens, uncis inclusit: quod non imiter. *Sed utcunque — — mortuus,* obiectio est, cui respondent sequentia: *Melius, si aute* etc. Post *mortuus* ponenda τελεία στιγμή. *S.*

Nunc enim sane poterat sine malo) Rom. *Tunc enim poterat sine malo.* Male. *H.*

nocere non poterat) Calumniis, delationibus, ut ante Domitiani mortem. vid. supra 1, 5. init. *G.*

Ideo fas est) Rom. *Id eoque fas est. H.*

5 *Nam postquam* etc.) Rom. *Nam postquam abiit, illa increbuit passim et invaluit consuetudo.* Verbum *abiit* non damno, de quo dixi ad Vechneri hellenolex. l. cap. V. pr. p. 483. *illa* vero ex *ille* corruptum est, alioqui sequeretur *ut. H.*

finire quam iudicare) Rom. *finiri quam iudicare.* Deinde *inreverentia studiorum:* quae scribendi ratio frequentissime in hoc codice servata est. *H.*

Tanta negligentia, tanta desidia, tanta denique
6 irreverentia studiorum periculorumque est. An
nos sapientiores maioribus nostris? nos legibus
ipsis iustiores, quae tot horas, tot dies, tot com-
perendinationes largiuntur? hebetes illi et supra
modum tardi? nos apertius dicimus, celerius
intelligimus, religiosius iudicamus, qui paucíori-
bus clepsydris praecipitamus caussas, quam diebus
7 explicari solebant? O Regule, qui ambitione ab
omnibus obtinebas, quod fidei paucissimi prae-
stant! Equidem quoties iudico, quod saepius fa-
cio quam dico, quantum quis plurimum postulat
8 aquae do. Etenim temerarium existimo, divinare
quam spatiosa sit caussa inaudita, tempusque ne-
gotio finire, cuius modum ignores: praesertim
quum primam religioni suae iudex patientiam de-
beat, quae pars magna iustitiae est. At quaedam
supervacua dicuntur. Etiam: sed satius est et
9 haec dici, quam non dici necessaria. Praeterea,
an sint supervacua, nisi quum audieris, scire non
possis. Sed de his melius coram, ut de pluribus
vitiis civitatis. Nam tu quoque in more commu-

periculorumque) Notum est statum reorum *periculi* nomine saepe venire apud Ciceronem: sed videbatur mihi, ad oratorem etiam sive patronum hic respici, qui et ipse *dimicat de fama* fidei, diligentiae, eloquentiae, ac proinde in periculo est. *G.*

6 *qui paucioribus* etc.) Rom. *quia paucorib. clepsydris praecipitamus causas, quae diebus.* Non placet *quae*. *H.*

7 *ab omnibus*) iudicibus. *paucissimi*, iudices. Locus sanus. *S.*

quod saepius facio etc.) Rom. *quod vel saepius facio, quam dico, quantum quis plurimum temporis postulat, tantum do ei, qui docet. Temerarium enim existimo. H.*

8 *patientiam*) diligenter audiendi attendendique ad caussae momenta omnia: hanc primam debet *religioni suae* h. e. iuri iurando, quo adstrictus est, et conscientiae, quia sine hac reliqua praestare non potest. *G.*

9 *Praeterea — — possis*) Nec Plinio imprudenti exciderunt, neque ab inepto librario inserta sunt. Secundus, iudex, inquit, non ideo debet, quia fortasse quaedam supervacua dicentur, quod quis aquae postulat negare. Nam primum praestat, etiam supervacua dici, quam necessaria ob horarum paucitatem omitti: deinde divinari nequit, an quis supervacua dicturus sit. *S.*

in more communi) 'Nondum video melius quidquam Casauboniana hac emendatione. In libris est, *amore communium*, τῶν κοινῶν, i. e. reipublicae; vel, *amo-*

ni soles emendari cupere, quae iam corrigere difficile est. Nunc respiciamus domos nostras. Ecquid omnia in tua recte? in mea novi nihil. Mihi autem et gratiora sunt bona, quod perseverant; et leviora incommoda, quod adsuevi. Vale.

III.

Agellum, nutrici dono datum, colendum commendat.

C. PLINIVS VERO SVO S.

Gratias ago, quod agellum, quem nutrici meae donaveram, colendum suscepisti. Erat, quum donarem, centum millium nummum: postea, decrescente reditu, etiam pretium minuit; quod nunc, te curante, reparabit. Tu modo memine- 2
ris, commendari tibi a me non arbores et terram (quamquam haec quoque) sed munusculum meum; quod esse quam fructuosissimum non illius magis interest, quae accepit, quam mea, qui dedi. Vale.

IV.

Queritur, sibi non licuisse per occupationes, cum uxore in Campaniam secedere, indeque ut saepe literas mittat, monet.

C. PLINIVS CALPVRNIAE SVAE S.

Nunquam sum magis de occupationibus meis questus, quae me non sunt passae aut proficiscen-

re tecum mihi *communi* in civitatem. *G.*

Rom. *Nam tu quoque amore communium civium soles emendari cupere.* Dele *civium*, quod a nonnullis scriptum est pro *communium*. *H.*

Placet *amore communium*. Horat. Epist. 1, 20, 4. *Paucis ostendi gemis, et communia laudas.* *Communibus* mox opponuntur *nostra, tua, mea.* *S.*

emendari — corrigere) Emendat, qui etiam unam de pluribus mendis tollit; *corrigit*, qui rectum facit ex pravo. *G.*

10 *Nunc respiciamus* etc.) Rom. *Nunc respiciamus nostra: et quid omnia in tuis recte? in meis novi nihil. H.*

Nostra, tuis, meis placent. *S.*

III, 1 *Erat, quum donarem*) Rom. *Et erat, cum donarem. H.*

rem te, valetudinis caussa, in Campaniam prose-
2 qui, aut profectam e vestigio subsequi. Nunc
enim praecipue simul esse cupiebam, ut oculis
meis crederem, quid viribus, quid corpusculo
adquireres, ecquid denique secessus voluptates,
regionisque abundantiam, inoffensa transmitteres.
3 Equidem etiam fortem te non sine cura deside-
rarem. Est enim suspensum et anxium de eo, quem
4 ardentissime diligas, interdum nihil scire. Nunc
vero me cum absentiae, tum infirmitatis tuae ra-
tio, incerta et varia solicitudine exterret. Vereor
omnia, imaginor omnia, quaeque natura metuen-
tium est, ea maxime mihi, quae maxime abomi-
5 nor, fingo. Quo impensius rogo, ut timori meo
quotidie singulis, vel etiam binis epistolis consu-
las. Ero enim securior, dum legam; statimque
timebo, quum legero. Vale.

V.

Licinium Nepotem et Iubentium Celsum in caussa Vareni inter se de legis additamento, quod Nepos suaserat, altercatos fuisse, non sine dolore refert.

C. PLINIVS VRSO SVO S.

Scripseram tenuisse Varenum, ut sibi evocare te-
stes liceret: quod pluribus aequum, quibusdam

IV, 2 *Nunc)* Bene habet. Scripta est epistola statim post Calpurniae in Campaniam profectionem. *S.*

secessus voluptates) *Sustuli incisum post *secessus:* neque enim plures *secessus*, sed unius *secessus voluptates* commemorari puto. *G.*

Rom. *et quid denique secessus, voluptates.* Tolle incisum post *secessus*, qui secundus casus est. *H.*

Παραίνεσις haec, neque ista inepta ad uxorem iuvenem. *S.*

4 *sollicitudine exterret)* *Elegans Marklandi coniectura *exercet:* quam tamen receptae lectioni praeferre, cum Cortio dubitamus. *G.*

imaginor omnia) Haec omissa reperio in Rom. deinde *sollicitudine exterreor. H.*

ea maxime) Gesneriana *et maxime*, operarum, puto, negligentiâ. Itaque correxi. *S.*

5 *quotidie singulis, vel etiam binis)* Rom. *singulis quotidie vel etiam binis.* Recte. *H.*

V, 1 *Scripseram)* 5, 20, 2. sq. *G.*

iniquum, et quidem pertinaciter, visum; maxime
Licinio Nepoti, qui sequenti senatu, quum de
rebus aliis referretur, de proximo senatusconsulto
differuit, finitamque caussam retractavit. Addi- 2
dit etiam, petendum a consulibus, ut referrent,
sub exemplo legis ambitus, de lege repetundarum,
an placeret in futurum ad eam legem adiici, ut,
sicut accusatoribus inquirendi testibusque denun-
tiandi potestas ex ea lege esset, ita reis quoque
fieret. Fuerunt quibus haec eius oratio, ut sera 3
et intempestiva et praepostera, displiceret: quae
omisso contradicendi tempore castigaret peractum,
cui potuisset occurrere. Iubentius quidem Celsus 4
praetor, tanquam emendatorem senatus, et multis
et vehementer increpuit. Respondit Nepos, rur-
susque Celsus: neuter contumeliis temperavit.
Nolo referre, quae dici ab ipsis moleste tuli: 5
quo magis quosdam e numero nostro improbavi,
qui modo ad Celsum, modo ad Nepotem, prout
hic vel ille diceret, cupiditate audiendi cursita-
bant; et nunc, quasi stimularent et accenderent,
nunc, quasi reconciliarent componerentque, fre-
quentius singulis, ambobus interdum, propitium
Caesarem, ut in ludicro aliquo, precabantur.
Mihi quidem illud etiam peracerbum fuit, quod 6
sunt alter alteri, quid pararent, indicati. Nam et

2 *ut, sicut accusatoribus*) Rom. *ut sicuti accusatoribus*. *H.*

4 *Iubentius*) *Iuventius* ex Aldino et Mediceo scribit Cortius. Si omnino placet tertiam literam esse V, scribendum porro videtur *Iuvencius*, a *Iuvenis*, *Iuvencus*. *Iubentius* haberet formam *Vincentii*, et *Venantii*, et *Vigilantii* etc. Cum auctoritates sint fere pares, nihil definio. Sic de Prisco *Iavoleno* an *Iaboleno* se res habet 6, 15, 2. *G.*

Rom. *Iuvencius quidem Celsus*. Hoc melius est quam vulg. illud *Iubentius*, *Iuventius*; quod sine dubio derivatur a *Iuvencus*. *H.*

5 *ut in ludicro*) In ludis gladiatoriis suo vel Threci vel mirmilloni; in Circensibus suo quem elegit colori (vid. 9, 6, 2.) quisque ut ipse favet, ita favere optat Caesarem. Compositi hic erant, et acerrime certabant viri graves. Hos favendo incitant homines. *G.*

Etiam Rom. *ut in ludicro aliquo precabantur*. *H.*

6 *sunt — indicati*) Effutiit v. g. aliquis apud Nepotem, quid dicturus esset Iubentius, et rur-

Celsus Nepoti ex libello respondit, et Celso Ne-
7 pos ex pugillaribus. Tanta loquacitas amicorum
fuit, ut homines iurgaturi id ipsum invicem sci-
rent, tanquam convenissent. Vale.

VI.

Rogat Fundanum, ut se, pro Iulio Nasone petiturum, adiuvet.

C. PLINIVS FVNDANO SVO S.

Si quando, nunc praecipue cuperem esse te Ro-
mae, et sis, rogo. Opus est mihi voti, laboris,
solicitudinis socio. Petit honores Iulius Naso:
petit cum multis, cum bonis; quos ut gloriosum,
2 sic est difficile superare. Pendeo ergo, et exer-
ceor spe, atque adficior metu, et me consularem
esse non sentio. Nam rursus mihi videor omnium,
3 quae decucurri, candidatus. Meretur hanc curam
longa mei caritate. Est mihi cum illo non sane
paterna amicitia; neque enim potuit esse per
meam aetatem: solebat tamen vixdum adolescen-

sus, quid hic responsurus esset, ad Nepotem relatum est etc. *G.*

7 *id ipsum* etc.) Rom. *id ipsum invicem scierint, tanquam convenissent.* Medic. *scirint*, cum Rom. fere consentiens. Pro *convenissent* Ald. in prima et Catan. *convenisset*, quod verius. *Convenit inter aliquos id*, in quod illi consentiunt. Curtius lib. VIII. 14. pr. *Abisarem belli socium (et ita convenerat) adventare credebat.* Id. lib. X. cap. VIIII. 9. *Ad ultimum convenit, ut comprehenderentur tam seditiosae vocis auctores.* Vid. Bosii indic. ad Cornel. Nep. h. v. *H.*

VI, 1 *Petit — multis*) Sic et Rom. *H.*

2 *Pendeo ergo* etc.) Rom. *Pendeo ergo et exerceor spe, adficior metu, me consularem non esse sentio. Rursus mihi videor omnium, quae decucurri. H.*

Placet oratio ἀσύνδετος, utpote gravior animoque Plinii commoto magis consentanea. *Spe* non damnem. *S.*

quae decucurri) Iulius Naso nunc primum honores petit, hoc est, Quaesturam. Plinius tanto opere laborat pro amico, ut videatur ipse sibi curriculum illud honorum, quod emensus erat, qui ad summum gradum, Consulatum, pervenisset, denuo ingredi. *G.*

3 *neque enim potuit esse*) Rom. *neque enim esse potuit. H.*

tulo mihi pater eius cum magna laude monſtrari.
Erat non ſtudiorum tantum, verum etiam ſtudio-
ſorum amantiſſimus: ac prope quotidie ad audien-
dos, quos tunc ego frequentabam, Quintilianum
et Niceten Sacerdotem ventitabat: vir alioqui cla-
rus et gravis, et qui prodeſſe filio memoria ſui
debeat. Sed multi nunc in ſenatu, quibus igno- 4
tus ille; multi, quibus notus; ſed non niſi viven-
tes reverentur: quo magis huic, omiſſa gloria
patris, in qua magnum ornamentum, gratia in-
firma, ipſi enitendum et laborandum eſt. Quod 5
quidem ſemper, quaſi provideret hoc tempus, ſe-
dulo fecit; paravit amicos; quos paraverat, co-
luit: me certe, ut primum ſibi iudicare permiſit,
ad amorem imitationemque delegit. Dicenti mi- 6
hi ſolicitus adſiſtit, adſidet recitanti: primus etiam
et cum maxime naſcentibus opuſculis meis inter-
eſt, nunc ſolus, ante cum fratre; cuius nuper
amiſſi ego ſuſcipere partes, ego vicem debeo im-
plere. Doleo enim et illum immatura morte 7
indigniſſime raptum, et hunc optimi fratris ad-
iumento deſtitutum, ſolisque amicis relictum. Qui- 8
bus ex cauſſis exigo, ut venias, et ſuffragio meo
tuum iungas. Permultum intereſt mea, te oſten-

Erat — ſtudioſorum) Sic et Rom. *H.*

Niceten Sacerdotem) Rom. *Niceam Sacerdotem.* *H.*

4 *ipſi enitendum et laborandum eſt)* Rom. *ipſi enitendum, ipſi elaborandum eſt.* Maior vis in iterato pronomine. *H.*

Bene iterarunt Cortius et Gierigius. Praeſtat item *elaborandum.* *S.*

5 *quaſi provideret hoc tempus)* Rom. *quaſi praevideret hoc tempus.* *H.*

6 *primus etiam)* Eadem ſententia legit Cortius *primis:* et ſunt ſane, quod luculenter probavit, *prima opuſcula* recentia, *naſcentia*, de manu auctoris ſui exeuntia. *G.*

Rom. *ſollicite adſiſtit, adſidet recitanti primus etiam et cum maxime.* Retineo *primus,* quod Cortius in *primis* mutavit. *H.*

Gravi locus corruptela videtur Gierigio laborare. Non aſſentior. „Sed quis, inquit, homo ſanus „meditanti ſibi aut ſcribenti ſo- „cios teſtesve advocet?" Hoc an inſani ſit, nunc non quaero: id ſcio, ſaniſſimi eſſe, conſulere amicos de opuſculis, dum naſcantur. Sic enim et errores facilius caveas, et ſi quid illi commode monuerint, maiore cum fructu in rem tuam convertas. *S.*

8 *exigo)* Pro iure meo. vid. 6, 8, 5. 7, 12, 1. *G.*

tare, tecum circuire. Ea eſt auctoritas tua, ut
putem me efficacius tecum etiam meos amicos ro-
9 gaturum. Abrumpe, ſi qua te retinent. Hoc
tempus meum, hoc fides, hoc etiam dignitas po-
ſtulat. Suscepi candidatum, et ſuſcepiſſe me no-
tum eſt: ego ambio, ego periclitor. In ſumma,
ſi datur Naſoni quod petit, illius honor; ſi nega-
tur, mea repulſa eſt. Vale.

VII.

Se non minori deſiderio illius teneri, quam illam ſui.

C. PLINIVS CALPVRNIAE SVAE S.

Scribis, te abſentia mea non mediocriter adfici,
unumque habere ſolatium, quod pro me libellos
meos teneas, ſaepe etiam in veſtigio meo collo-
2 ces. Gratum eſt, quod nos requiris, quod his
fomentis adquieſcis: invicem ego epiſtolas tuas
lectito, atque identidem in manus quaſi novas
ſumo; ſed eo magis ad deſiderium tui accendor.
3 Nam cuius literae tantum habent ſuavitatis, huius

circuire) Non in campo Martio, ut ſalva republica, ſed, ut 2, 9, 5. *per domos, ſtationesque.* Iam tum enim ad Senatores ſolos ſuffragii ius retulerat Tiberius, quod ex Tac. A. 1, 15. Cellarius hic memorat. *G.*

Rom. *te oſtentare et tum circumire. H.*

etiam meos amicos rogaturum) Rom. *etiam amicos rogaturum.* Deeſt *meos. H.*

VII, 1 *in veſtigio meo)* In locis, ubi ego adſidere vel accumbere tibi ſoleo, ut pro me illos habeas. *Veſtigium* poni pro ſignis etiam toto corpore impreſſis, copioſe oſtendit Cortius, laudato etiam Burmanno ad Ovid. Ar. 4, 721. Nihil magis huc pertinet, quam Cic. Verr. 3, 34. *Cum in lectulo decumanae mulieris veſtigia viderent recentia.* Pro loco autem, ubi quis fuit, etiamſi non appareant veſtigia proprie dicta, poſuit ipſe noſter Paneg. 23, 5. *G.*

2 *Gratum eſt, quod* etc.) Rom. *Gratum, quod his fomentis acquieſcis,* omiſſis *eſt, quod nos requiris.* Reſtituit h. l. Cortius. *H.*

Bene Cortius, quem ſecutus eſt Gierigius, *Gratum eſt, quod nos requiris, gratum, quod his fomentis adquieſcis.* Frequentat Secundus tales repetitiones. Simul intelligitur, unde lacuna libri Romani originem traxerit. *S.*

ſermonibus quantum dulcedinis ineſt! Tu tamen frequentiſſime ſcribe, licet hoc ita me delectet, ut torqueat. Vale.

VIII.

Attilium in cauſſa pecuniaria commendat tum ab amicitia, quam ſecum colat, tum a propria virtute, adſperſo metu vindicandi damni, quia facetiſſimus ſit.

C. PLINIVS PRISCO SVO S.

Attilium Creſcentem et noſti et amas. Quis enim illum ſpectatior paullo aut non novit, aut non amat? Hunc ego non ut multi, ſed arctiſſime diligo. Oppida noſtra unius diei itinere dirimuntur: ipſi amare invicem, qui eſt flagrantiſſimus amor, adoleſcentuli coepimus. Manſit hic poſtea, nec refrixit iudicio, ſed invaluit. Sciunt, qui alterutrum noſtrum familiarius intuentur. Nam et ille amicitiam meam latiſſima praedicatione circumfert, et ego prae me fero, quam ſit mihi curae modeſtia, quies, ſecuritas eius. Quin 5
etiam quum inſolentiam cuiusdam tribunatum plebis inituri vereretur, idque indicaſſet mihi, reſpondi:

3 *ut torqueat*) Quo enim frequentius literas tuas accipio, eo acrius et impatientius te ipſam requiro. Idem fere iam ſupra dixerat: *eo magis ad deſiderium tuum accendor.* *E.*

VIII, 1 *Attilium Creſcentem*) Rom. *Atilium Creſcentem.* Deinde: *Quis enim illo ſpectatior,* male. *H.*

2 *Oppida noſtra*) Patriae urbes, ut *Capernaum Chriſti oppidum* vocatur. Sic noſter 2, 1, 8. *eadem regio*, et 7, 22, 2. *regio mea* etc. *G.* Simplicius forte erat dicere, *oppidum* quemque *ſuum* illud appellare, in quo habitet. *E.*

qui eſt flagrantiſſimus amor) Rom. *cum eſt flagrantiſſimus amor.* *H.*

nec refrixit iudicio) Rom. *hic neque refrixit iudicio.* Poſtea, *quantae ſit mihi curae,* quod Cortius non probat. *H.*

modeſtia) pertinet ad illa, quae §. 5. dicuntur. *E.*

Οὔ τις ἐμεῦ ζῶντος καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο,
Σοὶ κοίλης παρὰ νηυσὶ βαρείας χεῖρας ἐποίσει.

4*Quorſum haec?* Ut ſcias, non poſſe Attilium, me
incolumi, iniuriam accipere. Iterum dices, *Quor-*
ſum haec? Debuit ei pecuniam Valerius Varus:
huius eſt heres Maximus noſter, quem et ipſe
5amo, ſed coniunctius tu. Rogo ergo; exigo etiam
pro iure amicitiae, cures, ut Attilio meo ſalva
ſit non ſors modo, ſed etiam uſura plurium an-
norum. Homo eſt alieni abſtinentiſſimus, ſui di-
ligens: nullis quaeſtibus ſuſtinetur, nullus illi,
6niſi ex frugalitate reditus. Nam ſtudia, quibus
plurimum praeſtat, ad voluptatem tantum et glo-
riam exercet. Gravis eſt ei vel minima iactura,
7quia reparare, quod amiſeris, gravius eſt. Exime
hunc illi, exime hunc mihi ſcrupulum: ſine me
ſuavitate eius, ſine leporibus perfrui. Neque enim
poſſum triſtem videre, cuius hilaritas me triſtem
8eſſe non patitur. In ſumma, noſti facetias homi-
nis, quas velim attendas, ne in bilem et amari-
tudinem vertat iniuria. Quam vim habeat offen-
ſus, crede ei, quam in amore habet. Non feret
magnum et liberum ingenium cum contumelia
9damnum. Verum ut ferat ille, ego meum da-

3 *Οὔ τις ἐμεῦ*) Il. α, 88. *G.* Rom. *Οὐδεὶς ἐμεῦ ζῶντος.* Cetera deſunt, et intelligenda potius, quam a Plinio adſcripta ſunt. *H.*

Veriſſime. Homo ineptus totum locum adſcripſit. Sic et Stephanus iudicat: „In quibusdam „exemplaribus harum Plinii Epiſt. „legitur tantum Οὔτις ἐμεῦ ζῶντος. „Et magis veriſimile eſt, eum „principium duntaxat loci notiſ„ſimi attuliſſe, ut ſolet etiam Ci„cero." *S.*

4 *Quorſum haec*) Rom. *Quorſus haec.* Sic et paullo poſt. *H.*

6 *Gravis eſt ei* etc.) Rom. *Et gravis eſt ei vel minima iactura; et quia reparare, quod amiſerit. H.*

7 *me triſtem eſſe non patitur*) Rom. *triſtem me eſſe non patitur. H.*

Praeſtat hic ordo verborum. *S.*

8 *ne*) Ita omnes, quod ſciam, libri et ſcripti et editi. Geſnerianum *ac* unde natum ſit, ignoro. *S.*

in bilem et amaritudinem) Rom. *in bilem aut amaritudinem. H.*

crede ei) H. e. ex ea vi collige, et duc argumentum, ut 10, 2, 2. *Sicut potes duobus meis matrimoniis credere. G.*

Rom. *crede eam, quam in amore habet. H.*

mnum, meam contumeliam vindicabo: ſed non tanquam pro mea, hoc eſt, gravius, iraſcar. Quamquam quid denuntiationibus et quaſi minis ago? Quin potius, ut coeperam, rogo, oro, des operam, ne ille ſe, quod validiſſime vereor, a me, ego me neglectum a te putem. Dabis autem, ſi hoc perinde curae eſt tibi, quam illud mihi. Vale.

IX.

Reſpondet commendanti Naſonem,

C. PLINIVS TACITO SVO S.

Commendas mihi Iulium Naſonem candidatum. Naſonem mihi? quid ſi me ipſum? Fero tamen et ignoſco. Eundem enim commendaſſem tibi, ſi, te Romae morante, ipſe abſuiſſem. Habet 2 hoc ſolicitudo, quod omnia neceſſaria putat. Tu tamen, cenſeo, alios roges; ego precum tuarum miniſter, adiutor, particeps ero. Vale.

X.

Conqueritur, Verginio Ruſo poſt decimum mortis annum nondum abſolutum ſepulcrum.

C. PLINIVS ALBINO SVO S.

Quum veniſſem in ſocrus meae villam Alſienſem, quae aliquando Ruſi Verginii fuit, ipſe mihi lo-

9 *ut ferat ille*) ponamus (barbare, poſito), illum ferre. Saepe ſic Cicero *verum ut*, ſed fere ſequente *tamen, certe*. *S.*

meam contumeliam vindicabo) Rom. *meam contumeliam iudicabo*. *H.*

Frequentiſſima confuſio, cuius cauſſam indicat Drakenb. ad Liv. 39, 47, 2. *S.*

gravius) Recte poſt hanc vocem inciditur. Scil. *vindicabo*. *Iraſcar* explicat, quid ſit illud *gravius vindicare*. Gierigius comma male delevit. *S.*

IX, 2 *Habet hoc ſolicitudo, quod* etc.) Sic Plinius ſolet. Panegyr. cap. 83. in. *Habet hoc primum magna fortuna, quod nihil tectum, nihil occultum eſſe patitur.* Aliter latiniusque Cicero. Orat. in L. Piſon. cap. 32. fin. pag. 1334. ed. Ern. *Habet hoc virtus, — — ut viros fortes ſpecies eius et pulchritudo etiam in hoſte poſita delectet.* *S.*

X, 1 *Ruſi Verginii*) Vid. de funere eius 2, 1. *G.*

Rom. *Ruſi Virginii*. Nec aliter n. 6. *H.*

cus optimi illius et maximi viri desiderium non sine
dolore renovavit. Hunc enim incolere secessum, at-
que etiam senectutis suae nidulum vocare consueve-
2 rat. Quocunque me contulissem, illum animus,
illum oculi requirebant. Libuit etiam monimen-
tum eius videre, et vidisse poenituit. Est enim
adhuc imperfectum: nec difficultas operis in caussa,
modici, ac potius exigui; sed inertia eius, cui cura
3 mandata est. Subit indignatio cum miseratione, post
decimum mortis annum reliquias, neglectumque
cinerem, sine titulo, sine nomine iacere, cuius
4 memoria orbem terrarum gloria pervagetur. At
ille mandaverat caveratque, ut divinum illud et
immortale factum versibus inscriberetur:

HIC SITVS EST RVFVS, PVLSO QVI VINDICE QVONDAM
IMPERIVM ADSERVIT NON SIBI, SED PATRIAE.

5 Tam rara in amicitiis fides, tam parata oblivio
mortuorum, ut ipsi nobis debeamus etiam condi-
toria exstruere, omniaque heredum officia praesu-
6 mere. Nam cui non est verendum, quod vide-
mus accidisse Verginio? cuius iniuriam ut in-
digniorem, sic etiam notiorem ipsius claritas fa-
cit. Vale.

4 *divinum — factum*) Cuius testes hic laudat Cellarius Dionem Cassium l. 63. p. 725. sq. Wech. et Plut. in Galba. Huius pauca verba, sicut ille Dionis, adscribemus p. 1495. H. Steph. Narraverat, Vindicem ab illo superatum, magnam Romani imperii partem reductam, delatum ei a militibus imperium, in metu propter ea versantem Galbam, Ἀλλ' ἐκεῖνος, addit, τοῖς ἐξ ἀρχῆς ἐμμένων λογισμοῖς, ἐφύλαττε τῇ συγκλήτῳ τὴν αἵρεσιν τοῦ αὐτοκράτορος· καίτοι φανερᾶς γε τῆς Νέρωνος τελευτῆς γενομένης, τό, τε πλῆθος ἐνέκειτο τῷ Οὐεργινίῳ πάλιν, καὶ τῶν χιλιάρχων τις τῶν ἐν τῇ σκηνῇ σπασάμενος τὸ ξίφος, ἐκέλευε τὸν Οὐεργίνιον δέχεσθαι τὴν ἡγεμονίαν ἢ τὸν σίδηρον κ. τ. λ. Ultima verba facilius intelliges, certe vertes, si memineris, gladiatoribus inclamatum, *ferrum reciperent!* G.

5 *ut ipsi nobis* etc.) Rom. *ut ipsi nobis debeamus conditoria extruere*, excluso *etiam*. *H.*

XI.

Laetatur, nobiles adolescentes ad sui imitationem egisse, et nomen ac famam ex studiis petere.

C. PLINIVS MAXIMO SVO S.

O diem laetum! adhibitus in consilium a praefecto urbis, audivi ex diverso agentes summae spei, summae indolis iuvenes duos, Fuscum Salinatorem et Numidium Quadratum, egregium par, nec modo temporibus nostris, sed literis ipsis
ornamento futurum. Mira utrique probitas, con- 2
stantia salva, decorus habitus, os planum, vox virilis, tenax memoria, magnum ingenium, iudicium aequale: quae singula mihi voluptati fuerunt: atque inter haec illud, quod et ipsi me,

XI, 1 *ex diverso agentes)* diversarum partium advocatos. *E.*

Numidium Quadratum) Rom. *Numidium Vinidium Quadratum.* Duplex lectio. *H.*

Excerpta Brummeri, quae Gierigius debebat consulere, *Ummidium Quadratum.* Recte. *S.*

2 *Mira utrique probitas)* Rom. *Mira utriusque probitas*, bene. *H.*

constantia salva) Capio haec sexto casu, tanquam restrictionem *probitati* adiectam. Nimirum probitas ad verecundiam praesertim refertur, quae vicina formidini et inconstantiae adeo est. Horat. Sat. 1, 3, 56. *Probus quis Nobiscum vivit? Multum demissus homo ille est.* Ne quis igitur ex laude *probitatis* aliquid suspicetur huiusmodi, adiicit Secundus in tantum probos esse, ut *salva* simul sit *constantia.* *G.*

os planum) Quod singula verba recte explicet, syllabas non obscuret, aut devoret etc. *Latinum os*, quod habent quidam libri, si omnino servandum sit (quod mihi tamen secus videtur) non interpreter cum Barthio faciem Heroicam, quae sermonem Romanum condeceat: sed referam ad illud Ciceronis de Orat. 3, 12. *Quare cum sit quaedam certa* vox, Romani generis urbisque propria, *in qua nihil offendere, nihil displicere, nihil animadverti possit, nihil sonare aut olere peregrinum, hanc sequamur, neque solam* rusticam asperitatem, *sed etiam* peregrinam insolentiam (haec duo sunt opposita *voci Romanae) fugere discamus.* Praecedunt plura et sequuntur, quae huc faciunt. *G.*

Contrarium vitium supra Epist. 4, 7. commemorabatur *os confusum.* *E.*

Rom. *os planum*, non *Latinum.* Utrumque de pronuntiatione intelligendum; quod Catanaeus vidit, qui *expertam pronuntiationem* adscripsit, ac potius *exsertam.* Barthiana interpretatione nihil est alienius, quamvis ea Cortio quoque adriserit. Vid. meam adnot. ad Cornel. Nepot. Alcib. cap. I. *H.*

quod et ipsi me etc.) Rom. *quod ipsum me ut rectorem, ut magistrum intuebantur, etiam qui audiebant m. ae. m. l. v. videbantur.* Melius vulgatum est. *H.*

ut rectorem, ut magiſtrum intuebantur, et iis,
qui audiebant, me aemulari, meis inſtare veſtigiis
3 videbantur. O diem (repetam enim) laetum, no-
tandumque mihi candidiſſimo calculo! Quid enim
aut publice laetius, quam clariſſimos iuvenes no-
men et famam ex ſtudiis petere, aut mihi opta-
tius, quam me ad recta tendentibus quaſi exem-
4 plar eſſe propoſitum? Quod gaudium ut perpe-
tuo capiam, deos oro: ab iisdem, teſte te, peto,
ut omnes, qui me imitari tanti putabunt, melio-
res eſſe, quam me velint. Vale.

XII.

Reſpondet commendaticiae, et alteri caſtigatoriae epi-ſtolae, huic quidem immeritae.

C. PLINIVS FABATO PROSOCERO SVO S.

Tu vero non debes ſuspenſa manu commendare
mihi, quos tuendos putas. Nam et te decet mul-
tis prodeſſe, et me ſuscipere quidquid ad curam
2 tuam pertinet. Itaque Vectio Priſco quantum
plurimum potuero, praeſtabo, praeſertim in are-
3 na mea, hoc eſt, apud Centumviros. Epiſtola-
rum, quas mihi, ut ais, aperto pectore ſcripſiſti,

intuebantur) Senſu proprio intelligam. *S.*

4 *ab iisdem, teſte te*) *Lectio ab Aldo prolata, cui ſuffragatur Mediceus: quam planam, liquidam, elegantem eſſe nemo temere negaverit. Editi tamen ante Aldum, et Gruterus ex libris Palatinis, ita: *ac eosdem teſtes peto, ut omnes* etc. Quod tum demum probaverim, ſi, uno apice immutato, ultimum verbum epiſtolae non *velint* legamus, ſed *velim*. Sic enim Plinius, candidiſſima anima, Deos teſtes advocaverit, ſe velle atque optare, ut ſui imitatores meliores ſiant, quam ipſe, illorum exemplum. Sic illud *ut* valebit *quam*, et intendendi aliquam augendique vim habebit. *G.*

Rom. *deos oro ac eosdem teſtes peto.* Pudenda lectio, quam primus Aldus, nuper Cortius e Medic. correxit optime. *H.*

XII, 1 *ſuspenſa manu)* Ut medicus vulnera tractat, non imponens totam, eaque innixus parti adfectae, quo dolorem et noxam augeat, ſed ſuſtinens eam et retrahens: ut *ſuspenſo veſtigio* vel *gradu* incedit, qui non totam plantam cum impetu humi figit, ſed digitis tantum nititur. *G.*

2 *Vectio Priſco)* Sic et Rom. *H.*

oblivisci me iubes: at ego nullarum libentius memini. Ex illis enim vel praecipue sentio, quantopere me diligas, cum sic exegeris mecum, ut solebas cum tuo filio. Nec dissimulo, hoc 4
mihi iucundiores eas fuisse, quod habebam bonam caussam, quum summo studio curassem, quod tu curari volebas. Proinde etiam atque etiam 5
rogo, ut mihi semper eadem simplicitate, quoties cessare videbor (nunquam enim cessabo) convicium facias: quod et ego intelligam a summo amore proficisci, et tu non meruisse me gaudeas. Vale.

XIII.

Caussam Bithynorum adversus Varenum narrare pergit.

C. PLINIVS VRSO SVO S.

Unquamne vidisti quemquam tam laboriosum et exercitum, quam Varenum meum? cui, quod summa contentione impetraverat, defendendum et quasi rursus petendum fuit. Bithyni senatuscon- 2
sultum apud consules carpere et labefactare sunt ausi, atque etiam absenti principi criminari: ab

3 *quantopere me diligas)* Sic et Rom. *H.*
exegeris mecum) Accurate egeris. Vid. 9, 26, 13. Laudavit hic Cortius Cic. fam. 10, 24, 15. *De his rebus ut exigeret cum eo, Furnio mandavi. G.*
5 *quoties cessare videbor* etc.) Rom. *quoties cessare videbor (numquam enim cessabo) convicium facias: quod et ego intelligam a summo amore proficisci, et tu me non meruisse gaudeas.* Lego *convicium facias, quod et ego*, mutata interpunctione. Eius generis convicium sibi fieri cupit, quod ab amore, non ab irato animo, proficiscatur, et quod se non meruisse ipse profocer postea gaudeat. *H.*
Leg. e libro Medic. cum Cortio et Gierigio: *quoties cessare videbor (videbor dico; nunquàm enim cessabo)* etc. *S.*
XIII, 1 *Varenum meum)* De quo supra 5, 20, 2. ubi impetravit, ut sibi quoque, reo, testes evocare liceret. Add. 7, 6. *G.*
quod summa contentione impetraverat) Rom. *quod summa contentione impetraveram.* Confirmat hanc lectionem epist. XX. libri V. *H.*
2 *carpere et labefactare)* Rom. *carpere ac labefactare. H.*
absenti principi) Rom. *absente principe*, corrupte. *H.*
Terentius Eun. 5, 2, 16. *Hanc metui, ne me criminaretur tibi. S.*

illo ad senatum remisi, non destiterunt. Egit Claudius Capito irreverenter magis quam constanter, ut qui ipsum senatusconsultum apud sena-
3tum accusaret. Respondit Frouto Catius graviter et firme. Senatus ipse mirificus. Nam illi quoque, qui prius negarant Vareno, quae petebat, eadem danda, postquam erant data, censuerunt.
4*Singulos enim, integra re, dissentire fas esse; peracta, quod pluribus placuisset, cunctis tuendum.*
5Acilius tantum Rufus, et cum eo septem an octo? (septem immo) in priore sententia perseverarunt. Erant in hac paucitate nonnulli, quorum temporaria gravitas, vel potius gravitatis imitatio ride-
6batur. Tu tamen aestima, quantum non in ipsa pugna certaminis maneat, cuius quasi praelusio atque praecursio has contentiones excitavit. Vale.

XIV.

Adventum in villam Maurici promittit sub conditione.

C. PLINIVS MAVRICO SVO S.

Solicitas me in Formianum. Veniam ea conditione, ne quid contra commodum tuum facias: qua pactione invicem mihi caveo. Neque enim mare et litus, sed te, otium, libertatem sequor:
2alioqui satius est in urbe remanere. Oportet enim omnia aut ad alienum arbitrium, aut ad suum fa-

ut qui ipsum senatusconsultum) Rom. *ut qui per senatusconsultum.* *H.*

3 *Respondit —— firme)* Sic et Rom. *H.*

5 *Acilius tantum* etc.) Rom. *Acilius tantum rursus et cum eo.* Sed lege lib. V. epist. XX. 6. *H.*

Erant in hac etc.) Rom. *In hac paucitate nonnulli.* Verbum *erant* a priori verbo absorptum est. *H.*

6 *Tu tamen aestima* etc.) Rom. *Tu tamen existima, quantum nos in ipsa pugna praelii et certaminis maneat.* Ex his verbum *existima* in vulgati locum restituo. *H.*

quantum non) immo *quantum nos*, ut alii. *S.*

XIV, 1 *sed te, otium, libertatem sequor*) Rom. *sed te otium et libertatem sequor. H.*

Al. *sed otium et libertatem sequor*, quam lectionem commendat lex concinnitatis. *S.*

2 *omnia aut*) Acumen in hoc

cere: mei certe ftomachi haec natura eft, ut nihil nifi totum et merum velit. Vale.

XV.

Paffieni exemplo, ab Iavoleno interpellati, monet, recitaturis fanae mentis auditores adhibendos effe.

C. PLINIVS ROMANO SVO S.

Mirificae rei non interfuifti: ne ego quidem: fed
me recens fabula excepit. Paffienus Paullus, fplendidus eques Romanus, et inprimis eruditus, fcribit elegos. Gentilicium hoc illi: eft enim municeps Propertii, atque etiam inter maiores fuos
Propertium numerat. Is quum recitaret, ita coe- 2
pit dicere, *Prifce, iubes?* Ad hoc Iavolenus Prifcus (aderat enim, ut Paullo amiciffimus) *Ego vero non iubeo.* Cogita, qui rifus hominum, qui ioci.
Eft omnino Prifcus dubiae fanitatis: intereft ta- 3

eft, ut *omnia* capias pro univerfis, et repetas h. m. *aut omnia ad alienum arbitrium facere,* ut in urbe, *aut omnia ad fuum,* quod ego ruri volo. *G.*

XV infcr. Rom. *Voconio Romano. H.*

1 *Mirificae rei* etc.) Rom. *Mirificae rei interfuiftine? ego quidem. Sed moerens recens Paffienus Paullus.* Nihil fani. *H.*

2 *Iavolenus Prifcus*) Ita fcribere malunt hodie. Sed nec *Iabolenum* damnarim. *G.*

Rom. *Iabolenus Prifcus. H.*

Cogita, qui rifus etc.) Rom. *Cogita, qui rifus hominum, qui ioci: quoties omnino Prifcus haud dubiae fanitatis intereft tamen officiis. H.*

3 *Eft — Prifcus dubiae fanitatis*) Hic eft ille locus, ob quem male fanus adhuc audiit Iavolenus; nuper *nugator,* et *mendax,* et *intolerabilis ambitionis homo,* et *nefarii confilii* reus, effe coepit Plinius. Scilicet Plinius Paullum amavit, praeconem fuae gloriae: eundem fortius amavit Iavolenus illius amiciffimus. Itaque quem a plagiis fuis (Martiali etiam adcufatis 2, 20.) fruftra adhuc revocaverat, eum iam recitare incipientem, captata opportunitate, falfe et graviter reprehendit: quod indigne ferebat Secundus adeo, ut hac epiftola dolorem fuum ulcifceretur. Sic vir doctus, qui *de Prifco Iavoleno ICto incomparabili et praecipuo feculi fui ornamento differtationem* Lipfiae 1734. edidit, G. A. Ienichen. Sed pofuit, non probavit, Paullum Martialis effe noftrum; ut nec illud probatum eft, quod fumunt viri docti, a Iuvenale eum tangi 1, 2. et 3, 8. Et fac ita effe, Martiali in animo fuiffe Plinianum hunc Paullum: utrum credemus facilius, poëtam maledixiffe poëtae? an Plinium, adeo illum famae fuae,

men officiis, adhibetur consiliis, atque etiam ius civile publice respondet: quo magis, quod tunc
4 fecit, et ridiculum et notabile fuit. Interim Paullo aliena deliratio aliquantum frigoris attulit. Tam solicite recitaturis providendum est, non solum ut sint ipsi sani, verum etiam ut sanos adhibeant. Vale.

XVI.

Avunculi exitum Tacito, historiam scripturo, rogatus narrat.

C. PLINIUS TACITO SUO S.

Petis, ut tibi avunculi mei exitum scribam, quo verius tradere posteris possis. Gratias ago. Nam video, morti eius, si celebretur a te, immortalem

et optimis quidem artibus, studiosum, impudenti mendacio suos illos politissimos libellos et virtutis colore undique nitentes, temere apud conscium Romam, et orbem terrarum, maculasse? Et quam tandem iniuriam fecit Iavoleno? Dixit, *dubiae sanitatis* esse: *deliratonem* illi tribuit. Potuit tamen per Plinium vir doctissimus fuisse Iavolenus, et sapiens, et probus: licet μελαγχολικῷ quodam πάθει, quod magnis ingeniis solemne est, interdum extra oleas auferretur. Parum novit historiam hominum eruditorum, si quis putat, fieri non posse, uti *dubiae sanitatis* aliquis videatur interdum, et tamen *officiis intersit, consiliis adhibeatur, ius civile respondeat*, vel quamcunque aliam artem profiteatur. Maneat itaque per nos vir bonus Plinius, vir iuris consultissimus cum defensore suo Iavolenus, laude sua omnes dignissimi. Quid si Priscus noster imitari voluit illum Trebatium Horat. Sat. 2, 1, 5. sq. Suscepit igitur personam ridiculam: laesit amicum etc. *G.*

quo magis etc.) quod sententiam suam, tanquam adhibitus consilio, dicere, sive de iure respondere videretur. *S.*

4 *aliquantum frigoris attulit*) Fecit, ut minus studiose, minus calide audiretur Paullus, cum Prisci cogitatio homines subinde subiret, et risum iis excuteret, qui recitantem etiam Paullum a studio et calore pronuntiandi pudore quodam revocaret. Sic *frigus* explicamus ad Quintil. 5. 7. 26. *G.*

Locus simillimus est apud Sueton. Claud. cap. 41. in simillima re. De *frigore* illo, qui plura desiderat, adeat nostrum Lexic. Technol. rhet. lat. in voc. *frigidus*. *E.*

Frigus hic ad auditores referendum, qui, mente ridiculo illo occupata, recitantem negligentius audirent. *S.*

XVI, 1 *avunculi mei*) Plinii maioris, a quo adoptatus noster est. Hanc epistolam alias, in fronte Chrestomathiae Plinianae satis copiose illustravimus. Hic brevitate tenebimus institutum. *G.*

gloriam esse propositam. Quamvis enim pulcher- 2
rimarum clade terrarum, ut populi, ut urbes,
memorabili casu, quasi semper victurus, occide-
rit; quamvis ipse plurima opera et mansura condi-
derit: multum tamen perpetuitati eius scriptorum
tuorum aeternitas addet. Equidem beatos puto, 3
quibus deorum munere datum est aut facere scri-
benda, aut scribere legenda; beatissimos vero,
quibus utrumque. Horum in numero avunculus
meus et suis libris et tuis erit. Quo libentius sus-
cipio, deposco etiam, quod iniungis. Erat Mise- 4
ni, classemque imperio praesens regebat. Nonum
Kalend. Septembres, hora fere septima, mater
mea indicat ei, apparere nubem inusitata et ma-
gnitudine et specie. Usus ille sole, mox frigida, 5
gustaverat iacens, studebatque; poscit soleas, ad-
scendit locum, ex quo maxime miraculum illud
conspici poterat. Nubes (incertum procul intuen-
tibus, ex quo monte: Vesuvium fuisse postea co-

2 *ut urbes)* *Merito tuetur antiquam lectionem Cortius, contra Casauboni coniecturam *urbis* receptam a Cellario. *G.*

plurima opera) Quae recenset noster 3, 5. Nihil superesse praeter naturalem historiam, ibi indicatum est. *G.*

scriptorum tuorum aeternitas) Quae tamen hac parte intercepta est. Bene igitur, Plini, avunculi tui famae hac epistola consuluisti. *G.*

Rom. *ut populi, ut urbes memorabili casu, quasi semper victurus occiderit: quamvis ipse plurima scripserit, tamen perpetuitati eius scriptorum tuorum aeternitas addet.* *H.*

4 *Erat Miseni)* Ubi ex instituto Augusti legio Romana cum classe inferum mare, ipsamque adeo urbem tuebatur. Vid. Tac. A. 4, 5, 1. Sueton. Aug. 49. praesertim Veget. de re mil. 5, 1. *G.*

Nonum Kal. Sept.) *Hanc lectionem ex ipsa historia et Dione confirmat Masson. in vita Plin. iun. ad A. 17 et 18. *G.*

Rom. *praesens regebat Kal. Novembris hora fere septima.* Deest *nono*, et deinde *diei*. *H.*

Al. *Nono Calend. Septembr. hora diei fere septima.* Scripsit Plinius, ni fallor, *A. d.* VIIII. *Kalend. Septembres.* Cur *A. d.* exciderint, nemo non videt. *S.*

5 *Usus ille sole)* Ut solebat. Vid. 3, 5, 11. ubi etiam de gustatione. *G.*

Rom. *Surgit ille ut e sole solet frigida gustata: iacens enim studebat: poposcit soleas.* *H.*

Habes fontem, ex quo Harduinus hausit, indignus ideo, quem Gierigius tam acerbe increparet. *S.*

Vesuvium) Hoc primum illius montis vulgo habitum esse illo tempore incendium, tum nostri narratio, tum Dionis apud Xiphilinum satis docet: nec adeo

gnitum eſt) oriebatur: cuius ſimilitudinem et for-
mam non alia magis arbor, quam pinus expreſſerit.
6 Nam longiſſimo velut trunco elata in altum, quibus-
dam ramis diffundebatur: credo quia recenti ſpiritu
evecta, deinde ſeneſcente eo deſtituta, aut etiam
pondere ſuo victa, in latitudinem vaneſcebat: can-
dida interdum, interdum ſordida et maculoſa,
7 prout terram cineremve ſuſtulerat. Magnum pro-
piusque noſcendum, ut eruditiſſimo viro, viſum.
Iubet Liburnicam aptari: mihi, ſi venire una vel-
lem, facit copiam. Reſpondi, ſtudere me malle:
8 et forte ipſe, quod ſcriberem, dederat. Egredie-
batur domo, accipit codicillos. Retinae claſſiarii

prope acceſſurus videtur fuiſſe naturae hiſtoricus, ſi quid de illo monte compertum habuiſſet. Interim non ex traditione modo, ſed ex ipſa campi Phlegraei adpellatione, et ingenio loci argumentati Diodorus Siculus, et Vitruvius, ille lib. 4, 21. hic 2, 6, olim arſiſſe hanc regionem, perſuadent. Hic, *Non minus*, inquit, *memoratur antiquitus creviſſe ardores, et abundaviſſe ſub Veſuvio monte, et inde evomuiſſe circa agros flammam.* G.

pinus) Italica ſcil. quam hodie vocant *Pinie.* Huius forma eſt ſimilis machinae illius, quam manu tenentes ſolem a nobis arcere ſolemus: *Sonnenſchirm.* Vid. *Stollbergs Reiſe durch Italien* etc. Vol. 3. p. 33. *E.*

6 *Nam longiſſimo* etc.*)* Rom. *Nam longiſſimo velut trunco efflata.* *H.*

credo quia recenti etc.*)* Rom. *credo et recenti ſpiritu evecta, dein.* *H.*

vaneſcebat) *Neſcio unde ſit in Cortiana *evaneſcebat.* Alterum agnoſcunt libri, quod mihi conſtet, omnes: nec varietatem notat Cortius. Itaque ſphalma puto. *G.*

Rom. *in altitudinem vaneſcebat.* *H.*

7 *noſcendum — viſum)* Rom. *noſcendum ut eruditiſſimo viro viſum eſt.* *H.*

8 *accipit codicillos. Retinae)* Primo lectionem receptam interpretabimur: deinde quaedam monebimus, a recentioribus editoribus neſcio quam bene praetermiſſa. *Accipit codicillos,* in quibus vel ſua vel librarii manu enotaret phaenomena illa: ſic Buchnerus. *Retinae*, quod vici nomen eſt, collocati in caſtris nauticis *claſſiarii*, *orabant* Plinium, *ut ſe* (claſſiarios) *tanto diſcrimini* ſubmiſſis navibus *eriperet.* Haec ſic ſatis capio. Sed non capio ſitum, quem *Retinae* illi adſignant Hermolaus Barbarus ad h. l. in fronte caſtigationum Plinianarum, et hunc forte ſecutus Cellarius. Si enim *ſub Miſeno,* ut narrant, ut pingunt, fuit, fuit ſatis longe adhuc remota a periculo; nec ullo modo imaginari licet, quomodo is, qui e Miſeno verſus Retinam contendit, *Stabias* devenire potuerit. Rectius itaque *Retinam*, vel *Reſinam*, ut malunt hodie ſcribere, ſubiiciunt ipſi Veſevo inter Porticum et Herculanum tabellae Io. Ba. Maſculi Neapolitani, qui operia ſui, de incendio Veſuvii A. 1631. ex-

immiuenti periculo exterriti (nam villa ea subiacebat, nec ulla nisi navibus fuga) ut se tanto discrimini eriperet, orabant. Vertit ille consilium, 9

citato, libro decimo etiam topographiam Vesuvii proposuit: quem sequuntur tabulae Homannianae, tum ea, quae Neapolitanum regnum exhibet, tum altera, quae urbem solam cum vicinia. Hunc igitur locum non inlustravit tabella Cellariana (viri alioquin immortaliter de vetere Geographia meriti) sed obscuravit. Hoc unum erat. Iam illud non dissimulandum, magna scripturae varietate hunc locum laborare, circa distinctionem praesertim, et circa vocem *classiarii*, pro qua *Tasci, nasci, irasci* habent MSS. et typis excusi quidam. Porro narrat Hermolaus, fuisse qui *Retinam* mulieris nomen intelligant, quae fuerit uxor Caesii Bassi, et nomen forte ipsi vico dederit. De illo Caesio Basso deinde Probi (huic nempe tribuebant vetera scholia ad Pers. 6, 1.) locum adfert, laudatum etiam Volaterrano p. m. 144. *Caesium Bassum poëtam lyricum fama est in praediis suis, ardente Vesevo monte, et late vagantibus ignibus, cum villa sua conflagrasse.* Hisce accommodatissima erit Aldina lectio, circa unum illud tam varie scriptum nomen leviter immutata, ut pro *nasci* legamus *Bassi*, hoc modo: *Egrediebatur domo. Accipit codicillos* (tumultuarium genus epistolarum) *Rectinae* (sic est pro *Retinae) Bassi, imminenti periculo* (quod forte iam hauserat maritum) *exterritae. nam villa eius* (nomine illius postea dicta) *subiacebat* Vesevo monti, (ut pingitur a Masculo) *nec ulla* inde *nisi navibus fuga*, itaque *ut se* (Retinam) *tanto discrimine eriperet*, ipsa Retina *orabat*. Compara quae sequuntur, et optime cohaerere videbis. Sed si *classiarii*, et quae ei lectioni cohaerent, sunt e bonis libris; et certe iam ita legebatur aetate Hermolai: malim quadriremes propter eos deduci, quam propter mulierem, licet nobilissimam, et non solam. *G.*

Rom. *Accepit codicillos: rectina imminente periculo exterrita (nam villa eius subiacebat, nec ulla, nisi navibus fuga) ut se tanto discrimini eriperet, orabat.* Singularem *orabat* Aldus quoque expressit, etsi antea scripserat *Rectinae Nasci* et *exterritae*. Docta et digna, quae praecipue legatur, est Gesneriana coniectura. *H.*

Gierigiana: *accepit codicillos Rectinae Caesii Bassi, imminenti periculo exterritae; (nam villa eius subiacebat, nec ulla, nisi navibus, fuga) ut se tanto discrimini eriperet, orabat.* Ita aut non multum diversa ratione vulgatam refingendam esse, vix dubitabit, qui sequentia perpenderit. *S.*

9 *Vertit ille consilium)* Malo consilio adverbium *non* ante *vertit* ponunt non nulli, quasi hoc vellet Plinius, avunculum suum, rogatum a classiariis, ut *se ipsum* eriperet periculo, non mutasse prius illud accedendi propius consilium. Si classiarii omnino orarunt, quod dubium esse modo ostendimus, ipsi eripi voluere discrimini, non rogarunt, ut parceret ipse sibi Plinius. *Vertit* etiam re ipsa Plinius *consilium* suum. Ante enim Liburnica una volebat exploratum ire rem novam ac miram: nunc deducit quadriremes: ante *studioso animo* et sciendi cupido *inchoaverat* navigationem, nunc *obit* eam *maximo*, ut qui cum suae commoditatis, et salutis adeo neglectu adiutum eat vel classiarios, vel Retinam Bassi uxorem, et familiam illius, totamque illam viciniam. *G.*

et quod ſtudioſo animo inchoaverat, obit maxi-
mo. Deducit quadriremes; adſcendit ipſe non
Retinae modo, ſed multis (erat enim frequens
10 amoenitas orae) laturus auxilium. Properat illuc,
unde alii fugiunt; rectumque curſum, recta gu-
bernacula in periculum tenet, adeo ſolutus metu,
ut omnes illius mali motus, omnes figuras, ut
11 deprehenderat oculis, dictaret enotaretque. Iam
navibus cinis inciderat, quo propius accederet,
calidior et denſior; iam pumices etiam, nigrique
et ambuſti et fracti igne lapides: iam vadum ſubi-
tum, ruinaque montis litora obſtantia. Cunctatus
paullum, an retro flecteret, mox gubernatori ut
ita faceret monenti, *Fortes*, inquit, *fortuna iuvat*,
12 *Pomponianum pete.* Stabiis erat, diremtus ſinu
medio. Nam ſenſim circumactis curvatisque lito-
ribus mare infunditur. Ibi, quamquam nondum
periculo appropinquante, conſpicuo tamen, et,
quum creſceret, proximo, ſarcinas contulerat in
naves, certus fugae, ſi contrarius ventus reſediſſet:
quo tunc avunculus meus ſecundiſſimo invectus
complectitur trepidantem, conſolatur, hortatur:
utque timorem eius ſua ſecuritate leniret, deferri
ſe in balineum iubet; lotus accubat, coenat, at-

Rom. *Non vertit ille conſilium, et quod. H.*

10 *dictaret enotaretque)* Rom. *dictaret notaretque. H.*

11 *ruinaque montis)* Ipſius Velevi, niſi obſcure locutus eſt Plinius. Scilicet *Retinam* petebat primo ſive mulierem ſive villam, periculo quidem proximam. Hic cum appellendi copia non eſſet, ad dextrum latus flectere iubet gubernatorem, petere Stabias. *G.*

Infra ep. 20, 9. *Praeterea mare in ſe reſorberi, et tremore terrae quaſi repelli videbatur. Certe proceſſerat litus, multaque animalia maris in ſiccis arenis detinebat.* Φυσικώτερα iſta, quam quod Plinius hoc loco παρατραγῳδῶν vadum litoraque obſtantia a montis ruina, i. e. ab imbre lapideo, repetit. *S.*

Cunctatus paullum) Rom. *Cuntatus paulum. H.*

Pomponianum pete) Filium forte *Pomponii Secundi Conſularis poëtae*, cuius vitam ſcripſit Plinius maior, quod ipſe commemorat 14, 4. l. 6. et noſter 3, 5, 3. *G.*

12 *Stabiis erat* etc.) Rom. *Stabiis erat, devenit ſinu medio. H.*

Ibi, quamquam nondum) Rom. *Ubi quanquam nondum. H.*

deferri ſe in balineum) Sic et Rom. *H.*

coenat, atque hilaris etc.) Rom. *coenat atque hilaris, aut quod aeque magnum eſt. H.*

que hilaris, aut, quod est aeque magnum, similis
hilari. Interim e Vesuvio monte pluribus locis 13
latissimae flammae altaque incendia relucebant,
quorum fulgor et claritas tenebris noctis excitaba-
tur. Ille, agrestium trepidatione igni relictas de-
sertasque villas per solitudinem ardere, in reme-
dium formidinis dictitabat. Tum se quieti dedit,
et quievit verissimo quidem somno. Nam meatus
animae, qui illi propter amplitudinem corporis
gravior et sonantior erat, ab iis, qui limini ob-
versabantur, audiebatur. Sed area, ex qua diae- 14
ta adibatur, ita iam cinere, mixtisque pumicibus
oppleta surrexerat, ut, si longior in cubiculo mo-
ra esset, exitus negaretur. Excitatus procedit, se-
que Pomponiano, ceterisque, qui pervigilarant, red-
dit. In commune consultant, intra tecta subsi- 15
stant, an in aperto vagentur. Nam crebris vastis-
que tremoribus tecta nutabant, et quasi emota
sedibus suis, nunc huc, nunc illuc abire aut re-
ferri videbantur. Sub dio rursus, quamquam le- 16
vium exesorumque, pumicum casus metuebatur.
Quod tamen periculorum collatio elegit. Et apud

Scribendum puto: *coenatque hilaris, aut, quod aeque magnum, similis hilari.* Vulgatam ut sensus ferat, aures certe respuunt. *S.*

13 *fulgor et claritas* etc.) Rom. *fulgor et claritas tenebras noctis pellebat. H.*

trepidatione igni etc.) Rom. *trepidatione ignis relictas desertasque villas p. s. a. i. r. s. dictitabat.* Recte *dictitabat*, non *dictabat. H.*

14 *area, ex qua diaeta*) Observent antiquitatis studiosi, quod non observatum his, qui Plinianas villas delinearunt, membra villarum non uno tecto comprehensa fuisse, sed prout res ferret, per lacinias quasdam dispersa, ut sunt aediculae Carthusianorum etc. Hoc item videtur adparere ex Luciani Asino, ubi passim δωματίων mentio, membrorum unius domus: balneum item Luciani consideranti idem videbatur. *G.*

Caeterum *area cinere surrexerat* Pliniano more dictum pro vulgari: cineres in area in tantum cumulatae erant, ut etc. *E.*

mora esset etc.) Rom. *mora, exitus negaretur.* Deest *esset. H.*

15 *consultant, intra tecta subsistant)* Sic et Rom. recte *an* excluso, quod mala manus adiecit. *H.*

16 *Quod tamen — elegit)* scil. ut mallent in aperto vagari, quam intra tecta subsistere: nam in illo minus periculi erat, quam in hoc. Haec ergo est *periculorum collatio* s. comparatio. Locus in iunctura membrorum aliquid ha-

illum quidem ratio rationem, apud alios timorem
timor vicit. Cervicalia capitibus impoſita linteis
conſtringunt. Id munimentum adverſus deciden-
17 tia fuit. Iam dies alibi, illic nox omnibus no-
ctibus nigrior denſiorque: quam tamen faces mul-
tae variaque lumina ſolvebant. Placuit egredi in
litus, et e proximo adſpicere, ecquid iam mare
admitteret, quod adhuc vaſtum et adverſum per-
18 manebat. Ibi ſuper abiectum linteum recubans,
ſemel atque iterum frigidam popoſcit, hauſitque.
Deinde flammae, flammarumque praenuntius odor
ſulfuris, alios in fugam vertunt, excitant illum.
19 Innixus ſervis duobus adſurrexit, et ſtatim conci-
dit, ut ego coniecto, craſſiore caligine ſpiritu ob-

bet hiulci et moleſti, quamvis ſenſus pateat. Acumen, quod Plinius h. l. captavit, in cauſſa eſt, ut obſcurius diceret. *E.*

Non puto obſcurius haec dicta eſſe, omninoque non video, quo iure Plinius hîc acumen captaſſe arguatur. *S.*

Rom. *Quod tamen malorum collatio elegit. H.*

adverſus decidentia fuit) Rom. *adverſus incidentia fuit. H.*

17 *ſolvebant)* *In quibusdam MSS. cum eſſet *ſolebantur*, coniecerat Cortius, *ſolabantur*, idque poſtea ita inventum in tribus Brummeri libris, teſtatur Longolius. Recepiſſem eam contra vulgatam, licet ei faveant plures libri antiqui, in quibus eſt *ſolebant*. Sed obſtabat hoc, quod illae *faces multae variaque lumina* poſſunt intelligi, non de his, quae parabant ſibi homines, ſed de erumpentibus hinc inde flammis maioribus, quarum vis perrumperet nonnunquam fumos, et terribilem illam noctem terrore alio *ſolveret*, quo minus continua eſſet, non *ſolaretur*. Et profecto non fuit, quod Tacitum doceret Secundus, accenſas ab hominibus faces, quibus *ſolarentur tenebras*, niſi voluit ob formulam loquendi politulam putidiuſculus amico ſuo et nobis videri: at hoc pertinet ad deſcribendum illum naturae motum, et imaginem magnae noctis concipiendam, ut dicat, interlucentibus flammis eam interdum diſtinctam fuiſſe. Idem hic phaenomenon deſcribit ex proximo, quod e longinquo obſervatum pingit deinde 6, 20, 9. *Nubes atra et horrenda* etc. *G.*

Rom. *quanquam faces multae variaeque lumina ſolvebant.* Cortius *ſolabantur* coniicit, ſed parum feliciter. Quantum ſolatii in talibus flammis ſit, facile quisque exiſtimabit. *H.*

et e proximo adſpicere etc.) Rom. *et ex proximo adſpicere, quod iam mare. H.*

vaſtum) non omnino terribile, ſed fluctus vaſtos, decumanos volvens. *S.*

18 *recubans, ſemel atque iterum)* Rom. *recubans ſedit atque iterum. H.*

frigidam popoſcit) ſtimulante ſitim aeſtu, et ſubtiliore ex incendio montis vapore. *G.*

19 *Innixus ſervis duobus)* Rom. *Qui innixus ſervis duobus. H.*

ſtructo, clauſoque ſtomacho, qui illi natura inva-
lidus et anguſtus et frequenter interaeſtuans erat.
Ubi dies redditus (is ab eo, quem noviſſime vi- 20
derat, tertius) corpus inventum eſt integrum, il-
laeſum opertumque, ut fuerat indutus: habitus
corporis quieſcenti, quam defuncto, ſimilior. In- 21
terim Miſeni ego et mater. Sed nihil ad hiſto-
riam, nec tu aliud, quam de exitu eius, ſcire
voluiſti. Finem ergo faciam. Unum adiiciam, 22
omnia me, quibus interfueram, quaeque ſtatim,
quum maxime vera memorantur, audiveram, vere
perſequutum. Tu potiſſima excerpes. Aliud eſt
enim epiſtolam, aliud hiſtoriam; aliud amico,
aliud omnibus ſcribere. Vale.

XVII.

Indignatur, quosdam, eruditos ſibi viſos, recitanti amico nullum ſignum laetitiae dediſſe.

C. PLINIVS RESTITVTO SVO S.

Indignatiunculam, quam in cuiusdam amici auditorio cepi, non poſſum mihi temperare, quo mi-

clauſoque ſtomacho) Loqui auctorem de orificio ventriculi, negari non poteſt: quorſum enim illud *interaeſtuans* referas, niſi ad ſingultum et ructus, quae utraque ſedem in illo, nec usquam praeterea, habent. Sed quomodo hic ſtomachus claudi a ſulfureo vapore potuerit, quomodo clauſum ſtomachum cita mors conſequi, non apparet. Nempe parum naturae noſtrae conſultus erat Secundus, qui neſciret, quod clariſſime hodie oſtendunt Medici, conſtrictis ab acidiſſimo ſulfuris ardentis vapore tunicis nerveis vaſorum pulmonalium, quae aëra alias admittunt, et inflata laxant ſanguinis canaliculos, circulum illum et commeatum ſanguinis, quo vita noſtra continetur, intercludi. *G.*

et frequenter interaeſtuans erat) Rom. *et frequenter intus aeſtuans erat.* *H.*

20 *Ubi dies — tertius*) Sic de Aetnais ignibus Cic. de N. D. 2. c. 38. *Cum autem tertio die ſol illuxiſſet.* *G.*

21 *Interim Miſeni*) Quod hic abrumpit auctor, perſequitur mox ep. 20. *G.*

22 *audiveram, vere perſequutum*) Rom. *audieram, perſecutum,* ſine adverbio *vere,* cum *vera* praecedat. Idem et Aldus excluſit. *H.*

Ego non excludam. Significanter Plinius, ſe *vere* perſequutum, quae *vera* audiverit. *S.*

XVII, 1 *in cuiusdam amici auditorio*) Rom. *in cuiusdam viri auditorio.* *H.*

nus apud te, quia non contigit coram, per epi-
2 ſtolam effundam. Recitabatur liber abſolutiſſimus: hunc duo aut tres, ut ſibi et paucis videntur, diſerti, ſurdis mutisque ſimiles audiebant. Non labra diduxerunt, non moverunt manum, non denique adſurrexerunt, ſaltem laſſitudine ſedendi.
3 Quae tanta gravitas? quae tanta ſapientia? quae immo pigritia, arrogantia, ſiniſteritas ac potius amentia, in hoc totum diem impendere, ut offendas, ut inimicum relinquas, ad quem tanquam
4 amiciſſimus veneris? Diſertior ipſe es? tanto magis ne invideris: nam qui invidet, minor eſt. Denique, ſive plus, ſive minus, ſive idem praeſtas, lauda vel inferiorem, vel ſuperiorem, vel parem. Superiorem, quia, niſi laudandus ille eſt, non potes ipſe laudari; inferiorem aut parem, quia pertinet ad tuam gloriam quam maximum videri,
5 quem praecedis vel exaequas. Equidem omnes, qui aliquid in ſtudiis faciunt, venerari etiam mi-

2 *labra diduxerunt)* Genera ſumma plauſus complectitur, vocis, manus, aſſurgendi, de quibus etiam 2, 10, 6. et 5, 3, 9. De reliquis pervulgatum. Adſurrectio magna alioquin venuſtae humanitatis pars, hic, puto, non tam ad ipſum honorem et plauſum, quam ad attentionem ſignificandam pertinet, quod tamen ipſum laudandi genus eſt. *G.*

non moverunt manum etc.) Rom. *moverunt non manus, denique non aſſurrexerunt. H.*

3 *ſiniſteritas)* Non tam ad malignam voluntatem refero, quam ad imperitiam illam *dexteritati* oppoſitam, qua quis non utitur, aut non recte utitur, remediis, ad finem, quem ipſe ſibi propoſuit, conſequendum: ut qui ſiniſtrae manus miniſterio utitur, (non a puero adſuefactus) ubi dextra opus erat. Sic illud *mens non laeva* apud poëtam non voluntatem, ſed vim intelligendi reſpicit. Ita apud Gellium 6, 2. *ſcaevitas, et voluntarius impetus*, iunguntur ut duae cauſſae actionum; non explicandi cauſſa ſibi adiiciuntur: nimirum eadem ratione, qua in prologo operis, ut nunc putatur (olim erat epilogus) *ſcaevitatem* et *invidentiam* iungit, alterum intellectus vitium, alterum voluntatis. *G.*

tanquam amiciſſimus veneris) Rom. *tanquam amiciſſimum veneris? H.*

Sic et Cortiana cum Gierigiana. Oppoſitio poſcit accuſativum. *S.*

4 *Diſertior ipſe es)* Rom. *Diſertior ipſe eſt*, pro *es*, quod verum. *H.*

Romani libri lectionem ſi praetulit Heuſingerus, erravit. Noſtram tuentur et additum *ipſe*, et ea, quae ſequuntur. *S.*

ſive idem praeſtas) Rom. *ſive idem praeſtat. H.*

non potes ipſe laudari) Rom. *non potes ille laudari*, pro *ipſe. H.*

rarique soleo. Est enim res difficilis, ardua, fastidiosa, et quae eos, a quibus contemnitur, dedignatur. Nisi forte aliud iudicas tu: quamquam quis uno te reverentior huius operis, quis benignior aestimator? Qua ratione ductus, tibi po- 6
tissimum indignationem meam prodidi, quem habere socium maxime poteram. Vale.

XVIII.

Promittit, Firmanorum se caussam acturum esse.

C. PLINIVS SABINO SVO S.

Rogas, ut agam Firmanorum publicam caussam; quod ego, quamquam plurimis occupationibus distentus, adnitar. Cupio enim et ornatissimam coloniam advocationis officio, et te gratissimo tibi munere obstringere. Nam quum familiaritatem 2
nostram, ut soles praedicare, ad praesidium ornamentumque tibi sumseris, nihil est, quod negare debeam, praesertim pro patria petenti. Quid enim precibus aut honestius piis aut efficacius amantis? Proinde Firmanis tuis, ac iam potius nostris, ob- 3
liga fidem meam; quos labore et studio meo dignos cum splendor ipsorum, tum hoc maxime pollicetur, quod credibile est optimos esse, inter quos tu talis exstiteris. Vale.

5 *Est enim res* etc.) Facere aliquid in studiis difficile arduumque: ut mirum non sit, insignes hac laude homines simul fastidiosos esse. *S.*

a quibus contemnitur, dedignatur) Rom. *a quibus contemnitur, invicem contemnat. H.*

Praeferrem *dedignetur. S.*

quis benignior aestimator) Rom. *quis benignior attestator? H.*

6 *poteram*) Marklandus Epist. Crit. p. 48. *optaram.* sine caussa. *G.*

Rom. *maxime poteram*, ut alii bene ediderunt. *H.*

XVIII, 1 *occupationibus distentus)* Rom. *occupationibus distractus. H.*

2 *precibus — piis*) pro patria aliquid petentis: nam illud proprie pietatis est. *E.*

Gierigius ex Barthii coniectura *pii.* Non probo. Ἐμφατικώτερον *preces piae*, quam *preces pii. S.*

3 *inter quos tu talis exstiteris*) Rom. *inter quos talis exstiteris*, sine pronomine *tu. H.*

XIX.

Pretium agrorum crevisse scribit: quia candidati tertiam patrimonii partem in praedia Italica iussi sint impendere.

C. PLINIVS NEPOTI SVO S.

Scis tu accessisse pretium agris, praecipue sub-
urbauis? Caussa subitae caritatis, res multis
agitata sermonibus, proximis comitiis honestissi-
mas voces senatui expressit: CANDIDATI NE CON-
VIVENTVR, NE MITTANT MVNERA, NE PECVNIAS
2 DEPONANT. Ex quibus duo priora tam aperte,
quam immodice fiebant: hoc tertium, quamquam
3 occultaretur, pro comperto habebatur. Homul-
lus deinde noster, usus vigilanter hoc consen-
su senatus, sententiae loco postulavit, ut con-
sules desiderium universorum notum principi fa-
cerent, peterentque, sicut aliis vitiis, huic quo-
4 que providentia sua occurreret. Occurrit. Nam
sumtus candidatorum, foedos illos et infames, am-
bitus lege restrinxit: eosdem patrimonii tertiam
partem conferre iussit in ea, quae solo contine-
rentur, deforme arbitratus, ut erat, honorem pe-
tituros urbem Italiamque, non pro patria, sed
pro hospitio aut stabulo quasi peregrinantes habe-
5 re. Concursant ergo caudidati certatim: quidquid

XIX, 1 *proximis comitiis* etc.) Rom. *proximis comitiis honestissima voce senatus expressit. H.* Hoc genuinum puto, sic ut post *sermonibus* τελεία ponatur στιγμή. *S.*

ne pecunias deponant) Apud *sequestres* nempe, tum demum numerandas, cum suffragia tulissent candidati; ne accidat, quod factum esse apparet, ut adcepta pecunia homines suam tamen in suffragando (per tabellas praesertim) libertatem servarent. Vid. Viri docti ad Cic. divin. in Caec. c. 7. *G.*

3 *Homullus deinde* etc.) Rom. *C. Homullus deinde noster vigilanter usus rursus hoc consensu. H.*

providentia sua etc.) Rom. *prudentia sua occurreret: occurritque. H.*

4 *sed pro hospitio aut stabulo*) Rom. *sed de hospitio aut stabulo. H.*

5 *Concursant ergo* etc.) Malim sic interpungere: *Concursant ergo candidati: certatim, quidquid venale audiunt, emitant.* Placuit eadem interpunctio Catanaeo. *S.*

venale audiunt, emtitant; ut fint quoque plura venalia, efficiunt. Proinde, fi poenitet te Italico- 6
rum praediorum, hoc vendendi tempus tam hercule, quam in provinciis comparandi: dum iidem candidati illic vendunt, ut hic emant. Vale.

XX.

Narrat, quae ex Vefuvii incendio, cum matre Mifeni relictus, pertulerit.

C. PLINIVS CORNELIO TACITO SVO S.

Ais, te adductum literis, quas exigenti tibi de morte avunculi mei fcripfi, cupere cognofcere, quos ego Mifeni relictus (id enim ingreffus abruperam) non folum metus, verum etiam cafus pertulerim.

Quamquam animus meminiffe horret, — —
Incipiam.

Profecto avunculo, ipfe reliquum tempus ftudiis 2
(ideo enim remanferam) impendi: mox balineum,
coena, fomnus inquietus et brevis. Praeceflerat 3
per multos dies tremor terrae minus formidolofus, quia Campaniae folitus: illa vero nocte ita invaluit, ut non moveri omnia, fed everti crede-

emtitant; ut fint etc.) Rom. *emtitant, quoque fint pluris venalia, efficiunt.* Hoc comprobat et initium epiftolae, et finis, quo pretium agris acceffiffe adfirmat, eamque ob caufam Nepoti Italicorum praediorum vendendorum auctor eft. Cur ille venderet, minus caufae fuiffet, fi venalium numerum auxiffet. *H.*

XX, 1 *literis, quas*) Quae nunc funt 6, 16. *G.*

id enim ingreffus) Intellige, ad narrandum; refpicit enim verba f. 21. *Interim Mifeni ego et mater. Sed nihil* etc. Verba *Quamquam animus* funt Virg. Aen. 2, 12. *G.*

3 *illa vero nocte*) Auctiores funt hic libri quidam, fed iidem etiam vitiofi. Heinf. ad Ovid. Metam. 7, 492. ita concinnat, *Illa vero nocte ita invaluit, ut non folum caftella, verum etiam oppida omnia non moveri, fed everti crederentur.* Cortius hoc modo, *Illa vero nocte non folum caftella, verum etiam oppida moveri omnia et verti credebantur. Invafit in cubic.* ita enim legitur in Mediceo et aliis pro *irrumpit.* *G.*

Rom. *illa vero non moveri omnia, fed verti crederentur,* fine Mediceo additamento. *H.*

4 rentur. Irrumpit cubiculum meum mater: surgebam, invicem si quiesceret, excitaturus. Residimus in area domus, quae mare a tectis modico
5 spatio dividebat. Dubito constantiam vocare an imprudentiam debeam: agebam enim duodevicesimum annum. Posco librum Titi Livii, et quasi per otium lego, atque etiam, ut coeperam, excerpo. Ecce, amicus avunculi, qui nuper ad eum ex Hispania venerat, ut me et matrem sedentes, me vero etiam legentem videt, illius patientiam, securitatem meam corripit: nihilo segnius ego in-
6 tentus in librum. Iam hora diei prima, et adhuc dubius et quasi languidus dies: iam quassatis circumiacentibus tectis, quamquam in aperto loco, angusto tamen, magnus et certus ruinae me-
7 tus. Tum demum excedere oppido visum. Sequitur vulgus attonitum, quodque in pavore simile prudentiae, alienum consilium suo praefert, ingentique agmine abeuntes premit et impellit.
8 Egressi tecta consistimus. Multa ibi miranda, multas formidines patimur. Nam vehicula, quae produci iusseramus, quamquam in planissimo campo, in contrarias partes agebantur, ac ne lapidibus quidem fulta, in eodem vestigio quiescebant.
9 Praeterea mare in se resorberi, et tremore terrae quasi repelli videbatur. Certe processerat litus, multaque animalia maris in siccis arenis detinebat. Ab altero latere nubes atra et horrenda ignei spiritus tortis vibratisque discursibus rupta,

4 *Irrumpit cubiculum* etc.) Rom. *Irrumpit cubiculum meum mater, surgebam invicem, si quiescerem, excitaturus.* Recte *irrumpit*, non *invasit*, quod non admittendum: perperam *quiescerem*, pro *quiesceret*. Lege: *surgebam, in vicem, si quiesceret, excitaturus.* Ego surgebam iam, ac prius, quam illa irrumperet, excitaturus matrem in vicem, si illa quiesceret. *H.*

5 *an imprudentiam*) *Sic optimi quique libri: sic ipsa ratio postulat. Imprudenter ergo Monachi imprudentis commentum in quasdam editiones adsumtum. *G.* Sic et Rom. *H.*

nihilo segnius) Rom. *nihilo segnius*, ut editur: sed, ut facile apparet, *secius* legendum. Vid. ad lib. III. epist. XVIII. 10. *H.*

9 *animalia — arenis*) Rom. *animalia maris siccis arenis.* *H.*

tortis vibratisque) Prius verbum ad celeritatem, qualis est

in longas flammarum figuras dehifcebat: fulgori-
bus illae et fimiles et maiores erant. Tum vero 10
ille idem ex Hifpania amicus, acrius et inftantius,
Si frater, inquit, *tuus, fi tuus avunculus vivit,
vult effe vos falvos: fi periit, fuperftites voluit:
proinde quid ceffatis evadere?* Refpondimus, non
commiffuros, ut de falute eius incerti, noftrae
confuleremus. Non moratus ultra, proripit fe, 11
effufoque curfu periculo aufertur: nec multo poft
illa nubes defcendere in terras, operire maria.
Cinxerat Capreas et abfconderat: Mifeni quod
procurrit, abftulerat. Tum mater orare, hortari, 12
iubere, quoquo modo fugerem; poffe enim iuve-
nem: fe et annis et corpore gravem bene moritu-
ram, fi mihi cauffa mortis non fuiffet. Ego con-
tra, falvum me, nifi una, non futurum: deinde
manum eius amplexus, addere gradum cogo; pa-
ret aegre, incufatque fe, quod me moretur. Iam 13
cinis, adhuc tamen rarus: refpicio; denfa caligo
tergis imminebat, quae nos, torrentis modo infu-
fa terrae, fequebatur. *Deflectamus*, inquam, *dum
videmus, ne in via ftrati, comitantium turba in
tenebris obteramur.* Vix confederamus, et nox, 14
non quafi illunis aut nubila, fed qualis in locis
claufis lumine exftincto: audires ululatus femina-
rum, infantium quiritatus, clamores virorum: alii

telorum tormentis excufforum, pertinet: pofterius etiam ad motus oppofitos recurrentium quafi per vices angulorum, quos Galli *Sicfac* appellant. *G.*

Rom. *porrectis vibratisque difcurfibus. H.*

fulgoribus — fimiles — maiores) Notanda conftructio. *S.*

10 *Si frater, inquit* etc.) Rom. *Si frater, inquit, tuus, tuus avunculus. H.*

de falute eius incerti) Rom. *de falute illius incerti. H.*

Sic plerique libri: beneque praetulit Cortius. *S.*

14 *Vix confederamus — — nubila)* Rom. *Vix viam defe-rueramus, et nox, non quafi inlunis aut nubila. H.*

Al. *non qualis illunis aut nubila.* quod cum Cortio praefe-ram. *S.*

infantium quiritatus,) Non diffimulo, *quiritatus* a clamoribus fidem *Quiritium* implorantibus ductos, in infantibus mihi non vehementer probari. vid. Arntz. ad Paneg. 29, 3. ubi fere ad *queritatus* propendet. Interim *queritatus*, quod habent libri quidam, fufpectum facit forma infolita, et quod apud Valer. Max. etiam 9, 2, 1. *queritatus* habent, Cortio

parentes, alii liberos, alii coniuges vocibus requirebant, vocibus noſcitabant: hi ſuum caſum, illi ſuorum miſerebantur: erant qui metu mortis mortem precarentur. Multi ad deos manus tollere: plures, nusquam iam deos ullos, aeternamque illam et noviſſimam noctem mundo interpretabantur. Nec defuerunt, qui fictis mentitisque terroribus vera pericula augerent. Aderant, qui Miſeni fuiſſe, illud ruiſſe, illud ardere, falſo, ſed cre-

hic obſervante, libri quidam, ubi de militibus civium fidem implorantibus ſermo eſt. Quid igitur? Verbum quod certam adſtrictamque ſignificationem olim habuerat, ſequiori aetate translatum ad alia: quod conferenti loca in theſauro linguae Latinae allata, quem cum maxime recenſemus, apparebit. *G.*

Vid. Marc. Donatus ad Liv. 33, 28, 3. *S.*

noſcitabant) noſcebant: nihil amplius. Opponitur *requirebant.* Sic et Aeg. Forcellinus. *S.*

miſerebantur) Poterat uti hoc loco Burmannus ad Grat. Fal. Cyneg. 440. Sed praeſtat *miſerabantur* Cortii et Gierigii. *S.*

15 *nusquam iam deos ullos*) Dii gentiles enim rerum naturae fere illigati, cum ea ſimul pereunt et in chaos recidunt. Laudavit hic Buchnerus Sen. Thyeſt. 828.

Trepidant, trepidant pectora magno
Percuſſa metu, ne fatali
Cuncta ruina quaſſata labent:
Iterumque d e o s *hominesque premat*
Deforme chaos.

Addidit Cortius e Lucano 5, 636. *Noctem manes deis mixturam.* et e Virg. Georg. 1, 468. *aeternam*, quam *metuerunt ſecula, noctem.* *G.*

Miſeni fuiſſe, illud) *Cum viderem in quibusdam libris ita legi, *Aderant, qui Miſeni illud fuiſſe*, in aliis ita, *Ad. - - qui Miſeni illud ruiſſe:* utramque lectionem coniungendam putavi: ita certe idoneam ſententiam oriri, nemo temere negaverit. vid. Heuſing. Emendd. 2, 13. p. 315. *G.* Add. Gesneri ad I. A. Erneſtium epiſtola.

Rom. *Aderant, qui Miſeni illud ruiſſe, illud ardere.* Sic et Ald. ſatis bene: Cort. et quidam alii, *illud fuiſſe.* An utrumque ſcripſit Plinius? *qui Miſeni fuiſſe, illud ruiſſe, illud ardere, falſo, ſed credentibus nuntiabant.* At omnes Miſeni fuerant, omnes paullo ante pariter inde egreſſi erant, ut non opus ſit, aliquos *Miſeni fuiſſe* dici. Si qui diutius morati ibi nunc demum veniebant, non hos magis falſi rumoris auctores fuiſſe credibile eſt, quam alios, qui, quae non viderant, ſuſpicabantur. *Illud* vero non ad Miſenum refero, ſed ita intelligo, ut vicarium ſit ſubſtantivi, quod non nominatur: quale eſt apud nos *das und das Haus*, apud Gallos *tel et tel palais.* Liv. lib. I. c. XXXII. 7. *Si ego iniuſte impieque illos homines illasque res dedier nuntio populi R. mihi expoſco.* Si hoc exemplum non placet, audi ipſum Plin. lib. I. ep. 9. *Ille me ad ſignandum teſtamentum, ille in advocationem, ille in conſilium rogavit.* Idem paneg. c. IIII. *Enituit aliquis in bello, ſed obſolevit in pace: alium*

dentibus nuntiabant. Paullum reluxit; quod non 16
dies nobis, sed adventantis ignis indicium videbatur: et ignis quidem longius substitit: tenebrae
rursus, cinis rursus multus et gravis. Hunc identidem adsurgentes excutiebamus: operti alioqui,
atque etiam oblisi pondere essemus. Possem glo- 17
riari, non gemitum mihi, non vocem parum fortem in tantis periculis excidisse, nisi me cum
omnibus, omnia mecum perire, misero, magno
tamen mortalitatis solatio credidissem. Tandem 18
illa caligo tenuata quasi in fumum nebulamve decessit: mox dies vere, sol etiam effulsit, luridus
tamen, qualis esse, quum deficit, solet. Occursabant trepidantibus adhuc oculis mutata omnia,
altoque cinere, tanquam nive, obducta. Regressi 19
Misenum, curatis utcunque corporibus, suspensam dubiamque noctem spe ac metu exegimus: metus
praevalebat. Nam et tremor terrae perseverabat, et plerique lymphati terrificis vaticinationibus et
sua et aliena mala ludificabantur. Nobis tamen 20
ne tunc quidem, quamquam et expertis periculum, et exspectantibus, abeundi consilium, donec de avunculo nuntius. Haec, nequaquam historia

toga, sed non et arma honestarunt: reverentiam ille terrore, alius amorem humanitate captavit: ille quaesitam domi gloriam in publico, hic in publico partam domi perdidit. Vide Schwarz. ad Tursell. de partic. c. CV. n. 14. p. 390. *H.*

Seneca epist. 93. init. *Quare ille in medio cursu raptus est? quare ille non rapitur? S.*

16 *Paullum reluxit)* Rom. *Paululum reluxit.* Deinde, *Tenebrae rursus, cinis multus et gravis. H.*

operti alioqui etc.) Rom. *operti alioqui atque de coelo oblisi pondere essemus. H.*

17 *misero, magno tamen — solatio)* Saepe admodum illo utitur Cicero, cum negat vel periculum amico instare, quod non sit commune omnibus, vel separatam a reliquis fortunam alicui expetendam. Vide verbi caussa primas aliquot libri sexti. Igitur Plinius hac se communi desperatione quasi obriguisse, non spe aliqua sustentasse, fatetur. *G.*

18 *in fumum nebulamve decessit)* Rom. *in fumum nebulamve discessit. H.*

Praefero *discessit. S.*

mox dies etc.) Rom. *Mox dies, sol etiam.* Nec *verus* nec *vere* legitur. *H.*

20 *Nobis tamen ne tunc quidem)* Sic et Rom. *H.*

quamquam et expertis etc.) Rom. *quanquam expertis periculum et ea spectantibus. H.*

Haec, nequaquam) Gruterus

digna, non ſcripturus leges, et tibi, ſcilicet qui requiſiſti, imputabis, ſi digna ne epiſtola quidem videbuntur. Vale.

XXI.

Verginii Romani probitatem et doctrinam, praeſertim in comoedia ſcribenda, laudat.

C. PLINIVS CANINIO SVO S.

Sum ex iis, qui mirer antiquos: non tamen, ut
quidam, temporum noſtrorum ingenia deſpicio.
Neque enim quaſi laſſa et effoeta natura, ut nihil
2 iam laudabile pariat. Atque adeo nuper audii
Verginium Romanum paucis legentem comoediam,
ad exemplar veteris comoediae ſcriptam, tam be-
3 ne, ut eſſe quandoque poſſit exemplar. Neſcio,
an noris hominem, quamquam noſſe debes. Eſt
enim probitate morum, ingenii elegantia, operum
4 varietate monſtrabilis. Scripſit mimiiambos tenui-
ter, argute, venuſte, atque in hoc genere elo-
quentiſſime. Nullum eſt enim genus, quod, ab-

haec interpolata putat, legendumque brevius, *Haec nequaquam hiſtoria digna: tibi imputabis, ſi digna neque epiſtola videbuntur.* G.

Nimia quidem haec Gruteri brevitas eſt; ſed acute is tamen ſenſit, locum non ſatis emendatum. Cum ſenſus pateat, exſpectare poſſumus, dum ex aliquo Codice vel edito libro ſaniora proferantur. *E.*

XXI, 1 *Sum ex iis, qui mirer)* Haec ferri non poſſunt. Leg. *Sum ex iis, qui mirantur.* Neglecta a librariis, id quod millies accidit, nota terminationis *ur,* (vid. Drakenb. ad Liv. 10,10,1.) tumque extritis literis *ant*, quod proximum vocabulum iisdem inciperet, *mir* relictum imperitus homo explicare ita conatus eſt, ut Secundo ſoloeciſmum obtruderet. *S.*

Neque enim quaſi etc.) Rom. *Neque enim quaſi laſſa et effeta natura nihil tam* [pro *iam*] *laudabile parit.* Hoc rotundius eſt. *H.*

2 *Verginium Romanum)* Rom. *Virgilium Romanum.* Proxime, *ad exemplum veteris comoediae:* poſtea vero in fine *exemplar.* *H.*

4 *Scripſit mimiiambos)* Sic et Rom. *H.*

Nullum eſt enim) Excuſat, quod *mimiiambos*, genus verſuum humile, ſenariolos, quibus mimi in theatro utuntur ad actiones hominum et vitas, praeſertim qua ridiculae ſunt, exprimendas,

solutum, non possit eloquentissimum dici. Scri-
psit comoedias, Menandrum aliosque aetatis eius-
dem aemulatus. Licet has inter Plautinas, Te-
rentianasque numeres. Nunc primum se in vetere 5
comoedia, sed non tanquam inciperet, ostendit.
Non illi vis, non granditas, non subtilitas, non
amaritudo, non dulcedo, non lepos defuit. Or-
navit virtutes, insectatus est vitia, fictis nomini-
bus decenter, veris usus est apte. Circa me tan- 6
tum benignitate nimia modum excessit; nisi quod
tamen poëtis mentiri licet. In summa, extorque- 7
bo ei librum, legendumque, immo ediscendum,
mittam tibi. Neque enim dubito futurum, ut
non deponas, si semel sumseris. Vale.

XXII.

Tironem, provinciam sortitum, exemplo Bruttiani, a familiari suo accusati, monet, ne cuiquam nimis fidat.

C. PLINIVS TIRONI SVO S.

Magna res acta est omnium, qui sunt provinciis
praefuturi, magna omnium, qui se simpliciter
credunt amicis. Lustricus Bruttianus quum Mon- 2
tanum Atticinum, comitem suum, in multis flagi-

eloquentissime scriptos dixerat. Scilicet *eloquentissimum* dici posse, quidquid in suo genere absolutum et perfectum est. *G.*

5 *non tanquam inciperet)* Haec adiicit, ne quis *primum* perverse interpretetur *recentem, rudem,* atque *tironem;* cum ipse tempus modo indicare velit, ante quod in hoc genere non elaborarit. *G.*

Rom. *in veteri comoedia, sed non tanquam incipiat. H.*

decenter — apte) Vide, quae notamus de his adverbiis ad 5, 19, 3. *G.*

6 *nisi quod tamen poëtis)* Rom. *nisi tamen quod poëtis. H.*

Noster ordo genuinus. Infra 8, 17, 6. *Nam parvulum differt, patiaris adversa, an exspectes; nisi quod tamen est dolendi modus, non est timendi.* Add. Panegyr. 91, 7. *S.*

XXII, 1 *Magna res acta est)* Rom. *Magna res est acta. H.*

2 *Montanum Atticinum)* Rom. *Montantium Attacinium.* Scribe *Montanum Attacinum:* quod cognomen notum est. *H.*

tiis deprehendiſſet, Caeſari ſcripſit. Atticinus flagi-
tiis addidit, ut, quem deceperat, accuſaret. Re-
cepta cognitio eſt: fui in conſilio: egit uterque
pro ſe; egit autem carptim, et *κατὰ κεφάλαια*,
3 quo genere veritas ſtatim oſtenditur. Protulit
Bruttianus teſtamentum ſuum, quod Atticini ma-
nu ſcriptum eſſe dicebat. Hoc enim et arcana
familiaritas, et querendi de eo, quem ſic amaſ-
4 ſet, neceſſitas indicabatur. Enumeravit crimina
foeda manifeſtaque. Ille, quum diluere non poſ-
ſet, ita regeſſit, ut, dum defenditur, turpis, dum
accuſat, ſceleratus probaretur. Corrupto enim
ſcribae ſervo, interceperat commentarios, interci-
deratque, ac per ſummum nefas utebatur adver-
5 ſus amicum crimine ſuo. Fecit pulcherrime Cae-
ſar. Non enim de Bruttiano, ſed ſtatim de At-
ticino perrogavit. Damnatus et in inſulam rele-
gatus: Bruttiano iuſtiſſimum integritatis teſtimo-

carptim, et etc.) Rom. *carptim et κατὰ κεφήλιον, quo genere varietas. H.*

κατὰ κεφάλαια) Sic dicta ſunt rhetoribus praecipua orationis momenta aut argumenta, quibus cauſſa vel defenſio niteretur. His nullus ornatus verborum, nullum artificium dicendi adiungitur, quibus iudex moveri vel inclinari poſſit, ſed omnia cauſſae momenta nude et ſimpliciter ponuntur. Itaque recte Plinius addit, *eo genere veritatem ſtatim oſtendi.* Sic Plutarch. Tib. Gr. 16. *κεφάλαια δικαιολογίας* commemorat: eodemque ſenſu apud Lucian. Prometh. p. 69. ed. Schmieder. *τὰ κεφάλαια* opponuntur *μακροῖς λόγοις* et *τῇ λόγων παρασκευῇ*. Cf. quae in Lex. technol. rhet. gr. v. *κεφάλαιον* et *παρασκευὴ* copioſius diximus. *E.*

4 *quum diluere* etc.) Rom. *cum diluere non poſſet, ita ſe geſſit.* Cur hoc Conio minus placet, quam *receſſit?* quod, etſi ex Mediceo, non tamen a Plinio eſt. Non enim ex iudicio *recedit*, qui *defenditur*, qui *accuſat*, ſed qui abſolvitur damnaturve. *H.*

interciderat) Qui norit, quid ſit apud ruſticos *interradere, intervellere*, nempe, inter plura eiusdem generis eradere quaedam vel evellere; idem etiam *intercidere* quid ſibi velit, facile intelliget, nimirum de commentariis hinc inde aliquid excidere et quaſi caſtrare, quod hic fecit Atticinus, tum ut ſcripto ſuo convinceret de quibusdam Bruttianum, tum ut probandi quaedam facultatem illi adimeret. Sic utebatur adverſus amicum crimine ſuo h. e. inſtrumentis, quae produci non poterant, quin perfidia ipſius una proferretur. *G.*

5 *de Atticino perrogavit*) Sententias et ſuffragia omnium a primo ad ultimum rogavit, ut damnatus ante Atticinus iam neminem, niſi fortunas ſuas et ſcelus accuſare poſſet. *G.*

Rom. *de Auacinio pronuntiavit. H.*

nium redditum, quem quidem etiam conſtantiae gloria ſecuta eſt. Nam defenſus expeditiſſime, 6
accuſavit vehementer; nec minus acer, quam bonus et ſincerus apparuit. Quod tibi ſcripſi, 7
ut te ſortitum provinciam praemonerem, plurimum tibi credas, nec cuiquam ſatis fidas: deinde ſcias, ſi quis forte te, quod abominor, fallat, paratam ultionem: qua tamen ne ſit opus, etiam atque etiam attende. Neque enim tam iucundum 8
eſt vindicare, quam decipi miſerum. Vale.

XXIII.

Cauſſae defenſionem, quam rogatus fuerat, ea lege promittit, ut Ruſo adoleſcens, quem in forum producturus erat, ſecum ageret.

C. PLINIVS TRIARIO SVO S.

Impenſe petis, ut agam cauſſam pertinentem ad curam tuam, pulchram alioquin et famoſam. Faciam, ſed non gratis. *Qui fieri poteſt,* inquis, *ut non gratis tu?* Poteſt. Exigam enim mercedem honeſtiorem gratuito patrocinio. Peto, atque 2
etiam paciſcor, ut ſimul agat Cremutius Ruſo. Solitum hoc mihi, et iam in pluribus claris adoleſcentibus factitatum. Nam mire concupiſco bonos iuvenes oſtendere foro, adſignare famae.

7 *ſatis fidas)* Non puto opus eſſe, ut *ſatis* hic dicamus idem eſſe quod *valdè* vel *nimis* adeo: ne *fidas*, quantum *ſatis* eſt ad hoc, ut fallaris. *G.*

XXIII inſcr. Rom. *Triario Traiano*, duobus ex uno nomine factis. *H.*

1 *alioquin)* Vid. ad 2, 15, 2. *S.*

ut non gratis tu?) Qui in cauſſis agendis non modo pactione, dono, munere, verum etiam xeniis ſemper abstinueris 5, 14, 8. *G.*

Rom. *ut non gratis. Tu potes, exigam.* Ita et Ald. *H.*

2 *Cremutius Ruſo)* Rom. *Cremutius Rufo. H.*

Solitum hoc mihi etc.) Rom. *Solitum hoc mihi et in pluribus*, ſine *tam. H.*

adſignare famae) admovere iis locis, unde famam probitatis et doctrinae colligere poſſint. *E.*

3 Quod ſi cui, praeſtare Ruſoni meo debeo; vel
propter natales ipſius, vel propter eximiam mei
caritatem: quem magni aeſtimo in iisdem iudiciis,
4 ex iisdem etiam partibus, conſpici, audiri. Ob-
liga me: obliga antequam dicat; nam quum di-
xerit, gratias ages. Spondeo, ſolicitudini tuae,
ſpei meae, magnitudini cauſſae ſuffecturum. Eſt
indolis optimae, brevi producturus alios, ſi inte-
5 rim provectus fuerit a nobis. Neque enim cui-
quam tam clarum ſtatim ingenium eſt, ut poſſit
emergere, niſi illi materia, occaſio, fautor etiam
commendatorque contingat. Vale.

XXIV.

Famam in factis conditionem facientium ſequi, exemplo municipis feminae, quae marito dux et comes mortis fuerat, oſtendit.

C. PLINIVS MACRO SVO S.

Quam multum intereſt, quid a quo fiat! Eadem
enim facta claritate vel obſcuritate facientium aut
tolluntur altiſſime, aut humillime deprimuntur.
2 Navigabam per Larium noſtrum, quum ſenior
amicus oſtendit mihi villam, atque etiam cubicu-
lum, quod in lacum prominet. *Ex hoc*, inquit,
aliquando municeps noſtra cum marito ſe praeci-
3 *pitavit.* Cauſſam requiſivi. *Maritus ex diutino*

3 *Ruſoni meo)* Rom. *Ruſoni meo. H.*

ex iisdem etiam partibus) Ut vel una accuſet, vel una defendat, ubi favere illi, ſublevare, laudare illum, teſtimonium ei perhibere liceat: cum, ſi a diverſa parte agat, oppugnandus ſit omnibus machinis pro fide patrocinii. *G.*

4 *magnitudini cauſſae ſuffecturum)* Rom. *magnitudini cauſae effecturum*, male. *H.*

XIV, 1 *quid a quo fiat*) Rom. *quid a quoque fiat. H.*

2 *Larium noſtrum*) Cui patria noſtra, Comum, adiacet. *G.*

3 *Maritus ——— minor eſt ipſa)* Gesnerus haec pro narratione habuit ſenioris illius amici: mihi ipſius verba Plinii videntur, ſcribentis Macro quae a ſuo municipe audiverat. *S.*

morbo circa velanda corporis ulceribus putrefcebat: uxor, ut infpiceret, exegit: neque enim quemquam fidelius indicaturum, poffetne fanari. Vidit, 4
defperavit: hortata eft, ut moreretur, comesque ipfa mortis, dux immo, et exemplum, et neceffitas fuit. Nam fe cum marito ligavit, abiecitque in lacum. Quod factum ne mihi quidem, qui 5
municeps, nifi proxime auditum eft; non quia minus illo clariffimo Arriae facto, fed quia minor eft ipfa. Vale.

XXV.

De Robufto, qui peregre profectus difparuerat, promittit fe quaefiturum effe: ex fimili autem exemplo timet, ne fruftra fit.

C. PLINIVS HISPANO SVO S.

Scribis, Robuftum, fplendidum equitem Romanum, cum Attilio Scauro, amico meo, Ocriculum usque commune iter peregiffe, deinde nusquam comparuiffe: petis, ut Scaurus veniat, nosque, fi poteft, in aliqua inquifitionis veftigia inducat. Veniet; vereor ne fruftra. Sufpicor enim 2
tale nefcio quid Robufto accidiffe, quale aliquando Metilio Crifpo, municipi meo. Huic ego 3

fidelius indicaturum) "Sic legendum ex Mediceo libro potius, quam *iudicaturum*. In hac enim re non tam eft, quod *iudicium* corrumpat, quam quod retrahat aliquem a *fideli indicio*. Videt medicus, videt familiaris et iudicat, fanari non poffe ulcus: recte *iudicat* Agrippa, curari non poffe fiftulam putrem Attici: fed tamen non *fideliter indicat*, quia mavult amico, Attico, vel ad horas aliquot vitam prorogare. In fimillima cauffa *quemquam fidelius indicaturum* negat uxor; quod eventus etiam comprobavit. *G.*

Rom. *fidelius indicaturum: vidit, fanari defperavit, hortata ut moreretur. H.*

5 *fed quia minor eft ipfa*) Rom. *fed quia minor ipfa. H.*

XXV infcr. Rom. *Vipfano. H.*

1 *cum Attilio Scauro*) Rom. *cum Atilio Scauro. H.*

2 *Veniet; vereor ne fruftra*) Rom. *Veniat? Vereor ne fruftra. H.*

Metilio Crifpo) Rom. *Mecilio Crifpo. H.*

ordines impetraveram, atque etiam proficiſcenti
quadraginta millia nummum ad inſtruendum ſe
ornandumque donaveram; nec poſtea aut epiſto-
las eius, aut aliquem de exitu nuntium accepi.
4 Interceptusne ſit a ſuis, an cum ſuis, dubium:
certe non ipſe, non quiſquam ex ſervis eius ap-
paruit. Utinam ne in Robuſto idem experiamur!
5 Tamen arceſſamus Scaurum. Demus hoc tuis,
demus optimi adoleſcentis honeſtiſſimis precibus,
qui pietate ſumma, mira etiam ſagacitate, patrem
quaerit. Dii faveant, ut ſic inveniat ipſum, quem-
admodum iam, cum quo fuiſſet, invenit! Vale.

XXVI.

Gratulatur Serviano generum.

C. PLINIVS SERVIANO SVO S.

Gaudeo, et gratulor, quod Fuſco Salinatori fi-
liam tuam deſtinaſti. Domus patricia; pater ho-
neſtiſſimus; mater pari laude. Ipſe eſt ſtudio-
ſus, literatus, etiam diſertus: puer ſimplicitate,
comitate iuvenis, ſenex gravitate: neque enim
2 amore decipior. Amo quidem effuſe (ita officiis,

3 *ordines*) Legitur etiam *ordinem*, quod ipſum quoque rectum eſſe, et non minus quam *ordines* militarem aliquem gradum notare, hic oſtendit Cortius. Ad centurionatum, et primi praeſertim pili, pertinere, alias obſervamus. *G.*

quadraginta millia n.) Sic et Rom. recte. *H.*

Satis pecuniae ad inſtruendum ornandumque centurionem. Al. male *quadringenta m. n.* *S.*

4 *Interceptusne ſit a ſuis*) Necatusne ſit a ſervis ſuis. Tacitus Vit. Agric. cap. 43. *Augebat miſerationem conſtans rumor, veneno interceptum.* *S.*

Utinam ne in Robuſto) Rom. *Utinam ne Robuſto*, ſine *in*. *H.*

5 *qui pietate ſumma etc.*) Rom. *qui pietate mira etiam ſagacitate.* *H.*

Sic et alii, ſemel poſito adiectivo, quod iterandum erat. Nimirum Mediceus: *qui pietate mira, mira etiam ſagacitate.* quam lectionem Cortius et Gierigius adſciverunt. *S.*

XXVI, 1 *Ipſe eſt ſtudioſus*) Sic et Rom. *H.*

Praeſtat Cortii *Ipſe ſtudioſus.* *S.*

ſenex gravitate) Rom. *gravitate ſenex.* *H.*

Praefero noſtrum ordinem. *S.*

ita reverentia meruit) iudico tamen, et quidem tanto acrius, quanto magis amo: tibique, ut qui exploraverim, ſpondeo, habiturum te generum, quo melior fingi, ne voto quidem, potuit. Supereſt, ut avum te quam maturiſſime ſimi- 3
lium ſui faciat. Quam felix tempus illud, quo mihi liberos illius, nepotes tuos, ut meos vel liberos vel nepotes, ex veſtro ſinu ſumere, et quaſi pari iure tenere continget! Vale.

XXVII.

Rogantem deſignatum conſulem, quid in laudem principis adferret, docet exemplo ſuo, quid faciendum: addit et novam ex novis rebus geſtis materiam.

C. PLINIVS SEVERO SVO S.

Rogas, ut cogitem, quid deſignatus conſul in honorem principis cenſeas. Facilis inventio, non facilis electio. Eſt enim ex virtutibus eius larga materia. Scribam tamen, vel, quod malo, coram indicabo, ſi prius haeſitationem meam oſtendero. Dubito, num idem tibi ſuadere, quod mihi, de-

2 *iudico tamen*) Rom. *iudicio tamen. H.*

tibique, ut qui exploraverim) Rom. *tibi quidem, ut qui exploraverim. H.*

3 *ſimilium ſui faciat*) Rom. *ſimillimum ſui faciat*, quod ex *ſimilium* factum facile quisque concedet. *H.*

XXVII. 1 *cenſeas*) Tanquam primam ſententiam dicas in Senatu. Deſignatus enim Conſul primus rogatur ſententiam: porro qui dicit ſententiam, ille *cenſere* dicitur, cui verbo eo magis hic locus eſt, quia in tali ſententia fere honor aliquis novus, ſtatua, titulus, templum, triumphus, decernitur. Denique Plinianus Panegyricus non a deſignato Conſule, ſed initio iam magiſtratu, auctoritate Senatus habitus eſt. *G.*

Monentur haec contra Cellarium, qui de ſolenni gratiarum actione, qualis Plinianus Panegyricus eſt, hic cogitavit. *S.*

Scribam tamen) *Sic reſtituit ex Mediceo libro, cui alii adſtipulantur, Cortius. Vulgo legebatur, *materia; tamen, quod malo quidem, indicabo. G.*

Etiam Rom. *Scribam tamen, vel, quod malo, coram indicabo. H.*

Dubito, num etc.) Rom. *Non dubito idem tibi ſuadere, quod mihi debeam. H.*

2 beam. Designatus ego consul, omni hac, etsi
non adulatione, specie tamen adulationis, absti-
nui: non tanquam liber et constans, sed tanquam
intelligens principis nostri: cuius videbam hanc
esse praecipuam laudem, si nihil quasi ex necessi-
3 tate decernerem. Recordabar etiam, plurimos
honores pessimo cuique delatos; a quibus hic opti-
mus separari non alio modo magis poterat, quam
diversitate censendi: quod ipsum dissimulatione et
silentio non praeterii, ne forte non iudicium illud
4 meum, sed oblivio videretur. Hoc tunc ego:
sed non omnibus eadem placent, nec conveniunt
quidem. Praeterea, faciendi aliquid vel non fa-
ciendi vera ratio cum hominum ipsorum, tum re-
5 rum etiam ac temporum conditione mutatur. Nam
recentia opera maximi principis praebent faculta-
tem nova, magna, vera censendi: quibus ex caus-
sis, ut supra scripsi, dubito, an idem nunc tibi,
quod tunc mihi, suadeam. Illud non dubito,
debuisse me in parte consilii tui ponere, quod
ipse fecissem. Vale.

2 *ex necessitate decernerem)* Rom. *ex necessitate decerneret.* *H.*

3 *separari non alio modo* etc.) Rom. *seperari* [ita scriptum] *non alio magis poterat*, sine *modo.* *H.*

Plurimorum librorum auctoritate omisit *modo* Cortius, quem Gierigius secutus est. *S.*

silentio non praeterii) Hoc ita intelligo. Designatus Consul Secundus interrogatus a Consule Senatum habente, *Quid censes, Secunde?* exordio tali usus est, uti diceret, *se studio abstinere hic a laudibus principis, et uti felicitate temporum, qua etiam de veris decoribus Imperatoris tacere liceat* etc. *G.*

Rom. *quod ipsum non dissimulatione et silentio praeterii.* *H.*

Genuinus ordo libri Romani. *S.*

4 *nec conveniunt)* Malim, *ne conveniunt:* prima vocis posterioris litera temere adhaesisse videtur praecedenti. *G.*

Dubito de necessitate mutationis. *Nec — quidem* hic est *et ne — quidem.* *S.*

faciendi aliquid etc.) Rom. *faciendi aliquid non faciendive.* *H.*

cum hominam ipsorum) Rom. *cum ipsorum hominum.* Deinde *conditio mutatur*, σολοικῶς. *H.*

5 *quibus ex caussis)* Rom. *Quibus ex causis.* Hoc novae sententiae initium, idque et Ald. voluit. *H.*

Post *censendi* plene distinguendum. *S.*

in parte etc.) Rom. *in partes consilii tui ponere, quid ipse.* *H.*

quod ipse fecissem) Hic abrumpit, et ipsum consilium in il-

XXVIII.

Excusationem illius admittit; fructus quos miserat, moderandos in posterum, denuntiat.

C. PLINIVS PONTIO SVO S.

Scio, quae tibi caussa fuerit impedimento, quo minus praecurrere adventum meum in Campaniam posses: sed, quamquam absens, totus huc migrasti. Tantum mihi copiarum tam urbanarum quam rusticarum nomine tuo oblatum est, quas omnes improbe quidem, accepi tamen. Nam me tui, 2
ut ita facerem, rogabant; et verebar, ne et mihi et illis irascereris, si non fecissem. In posterum, nisi adhibueris modum, ego adhibebo. Etiam tuis denuntiavi, si rursus tam multa adtulissent, omnia relaturos. Dices, oportere me tuis rebus ut meis 3
uti: etiam; sed perinde illis ac meis parco. Vale.

XXIX.

Quadratum monet tum Thraseae dicto, tum suo exemplo, quae caussae agendae sint.

C. PLINIVS QVADRATO SVO S.

Avidius Quietus, qui me unice dilexit, et, quo non minus gaudeo, probavit, ut multa alia Thra-

lud tempus reiicit, quo coram suadere possit. Hinc confirmatur emendatio supra proposita, in verbis *coram indicabo*. G.

XXVIII, 1 *tam urbanarum quam rusticarum.* Sic et Rom. *H.*

Medic. *qua urbanarum, qua rusticarum.* quod verum puto; recepitque Cortius cum Gierigio. Vid. Drakenb. ad Liv. 2, 35, 4. *S.*

quas omnes etc.) Rom. *quas omnes improbe, accepi tamen,* ut et Ald. Infra epist. XXVIIII. 3. *Ad haec ego genera caussarum, ambitiose fortasse, addam tamen.* Lib. VII. ep. XXX. 4. *Quibus ex caussis precario studeo: studeo tamen.* Lib. VIIII. epist. XXV. 3. *Nunc me rerum actus modice, sed tamen distringit.* Fortasse scripsit *improbe accepi, accepi tamen.* *H.*

2 *ego adhibebo* etc.) Rom. *ego adhibebo: tuis denuntiavi.* *H.*

XXIX, 1 *ut multa alia* etc.) Rom. *ut multa alia (fuit enim Thraseae familiaris) ita hoc saepe.* *H.*

ſcae (fuit enim familiaris) ita hoc ſaepe referebat,
praecipere ſolitum, ſuſcipiendas eſſe cauſſas, aut
amicorum, aut deſtitutas, aut ad exemplum per-
2 tinentes. Cur amicorum? Non eget interpreta-
tione. Cur deſtitutas? Quod in illis maxime et
conſtantia agentis et humanitas cerneretur. Cur
pertinentes ad exemplum? Quia plurimum refert,
3 bonum an malum induceretur. Ad haec ego ge-
nera cauſſarum, ambitioſe fortaſſe, addam tamen
claras et illuſtres. Aequum enim eſt agere non
nunquam gloriae et famae, id eſt, ſuam cauſſam.
Hos terminos, quia me conſuluiſti, dignitati ac
4 verecundiae tuae ſtatuo. Nec me praeterit, uſum
et eſſe et haberi optimum dicendi magiſtrum.
Video etiam, multos parvo ingenio, literis nullis,
5 ut bene agerent, agendo conſequutos. Sed et
illud, quod vel Pollionis, vel tanquam Pollionis
accepi, veriſſimum experior: *Commode agendo
factum eſt, ut ſaepe agerem: ſaepe agendo, ut*

aut deſtitutas etc.) Rom. *aut deſtitutas ad exemplum pertinentes*, ſine *aut*, quod vero neceſſarium eſt. *H.*

deſtitutas) periculoſas et derelictas ab aliis propter difficultatem et alia incommoda. Ergo qui has nihilominus ſuſcipit, *conſtantiam* ſimul et *humanitatem* oſtendit, illam, quia nullum periculum, nullam moleſtiam metuit, hanc, quia putat amicos [non hos ſolum, ſed omnino alios. *S.*] etiam cum invidiae periculo, et commodorum iactura defendendos et adiuvandos eſſe. *E.*

ad exemplum pertinentes) h. e. utiles lecturis vel audituris exempli inſtar. *E.*

Immo maius quiddam indicatur. Explicat mox ipſe Plinius. *S.*

2 *Quia plurimum refert*) Sic et Rom. Ald. *referet*, pro *referret*, quod merito revocatum eſt. *H.*

A Cortio, quem Gierigius iure ſequitur. Miror, Geſnerum *refert* ferre potuiſſe. *S.*

bonum an malum induceretur) Rom. *bonum an malum diceretur*, corrupte. *H.*

3 *Aequum enim eſt*) Praeſtaret hic ordo: *Aequum eſt enim.* Mox *gloriae*, *famae*, genitivi ſunt. *S.*

gloriae et famae etc.) Rom. *gloriae et famae idem dignitati ac verecundiae tuae ſtatui.* Multa omiſſa ſunt, quia, ut Cortius putat, in libris fuit: *id eſt* [ex hoc factum *idem*] *ſuam cauſam. Hos terminos, quia me conſuluiſti, item dignitati ac verecundiae tuae ſtatuo.* Ita apparet, quae omiſſionis cauſa fuerit. *H.*

4 *uſum et eſſe et haberi*) Rom. *uſum eſſe et haberi.* *H.*

5 *vel tanquam* etc.) Rom. *vel tanquam Pollionis tanquam veriſſimum.* *H.*

minus commode: quia ſcilicet aſſiduitate nimia
facilitas magis quam facultas, nec fiducia, ſed
temeritas, paratur. Nec vero Iſocrati, quo minus 6
haberetur ſummus orator, offecit, quod infirmitate
vocis, mollitie frontis, ne in publico diceret, im-
pediebatur. Proinde multum lege, ſcribe, medi-
tare, ut poſſis, quum voles, dicere; dices, quum
velle debebis. Hoc fere temperamentum ipſe
ſervavi. Non nunquam neceſſitati, quae pars ra- 7
tionis eſt, parui. Egi enim quasdam a ſenatu
iuſſus, quae tertio in numero fuerunt ex illa Thra-
ſeae diviſione, hoc eſt, ad exemplum pertinentes.
Adſui Baeticis contra Baebium Maſſam. Quaeſi-
tum eſt, an danda eſſet inquiſitio: data eſt. Ad- 8
fui rurſus iisdem querentibus de Caecilio Claſſico.
Quaeſitum eſt, an provinciales, ut ſocios mini-
ſtrosque proconſulis, plecti oporteret: poenas
luerunt. Accuſavi Marium Priſcum; qui lege 9
repetundarum damnatus, utebatur clementia legis,
cuius ſeveritatem immanitate criminum exceſſerat:
relegatus eſt. Tuitus ſum Iulium Baſſum, ut in- 10
cuſtoditum nimis et incautum, ita minime ma-
lum: iudicibus acceptis in ſenatu remanſit. Dixi 11
proxime pro Vareno, poſtulante, ut ſibi invicem

facilitas magis etc.) Rom. *facilitas magis quam doctrina, nec fiducia. H.*

6 *offecit, quod* etc.) Rom. *effecit, quod infirmitate vocis, mollitia frontis. H.*

mollitie frontis) timiditate; quod in fronte hominis manifeſta animi, praecipue pudoris vel impudentiae indicia eſſe putantur. Cicero in Iſocrate *pudorem* et *timiditatem ingenuam* dixit. *E.*

dices, quum velle debebis) Rom. *dices cum velle debebis. H.*

7 *quae tertio* etc.) Rom. *quo tamen in numero fuerunt ex illa Thraſeae diviſione, hoc eſt.* Cellariana lectio a Caſaubono excogitata eſt. *H.*

Non debebat eam Gesnerus retinere. Unice verum, quod liber Romanus cum ceteris omnibus exhibet. *fuerunt* ſcil. aliquot. *S.*

Adſui Baeticis) Vid. 3, 4, 4. et 7, 33. de *Caecilio Claſſico* 3, 4, 2. de *Mario Priſco* 2, 11. de *Iulio Baſſo* 4, 9. *pro Vareno* 5, 20. *G.*

10 *ut incuſtoditum* etc.) Rom. *ut incuſtoditum et minus cautum. H.*

Vera haec lectio videtur. *S.*

11 *invicem vocare teſtes)* Sic et Rom. *H.*

Praeſtat aliorum librorum *evo-*

vocare teſtes liceret: impetratum eſt. In poſterum opto, ut ea potiſſimum iubear, quae me deceat vel ſponte feciſſe. Vale.

XXX.

Proſoceri villae durum et laborioſum hominem praeficiendum eſſe ſuadet.

C. PLINIVS FABATO SVO S.

Debemus, me Hercule, natales tuos perinde
ac noſtros celebrare, cum laetitia noſtrorum ex
tuis pendeat, cuius diligentia et cura hic hilares,
2 iſtic ſecuri ſumus. Villa Camilliana, quam in
Campania poſſides, eſt quidem vetuſtate vexata;
ea tamen, quae ſunt pretioſiora, aut integra ma-
3 nent, aut leviſſime laeſa ſunt. Attendimus ergo,
ut quam ſaluberrime reficiantur. Ego videor ha-
bere multos amicos, ſed huius generis, cuius et
4 tu quaeris et res exigit, prope neminem. Sunt
enim omnes togati et urbani: ruſticorum autem
praediorum adminiſtratio poſcit durum aliquem
et agreſtem, cui nec labor ille gravis, nec cura

care, quod verbum de hac re proprium. *S.*

ut ea potiſſimum etc.) Rom. *ut potiſſimum iubeant, quod me deceat. H.*

XXX, 1 *natales tuos)* dies ſubaudiendos eſſe, tam manifeſtum eſt, ut mirer, Cortium de loco natali intelligere potuiſſe. *S.*

2 *vexata)* Per quendam εὐφημισμὸν iucunda et venuſta metaphora *vexatam* dicit villam multis partibus caducam, et labantem aedificiorum ruinam minitantium vetuſtate. Ratio dicendi vere Pliniana, h. e. venuſto ingenio apta et digna. *E.*

Caducam et labantem villam aedificiaque ruinoſa Secundus non dicit. *Villa vetuſtate vexata* h. l. nihil amplius quam cui anni aliquid detrimenti attulerunt. *S.*

ea tamen etc.) Rom. *et tamen quae ſunt pretioſiora. H.*

3 *Attendimus ergo)* Rom. *Attendemus ergo. H.*

Praefero hanc lectionem, quae item aliorum librorum eſt. Refectio villae futura erat, cum haec Plinius ſcriberet. *S.*

quam ſaluberrime) quam minimis impenſis: quod fieri poterat, quia *pretioſiora*, i. e. quorum refectio magnam erat pecuniam abſumtura, vix aut ne vix quidem laeſa erant. *S.*

ſed huius generis, cuius) Rom. *ſed eius generis, cuius. H.*

ſordida, nec triſtis ſolitudo videatur. Tu de Ru- 5
fo honeſtiſſime cogitas: fuit enim filio tuo fami-
liaris. Quid tamen nobis ibi praeſtare poſſit,
ignoro; velle plurimum, credo. Vale.

XXXI.

Quid Centum Cellis in ſeceſſu principis peractum ſit egregie, enarrat, ſimulque loci ſitum et munitionem deſcribit.

C. PLINIVS CORNELIANO SVO S.

Evocatus in conſilium a Caeſare noſtro ad Centum
Cellas (hoc loco nomen) longe maximam cepi vo-
luptatem. Quid enim iucundius, quam principis 2
iuſtitiam, gravitatem, comitatem in ſeceſſu quo-
que, ubi haec maxime recluduntur, inſpicere?
Fuerunt variae cognitiones, et quae virtutes iu-
dicis per plures ſpecies experirentur. Dixit cauſſam 3
Claudius Ariſton, princeps Epheſiorum, homo
munificus, et innoxie popularis: inde invidia, et
ab disſimillimis delator immiſſus: itaque abſolu-

5 *Quid tamen nobis ibi)* Sic et Rom. Poſtremo, *velle plurimum, credo*, quod minus abſonum eſt, quam Cortio videtur. Credebat id Fabato. *H.*

Cort. *velle plurimum, ſcio. S.*

XXXI, 1 *hoc loco nomen)* Forte illo tempore *Centum Cellarum* nomen demum accepit: alioqui ſupervacua, et gloſſae ſimilia mihi viderentur tria iſta verba. *Civitá vecchia* eo loco hodie eſſe, docent Geographi. Vid. viri docti ad Rutilii itin. 1, 237. *G.*

2 *ubi haec maxime recluduntur)* Magis enim in ſeceſſu, quam in hominum frequentia apparet, num quis vere ſit iuſtus, gravis, comis, an iuſtitiam, gravitatem, comitatem ſimulet. *S.*

3 *Claudius Ariſton)* Sic et Rom. Poſtea, *innoxiae popularitatis. H.*

innoxie popularis) * Sic ex libris Cortius: ſed nec damnaverim alterum, *innoxiae popularitatis.* G.

ab disſimillimis) *i. e. peſſimis, ut ipſe erat optimus. Liceat enim nobis retinere vulgatam ab Aldo aliisque lectionem. Cortius ex libris antiquis *et disſimillimis disſimilis del. immiſſus.* Si omnino bis ponere iuvat adiectivum, malim, *ab disſimillimis disſimilis delator immiſſus:* vel ita, *ab disſimillimis his ſimilis delator im.* Poteſt etiam ſic dediſſe Secundus, *et disſimillimus del. im.* G.

Rom. *et a disſimilibus. H.*

4 tus vindicatusque eſt. Sequenti die audita eſt
Galitta, adulterii rea. Nupta haec tribuno mili-
tum, honores petituro, et ſuam et mariti digni-
tatem centurionis amore maculaverat: maritus le-
5 gato conſulari, ille Caeſari ſcripſerat. Caeſar,
excuſſis probationibus, centurionem exauctoravit,
atque etiam relegavit. Supererat crimini, quod
niſi duorum eſſe non poterat, reliqua pars ultio-
nis: ſed maritum, non ſine aliqua reprehenſione
patientiae, amor uxoris retardabat; quam quidem,
etiam poſt delatum adulterium, domi habuerat,
6 quaſi contentus aemulum removiſſe. Admonitus,
ut perageret accuſationem, peregit invitus. Sed
illam damnari, etiam invito accuſatore, neceſſe
erat: damnata, et Iuliae legis poenis relicta eſt.
Caeſar et nomen centurionis, et commemoratio-
nem diſciplinae militaris ſententiae adiecit, ne
omnes eiusmodi cauſſas revocare ad ſe videretur.
7 Tertio die inducta cognitio eſt, multis ſermoni-
bus et vario rumore iactata, de Iulii Tironis co-

4 *Galitta, adulterii rea)* Rom. *Galicta adulterii rea. H.*

legato conſulari) Qui ex Conſulatu legionibus omnibus praeeſt, ut diſtinguatur ab ſingularum legatis praetoriis. Iam laudavit Cellarius Lipſium de mil. Rom. 2, 11. qui ex Dione lib. 52. et 53. explicat. *G.*

5 *crimini)* adulterio, quod neceſſario inter duas perſonas erat, *reliqua pars ultionis ſupererat,* ſcil. ut et Galitta puniretur. *E.*

reprehenſione patientiae) Merito enim patientia mariti adverſus uxorem adulterii ream ſuſpecta erat. Forte lenonem ipſum maritum putabant. *E.*

6 *Iuliae legis poenis)* De quibus multum disputatum eſt, antequam integrae ederentur Paulli ſententiae receptae, in quibus 2, 26, 12. iſta habentur: *Adulterii convictas mulieres dimidia parte dotis, et tertia parte bonorum, ac relegatione in inſulam, placuit coërceri. G.*

Rom. *et legis Iuliae poenis relicta eſt. H.*

ne omnes eiusmodi cauſſas) ſi iure Principis id feciſſet. Scilicet Auguſti exemplum ſecutus rem militarem ſibi vindicavit in ſolidum; reliquarum rerum nomen certe et uſum Senatui reliquit. *G.*

Diſertius Buchnerus: „Tuendae „diſciplinae militaris propria Im„peratoris cura eſt: quae cum „centurionis adulterio violata eſ„ſet, eius cognitio ad Traianum „pertinebat. Hoc itaque in ſen„tentia, quam pronunciarat, al„legaverat Traianus: ne omnes „in univerſum huiusmodi cauſſas „[i. e. adulteria] ſuae cognitionis „facere videretur." *S.*

7 *rumore iactata* etc.) Rom. *rumore iactata Iulii Tyronis codicillis. H.*

dicillis, quos ex parte veros esse constabat, ex
parte falsi dicebantur. Substituebantur crimini 8
Sempronius Senecio, eques Romanus, et Eurythmus, Caesaris libertus et procurator. Heredes,
quum Caesar esset in Dacia, communiter epistola
scripta, petierant, ut susciperet cognitionem: susceperat. Reversus diem dixerat: et, quum ex 9
heredibus quidam, quasi reverentia Eurythmi, remitterent accusationem, pulcherrime dixerat, *Nec
ille Polycletus est, nec ego Nero.* Indulserat tamen petentibus dilationem; cuius tempore exacto,
consederat auditurus. A parte heredum intrave- 10
runt duo: omnino postularunt, ut omnes heredes
agere cogerentur, quum detulissent omnes, aut
sibi quoque desistere permitteretur. Loquutus est 11
Caesar summa gravitate, summa moderatione:
quumque advocatus Senecionis et Eurythmi di-

Nostrum Casaubonus excogitavit: nec displicet. Susceperat Traianus cognitionem, cum in Dacia esset. Notissima igitur erat, priusquam induceretur: cumque de caussa varius rumor esset, poterat utique multis sermonibus iactari. *S.*

8 *Substituebantur crimini*) subiiciebantur, in crimen vocabantur: sic Celsus l. 30. π. de oper. libert. (38, 1.) *Et fere ea mens est personam arbitrio substituentium, ut, quia sperent eum recte arbitraturum, id faciant* etc. Et Ulpianus l. 2. π. de admin. rer. ad civit. (50, 8.) §. 11. *Cum posterior locatio solidae praestationi rei publicae eam substituerit.* Quo utroque loco *substituere* haud dubie est *subiicere. G.*

9 *diem dixerat*) Sic et Rom. *H.*

Al. *diem dederat*, quod cum Cortio et Gierigio verum puto. *S.*

quasi reverentia etc.) Rom. *quasi reverentia, Eurythmo mitterent accusationem. H.*

Legendum, ut alii habent, *quasi reverentia Eurythmi, omitterent accusationem. S.*

Polycletus) Potentissimus Neronis libertus, de quo laudavit Cellarius Tac. Annal. 14, 39. Hist. 1, 37. ac 2, 95. De moderatione Traiani circa libertos suos noster Paneg. c. 88. *G.*

Sensus ergo sententiae Traiani hic est: non ego sum alter Nero, qui libertis suis, ut Polycleto, quicquid ipsis libuisset, et quascunque rapinas, nimis negligenter permitteret. *E.*

Rom. *Nec ille Poliphagus est, nec ego Nero. H.*

10 *A parte heredum* etc.) Interpungendum puto: *A parte heredum intraverunt duo omnino: postularunt* etc. Notus usus adverbii *omnino* numeralibus iuncti. Caesar de B. G. 4, 38. *Eo duae omnino civitates ex Britannia obsides miserunt: reliquae neglexerunt.* Cicero de Fin. 5, 8. in. *Iunctae autem et duplices expositiones summi boni tres omnino fuerunt: nec vero plures — — esse potuerunt. S.*

xiſſet, ſuſpicionibus relinqui reos, niſi audirentur;
Non curo, inquit, *an iſti ſuſpicionibus relinquan-*
12 *tur: ego relinquor.* Dein, converſus ad nos:
Ἐπίςασθε, quid facere debeamus? Iſti enim que-
ri volunt, quod ſibi licuerit non accuſare. Tum
ex conſilii ſententia iuſſit denuntiari heredibus
omnibus, aut agerent, aut ſinguli approbarent
cauſſas non agendi, alioqui ſe vel de calumnia
13 pronuntiaturum. Vides, quam honeſti, quam ſe-
veri dies: quos iucundiſſimae remiſſiones ſeque-
bantur. Adhibebamur quotidie coenae: erat mo-
dica, ſi principem cogitares. Interdum *ἀκροάμα-*
τα audiebamus: interdum iucundiſſimis ſermoni-
14 bus nox ducebatur. Summo die abeuntibus no-
bis (quam diligens in Caeſare humanitas!) xenia
ſunt miſſa. Sed mihi, ut gravitas cognitionum,
conſilii honor, ſuavitas ſimplicitasque convictus,
15 ita locus ipſe periucundus fuit. Villa pulcherri-

12 *Ἐπίςασθε, quid facere debeamus)* Rom. *Ἐνιςήσατε quid facere debeamus. H.*

Abuſus linguae Graecae in iudice coram conſilio vix ferendus, quantumvis Romani in ſermonibus epiſtolisque Graeca frequentarint. Quis noſtrûm ferret iudicem conſiliarios ſic alloquentem: *Savez-vous, was wir zu thun haben? S.*

quod ſibi licuerit non accuſare) Acute. Licuerat accuſatoribus non accuſare, ab initio: nunc, poſtquam detulerunt nomina, non licet. Si queruntur ergo, ſe ad accuſandum cogi, re ipſa hoc queruntur, quod male ſua libertate uſi fuerint. Si tamen nimis argutum hoc videatur, geminemus negandi adverbium, hoc modo, *quod ſibi non licuerit non accuſare:* ita plane difficultatem non habebit. Iam enim *non licet ipſis non accuſare*, h. e. revocare accuſationem, ne Principi eam condonaſſe videantur. *G.*

Niſi Plinius ſcripſit: *quod ſibi non licuerit accuſare. S.*

Tum ex conſilii etc.) Rom. *Tum ex conſulis ſententia iuſſit denuntiari heredibus omnibus, aut agerent, aut ſinguli probarent. H.*

13 *iucundiſſimae remiſſiones)* Rom. *iucundiſſime remiſſiones. H.*

ſi principem cogitares) Rom. *ſi principem cogites. H.*

ἀκροάματα) Uſu hic Latinis ſolenni: alio Graeci fere uſurpant, qui tamen etiam de hominibus dicunt. Locis ab H. Stephano Theſ. L. Gr. I. col. 295. B. collectis add. Diodor. Sicul. Exc. de Virt. et Vit. p. 583. Weſſel. *περιῄει πάντα τὸν πότον, προπόσεις λαμβάνων ὀρθὸς, καὶ τοῖς ἀκροάμασι προσπαίζων. S.*

14 *Summo die — diligens)* Rom. *Summo veſperi abeuntibus nobis, quam diligens. H.*

Veſperi profectum a gloſſatore, qui *ſummo die* interpretari vellet. *S.*

ma cingitur viridiſſimis agris: imminet litori, cu-
ius in ſinu ſit cum maxime portus. Huius ſiniſtrum
brachium firmiſſimo opere munitum eſt; dextrum
elaboratur. In ore portus inſula adſurgit, quae 16
illatum vento mare obiacens frangat, tutumque
ab utroque latere decurſum navibus praeſtet. Ad-
ſurgit autem arte viſenda. Ingentia ſaxa latiſſima
navis provehit: [contra,] haec alia ſuper alia de-
iecta ipſo pondere manent, ac ſenſim quodam vel-
ut aggere conſtruuntur. Eminet iam et apparet 17
ſaxeum dorſum: impactosque fluctus in immenſum
elidit et tollit. Vaſtus illic fragor, canumque
circa mare. Saxis deinde pilae adiiciuntur, quae
procedenti tempore enatam inſulam imitentur.

15 *ſit cum maxime portus*) *Lectio a Cortio reſtituta e libris. Vulgo, *cuius in ſinu quam maximus portus velut amphitheatrum.* Ultima verba gloſſam putat ex Rutilii itin. 1, 239. ubi de hoc portu, *Molibus,* inquit, *aethereum concluditur amphitheatrum:* reliquam mutationem ortam ex ignorato uſu τῆς *cum maxime*, quem docet index noſter, et hic ſtabiliunt, quae proxime ſequuntur, unde intelligimus nimirum *eo ipſo tempore,* hoc eſt *cum maxime,* elaboratum eſſe in portu. *G.*

Rom. *cuius in ſinu portus velut amphitheatrum. H.*

16 *In ore portus inſula adſurgit*) Rom. *In ore inſula aſſurgit. H.*

[*contra,*] *haec*) *Vix dubito, corruptum eſſe illud *contra*: certe mihi ignorabile eſt: et cum ſine illo ſententia mihi videatur planior, interim uncis coërcere auſus ſum, dum, quid illo faciamus, decernatur. Non multum iuvat Cortius, cum obſervat, aut *contra* portum *provehi*, aut *contra* eum *deiici* ſaxa: neutrum enim a me intelligi fateor, certe, quid opus ſit ea praepoſitione, non comminiſcor. In mentem veniebat ſic legere *quadra* i. e. quadrata *haec* ſaxa *alia ſuper alia* etc. Cui compendia et notae librariorum non ignota ſunt, ille dabit nobis, potuiſſe *quadra* in *contra* mutari, vocem inſolentiorem, bonam tamen, in notiorem. Quin *ſaxa quadrata* huic rei ſint aptiſſima, quae facilius ſibi applicentur, moveantur difficilius, dubitari nulla ratione poteſt. *G.*

Ego aliquando ſic coniiciebam: *pondera haec alia ſuper* etc. Saltem hoc res et ſenſus patitur, et hoc ipſum *pondera* — *ipſo pondere* ſuo *manent,* quod aliquid ex luſu quodam acuminis habet, Plinianum mihi eſſe videbatur. *E.*

17 *Saxis pilae adiiciuntur*) i. e. ſtructurae in lateribus molis ex caementis, calce, et pulvere Puteolano, quas diſertiſſime deſcribit Vitruvius 5, 12. Cum enim illa ex pulvere Puteolano ſtructura hoc habeat, ut in aqua magis magisque indureſcat, moles eiusmodi paullatim in ſaxoſae inſulae naturam mutabitur. *G.*

Conf. Virgil. Aen. 9, 710. ſqq. *Qualis in Euboico Baiarum litore quondam Saxea pila cadit; magnis quam molibus ante Conſtructam ponto iaciunt. S.*

Habebit hic portus etiam nomen auctoris, eritque vel maxime ſalutaris. Nam per longiſſimum ſpatium litus importuoſum hoc receptaculo utetur. Vale.

XXXII.

Nubenti Quintiliani filiae dono offert L millia nummum.

C. PLINIVS QVINTILIANO SVO S.

Quamvis et ipſe ſis continentiſſimus, et filiam tuam ita inſtitueris, ut decebat filiam tuam, Tutilii neptem; quum tamen ſit nuptura honeſtiſſimo viro, Nonio Celeri, cui ratio civilium officiorum neceſſitatem quandam nitoris imponit; debet, ſecundum conditiones mariti, veſte, comitatu (quibus non quidem augetur dignitas, ornatur tamen)
2 inſtrui. Te porro animo beatiſſimum, modicum facultatibus ſcio. Itaque partem oneris tui mihi

nomen auctoris) Traiani portus aliquamdiu dictus eſt, ſed *Centum Cellarum* nomen mox rediiſſe, vel Rutilii loco citato conſtat. Accidit hic Traiano, quod ſaepe aliis, ut deſideratam gloriam poſteri invideant, qui propter frequentes ipſius in muris publicorum operum titulos *herba parietaria* a Conſtantino M. dictus ſit, teſte Aur. Vict. Epit. 41, 13. Add. Ammian. Marcell. 27, 3. p. 523. *G.*

Rom. *Hic portus habet etiam nomen auctoris, eritque maxime ſalutaris. H.*

Bene Cortius ex libris ſuis: *Habebit hic portus, et iam habet nomen auctoris.* Idem recepit Gierigius. *S.*

XXXII, 1 *ut decebat —— neptem)* Sic et Rom. *H.*

Alter verborum ordo e libro Mediceo enotatus, *ut decebat tuam filiam, T. n.,* oppoſitionem iuvat, ideoque praeferendus videtur. *S.*

ſecundum conditiones etc.) Rom. *ſecundum conditiones mariti veſte, comitatu augeri, quibus non quidem augetur dignitas, ornatur tamen et inſtruitur. H.*

Placet haec lectio, quae item aliorum librorum eſt. Praeterea cum Cortio et Gierigio ſcribendum, libris praeeuntibus, *conditionem.* Pluralem hoc ſenſu vix reperias. *S.*

2 *modicum facultatibus*) Non pro rhetore: nam ſic dives erat Fabius. vid. Iuven. 7, 188. ſq. Verum pro genero, viro ſplendido, et forte Hiſpaniae Praeſide, quod coniiciunt viri docti eum eſſe, de quo Martialis 7, 51. vid. Praef. Quintil. §. 9. 11. G. Add. Geſner. ad Quintil. l. l.

partem oneris tui mihi vindico) Rom. *partem oneris tui vindico mihi. H.*

vindico, et tanquam parens alter puellae nostrae confero quinquaginta millia nummum: plus collaturus, nisi a verecundia tua sola mediocritate munusculi impetrari posse considerem, ne recusares. Vale.

XXXIII.

Triumphat oratione sua, pro Accia apud centumviros habita, cuius artes detegit.

C. PLINIVS ROMANO SVO S.

Tollite cuncta, inquit, coeptosque auferte labores. Seu scribis aliquid, seu legis, tolli, auferri iube, et accipe orationem meam, ut illi arma, divinam. Num superbius potui? Revera, ut inter meas, pulchram. Nam mihi satis est certare mecum. Est haec pro Accia Variola, et dignitate personae, 2 et exempli raritate, et iudicii magnitudine insignis. Nam femina splendide nata, nupta praeto-

alter) Exciderat in edit. Gesneriana, negligentiâ, puto, operarum. Itaque addidi. *S.*

impetrari posse considerem) Rom. *impetrare posse considerem. H.*

Verum hoc videtur. Mutatum, ni fallor, quod pronominis ellipsis offenderet. Sed haec nihil habet duri aut insoliti: quanquam librariis fere adeo displicuit, ut nunc pronomen infercirent, nunc, ut hoc loco, passivum pro activo scriberent. *S.*

XXXIII, 1 *Tollite cuncta)* Verba Vulcani Aen. 8, 439, quibus ceteris sepositis arma Aeneae parare iubet suos Cyclopas. *G.*

coeptosque auferte labores) Ita et liber Rom. *H.*

Et qui non? Videtur Heusingerus respexisse ad varietatem lectionis in codicibus Virgilianis repertam. *S.*

Seu scribis etc.) Seu scribis aliquid, seu legis, tolli, auferri iube, et accipe orationem meam, ut illi arma, divinam; (num superbius potui?) re vera, ut inter meas pulchram. Ita, meo quidem iudicio, interpungendum est, servandumque *ut illi arma*, quod Cortius mutavit. *H.*

Mutavit item Gierigius, cum Cortio scribens *ut illa arma.* Perperam. Romanus Cyclopibus, lectio orationis fabricationi armorum comparatur. *Accipe orationem meam*, scil. legendam, *ut illi arma*, scil. fabricanda. *S.*

ut inter meas) Haec verba plane corrigunt, et ad modestiam revocant, si quid praecedens iocus habere arrogantiae videbatur. Habent enim eam vim, *quatenus inter meas pulchra esse potest oratio*, vel, *modo possit meum quidquam pulchrum vocari. G.*

rio viro, exheredata ab octogenario patre, intra undecim dies, quam ille novercam ei, amore captus, induxerat, quadruplici iudicio bona paterna
3 repetebat. Sedebant iudices centum et octoginta: tot enim quatuor confiliis confcribuntur: ingens utrinque advocatio, et numerofa fubfellia: praeterea denfa circumftantium corona latiffimum iu-
4 dicium multiplici circulo ambibat. Ad hoc, ftipatum tribunal, atque etiam ex fuperiore bafilicae parte, qua feminae, qua viri, et audiendi, quod erat difficile, et, quod facile, vifendi ftudio imminebant. Magna exfpectatio patrum, magna
5 filiarum, magna etiam novercarum. Sequutus eft varius eventus. Nam duobus confiliis vicimus, totidem victi fumus. Notabilis prorfus res et mira: eadem in cauffa, iisdem iudicibus, iisdem advocatis, eodem tempore tanta diverfitas accidit

2 *intra undecim dies* etc.) Rom. *intra XI. dies quafi ille novercam ei captus induxerat.* Omiffum *amore.* *H.*

novercam ei — induxerat) Sic Graeci, μητρυιὰν τοῖς τέκνοις ἐπάγεσθαι, ἐπεισάγεσθαι. vid. Weffel. ad Diod. Sic. T. I. p. 485. l. 7. *S.*

quadruplici iudicio) Centumvirali. Vid. fupra 1, 5, 4. et 1, 18, 3. Add. Quintil. 12, 5, 6. *G.*

3 *confcribuntur*) *colliguntur* Cort. *difcribuntur* Schreiterus in Sacramentor. antiquitatibus pag. 21. *G.*

Rom. *quattuor confiliis colliguntur: ingens utrinque advocatorum: numerofa fubfellia praeftantium corona.* *H.*

denfa — ambibat) Si quis tiro non fatis fciat, quid fit in elocutione τὸ περίεργον vel περιττὸν, ex ingenii ubertate nafci folitum, a quo Plinius, quamvis alioqui aetatem fuam moderatione fuperans, tamen non femper fibi cavere potuit, is ex hoc loco cognofcat, in quo fingula verba notionem *ambitus* vel *magnitudinis* quafi inculcant lectoribus. *E.*

4 *et audiendi* etc.) Rom. *et audiendi, quod difficile, et vifendi ftudio imminebant.* Defunt *quod facile.* *H.*

Erat ante *difficile* in plurimis libris, etiam in Brummerianis, deeft, expunxitque Cortius. Nec ego defidero. *S.*

magna etiam novercarum) Rom. *magna novercarum,* fine *etiam.* *H.*

5 *Notabilis prorfus res*) Ita et Rom. In Ald. *res* omiffa eft. *H.*

eodem tempore etc.) Rom. *eodem tempore tanta diverfitas. Adcidit cafu, quod non cafus videtur.* An ergo ita legendum? *Notabilis prorfus et mira, eadem in caufa, iisdem iudicibus, iisdem advocatis, eodem tempore, diverfitas. Accidit cafu, quod victa eft noverca, ipfa heres ex parte fexta; victus Suberinus.* Ex gloffa acceffit *res,* poftquam prifca interpunctio perturbata eft, ideoque eam vocem Aldus exclufit: ex eadem gloffa

casu quidem, sed non ut casus videretur. Victa 6
est noverca: ipsa heres ex parte sexta. Victus
Suberinus; qui exheredatus a patre singulari im-
pudentia alieni patris bona vindicabat, non ausus
sui petere. Haec tibi exposui, primum, ut ex 7
epistola scires, quae ex oratione non poteras:
deinde, (nam detegam artes) ut orationem liben-
tius legeres, si non legere tibi, sed interesse iudi-
cio videreris: quam, sit licet magna, non despe-
ro gratiam brevissimae impetraturam. Nam et co- 8
pia rerum, et arguta divisione, et narratiunculis
pluribus, et eloquendi varietate, renovatur. Sunt
multa (non auderem nisi tibi dicere) elata, multa
pugnantia, multa subtilia. Intervenit enim acri- 9
bus illis et erectis frequens necessitas computan-
di, ac paene calculos tabulamque poscendi, ut
repente in privati iudicii formam centumvirale
vertatur. Dedimus vela indignationi, dedimus 10
irae, dedimus dolori; et in amplissima caussa,
quasi magno mari, pluribus ventis sumus vecti.

illa quoque adiecta sunt *non casus videtur*, quod in margine aliquis adscripserat, posteaque varie mutarunt librarii. *H.*

6 *Suberinus*) Hic videtur fuisse privignus octogenarii senis, filius mulieris, quam ille novercam Acciae Variolae filiae suae induxit, qui iam pro sua matre ageret. *G.*

8 *pugnantia*) Interpretantur acria, vehementia, contentiosa, fortia: quod firmant libri, in quibus legitur *pugnacia*. Sed mihi videbantur *pugnantia* hic intelligi illud genus acuminum, quae ex contrariis constant, *enthymemata* vocant rhetores. Vid. Quintil. 5, 10, 2. it. 8, 5, 9. *G.*

elata — subtilia) His nempe illam *eloquendi varietatem* praestitit. *Elata* et *pugnantia*, quae mox acria et erecta dicit, habent vim, acrimoniam, et vehementiam dicendi oratoriam, et quendam spiritum. Huc illa pertinent: *dedimus vela indignationi, irae, dolori* etc. *Subtilia* autem sunt, exilia, tenuia, quae sunt de rebus vulgaribus, nec oratorium ornatum, nec vehementiam in dicendo admittunt; quo pertinet illa, quam commemorat, *necessitas computandi, ac paene calculos tabulamque poscendi*. Plura dedimus de hoc subtilitatis sensu et usu in Lexico technol. rhet. lat. p. 385. *E.*

9 *Intervenit enim* etc.) Rom. *Intervenit acribus illis et erectis*, sine *enim*, quod nemo desiderabit. *H.*

in privati iudicii) Quo v. g. pater familias cum villico rationes putat: nam alio intellectu centumviralia iudicia sunt privata, h. e. de re privata et familiari, et a publicis differunt. *G.*

10 *sumus vecti*) Rom. *sumus evecti*. *H.*

11 In ſumma, ſolent quidam ex contubernalibus noſtris exiſtimare hanc orationem (iterum dicam) praecipuam, ut inter meas, ὡς ὑπὲρ Κτησιφῶντος eſſe. An vere, tu facillime iudicabis, quia tam memoriter tenes omnes, ut conferre cum hac, dum hanc ſolam legis, poſſis. Vale.

XXXIV.

Maximi munus gladiatorium in funere uxoris commendat; dolet autem pantheras tardius adveniſſe.

C. PLINIVS MAXIMO SVO S.

Recte feciſti, quod gladiatorium munus Veronenſibus noſtris promiſiſti; a quibus olim amaris, ſuſpiceris, ornaris. Inde etiam uxorem cariſſimam tibi et probatiſſimam habuiſti; cuius memoriae aut opus aliquod, aut ſpectaculum, atque hoc potiſſimum, quod maxime funeri, debebatur.
2 Praeterea, tanto conſenſu rogabaris, ut negare

11 *ὡς ὑπὲρ Κτησιφῶντος*) Qua Cteſiphontem, et decretam ſibi ab illo coronam defendit, quam, quod regina orationum Demoſthenis iudicaretur, una cum adcuſatione Aeſchinis Latine transtulerat Cicero. Vid. ſupra 1, 2, 1. *G.*

Rom. *iterum dicam, ut inter meas, ὑπὲρ Κτησιφῶντος eſſe.* Cum MSS. Rom. hic conſentit optime. Vulgata lectio interpolata eſt. *H.*

XXXIV inſcr. Rom. *MAXIMO APHRICANO. H.*

1 *Recte feciſti* etc.) Rom. *Recte feciſti, qui gladiatorum munus. H.*

Veronenſibus noſtris) Sicut 1, 16, 5. *Catullum ſuum* vocat, tum propter Comi patriae ſuae viciniam, tum quod avunculus, Plinius maior, Veronenſis eſſet. *G.*

Immo *noſtris* eſt, quibuscum nobis neceſſitudo intercedit. Plinius quidem maior an Veronenſis fuerit, ambigunt. Sunt qui pro Novocomenſi habeant. *S.*

aut opus aliquod) Monumentum ſepulcri, templum, quo ſervatur memoria: ab opere diverſum *ſpectaculum*, ludi cuiuscunque generis; *potiſſimum* vero *hoc* debebatur, quia *debebatur funeri*; in funeribus autem ludos fuiſſe editos, vel ex Terentianis didaſcaliis ſatis conſtat. *G.*

Rom. *cuius memoriae a te opus aliquod, maxime funebre, debeatur* [pro *debebatur*]. *Praeterea tanto conſenſu.* Ex vulgata haec ita ſupplere licet: *cuius memoriae a te opus aliquod, aut ſpectaculum, maxime funebre, debebatur. H.*

non conſtans, ſed durum videretur. Illud quo-
que egregium, quod tam facilis, tam liberalis in
edendo fuiſti. Nam per haec etiam magnus ani-
mus oſtenditur. Vellem Africanae, quas coëme- 3
ras plurimas, ad praefinitum diem occurriſſent:
ſed licet ceſſaverint illae, tempeſtate detentae, tu
tamen meruiſti, ut acceptum tibi fieret, quod quo
minus exhiberes, non per te ſtetit. Vale.

2 *non conſtans)* Videtur enim alioqui conſtantis viri eſſe, negare populo crudelem adeo voluptatem, in qua nihil ſit, quod delectare virum ſapientem poſſit. Vide ſapientiſſimam Ciceronis ad Marium epiſtolam fam. 7, 1. *G.*

Illud quoque egregium) Rom. *illud quoque egregie*, ut in ſcriptis eſt. *H.*

Recepit Cortius: item Gierigius. Bene. Noſtrum a gloſſatoris manu profectum. *S.*

liberalis in edendo) Ut Paneg. 33, 2. *Quam deinde in edendo liberalitatem — exhibuit* etc, *G.*

magnus animus oſtenditur) Rom. *animus magnus oſtenditur. H.*

3 *Africanae)* pantherae, ex Africa advectae ad ſpectaculum. v. Plin. H. N. 8, 18. *E.*

Cf. Ciceron. epiſt. ad Coelium 2, 11. Livius 44, 18, 8. *Etiam magnificentia creſcente notatum eſt, ludis circenſibus P. Cornelii Scipionis Naſicae et P. Lentuli aedilium curulium ſexaginta tres Africanas, et quadraginta urſos et elephantos luſiſſe.* ubi vid. interpr. *S*

ad praefinitum diem occurriſſent) Rom. *ad praefinitum diem accurriſſent. H.*

LIBER SEPTIMVS

I.

Aegrotantem hortatur, ut valetudinem patienter ferat, suoque exemplo docet medicis obtemperare.

C. PLINIVS RESTITVTO SVO S.

Terret me haec tua pertinax valetudo, et, quamquam te temperantissimum noverim, vereor tamen, ne quid illi etiam in mores tuos liceat.
2 Proinde moneo, patienter resistas. Hoc laudabile, hoc salutare. Admittit humana natura, quod suadeo. Ipse certe sic agere sanus cum meis so-
3 leo: *Spero quidem, si forte in adversam valetudinem incidero, nihil me desideraturum vel pudore vel poenitentia dignum: si tamen superaverit morbus, denuntio, ne quid mihi detur, nisi permit-*

I, 1 *in mores tuos liceat*) Abstinentiam, moderationem, patientiam tuam expugnet, et vitia indueat contraria. *G.*

2 *Admittit humana natura*) Alioqui frustra suaderem. Post argumenta ab *honesto* et *utili*, ut vocant, subiungit etiam a *possibili*, idque ita esse, suo exemplo ostendit: vel potius, ut suum exemplum laudare queat, hoc praestruit. *Ceterum interpunxi ante haec verba, quae adhuc nulla nota discreta fuerant. Et video iam monuisse Cortium, ita distinguendum esse, ut agnoscamus Plinium. *G.*

cum meis) Non opus erat hic monere intelligi familiares, servos praesertim, aegrotum herum curare iussos, nisi adscriptum esset ex Catanaeo, *Hortari meos infirmos, ut fortiter ferant:* quibus verbis totum Plinii consilium evertitur. *G.*

3 *ne quid mihi detur — sciantque*) *Ferri potest haec lectio, qua polita transire dicemus Plinium a directa oratione, quam vocant, ad indirectam. Sed exprimi voluit ex libris Cortius, (quamquam illi non nisi ex dimidia parte obtemperatum est;) *ne quid mihi detis — scia-*

tentibus medicis: sciantque, si dederint, ita vindi-
caturum, ut solent alii, quae negantur. Quin 4
etiam quum perustus ardentissima febri, tandem
remissus unctusque acciperem a medico potionem,
porrexi manum, utque me tangeret, dixi, admo-
tumque iam labris poculum reddidi. Postea 5
quum vicesimo valetudinis die balineo praepara-
rer, mussantesque medicos repente vidissem, caus-
sam requisivi. Responderunt, *posse me tuto la-*
vari, non tamen omnino sine aliqua suspicione.
Quid, inquam, *necesse est?* Atque ita spe bali- 6
nei, cui iam videbar inferri, placide leniterque
dimissa, ad abstinentiam rursus, non secus, ac
modo ad balineum, animum vultumque compo-
sui. Quae tibi scripsi, primum ut te non sine 7
exemplo monerem, deinde ut in posterum ipse
ad eandem temperantiam adstringerer, quum me
hac epistola quasi pignore obligavissem. Vale.

tisque, si dederitis etc. Legi-tur importune, *sciatisque, si dederint.* G.

Adscivit Gierigius *detis, sciatisque, dederitis.* Laudo factum. S.

solent alii) scil. vindicare ea, *quae negantur.* E.

4 *febri)* Cortius ex libris suis *febre.* vid. Voss. de Analog. Lib. II. Cap. XII. p. m. 729. S.

remissus unctusque) Commodum huc retulit Cellarius Celsi auctoritatem 2, 14. Ungi, *leniterque pertractari corpus etiam in acutis et recentibus morbis oportet; in remissione tamen, et ante cibum.* G.

ut me tangeret) exploraret tum arteria tangenda, tum calore observando, possetne tuto dari potus. Antequam de hoc constaret, bibere scilicet, sitiens licet exustusque, noluit. G.

Cortius *utque tangeret.* Pronomine facile caremus. S.

5 *mussantesque medicos)*, Conferentes capita, ut in re ancipiti, tergiversantes, proloqui tamen non ausos, ne refutanda, certe reiicienda atque differenda, cupiditate aegrotantis, ipsum contristarent, vel ad iram adeo incitarent. Cogitandum tibi est, lector, si velis vim huius loci, et abstinentiam Secundi nostri percipere, balneorum usum illis hominibus quotidianum, partemque earum rerum, voluptatum, fuisse, quibus *dolet natura negatis.* G.

7 *adstringerer)* Inter elegantissimos hunc locum refero: adeo venuste excusat περιαυτολογίαν suam. *Ceterum sic optimi quique libri. Cellarianum *adstringeres* servatum videtur ex Boxhorniana, in quam temere irrepsit. Illud placeret, si legeretur, *Ut in posterum ipse ad eandem me patientiam* adstringeres etc. G.

II.

Promittit aliquid ſcriptorum ſuorum, quum aeſtas transmiſſa fuerit.

C. PLINIVS IVSTO SVO S.

Quemadmodum congruit, ut ſimul et adfirmes, te aſſiduis occupationibus impediri, et ſcripta noſtra deſideres, quae vix ab otioſis impetrare aliquid
2 perituri temporis poſſunt? Patiar ergo aeſtatem inquietam vobis exercitamque transcurrere, et hieme demum, quum credibile erit, noctibus ſaltem vacare te poſſe, quaeram quid potiſſimum
3 ex nugis meis tibi exhibeam. Interim abunde eſt, ſi epiſtolae non ſunt moleſtae. Sunt autem, et ideo breviores erunt. Vale.

III.

Amicum a longo ſeceſſu in urbem revocat.

C. PLINIVS PRAESENTI SVO S.

Tantane perſeverantia tu modo in Lucania, modo in Campania? *Ipſe enim*, inquis, *Lucanus, uxor Campana.* Iuſta cauſſa longioris abſentiae, non
2 perpetuae tamen. Quin ergo aliquando in urbem redis? ubi dignitas, honor, amicitiae tam ſuperiores quam minores. Quousque regnabis? quousque vigilabis quum voles? dormies quamdiu voles? quousque calcei nusquam? toga feriata?

III, 2 *Quousque regnabis?*) Non tantum de libertate vivendi, ut velis, interpretor, quod quidem et ipſum *regnum* eſſe non negaverit, qui ſervitutem cogitet, qua maximos etiam quosque homines urbanorum officiorum neceſſitas adſtringit: ſed de illo etiam honore, in quo ruri et inter municipes humiliores verſantur magni cives, quam diu ruſticari illis placet. *G.*

Bene Gesnerus. Mox enim Plinius: *Saluta* (Romae) *paullisper, quo ſit tibi iucundius ſalutari* (ruri et in municipiis). *S.*

dormies quamdiu voles?) Non impeditus, *ſub galli cantum conſultor ubi oſtia pulſat*, Hor. Sat. 1, 1, 10. neque antelucanis officiis lecto excuſſus, de quibus noſter 3, 5, 9. et 12, 2. *G.*

calcei nusquam?) Senatorii et forenſis habitus pars calcei; *ſo-*

liber totus dies? Tempus eſt, te reviſere moleſtias noſtras, vel ob hoc ſolum, ne voluptates iſtae ſatietate langueſcant. Saluta paullisper, quo ſit tibi iucundius ſalutari: terere in hac turba, ut te ſolitudo delectet. Sed quid imprudens, quem revocare conor, retardo? Fortaſſe enim his ipſis admoneris, ut te magis ac magis otio involvas; quod ego non abrumpi, ſed intermitti volo. Ut enim, ſi coenam tibi facerem, dulcibus cibis acres acutosque miſcerem, ut obtuſus illis et oblitus ſtomachus his excitaretur; ita nunc hortor, ut iucundiſſimum genus vitae nonnullis interdum quaſi acoribus condias. Vale.

IV.

Miranti, qui Plinius, ſeverus homo, hendecaſyllabos ſcripſerit, poëtica ſua ſtudia ab ultima aetate recenſet.

C. PLINIVS PONTIO SVO S.

Ais legiſſe te hendecaſyllabos meos; requiris

leati ſunt in ſeceſſu, et generatim extra urbem. Sic Plinius maior 6, 16, 5. *poſcit ſoleas. Toga feriata* eodem intellectu dicitur. Sic Martialis iudicio 10, 47. in eis, *vitam quae faciunt beatiorem*, eſt quoque *toga rara*. De coniugio illo quaſi *calcei* et *togae*, quorum neutrum ſcilicet ſine altero, Salmaſ. ad Tertull. de pallio p. 386. ubi eandem hunc locum ita exhibet, uti nos poſt Lipſium Cellariumque repraeſentavimus. *G.*

Al. *quousque calcei? nusquam toga feriata?* perperam. *toga feriata*, i. e. quae non ſumitur, ut in ſeceſſu fiebat, ubi fere tunicati erant. *S.*

liber totus dies? Sic Cortius bonis auctoribus. Sententia clara, *liber tibi eſt* et nullis moleſtiis, interpellationibus, impeditus, *totus dies*. Sed neque non elegans altera lectio, *liber totos dies:* quod vel cum Gronovio interpreteris *liber* in manibus tibi eſt, et legitur, nemine impediente, *totos dies:* vel *liber* h. e. ſolutus negotiis et moleſtiis es, *totos dies*. *G.*

In textu Gesnerianae legebatur, *liber totos dies:* invito Gesnero, ut ex nota ſubiecta apparet. Itaque ad eius mentem mutavi. *S.*

3 *Tempus eſt, te reviſere)* Sic Cic. Tuſc. 1, 41. *Tempus eſt, iam hinc abire me, ut moriar, vos, ut vitam agatis.* *G.*

Saluta) mos urbanus, ſalutare mane; h. e. inviſere patronos, amicos. *E.*

terere in hac turba) Male interpretantur, *tere te, exſere te forenſibus negotiis:* pertinet ad *turbam* urgentium, prementium, ac proinde *terentium* ſe invicem, in ſalutationibus, aliisque urbanis officiis. *G.*

4 *abrumpi)* in perpetuum relinqui; *ſed intermitti*, ad breve tempus interpellari. *E.*

etiam, quemadmodum coeperim ſcribere, homo, ut tibi videor, ſeverus, ut ipſe fateor, non ineptus.
2 Nunquam a poëtice (altius enim repetam) alienus fui; quin etiam quatuordecim natus annos Graecam tragoediam ſcripſi. Qualem? inquis.
3 Neſcio: tragoedia vocabatur. Mox quum e militia rediens, in Icaria inſula ventis detinerer, Latinos elegos in illud ipſum mare ipſamque inſulam feci. Expertus ſum me aliquando et heroico: hendecaſyllabis nunc primum, quorum hic natalis,
4 hae cauſſae. Legebantur in Laurentino mihi libri Aſinii Galli de comparatione patris et Ciceronis: incidit epigramma Ciceronis in Tironem ſuum. Dein, quum meridie (erat enim aeſtas) dormiturus me recepiſſem, nec obreperet ſomnus, coepi reputare, maximos oratores hoc ſtudii genus, et in oblectationibus habuiſſe, et in laude poſuiſſe.
5 Intendi animum, contraque opinionem meam, poſt longam deſuetudinem, perquam exiguo temporis momento id ipſum, quod me ad ſcribendum ſolicitaverat, his verſibus exaravi:

6 *Quum libros Galli legerem, quibus ille parenti*

IV, 1 *non ineptus)* Vide quam bene huic etiam loco illa *inepti* notio conveniat, qua comprehendi totum illius ambitum putamus. *Non ineptus* eſt, qui in parvis et nugacibus rebus non nimis ſtudioſe et cupide verſatur, qui proinde faciendis verſiculis, qui luſus tamen ſunt, cum optimi ſunt, non impendit tantum temporis, quantum rei ſeriae et ſeverae. *G.*

3 *heroico)* Cortius ex libris bonae notae *heroo*. quod, ut formam exquiſitiorem, praeferam. *S.*

natalis) Turpe ſphalma obſidet exempla Gesnerianae, *naturalis*. *S.*

hae cauſſae) Una modo cauſſa memoratur, recitatio librorum Galli. Praeſtat igitur Cortii *haec cauſſa eſt*. Noſtrum unde natum ſit, facile apparet. Etenim „vocula *eſt* ſaepe unica litera *ē* in „Mſtis brevitatis cauſſa ſcribitur." Drakenb. ad Liv. 1, 9, 6. *S.*

4 *de comparatione patris)* Quo libro, ut mox docemur, palmam dare patri contra Ciceronem auſus eſt. Quintil. 12, 1, 22. Reſpondit illi Claudius imperator, Suetonio teſte c. 41. Ruſtice contra filius ſtili Claudiani iniuriam pugionibus ulciſci conatus eſt, quod narrat idem Sueton. c. 13. Ceterum obieciſſe videtur Tullio Aſinius impudicos in Tironem ſuum amores, eiusque rei declarandae cauſſa epigramma Ciceronis protuliſſe. *G.*

6 *Quum libros Galli)* Quacunque alia in re imitatus eſſes Tullium, Secunde. Sed hoc quidem adſecutus es, ut non mi-

Aufus de Cicerone dare eft palmamque decusque,
Lafcivum inveni lufum Ciceronis, et illo
Spectandum ingenio, quo feria condidit, et quo
Humanis falibus, multo varioque lepore
Magnorum oftendit mentes gaudere virorum.
Nam queritur, quod fraude mala fruftratus amantem
Paucula coenato fibi debita fuavia Tiro
Tempore nocturno fubtraxerit. His ego lectis,
Cur poft haec, inquam, noftros celamus amores?
Nullumque in medium timidi damus? atque fatemur
Tironisque dolos, Tironis noffe fugaces
Blanditias, et furta novas addentia flammas?

Transii ad elegos; hos quoque non minus celeri-
ter explicui: addidi alios facilitate corruptus.
Deinde in urbem reverfus, fodalibus legi. Pro-
baverunt. Dein plura metra, fi quid otii, maxi- 8
me in itinere, tentavi. Poftremo placuit exemplo
multorum unum feparatim hendecafyllaborum vo-
lumen abfolvere: nec poenitet. Legitur, defcri- 9
bitur, cantatur etiam; a Graecis quoque, quos
Latine huius libelli amor docuit, nunc cithara

nus male proceffiffe tibi carmen, fciamus, quam tuo archetypo. Verum bene eft, quod vera illius decora feliciter aemulatus es, quo facilius tibi has ineptias, nifi modicae effent, condonat pofteritas. *G.*

Aufus — dare eft) *Rurfus — daret* legendum ait Burmannus ad Virg. Georg. 2, 260. Nam alias quoque hoc feciffe Gallum. *G.*

Cur — noftros celamus amores?) Iam malo te verficulos Ciceronis tui imitari, Secunde, quam Confularis viri levitatem et lafciviam, gloriari etiam dedecoribus fuis aufam. *G.*

fugaces blanditias) Hoc forte unum pro poëta in hoc carmine dictum. *Fugaces blanditiae,* quae fubducunt fe, et ipfa illa praebendi malignitate invitant et accendunt amantem. *Furta* etiam hic non folemni illa amatorum fignificatione dixit; fed illam fubtrahentis fe, et fpem fruftrantis fimul et acuentis petulantiam. *G.*

7 *explicui)* abfolvi. Sic bene Cellarius. Conf. Clav. Ciceron. h. v. *S.*

corruptus) tanquam mercede; *beftochen.* *S.*

9 *quos Latine — amor)* Refpicit forte ad folemne illud *Amor docet muficam.* Vene-

nunc lyra personatur. Sed quid ego tam glorio-se? Quamquam poëtis furere concessum est: et tamen non de meo, sed de aliorum iudicio loquor; qui sive iudicant, sive errant, me delectant. Unum precor, ut posteri quoque aut errent similiter, aut iudicent. Vale.

V.

Magno se uxoris desiderio teneri significat.

C. PLINIVS CALPVRNIAE SVAE S.

Incredibile est, quanto desiderio tui tenear. In caussa amor primum; deinde, quod non consuevimus abesse. Inde est, quod magnam partem noctium in imagine tua vigil exigo: inde, quod interdiu, quibus horis te visere solebam, ad diaetam tuam ipsi me, ut verissime dicitur, pedes ducunt: quod denique aeger et moestus, et similis

rant nempe blandi quidam Graeculi ad Plinium, qui dicerent, se vel ob hoc Latine didicisse, ut suavitate hendecasyllaborum illius frui possent. Et credidit Plinius. Quis vero non credat? Vere, si quid unquam Tullius Tusc. 5, 22. *Adhuc neminem cognovi poëtam (et mihi fuit cum Aquinio amicitia:* substituere poteris, lector, Tullium, Plinium; Gesnerum etiam, si volueris) *qui sibi non optimus videretur.* G.

nunc cithara nunc lyra personatur) Ποιητικῶς pro, nunc ad citharam nunc ad lyram canitur. Virg. Aen. 1, 740. sq. *Cithara crinitus Iopas Personat aurata, docuit quae maxumus Atlas.* Haud raro Secundus prosae admiscet poëtica, prosarius rursus poëta. *S.*

10 *aut errent similiter, aut iudicent)* Ne qui sic erret quidem, novi; nedum qui iudicet. Itaque hoc votum tuum, Plini, *volucres dispersit in auras* Delius, *inque notos vocem vertere procellae* (ex Aen. 11, 795. sq.) *G.*

V, 1 *pedes ducunt)* Mirus lepos. Indicat se ita plenum esse imagine uxoris, ut saepe aliud agens, quasi adesset illa, ad diaetam ipsius veniat. Philosophi hodierni dicerent mechanismo quodam corporis, et similium casuum exspectatione illud contingere. Ceterum formulam fuisse non inconsuetam, tum hic ipse locus indicat, tum illud Varronis R. R. 2. pr. 6. *Propterea quod te emturientem in campos macros ad mercatum adducunt crebro pedes:* quo quidem in loco illud modo intelligi puto, pedibus non equo ire aut iumentis iunctis Turranium; sed ludit suaviter Plinius, a pedibus, iam adsuetis illi itineri nimirum, se duci significans, non ab animo cogitante. *G.*

Παροιμιακῶς in utraque lingua

exclufo, a vacuo limine recedo. Unum tempus 2
his tormentis caret, quo in foro et amicorum
litibus conteror. Aeftima tu, quae vita mea fit,
cui requies in labore, in miferia curisque fola-
tium eft. Vale.

VI.

Bithynos decreto accufationem Vareni omififfe: tacere confultius interdum quam multa loqui.

C. PLINIVS MACRINO SVO S.

Rara et notabilis res contigit Vareno, fit licet ad-
huc dubia. Bithyni accufationem eius, ut temere
inchoatam, omififfe narrantur. Narrantur dico?
Adeft provinciae legatus: attulit decretum confilii
ad Caefarem, attulit ad multos principes viros,
attulit etiam ad nos, Vareni advocatos. Perftat 2
tamen idem ille Magnus: quin etiam Nigrinum,
optimum virum, pertinaciffime exercet. Per hunc
a Confulibus poftulabat, ut Varenus exhibere ra-
tiones cogeretur. Adfiftebam Vareno iam tantum 3
ut amicus, et tacere decreveram. Nihil enim tam
contrarium, quam fi advocatus a fenatu datus
defenderem ut reum, cui opus effet, ne reus vi-
deretur. Quum tamen, finita poftulatione Nigri- 4
ni, confules ad me oculos retuliffent, *Scietis*, in-
quam, *conftare nobis filentii noftri rationem,
quum veros legatos provinciae audieritis.* Contra

dictum videtur. *ipfi pedes, αὐτόματοι πόδες* poëtarum Graecorum. Vid. Hufchke Anal. Crit. p. 72. fq. *S.*

VI, 1 *Vareno*) Repetendae funt res huius Vareni ex 5, 20. et 6, 13. Nominatim de Magno 5, 20, 4. *G.*

Narrantur dico?) Bene additum fignum interrogandi, quod in Cortiana defit. Nec enim vagus rumor fuit auctore incerto, cum provinciae legatus decretum Bithynorum de accufatione omittenda Romam attuliffet. Ante *adeft* fubaudi *Immo*. *S.*

2 *Nigrinum*) Qui contra Varenum dixerat etiam fuperiore actione 5, 20, 6. Iam vero invitus videtur agere. *G.*

4 *Contra Nigrinus*) *Secuti fumus veriffimam ex bonis libris

Nigrinus, *Ad quem missi sunt?* Ego, *Ad me*
5 *quoque habeo decretum provinciae.* Rursus ille,
Potest tibi liquere. Ad hoc ego, *Si tibi ex diver-
so liquet; potest et mihi, quod est melius in caus-*
6 *sa, liquere.* Tum legatus Polyaenus caussas abo-
litae accusationis exposuit, postulavitque, ne cogni-
tioni Caesaris praeiudicium fieret. Respondit
Magnus, iterumque Polyaenus. Ipse raro et bre-
viter interloquutus, multum me intra silentium
7 tenui. Accepi enim, non minus interdum orato-
rium esse tacere, quam dicere: atque adeo repe-
to, quibusdam me capitis reis vel magis silentio,
8 quam oratione accuratissima profuisse. Mater
amisso filio (quid enim prohibet, quamquam alia
ratio scribendae epistolae fuerit, de studiis dis-
putare?) libertos eius, eosdemque coheredes suos,
falsi et veneficii reos detulerat ad Principem, iu-

emendationem Cortii. Nuperae editiones continuabant, *audiertis contra Nigrinum, ad quem missi sunt: ego ad me* etc. *G.*

Ad quem missi sunt?) Apud Senatum res adhuc acta fuerat. Legati novi non ad Senatum missi, sed ad Principem, et ad privatos quosdam. Haec igitur interrogatio Nigrini, quem cogit Magnus contra Varenum dicere, eo pertinet, ut indicet, caussam peragendam in Senatu, nec rationem habendam novae legationis. *G.*

Ad me quoque) Post haec subdistinguendum. Scilicet *missi sunt.* *S.*

5 *Potest tibi liquere)* Elicere vult Nigrinus responsum plenius a Plinio, q. d. Quid cunctaris? quid subtrahis te a caussa brevitate illa obscura respondendi? *potest tibi* de tota re *liquere;* quid cauto illo silentio et Laconismo opus est? Hic argute cadit Plinii responsum, *Si tibi ex diverso,* qui es in accusatoris subselliis, *liquet, quod est melius in hac caussa,* nimirum tacere me, et forum hoc declinare; quam ob caussam veteratorie, certe oratorie, me in aliam mentem impellere conaris, et efficere, ut caussa dicenda forum hoc, et hanc cognitionem agnoscam; si, inquam, tibi hoc liquere potest: *potest et mihi liquere,* ut proinde non committam, ad quod tu impellere me conaris. *G.*

6 *Polyaenus. Ipse)* *Interpunctione mutata videor mihi lucidiorem hunc locum reddidisse. Ille enim *ipse,* qui *raro et breviter interloquutus* esse dicitur, non Polyaenus est, sed idem ipse Plinius, qui *multum se intra silentium tenuit.* *G.*

7 *repeto)* scil. memoriâ, memioi. Sic et infra 13. *Non facile me repeto* etc. Plene Cicero de Orat. init. *Cogitanti mihi saepenumero et memoriâ vetera repetenti* etc. *S.*

8 *falsi et veneficii)* *Falsi* I. subiecti testamenti, et *veneficii,* quo filium suum interfecissent. *G.*

dicemque impetraverat Iulium Servianum. Defen- 9
deram reos ingenti quidem coetu. Erat enim
caussa notissima; praeterea utrinque ingenia cla-
rissima. Finem cognitioni quaestio imposuit; quae
secundum reos dedit. Postea mater adiit Princi- 10
pem: adfirmavit se novas probationes invenisse.
Praeceptum est Serviano, ut vacaret finitam caus-
sam retractanti, si quid novi adferret. Aderat 11
matri Iulius Africanus, nepos Iulii oratoris, (quo
audito Passienus Crispus dixit, *Bene, me hercu-
le, bene: sed quo tam bene?*) huius nepos, iuve-
nis ingeniosus, sed parum callidus, quum multa
dixisset, adsignatumque tempus implesset, *Rogo,*
inquit, *Serviane, permittas mihi unum versum
adiicere.* Tum ego, quum omnes me, ut diu 12
responsurum, intuerentur, *Respondissem,* inquam,
*si unum illum versum Africanus adiecisset, in quo
non dubito omnia nova fuisse.* Non facile me 13
repeto tantum consequutum adsensum agendo,
quantum tunc non agendo. Similiter nunc et
probatum et exceptum est, quod pro Vareno

9 *quaestio — secundum reos dedit*) Proprie iudex dicitur *dare* (litem, iudicium) *secundum,* vel *contra* aliquem; hic vero quaestio. Nimirum servi in quaestionem tormentorum dati, sua confessione reos liberarunt. *G.*

10 *Serviano*) **Suburano* legit ex libris Cortius hic et mox f. 11. Sed silentium primo, et responsum deinde Plinii valde importunum videbatur mihi futurum fuisse, si alius iam iudicio praesideret, quam antea in prima actione. Iam *Servianum* sine animadversione habet f. 8. ipse Cortius. Igitur nihil mutavi. *G.*

11 *(quo audito — bene?)*) *Bene parenthesin hanc observavit, et pro *Iulius nepos* scripsit *huius nepos* Cortius. Nimirum Iulii avi mentio monuit Secundum nostrum, ut Passieni de illo apophthegma proponeret, quo facto redit ad nepotem more sibi consueto, *huius* Iulii, de quo modo dixi, *nepos* etc. *G.*

Bene, me hercule) Iudicat eleganter, accurate, docte, studiose, dicere Iulium, sed in caussa, quae simplicius agi posceret, et nimia diligentia corrumperetur. *G.*

12 *si — adiecisset*) Non passus igitur sit oportet Servianus ultra attributum sibi tempus dicere Iulium. Plinii vox non modo illud indicat, quod maxime fuit in caussa, nihil novi allatum ab actore; sed eius illum stultitiae accusat, quae ridetur in illo, qui redux e Gallia, in qua XII annos commoratus fuerat, interrogante quodam, ecquid Gallice loqueretur, deieravit, si paucas adhuc hebdomades ibi fuisset, se facultatem illam, qua planissime carebat, adepturum fuisse. *G.*

14 hactenus non tacui. Conſules, ut Polyaenus poſtulabat, omnia integra Principi ſervaverunt; cuius cognitionem ſuſpenſus exſpecto. Nam dies ille nobis pro Vareno aut ſecuritatem et otium dabit, aut intermiſſum laborem renovata ſolicitudine iniunget. Vale.

VII.

Gaudet Saturnini et Priſci coniunctione, et hunc ad ſe reverti ſatiatum otio, cupit.

C. PLINIVS SATVRNINO SVO S.

Et proxime Priſco noſtro, et rurſus, quia ita iuſſiſti, gratias egi, libentiſſime quidem. Eſt enim mihi periucundum, quod viri optimi mihique amiciſſimi adeo cohaeſiſtis, ut invicem vos obli-
2 gari putetis. Nam ille quoque praecipuam ſe voluptatem ex amicitia tua capere profitetur, certatque tecum honeſtiſſimo certamine mutuae ca-
3 ritatis, quam ipſum tempus augebit. Te negotiis distineri ob hoc moleſte fero, quod deſervire ſtudiis non potes. Si tamen alteram litem per iudicem, alteram, ut ais, ipſe finieris, incipies primum illic otio frui, deinde ſatiatus ad nos reverti. Vale.

13 *hactenus non tacui)* Illud *non* non concoquunt quidam editores. Sed reperit in optimis quibusque Cortius, et *hactenus* adiectum facit, ut eadem prope ſententia exſiſtat. Nempe, *hactenus*, inquit, *non tacui*, ut loquerer paucula illa, quae dixi; ceterum plane a dicendo abstinui. Τὴν *non* omiſiſſe primum videntur, qui *hactenus* ceperunt pro *adhuc:* qua ratione contra diceret his, quae praeceſſerunt. *G.*

Suſpicor, a Secundi manu profectum eſſe, *quod pro Vareno hactenus non egi. Tacui* gloſſator videtur adſcripſiſſe, explicans illa, *non egi. S.*

14 *ſuſpenſus exſpecto)* Si tu etiam, lector, adi huius libri epiſtolam 10. *G.*

VIII.

Eandem laetitiam ſignificat Priſco, eumque ad conſtantiam hortatur.

C. PLINIVS PRISCO SVO S.

Exprimere non poſſum, quam iucundum ſit mihi,
quod Saturninus noſter ſummas tibi apud me
gratias aliis ſuper alias epiſtolis agit. Perge, ut 2
coepiſti, virumque optimum quam familiariſſime
dilige, magnam voluptatem ex amicitia eius percepturus, nec ad breve tempus. Nam cum omni- 3
bus virtutibus abundat, tum hac praecipue, quod
habet maximam in amore conſtantiam. Vale.

IX.

Quaerenti amico rationem exercendi ſtili praeſcribit.

C. PLINIVS FVSCO SVO S.

Quaeris, quemadmodum in ſeceſſu, quo iamdiu
frueris, putem te ſtudere oportere. Utile in pri- 2
mis, et multi praecipiunt, vel ex Graeco in Latinum, vel ex Latino vertere in Graecum: quo genere exercitationis proprietas ſplendorque verborum, copia figurarum, vis explicandi, praeterea imitatione optimorum ſimilia inveniendi facultas paratur: ſimul quae legentem fefelliſſent, transferentem fugere non poſſunt. Intelligentia ex hoc
et iudicium adquiritur. Nihil obfuerit, quae le- 3
geris hactenus, ut rem argumentumque teneas,

VIII, 3 *cum — abundat)* *Sic docet Cortius eſſe in libris, non *abundet:* quam ceteroqui conſtructionem, exemplis probatam hic a Cellario, non damnat. *G.*

Vid. I. M. Heuſinger. ad Cic. de Offic. pag. 573. *S.*

IX, 2 *ſplendorque verborum*) In ſplendore ut cogitemus quandam puritatem et dignitatem, quae ad elegantiam, delectum et ornatum pertinet, aſperitati, et veluti ſordibus, atque inquinatae rationi dicendi contrariam, quae verbis exilibus, minus ſuaviter ſonantibus, hiulcis etc. tribui ſolet, veterum uſus nos admonet, de quo copioſius diximus in Technol. Rhet. Lat. p. 368. ſqq. *E.*

quaſi aemulum ſcribere, lectisque conferre, ac
ſedulo penſitare, quid tu, quid ille commodius.
Magna gratulatio, ſi non nulla tu; magnus pudor,
ſi cuncta ille melius. Licebit interdum et notiſ-
4 ſima eligere, et certare cum electis. Audax haec,
non tamen improba, quia ſecreta, contentio:
quamquam multos videmus eiusmodi certamina
ſibi cum multa laude ſumſiſſe, quosque ſubſequi
ſatis habebant, dum non deſperant, anteceſſiſſe.
5 Poteris et, quae dixeris, poſt oblivionem retra-
ctare, multa retinere, plura transire, alia inter-
6 ſcribere, alia reſcribere. Laborioſum iſtud et
taedio plenum, ſed difficultate ipſa fructuoſum,
recaleſcere ex integro, et reſumere impetum fra-
ctum omiſſumque: poſtremo, nova velut membra
peracto corpori intexere, nec tamen priora tur-
7 bare. Scio, nunc tibi eſſe praecipuum ſtudium
orandi; ſed non ideo ſemper pugnacem hunc et
quaſi bellatorium ſtilum ſuaſerim. Ut enim ter-
rae variis mutatisque ſeminibus, ita ingenia no-
ſtra nunc hac, nunc illa meditatione recoluntur.
8 Volo interdum aliquem ex hiſtoria locum appre-
hendas: volo epiſtolam diligentius ſcribas: [volo
carmina.] Nam ſaepe in orationes quoque non

3 *notiſſima eligere*) *Notiſſima eligere*, ut eo magis elaborandum ſit in varianda oratione; difficilius enim eſt notis et communibus ſubſtituere abſtruſiora quaedam, et tamen eadem propria. Sic difficilius eſt *certare cum electis*, tanquam pulcherrimis ſcilicet, et non temere ſuperandis. *G.*

7 *orandi*) ſcil. cauſſas, agendi. Nam apud veteres *orare* dicebatur pro *agere*. vid. Clav. Cic. h. v. *S.*

8 [*volo carmina.*]) *Incluſa ſunt a Cortio verba, quae abſunt ab optimis libris, et hic non neceſſaria. Quod enim *prope poëticae deſcriptionis neceſſitas* memoratur, illud modo per occaſionem *hiſtoricae deſcriptionis* incidit. Ceterum deinde demum ſ. 9. *Fas eſt*, inquit, *et carmine remitti. G.*

Omiſit Gierigius. Recte. Mox unice probo noſtrum, *hiſtoricae — — poëticae deſcriptionis neceſſitas*. Senſus: Saepe orationes quoque non hiſtoricam modo, ſed prope poeticam deſcriptionem deſiderant. Quid contorta ſectamur, ubi plana in promtu ſunt? *Hiſtorica, poëtica*, ni fallor, ſemidoctus invexit, in cuius libro *deſcriptionum* (hoc enim nonnulli codices habent) pro genuino *deſcriptionis* legeretur. *S.*

hiſtoricae modo, ſed prope poëticae deſcriptionis
neceſſitas, incidit; et preſſus ſermo purusque ex
epiſtolis petitur. Fas eſt et carmine remitti: non 9
dico continuo et longo, (id enim perfici niſi in
otio non poteſt) ſed hoc arguto et brevi, quod
apte quantaslibet occupationes curasque diſtinguit.
Luſus vocantur; ſed hi luſus non minorem inter- 10
dum gloriam, quam ſeria conſequuntur: atque
adeo (cur enim te ad verſus non verſibus ad-
horter?)

Ut laus eſt cerae, mollis cedensque ſequatur 11
Si doctos digitos, iuſſaque fiat opus,
Et nunc informet Martem, caſtamque Minervam,
Nunc Venerem effingat, nunc Veneris puerum;
Utque ſacri fontes non ſola incendia ſiſtunt,
Saepe etiam flores vernaque prata iuvant:
Sic hominum ingenium flecti ducique per artes
Non rigidas docta mobilitate decet.

Itaque ſummi oratores, ſummi etiam viri ſic ſe 12
aut exercebant aut delectabant, immo delectabant
exercebantque. Nam mirum eſt, ut his opuſculis 13
animus intendatur remittaturque. Recipiunt enim
amores, odia, iras, miſericordiam, urbanitatem,
omnia denique, quae in vita, atque etiam in fo-
ro cauſſisque verſantur. Ineſt his quoque eadem, 14

9 *apte — diſtinguit)* quod inter medias occupationes in chartas coniici poteſt, non intermiſſis negotiis. Sic, qui epigrammatibus ſubito effingendis ingenium ſuum adſueſecerunt, repente, inter media negotia, ſi qua res epigrammati apta mentem tetigit, verſus perſcribunt, et mox rurſus in negotiis toti ſunt. *E.*

11 *Ut laus eſt cerae)* Vid. quos laudamus de hac ſimilitudine ad Quintil. 10, 5, 9. Fundus eſt Demetrius de Elocut. ſ. 317. *G.*

iuſſaque fiat opus) De inanimatis, formam quamcunque ab arte accipientibus, hoc verbo et cognatis utuntur, poëtae praeſertim. *Iuſſos rivos* ſic dixit Columella 10, 48. Sic *imperare, parere, ſequi* etc. *G.*

caſtamque Minervam) Al. *caſtamve Minervam*, quod malim. Barthii, infelicis ſaepe critici, coniectura, *Veſtam, atque Minervam*, nemini placebit. *S.*

12 *Itaque)* Gierigiana: *Ita.* ſphalma fortaſſe operarum. *S.*

13 *opuſculis)* vid. Quintil. 2, 1, 8. *G.*

quae aliis carminibus utilitas, quod metri necessitate devincti, soluta oratione laetamur, et quod facilius esse comparatio ostendit, libentius scribi-
15 mus. Habes plura etiam fortasse, quam requirebas; unum tamen omisi. Non enim dixi, quae legenda arbitrarer: quamquam dixi, quum dicerem, quae scribenda. Tu memineris sui cuiusque generis auctores diligenter eligere: aiunt enim,
16 MVLTVM LEGENDVM ESSE, NON MVLTA. Qui sint hi, adeo notum provocatumque est, ut demonstratione non egeant: et alioqui tam immodice epistola me extendi, ut, dum tibi, quemadmodum studere debeas, suadeo, studendi tempus abstulerim. Quin ergo pugillares resumis, et aliquid ex his, vel istud ipsum quod coeperas, scribis. Vale.

14 *necessitate devincti)* 'Habent ista intellectum bonum et facilem.' Sed blandiebatur nobis tamen suspicio, an non convenientius esset legere *metri necessitate defuncti:* sic enim indicaretur, superata illa difficultate, abiectis quasi illis compedibus atque vinculis, quibus carmina adstricta sunt, laetius procedere orationem liberam, ut retenti canes in venatu, tanto erumpunt et procurrunt cupidius, ut stabulis hibernis emissa pecora lascivius exsultant. *G.*

15 *sui cuiusque generis)* Cortius, ut elegantius, malit: *sui quosque generis.* Si qua in his elegantia, nostrum sat elegans mihi videtur. Secundus 2, 5, 7. *secundum suam cuiusque naturam. S.*

multum — non multa) Vid. quae in hanc sententiam disputat Quintil. 10, 1, 19. Loquuntur nempe de initiis et formando stilo; non condemnant nos ad Sisypheum aliquod saxum: aut, asini instar ad molam vincti, vel canis machinam culinarem vano adscensu circumagentis, in minimo paucissimorum librorum orbe volunt consenescere. Itaque optimis magistris non contra dixisse mihi videor, cum in praefatione ad Livium de cursoria non minus quam de stataria lectione disputavi. *G.*

Gierigius verba, *aiunt enim — — multa,* e margine textui illata putat; turbare enim seriem orationis. Immo cum serie orationis aptissime cohaerent: docent enim, cur sui cuiusque generis auctores diligenter eligendi sint. *S.*

16 *provocatumque)* Legendum puto *pervulgatumque.* Quod cum ἀρχαϊκῶς adhibitoque compendio scriptum esset, *pvolgatumque,* sic, ut vides, depravatum est. „Cum enim voculae „*per, prae* et *pro* ut plurimum „in Mstis unica litera *p* notari „solerent, addito tamen signo „quodam, qua distingui possent, „imperiti librarii eas praepositio„nes saepissime commutarunt." Drakenb. ad Sil. Ital. 17, 56. *S.*

epistola me extendi) Forte: *epistolam extendi. G.*

Sic libri aliquot. Verum puto. *S.*

aliquid ex his) Quae hac tibi epistola commendavi. *G.*

scribis) Signum interrogandi post hoc verbum ponendum. *S.*

X.

Eventum actionis Bithynorum contra Varenum narrat.

C. PLINIVS MACRINO SVO S.

Quia ipſe, quum prima cognovi, iungere extrema, quaſi avulſa, cupio; te quoque exiſtimo velle de Vareno et Bithynis reliqua cognoſcere.
Acta cauſſa hinc a Polyaeno, inde a Magno. 2
Finitis actionibus Caeſar, *Neutra,* inquit, *pars de mora queretur. Erit mihi curae, explorare provinciae voluntatem.* Multum interim Varenus tu- 3
lit. Etenim quam dubium eſt, an merito accuſetur, qui an omnino accuſetur, incertum eſt? Supereſt, ne rurſus provinciae, quod damnaſſe dicitur, placeat, agatque poenitentiam poenitentiae ſuae. Vale.

XI.

Liberalitas in Corelliam explicatur.

C. PLINIVS FABATO SVO S.

Miraris, quod Hermes libertus meus hereditarios agros, quos ego iuſſeram proſcribi, non exſpectata auctione, pro meo quincunce ex ſeptin-

X, 1 *Quia ipſe — — cupio)* Catanaeus et Gierigius ad ea referunt, quae Plinius antea de cauſſa Vareni ſcripſerat. Immo eſt ſententia generalis. *S.*

de Vareno et Bithynis) Coeperat 5, 20. perrexit 6, 13. et 7, 6. *G.*

2 *provinciae voluntatem)* De qua dubium eſt, cum legati et literae poſteriores contra dicant prioribus. *G.*

3 *Multum — tulit)* multum hic eventus Vareno profuit. *S.*

XI, 1 *ex ſeptingentis millibus)* Quincuncem Plinii Hermes addixit ea portione, ac ſi totus as ſeptingentis millibus aeſtimatus eſſet, cum tamen illi agri toti, totus as, potuerint nongentis venire. Sed eamus ad calculoś. Cum 700000 ex Eiſenſchmidiana computatione valeant 35000 florenos Rhenanos, erit quincunx 14583 1/3. Sed de 900000 h. e. 45000 florenis Rhenanis quincunx 18750. Condonavit ergo Corelliae Plinius 4167 florenos ſ. imperiales 2778. Agit de hoc loco diligenter, et a perverſis interpretationibus eum vindicat I. F. Gronovius de Pec. Vet. 4, 5. p. 290. ſq. *G.*

gentis millibus Corelliae addixerit. Adiicis, poſſe
eos nongentis millibus venire, ac tanto magis
2 quaeris, an, quod geſſit, ratum ſervem. Ego vero
ſervo: quibus ex cauſſis, accipe. Cupio enim et
tibi probatum, et coheredibus meis excuſatum
eſſe, quod me ab illis, maiore officio iubente,
3 ſecerno. Corelliam cum ſumma reverentia dili-
go; primum, ut ſororem Corellii Rufi, cuius mihi
memoria ſacroſancta eſt; deinde, ut matri meae
4 familiariſſimam. Sunt mihi et cum marito eius,
Minucio Fuſco, optimo viro, vetera iura: fuerunt
et cum filio maxima: adeo quidem, ut praetore
5 me ludis meis praeſederit. Haec, quum proxime
iſtic fui, indicavit mihi, cupere ſe aliquid circa
Larium noſtrum poſſidere. Ego illi ex praediis
meis, quod vellet, et quanti vellet, obtuli, exce-
ptis paternis maternisque: his enim cedere ne
6 Corelliae quidem poſſum. Igitur quum obveniſ-
ſet mihi hereditas, in qua praedia iſta, ſcripſi ei
venalia futura. Has epiſtolas Hermes tulit, exi-
gentique, ut ſtatim portionem meam ſibi addiceret,
paruit. Vides, quam ratum habere debeam, quod
7 libertus meus meis moribus geſſit? Supereſt, ut
coheredes aequo animo ferant, ſeparatim me ven-
didiſſe, quod mihi licuit omnino vendere. Nec
8 vero coguntur imitari meum exemplum. Non

4 *Minucio Fuſco)* *Minicio Iuſto* ex Mediceo libro dedit Cortius. Dubitabam unius libri fide tam receptam lectionem loco movere. *G.*

Gierigius, Cortio partim obſecutus, dedit *Minicio Fuſco*. *S.*

ludis meis praeſederit) Alios interdum aliorum nomine praeſediſſe ludis oſtendit hic Cortius ex Sueton. Aug. 45. et Claud. 7. it. Neron. 12, et laudavit Cuperum Obſſ. 4, 13. *G.*

6 *meis moribus)* Qui coniecturam faceret ex moribus meis, quid facturus tali in re eſſem: cumque ſciret, me hoc non negaturum Corelliae, fecit, quod petebat. Iuris doctores ex *conſenſu praeſumto* talia docent fieri. *G.*

Meis moribus, h. e. ita, ut Corelliae praedia illa non modo ſtatim, ſed etiam, quod inprimis Plinianum, pro Secundi portione vili addicerentur. Ceterum intererat Corelliae, hanc portionem ſibi ſtatim addici, ne forte coheredes negotium cum alio interim emtore transigerent. *S.*

enim illis eadem cum Corellia iura ſunt. Poſſunt ergo intueri utilitatem ſuam, pro qua mihi fuit amicitia. Vale.

XII.

Libellum poſtulatum ſero mittens, per iocum ſe excuſat, aliosque iocos inſpergit.

C. PLINIVS MINVCIO SVO S.

Libellum formatum a me, ſicut exegeras, quo
amicus tuus, immo noſter, (quid enim non com-
mune nobis?) ſi res poſceret, uteretur, miſi tibi
ideo tardius, ne tempus emendandi eum, id eſt,
diſperdendi, haberes. Habebis tamen, an emen- 2
dandi, neſcio; utique diſperdendi (ὑμεῖς γὰρ κα-
κόζηλοι) optima quaeque ſi detraxeris. Quod ſi 3
feceris, boni conſulam. Poſtea enim illis ex ali-

8 *eadem cum Corellia*) Opus videtur, hic monere, ne quis τὴν *cum* iungat pronomini *eadem. Sunt mihi iura cum marito* iam dixit ſ. 4. nempe amicitiae. *G.*

pro qua mihi fuit) Quanti alii utilitatem faciunt, tanti ego amicitiam, ut magnae mihi utilitatis inſtar ſit, amicum, et veteris benevolentiae memorem etiam cum iactura rei familiaris videri. Iungenda eſt huic epiſtolae quarta decima huius libri. *G.*

XII, 1 *formatum*) non ſimpliciter ſcriptum, ſed ad certam quandam regulam compoſitum. Conf. Cicero de Orat. 2, 9. *S.*

(ὑμεῖς γὰρ κακόζηλοι)) *Si κακόζηλοι eſt a Plinio, legendum puto 'Ημεῖς, et accipiendum cum μιμήσει quadam h. m. *Nos enim,* veſtro iudicio ſcilicet, ſumus κακόζηλοι, *mala affectatione* (quae eſt Fabiana definitio 8, 3, 56.) *per omne dicendi genus peccantes, — quorum ingenium iudicio caret, et ſpecie boni fallitur — Igitur optima quaeque,* meo iudicio, vos *detrahenda* de ſcriptis noſtris putatis. Si vero utique 'Υμεῖς legendum, malim κακιζότεχνοι, *corruptores artis* per nimiam emendandi diligentiam etc. Vox inſolentior, ſed familiaris noſtro vel ex avunculi ſui H. N. 34, 8. ſ. 19. Vel denique ipſum κακόζηλοι hoc intellectu accipiendum. Aſt, ne quid diſſimulem, primum mihi maxime placebat, tum quod blandius eſt, tum in primis propter ea, quae dicuntur ſ. 4: et forte nobiscum ſentiet, ſi quis totam Fabii de cacozelo tractationem contulerit. *G.*

Add. Gesneri ad I. A. Erneſt. epiſtola. Plurimi libri: ὑμεῖς γὰρ οἱ εὔζηλοι. quod genuinum puto. *S.*

detraxeris) Gierigius malit *detrahis*. Non audio. Diſperditur, perit libellus, optimis quibusque detractis. *S.*

3 *illis — ut meis, utar*) Ea, quae tu tanquam κακόζηλα, et nimis tumida expunxeris, in alium

qua occasione, ut meis, utar, et beneficio fastidii tui ipse laudabor, ut in eo, quod adnotatum in-
4 venies, et suprascripto aliter explicitum. Nam, quum suspicarer, futurum, ut tibi tumidius videretur, quod est sonantius et elatius; non alienum existimavi, ne te torqueres, addere statim pressius quiddam et exilius, vel potius humilius et peius,
5 vestro tamen iudicio rectius. Cur enim non usquequaque tenuitatem vestram insequar et exagitem? Haec, ut inter istas occupationes aliquid
6 aliquando rideres: illud serio. Vide, ut mihi viaticum reddas, quod impendi, data opera cursore dimisso. Nae tu, quum hoc legeris, non partes libelli, sed totum libellum improbabis, negabisque ullius pretii esse, cuius pretium reposceris. Vale.

XIII.

Ferocis elegantem epistolam laudat.

C. PLINIVS FEROCI SVO S.

Eadem epistola et studere te et non studere significat. Aenigmata loquor. Ita plane, donec
2 distinctius, quod sentio, enuntiem. Negat enim te studere, sed est tam polita, quae nisi a stu-

librum conferam, et tanquam mea scripta, vel sub meo nomine, edam, vel alii, ut pro suis utatur, dabo: ab iisque, quae tu fastidieris, laudem consequar: quemadmodum propter illum ipsum locum laudabor ab intelligentibus, quem adnotavi, et verbis aliis in interstitio versuum scriptis reddidi. *Nam cum* etc. *G.*

6 *Vide, ut mihi viaticum)* Hic magis etiam quam ante iocatur vir liberalissimus, et multa millia nummum donare solitus. Ceterum *dimissus data opera cursor* illis placebit, quibus forte opus fuerit Latine dicere, quem Romanica lingua *Expressum* vocare solet. Videtur autem cursore dimisso compensare voluisse tarditatem, de qua est in principio epistolae. *G.*

XIII, 1 *et studere te et non studere)* Cortiana et Gierigiana genuino ordine verborum: *et non studere te et studere.* *S.*

2 *quae — non potest)* Puto indicativo modo post relativum, quod caussam significare potest, ideo usum Plinium, ut eo adseveratius negaret. *G.*

Soloecismus, cuius ego Plinium non damnaverim: et absolvit eo

dente, non poteſt ſcribi: aut es tu ſuper omnes beatus, ſi talia per deſidiam et otium perficis. Vale.

XIV.

Firmat liberalitatem ſuperiorem.

C. PLINIVS CORELLIAE SVAE S.

Tu quidem honeſtiſſime, quod tam impenſe et rogas et exigis, ut accipi iubeam a te pretium agrorum non ex ſeptingentis millibus, quanti illos a liberto meo, ſed ex nongentis, quanti a publicanis partem viceſimam emiſti. Invicem ego et 2
rogo et exigo, ut non ſolum quid te, verum etiam quid me deceat, adſpicias, patiarisque, me in hoc uno tibi eodem animo repugnare, quo in omnibus obſequi ſoleo. Vale.

XV.

Rem publicam ac amicorum curare honeſtiſſimum eſſe docet.

C. PLINIVS SATVRNINO SVO S.

Requiris, quid agam. Quo noſti, diſtringor officio: amicis deſervio: ſtudeo interdum; quod non interdum, ſed ſolum ſemperque facere, non audeo dicere rectius, certe beatius erat. Te alia omnia, 2

dex Mediceus, pro *quae* commode exhibens *quam*, quod ab editoribus poſtponi non debebat. *S.*

XIV, 1 *ex ſeptingentis*) Interpretati ſumus ad 7, 11, 1. Breviter, ἡ *ex* notat proportionem et comparationem cum aſſe. *G.*

a publicanis partem viceſim.) Nimirum *viceſima hereditatum* debetur, ut vectigalia reliqua, publicano. Vid. noſter Paneg. 37, 1. ſqq. Corellia, quae coëmeret agros illos hereditarios, etiam partem hanc publicanorum ab iis emit, et quidem *ex nongentis*, h. e. ut diximus, ea portione, ut as totus aeſtimaretur 900000 nummum. Cedebant igitur publicano HS 45000 ſ. 45 ſeſtertia, qui ſunt floreni Rhenani 2250. *G.*

XV, 2 *Te alia omnia* etc.) Non ita Secundus. Voluit enim

quam quae velis, agere, moleſte ferrem, niſi ea, quae agis, eſſent honeſtiſſima. Nam et reipublicae ſervire negotiis, et disceptare inter amicos,
3 laude digniſſimum eſt. Priſci noſtri contubernium iucundum tibi futurum ſciebam. Noveram ſimplicitatem eius, noveram comitatem: eundem eſſe, quod minus noram, gratiſſimum, experior, quum tam iucunde officiorum noſtrorum meminiſſe eum ſcribas. Vale.

XVI.

Tironem ſe facile inducturum ſignificat, ut ex via ad Fabatum declinet, et vindicta, quos iuſſerit, liberet.

C. PLINIVS FABATO PROSOCERO SVO S.

Caleſtrium Tironem familiariſſime diligo, et privatis mihi et publicis neceſſitudinibus implicitum.
2 Simul militavimus, ſimul quaeſtores Caeſaris fuimus. Ille me in tribunatu liberorum iure praeceſſit; ego illum in praetura ſum conſequutus, quum mihi Caeſar annum remiſiſſet. Ego in vil-

reipublicae, voluit amicis ſervire, etſi beatius ei videbatur literarum ſtudiis ſolum ſemperque occupari. Bene igitur haec cum antecedentibus cohaerent, nec indigent Gierigianà διορθώσει. Ceterum *alia omnia* ſolennis ordo, cui demiror Cortium alterum, *omnia alia*, praeferre potuiſſe. *S.*

reipublicae ſervire negotiis) *Cortius ex Mediceo *reipublicae ſuae negotia curare, et disceptare.* ſententia eadem. *G.*

3 *experior*) Non exuit hic vim ſuam verbum hoc: non ſimpliciter ſignificat, *audio*, *comperio*; ſed ad experimentum proprie dictum, cum quis de re ſua eventu ipſo docetur, reſpicit. *G.*

XVI, 2 *quaeſtores Caeſaris*) Iidem *candidati principis*, cuius mandata ad Senatum perferrent. Vid. Ill. Spanhem. de uſu et praeſt. numm. 10, 5. p. 166. *G.*

liberorum iure) Quod haberet liberos, quibus ego tum carebam. De praerogativis eorum, qui liberos haberent, prae his, qui caelibes eſſent, vel orbi, iam non opus eſt ad loca veterum ſcriptorum disputare, quod ſtudioſe hic factum a Cellario; cum obſervata virorum doctorum collecta ſint ICtis, v. g. Ill. Heineccio Antiquit. Iuris 1, 25, 3. ſqq. *G.*

annum remiſiſſet) Ut anno uno prius liceret Praeturam gerere, quam lege annali conſtitu-

las eius saepe secessi; ille in domo mea saepe
convaluit. Hic nunc proconsul provinciam Bae- 3
ticam per Ticinum est petiturus. Spero, immo
confido, facile me impetraturum, ut ex itinere
deflectat ad te. Si voles vindicta liberare, quos 4
proxime inter amicos manumisisti, nihil est, quod
verearis, ne sit hoc illi molestum, cui orbem
terrarum circumire non erit longum mea caussa.
Proinde nimiam verecundiam pone, teque, quid 5
velis, consule. Illi tam iucundum, quod ego,
quam mihi, quod tu iubes. Vale.

XVII.

Orationes quoque perinde ac carmina ac historias recitari posse, contra quosdam reprehensores defendit.

C. PLINIUS CELERI SUO S.

Sua cuique ratio recitandi; mihi, quod saepe
iam dixi, ut, si quid me fugit, ut certe fugit,
admonear. Quo magis miror, quod scribis fuisse 2
quosdam, qui reprehenderent, quod orationes
omnino recitarem: nisi vero has solas non putant
emendandas. A quibus libenter requisierim, cur 3
concedant (si concedant tamen) historiam debere
recitari, quae non ostentationi, sed fidei veritatique
componitur; cur tragoediam, quae non auditorium,
sed scenam et actores; cur lyrica, quae
non lectorem, sed chorum et lyram poscunt.
At horum recitatio usu iam recepta est. Num 4

tum esset, de qua Lips. de Magistrat. P. R. 5. Locus classicus est Cic. Philipp. 5, 17. Unde illud in primis liquet, Consulatui statutum esse annum aetatis tertium et quadragesimum. *G.*

4 *vindicta liberare*) Ut e Latina libertate, quam manumissione privata adeptus est, plenam civitatem Romanam consequatur. Est integer titulus in digestis 40, 2. *de manumissis vindicta*, unde peti possunt, quae hic opus sunt, omnia. *G.*

XVII, 4 *Num ergo culpand.*) Reprehensus fuerat Plinius, quod

ergo culpandus eſt ille, qui coepit? Quamquam orationes quoque et noſtri quidam, et Graeci le-
5 ctitaverunt. Supervacuum tamen eſt recitare, quae dixeris. Etiam, ſi eadem omnia, iisdem omnibus, ſi ſtatim recites: ſi vero multa inſeras, multa commutes, ſi quosdam novos, quosdam eosdem, ſed poſt tempus, adſumas, cur minus probabilis ſit cauſſa recitandi quae dixeris, quam
6 edendi? Sed difficile eſt, ut oratio, dum recitatur, ſatisfaciat. Iam hoc ad laborem recitantis pertinet,
7 non ad rationem non recitandi. Nec vero ego, dum recito, laudari, ſed dum legor, cupio. Itaque nullum emendandi genus omitto. Ac primum quae ſcripſi, mecum ipſe pertracto; deinde duobus aut tribus lego; mox aliis trado adnotanda, notasque eorum, ſi dubito, cum uno rurſus aut altero penſito; noviſſime pluribus recito, ac, ſi quid mihi credis, tunc acerrime emendo. Nam tanto diligentius,
8 quanto ſolicitius, intendo. Optime autem reverentia, pudor, metus iudicant. Idque adeo ſic habe. Nonne, ſi loquuturus es cum aliquo, quamlibet docto, uno tamen, minus commoveris,
9 quam ſi cum multis vel indoctis? Nonne, quum ſurgis ad agendum, tum maxime tibi ipſe diffidis,

orationes recitaret. Reſpondet, eadem ſe ratione facere, qua alii recitent hiſtoriam, tragoedias, lyrica. Obiicit adverſarius, *At horum recitatio uſu iam recepta eſt;* orationum non item. Plinius reſpondet, in reliquis etiam initium aliquando factum, rogatque, *Num ergo culpandus eſt ille, qui coepit iſta?* Aliam adhuc reſponſionem ſubiicit, nempe ſe neque primum eſſe, qui recitet orationem: idem et noſtros et Graecos quosdam factitaſſe etc. Retinui igitur lectionem antiquam, et a Boxhornio adhuc ſervatam, reductamque, cum alii mutaſſent, a Cortio. *G.*

5 *Etiam*) Concedentis eſt. vid. Index. Male explicat h. l. Otho ad Giſan. Obſervat. L. L. p. 315. *S.*

eadem omnia) Vid. Giſan. l. l. *S.*

iisdem omnibus) Cortius bene ex Mediceo *ſi iisdem omnibus*, quod miror Gierigium neglexiſſe. Mox malim: *ſi multa commutes. S.*

7 *tanto diligentius, quanto ſolicitius)* Quanto magis ſolicitus ſum de iudicio amicorum, quos ad recitationem audiendam convocavi; tanto diligentius intendo animum, tum antequam ad illos adfero ſcriptum meum, tum in ipſa recitatione, ubi obſervo, quid placeat, quid frontem illis corruget etc. *G.*

8 *commoveris)* perturbaris, trepidas. *S.*

tum commutata, non dico plurima, sed omnia
cupis? Utique si latior scena, et corona diffusior.
Nam illos quoque sordidos pullatosque reveremur.
Nonne, si prima quaeque improbari putas, debi- 10
litaris et concidis? Opinor, quia in numero ipso
est quoddam magnum collatumque consilium; qui-
busque singulis iudicii parum, omnibus plurimum.
Itaque Pomponius Secundus (hic scriptor tragoe- 11
diarum) si quid forte familiarior amicus tollen-
dum, ipse retinendum arbitraretur, dicere sole-
bat, AD POPVLVM PROVOCO: atque ita ex populi
vel silentio vel adsensu aut suam aut amici sen-
tentiam sequebatur. Tantum ille populo dabat. 12
Recte an secus, nihil ad me. Ego enim non
populum advocare, sed certos electosque soleo,
quos intuear, quibus credam, quos denique et
tanquam singulos observem, et tanquam non sin-
gulos timeam. Nam quod M. Cicero de stilo, 13
ego de metu sentio. Timor est emendator acer-

9 *Utique*) certe, *wenigstens.* Plinius 5, 7, 2. *Mihi autem defuncti voluntas — — antiquior iure est, utique in eo, quod ad communem patriam voluit pervenire.* S.

pullatosque) *Tunica pulla* indutos, quod Verri obiicit Cicero 4, 24. Opportune hic laudavit Cellarius Sueton. Aug. c. 40. ubi *pullatorum* pro concione *turbae* indignatur Augustus. Multa ibi, et hunc ipsum locum dedit Casaubonus. *G.*

10 *debilitaris et concidis*) Imitatur Tullium suum de fin. 5, 15. *Victi debilitantur, animosque demittunt.* *G.*

omnibus plurimum) Certe in hac caussa. Cum enim hoc petat orator, populo placere, probari populo: iudicio multitudinis omnino illi standum est. Alioquin si quis simpliciter istam sententiam tribuat Secundo, collectam stultorum multitudinem sapienter iudicare, iniuriam prudentissimo viro fecerit: et aliter ipsum sensisse, quae sequuntur §. 12. declarant. *G.*

Pro *omnibus* Secundus accuratius scripsisset *cunctis.* *S.*

11 *ad populum provoco*) Lepide abutebatur notissima formula Quiritium, fidem implorantium populi, aut provocatione certantium. *G.*

13 *Cicero de stilo*) Respicit illud magistrorum bonorum vocibus decantatum, utinam diligentius a iuventute obsequendo expressum, ex 1 de orat. 33. *Stilus optimus et praestantissimus dicendi effector et magister.* *G.*

emendator acerrimus) **Asperrimus* ex bonis libris dedit Cortius, quod vel ideo non displicet, quod *limam* saepe adhibet hac in re Plinius, cuius dos est *asperam* esse. *G.*

Add. Gesneri ad I. A. Ernest. epistola. Cortium secutus est Gierigius. *S.*

rimus. Hoc ipſum, quod nos recitaturos cogitamus, emendat: quod auditorium ingredimur, emendat: quod pallemus, horreſcimus, circum-
14 ſpicimus, emendat. Proinde non poenitet me conſuetudinis meae, quam utiliſſimam experior: adeoque non deterreor ſermunculis iſtorum, ut ultro te rogem, monſtres aliquid, quod his ad-
15 dam. Nihil enim curae meae ſatis eſt. Cogito, quam ſit magnum, dare aliquid in manus hominum: nec perſuadere mihi poſſum, non, et cum multis, et ſaepe tractandum, quod placere et ſemper et omnibus cupias. Vale.

XVIII.

Caninio rogatus ſuadet, ut, quam Comenſibus in epulum pecuniam promiſerat, ita diſponat, ut ipſe ſuam in alimenta ingenuorum.

C. PLINIVS CANINIO SVO S.

Deliberas mecum, quemadmodum pecunia, quam municipibus noſtris in epulum obtuliſti, poſt te quoque ſalva ſit. Honeſta conſultatio, non expedita ſententia. Numeres reipublicae ſummam? Verendum eſt, ne dilabatur. Des agros? Ut
2 publici, negligentur. Equidem nihil commodius invenio, quam quod ipſe feci. Nam pro quingentis millibus nummum, quae in alimenta ingenuorum promiſeram, agrum ex meis, longe pluris, actori publico mancipavi: eundem vectigali im-

XVIII, 1 *Deliberas mecum)* Conſulis me. Sic mox *conſultatio*. Vid. Ind. Boſ. in Cornel. Nepot. v. *deliberare*. *S.*

poſt te — ſit) poſt obitum tuum non alienis rebus, ſed ſemper epulis iſtis reſervetur et impendatur. *E.*

2 *actori publico mancipavi)* Servo publico (ut alii, non ſibi, acquirere poſſet) imaginaria venditione tradidi. Multa hac de re viri docti ad illud Tac. An. 2, 30. *Quia vetere ſenatusconſulto quaeſtio in caput domini prohibebatur, callidus et novi iuris repertor Tiberius mancipari ſingulos* actori publico *iubet: ſcilicet ut in Libonem ex ſervis ſalvo ſenatusconſulto quae-*

polito recepi, tricena millia annua daturus. Per 3
hoc enim et reipublicae fors in tuto, nec reditus
incertus, et ager ipfe propter id, quod vectigali
large fupercurrit, femper dominum, a quo exer-
ceatur, inveniet. Nec ignoro, me plus aliquanto, 4
quam donaffe videor, erogaviffe, quum pulcher-
rimi agri pretium neceffitas vectigalis infregerit.
Sed oportet privatis utilitatibus publicas, morta- 5
libus aeternas anteferre; multoque diligentius mu-
neri fuo confulere, quam facultatibus. Vale.

XIX.

Fanniam, cuius valetudinem dolenter fert, meritis laudibus exornat.

C. PLINIVS PRISCO SVO S.

Angit me Fanniae valetudo. Contraxit hanc,
dum adfidet Iuniae Virgini, fponte primum, (eft
enim adfinis) deinde etiam ex auctoritate pontifi-
cum. Nam Virgines, quum vi morbi atrio Ve- 2
ftae coguntur excedere, matronarum curae cu-

reretur. Hic *mancipat* Plinius *agrum*, qui *longe pluris* effet, quam quingentorum millium, *actori publico*, ut iam effet reipublicae: ab hac illum deinde recipit vectigalem, et promittit *tricena millia* annua, tanquam ufuras femiffes (6 per centum). Cum autem ager multo plus referat quotannis, quam tricena millia, (*longe* enim *pluris* eft, quam quingentorum millium) *femper inveniet, qui exercere illum* et vectigal folvere reip. velit. *G.*

3 *vectigali — fupercurrit*) plus quotannis refert, quam vectigal illud impofitum. *E.*

Cortius ex Mediceo: *vectigal — fupercurrit.* Verum puto: demque agnofcit Forcellinus. *S.*

4 *neceffitas vectigalis infregerit*) neceffitas pendendi reipublicae vectigalis 30000 annuorum pretium agri minuit. *E.*

5 *muneri — confulere*) latiori fenfu, promiffis, officio, operae, quam in te recepifti, fatisfacere. *E.*

XIX, 2 *Nam Virgines*) Adparet ex talibus locis, Plinium pofteritati fcripfiffe, quia faepiuscule talia monet, quae tum non facile quis ignoraret. Ceterum quod hic *Virgines* fimpliciter dicuntur, omiffo *Veftales*, et paullo ante *Virgini* (ubi librorum auctoritate *Veftali* delevit Cortius) illud inufitatum non effe, et hic oftendit idem Cortius, et probavit vir doctus in Mifcell. obff. 4, 3. p. 432. *G.*

ſtodiaeque mandantur. Quo munere Fannia dum
ſedulo fungitur, hoc discrimine implicita eſt.
3 Inſident febres, tuſſis increſcit, ſumma macies,
ſumma defectio: animus tantum et ſpiritus viget,
Helvidio marito, Thraſea patre digniſſimus: reli-
qua labuntur, meque non metu tantum, verum
4 etiam dolore conficiunt. Doleo enim, maximam
feminam eripi oculis civitatis, neſcio an aliquid
ſimile viſuris. Quae caſtitas illius! quae ſancti-
tas! quanta gravitas! quanta conſtantia! Bis ma-
ritum ſequuta in exſilium eſt, tertio ipſa propter
5 maritum relegata. Nam, quum Senecio reus eſ-
ſet, quod de vita Helvidii libros compoſuiſſet,
rogatumque ſe a Fannia in defenſione dixiſſet:
quaerente minaciter Metio Caro, an rogaſſet, re-
ſpondit, *Rogavi:* an commentarios ſcripturo de-
diſſet, *Dedi:* an ſciente matre, *Neſciente.* Poſtre-
6 mo nullam vocem cedentem periculo emiſit. Quin
etiam illos ipſos libros, quamquam ex neceſſitate
et metu temporum abolitos SC. publicatis bonis,
ſervavit, habuit, tulitque in exſilium exſilii cauſ-
7 ſam. Eadem quam iucunda, quam comis, quam
denique (quod paucis datum eſt) non minus ama-
bilis, quam veneranda! Erit ſane, quam poſtea
uxoribus noſtris oſtentare poſſimus: erit, a qua
viri quoque fortitudinis exempla ſumamus; quam
ſic cernentes audientesque miramur, ut illas, quae
8 leguntur. Ac mihi domus ipſa nutare, convulſa-
que ſedibus ſuis ruitura ſupra videtur, licet ad-
huc poſteros habeat. Quantis enim virtutibus
quantisque factis adſequentur, ut haec non no-
9 viſſima occiderit? Me quidem illud etiam adſli-

5 *Poſtremo*) ut paucis me expediam. Sic mox, ut aliis permultis locis, *denique.* S.

6 *abolitos*) Publice in comitio exuſtos, quod monuere iam viri docti ex Tac. Agric. 2. G.

7 *miramur*) Genuinum eſt. Senſus: etenim iam nunc eam, dum adhuc vivit, ſic miramur, ut illas, quas nunquam vidimus. Quo magis defunctam mirabimur, uxoribusque noſtris ac nobismetipſis tanquam exemplum omnium virtutum oſtentabimus. S.

8 *noviſſima occiderit*) Eo

git et torquet, quod matrem eius, illam (nihil
possum illustrius dicere) tantae feminae matrem,
rursus videor amittere, quam haec, ut reddit ac
refert nobis, sic auferet secum, meque et novo
pariter et rescisso vulnere adficiet. Utramque co- 10
lui, utramque dilexi: utram magis, nescio; nec
discerni volebant. Habuerunt officia mea in se-
cundis, habuerunt in adversis. Ego solatium re-
legatarum, ego ultor reversarum: non feci tamen
paria, atque eo magis hanc cupio servari, ut mihi
solvendi tempora supersint. In his eram curis, 11
quum scriberem ad te; quas si deus aliquis in
gaudium verterit, de metu non querar. Vale.

XX.

Taciti librum, a se notatum, remittit; in suo libro vicem exspectat, et amicitia illius, studiorumque ac famae societate delectatur.

C. PLINIVS TACITO SVO S.

Librum tuum legi, et, quam diligentissime potui, adnotavi, quae commutanda, quae eximenda arbitrarer. Nam et ego verum dicere adsuevi, et tu libenter audire. Neque enim ulli patientius

sensu, quo Cremutius Cordus *Cassium Romanorum ultimum* dixerat apud Tac. An. 4, 34. ubi plura Lipsius. *G.*

9 *quod matrem — — adficiet*) Fannia ita similis erat matri (*reddebat* et *referebat* eam) ut plane eadem videri posset. Ergo Fannia defuncta mater eius *rursus* quasi amittitur. Haec sic cogitabat Plinius. Sed in conformatione huius sententiae acumen amabile expendant, quibus utique curae est acumen aliquod ingenii. Utinam tamen, si verum quaerimus, non ad lusum usque verborum, ut fit, processisset iucundissimus Plinius. *E.*

10 *nec discerni volebant*) neutra cupiebat alteri praeferri quacunque re. *E.*

solatium — ultor) De illo vid. 3, 11, 3. de hoc 9, 13. *G.*

non feci — paria) Intellige *acceptis expensa*; rationum enim verbum esse, statim ipse indicat, cum *solvendi tempora* optat. *G.*

11 *non querar*) Excerpta Brummer. *nihil querar*, quod verum puto. *S.*

XX, 1 *eximenda*) Gesneriana *examinanda*, negligentiâ, ni fallor, operarum. Itaque correxi. *S.*

reprehenduntur, quam qui maxime laudari me-
2 rentur. Nunc a te librum meum cum adnota-
tionibus tuis exfpecto. O iucundas, o pulchras
vices! Quam me delectat, quod, fi qua pofteris
cura noftri, usquequaque narrabitur, qua concor-
3 dia, fimplicitate, fide, vixerimus! Erit rarum
et infigne, duos homines, aetate propemodum
aequales, non nullius in literis nominis (cogor
enim de te quoque parcius dicere, quia de me
4 fimul dico) alterum alterius ftudia foviffe. Equi-
dem adolefcentulus, quum iam tu fama gloriaque
floreres, te fequi, tibi *longo, fed proximus, in-
tervallo* et effe et haberi concupifcebam. Et erant
multa clariffima ingenia: fed tu mihi (ita fimili-
tudo naturae ferebat) maxime imitabilis, maxime
5 imitandus videbaris. Quo magis gaudeo, quod,
fi quis de ftudiis fermo, una nominamur; quod
de te loquentibus ftatim occurro. Nec defunt,
6 qui utrique noftrum praeferantur. Sed nihil in-
tereft mea, quo loco iungimur. Nam mihi pri-
mus, qui a te proximus. Quin etiam in tefta-

3 *aetate propemodum aequales)* Auctius Cortiana, *aetate, dignitate propemodum aequales:* Gierigiana, *aetate et dignitate propemodum aequales.* Mihi noftra lectio videtur praeferenda. Inter homines enim doctrinae laude florentes non tam dignitatis f. honorum in republica aequalitas, quam annorum nominisque in literis invidiam gignere folet. *S.*

4 *longo, fed proximus)* Ex Aen. 5, 320. Non *fecundum* fe vocat, quod plus eft, fed *proximum.* Sic apud Horat. 1, od. 12, 20. *Proximos* Iovi (cui tamen *nihil fecundum nafcitur*) *honores occupavit Pallas.* *G.* Similia funt paffim in Quintil. ut lib. 10, 1, 86. *E.*

ita fimilitudo naturae) Haec adiicit, ne vulgari imitatorum vitio illud quod deterrimum eft arripuiffe, vel certe, dum fe extenuat, Tacitum fimul deprimere videatur: ideo etiam cum *imitabili* coniungit *imitandum.* *G.*

5 *quod de te — occurro)* Excerpta Brummeriana auctius: *quod ego de te, tu de me loquentibus ftatim occurris.* Verum, ni fallor: nec, opinor, minus modeftum. *S.*

6 *iungimur)* Exfpectes *iungamur.* *S.*

qui a te proximus) Sic reftituit e bonis libris Cortius. *Nihil,* inquit Plinius, *intereft mea, quo loco iungamur,* modo iungamur, neque inter te et me quisquam interponatur. Nam *primus* ille *mihi* videtur, *qui a te proximus.* Eum cum me faciant omnes; licet alios praeponant tibi, mihi tamen non eripient, ut non ob id ipfum primus mihi videar et fat honoratus mortalis, quod a te ponor proximus. *G.*

mentis debes adnotaſſe: niſi quis forte alterutri
noſtrum amiciſſimus, eadem legata, et quidem
pariter, accipimus. Quae omnia huc ſpectant, 7
ut invicem ardentius diligamus, cum tot vinculis
nos ſtudia, mores, fama, ſuprema denique ho-
minum iudicia conſtringant. Vale.

XXI.

Conſilio de curandis oculis ſe pariturum ſcribit, et pro gallina iocabundus gratias agit.

C. PLINIVS CORNVTO SVO S.

Pareo, collega cariſſime, et infirmitati oculorum,
ut iubes, conſulo. Nam et huc, tecto vehiculo
undique incluſus, quaſi in cubiculo, perveni, et
non ſtilo modo, verum etiam lectionibus difficul-
ter, ſed abſtineo, ſoliſque auribus ſtudeo. Cubi- 2
cula obductis velis opaca, nec tamen obſcura,
facio. Cryptoporticus quoque, adopertis inferio-
ribus feneſtris, tantum umbrae, quantum luminis,
habet. Sic paullatim lucem ferre condiſco. Ba- 3
lineum adſumo, quia prodeſt: vinum, quia non
nocet; parciſſime tamen. Ita adſuevi, et nunc
cuſtos adeſt. Gallinam, ut a te miſſam, libenter 4
accepi; quam ſatis acribus oculis, quamquam ad-
huc lippus, pinguiſſimam vidi. Vale.

adnotaſſe) animadvertiſſe. *E.*

niſi quis forte etc.) Haec ita diſpone: etiam in teſtamentis eadem legata et pariter accipimus, niſi quis forte etc. Nam amiciori maiora legata ſcribi ſolent. *E.*

7 *ſtudia, mores, fama*) Quam venuſte iungit et colligit, quae ſeparatim adhuc poſuerat! *G.*

XXI, 1 *collega*) In Conſulatu et in praefectura aerarii. Vid. 5, 15, 5. Forte ipſo collegii anno iſta ſcripſit, aut ſcripſiſſe fingit: quamquam ſeceſſus ſuadet aliud. Antiquiores *collegae* nomen in Auguratu praeſertim, cuius perpetuus honos eſſet, uſurparunt; in reliquis, ipſo tantum curationis tempore. *G.*

et non ſtilo modo) Cortius et Gierigius: *et hic non ſtilo modo.* Bene. *S.*

3 *Balineum — prodeſt*) Adſcripſit Cellarius Celſi locum 6, 6. *Curari oculos balneo, fotu, vino, vetuſtiſſimus auctor Hippocrates memoriae prodidit.* Porro *cuſtodem*, quem adeſſe ait, medicum, uxorem, libertum, ſervum, amicum denique intelligere licet. *G.*

XXII.

Aperte commendat, cui non nominato tribunatum impetraverat.

C. PLINIVS FALCONI SVO S.

Minus miraberis, me tam inſtanter petiſſe, ut in
amicum meum conferres tribunatum, quum ſcie-
ris, quis ille qualisque. Poſſum autem iam tibi
et nomen indicare, et deſcribere ipſum, poſtquam
2 polliceris. Eſt Cornelius Minucianus, ornamentum
regionis meae, ſeu dignitate, ſeu moribus. Na-
tus ſplendide, abundat facultatibus, amat ſtudia,
ut ſolent pauperes. Idem rectiſſimus iudex, for-
3 tiſſimus advocatus, fideliſſimus amicus. Accepiſſe
te beneficium credes, quum propius inſpexeris
hominem, omnibus honoribus, omnibus titulis
(nihil volo elatius de modeſtiſſimo viro dicere)
parem. Vale.

XXIII.

Proſocerum monet, ut domi proconſulem exſpectet, nec obviam ei procurrat.

C. PLINIVS FABATO PROSOCERO SVO S.

Gaudeo quidem eſſe te tam fortem, ut Mediolani occurrere Tironi poſſis: ſed, ut perſeveres eſſe tam fortis, rogo, ne tibi contra rationem aetatis tantum laboris iniungas. Quin immo de-

XXII, 1 *ſcieris)* audiveris, cognoveris ex me. *E.*

2 *ut ſolent pauperes)* Sic Athenienſes φιλοσοφίᾳ καὶ πενίᾳ σύντροφοι a Lucianeo Nigrino vocantur: et ad *bonae mentis paupertatem ſororem*, quae eſt apud Petron. c. 84. multa in hanc ſententiam viri docti. *G.*

Oppoſitio in his: *abundat facultatibus; amat ſtudia, ut ſolent pauperes.* Acer enim ſtudiorum amor raro eorum, qui facultatibus abundant. Apte laudavit Gesnerus locos illos Lucianeum et Petronianum. *S.*

3 *omnibus honoribus — — parem)* qui omnes honores, omnes titulos ſuſtineat; immo talem, cuius virtutibus omnes honores inferiores dicerem, niſi ſumma viri modeſtia obſtaret. *S.*

XXIII, 1 *fortem)* validum, tam bona valetudine. *E.*

nuntio, ut illum et domi, et intra domum, atque
etiam intra cubiculi limen, exſpectes. Etenim 2
quum a me ut frater diligatur, non debet ab eo,
quem ego parentis loco obſervo, exigere officium,
quod parenti ſuo remiſiſſet. Vale.

XXIV.

Numidiae mortem nuntiat, et ex heredibus nepotem, eiusque educationem laudat.

C. PLINIVS GEMINIO SVO S.

Numidia Quadratilla paullo minus octogeſimo
aetatis anno deceſſit, usque ad noviſſimam valetu-
dinem viridis, atque etiam ultra matronalem mo-
dum compacto corpore et robuſto. Deceſſit ho- 2
neſtiſſimo teſtamento. Reliquit heredes, ex beſſe
nepotem, ex tertia parte neptem. Neptem pa-
rum novi: nepotem familiariſſime diligo; adole-
ſcentem ſingularem, nec iis tantum, quos ſanguine
attingit, inter propinquos amandum. Ac primum, 3
conſpicuus forma, omnes ſermones malignorum
et puer et iuvenis evaſit: intra quartum et viceſi-
mum annum maritus, et, ſi deus adnuiſſet, pater.
Vixit in contubernio aviae delicatae ſeveriſſime,
et tamen obſequentiſſime. Habebat illa pantomi- 4
mos fovebatque effuſius, quam principi feminae
conveniret. Hos Quadratus non in theatro, non

2 *Etenim — — remiſiſſet*) Praeclara ſententia! quaſi quaedam ſtellula, qua vel breviſſimam epiſtolam, ut tamen aliquo in loco ſplendeat, diſtinguit. Haec talia tironibus commendari et illuſtrari maxime debent. *E.*

XXIV, 1 *Numidia)* Excerpta Brummer. *Ummidia,* quod verum. Vid. ad 6, 11, 1. *S.*

2 *nepotem*) Numidium Quadratum, de quo 6, 11. *G.*

nec iis tantum — amandum) ſed alienis quoque tali proſequendum amore, quali propinquos proſequi ſolemus. *S.*

3 *omnes ſermones — evaſit)* Commentarii inſtar eſſe poſſunt, quae Cicero Or. pro Coel. 5. de Coelio notavit. *E.*

4 *non domi)* Privatim itaque, cum theatra eſſent publica. Sic *in hortis Praetoris ludi ſpectati* Quint. 3, 6, 18. *G.*

5 domi ſpectabat; nec illa exigebat. Audii ipſam,
quum mihi commendaret nepotis ſui ſtudia, ſole-
re ſe, ut feminam in illo otio ſexus, laxare ani-
mum luſu calculorum, ſolere ſpectare pantomimos
ſuos; ſed quum factura eſſet alterutrum, ſemper
ſe nepoti ſuo praecepiſſe, abiret, ſtuderetque:
quod mihi non amore eius magis facere, quam
6 reverentia videbatur. Miraberis, et ego miratus
ſum. Proximis ſacerdotalibus ludis, productis in
commiſſione pantomimis, quum ſimul theatro ego
et Quadratus egrederemur, ait mihi: *Scis, me
hodie primum vidiſſe ſaltantem aviae meae liber-*
7 *tum?* Hoc nepos. At, hercule, alieniſſimi ho-
mines in honorem Quadratillae, (pudet me dixiſſe
honorem) per adulationis officium, in theatrum
curſitabant, exſultabant, plaudebant, mirabantur:
ac deinde ſingulos geſtus dominae cum canticis
reddebant; qui nunc exiguiſſima legata, theatra-

5 *Audii ipſam, quum* etc.) Cicero de Orat. 2, 90. *audivi — — Metrodorum, quum de his ipſis rebus disputaret.* S.

otio ſexus) et aetatis: talis enim et alea ludunt ſenes. Sic γεροντικῶς *luſiſſe* ſe ſcribit ad Tiberium Auguſtus Sueton. c. 71. G.

reverentia) Illa nimirum, quam *puero* etiam *deberi maximam* Iuvenalis ait 14, 47. Et *peccaturo obſtet tibi filius infans.* G.

6 *in commiſſione*) Cum committerentur ac certamen inirent: proprium ludicris pariter ac feriis certaminibus verbum. G.

7 *pudet me dixiſſe*) Dicere coepit, *homines alieniſſimos* (quos nepoti opponit, nulla cognatione coniunctos) in theatrum veniſſe, quoties ſaltarent Quadratillae pantomimi, idque feciſſe *in honorem Quadratillae:* hoc vero corrigit, *honorem* dicere non vult; *adulationis officium* ſubſtituit. Nempe heredipetae, inter alias artes ſuas, captabant ita Quadratillam, ut viderent, laudarent, illius pantomimos; quemadmodum contra apud Lucian. de merc. cond. p. 469. Gr. crimen eſt, non laudaſſe ſaltantem ſervulum. Hunc igitur Plinius negat honorem eſſe Quadratillae habitum; adulationem vocat. Hanc adulandi indignitatem deinde deſcribit graphice: *curſitabant* in theatrum, *exſultabant* quaſi gaudio, quoties bene rem gerere viderentur pantomimi; *plaudebant* voce, manu; *mirabantur* artem illorum, quam admiratione dignam non negaverit, qui Luciano illam deſcribenti credit in libello περὶ ὀρχήσεως; *reddebant dominae* illorum Quadratillae et repetito quaſi ſpectaculo exhibebant *geſtus*, quos modo viderant, *cum canticis* et modis, ad quos illi ſaltaverant; eoque modo teſtamentum ſuae Reginae mereri ſtudebant. At fruſtrati ſunt egregie: *nunc* enim *exiguiſſima legata* etc. G.

lis operae corollarium, accipient ab herede, qui
non ſpectabat. Quorſum haec? Quia ſoles, ſi 8
quid incidit novi, non invitus audire: deinde, quia
iucundum eſt mihi, quod ceperim gaudium, ſcribendo retractare. Gaudeo enim pietate defunctae, honore optimi iuvenis: laetor etiam, quod domus aliquando C. Caſſii, huius qui Caſſianae ſcholae princeps et parens fuit, ſerviet domino non mi-
nori. Implebit enim illam Quadratus meus, et 9
decebit, rurſusque ei priſtinam dignitatem, celebritatem, gloriamque reddet, quum tantus orator inde procedet, quantus iuris ille conſultus. Vale.

XXV.

Quam docti viri ſub habitu pagano lateant, exemplo Terentii Iunioris docet.

C. PLINIVS RVFO SVO S.

O quantum eruditorum, aut modeſtia ipſorum, aut quies operit et ſubtrahit famae! At nos eos tantum dicturi aliquid aut lecturi timemus, qui ſtudia ſua proferunt; quum illi, qui tacent, hoc amplius praeſtent, quod maximum opus ſilentio

corollarium) Recte cum theatrali opera iungitur. Docet enim Varro, dictum *corollarium a corollis, cum placuerunt actores, in ſcena dari ſolitis*, de L. L. p. 42, 2. Sed haec et plura, quae hic dedit Cellarius, commodius leguntur in Lexicis. G.

8 *Quorſum haec? Quia)* Brevius, ſed eadem ſententia Cortius, *Haec, quia ſoles* etc. G.

Caſſianae ſcholae) Cui *Proculeiana* ſe oppoſuit. De utraque viri docti ad Pomponii enchiridion. G.

9 *Implebit — et decebit)* Eadem fere vis utriusque verbi: *implet* enim domum, qui ſatis magnus eſt, ut proportionem ad eam habeat. Sic Paneg. 15, 4. *quod denique tectum magnus hoſpes impleveris*, ubi vid. G.

rurſusque — — reddet) pleonaſmus. Saepe ſic *rurſus* cum verbis a *re* incipientibus iungitur. Vid. interpr. ad Liv. 9, 27, 1. epit. 14. ad Iul. Caeſ. de B. G. 4, 4. S.

XXV, 1 *maximum — reverentur)* h. e. ſtudia literarum colunt taciti. Nam hoc ſilentio oſtendunt, ſe literas non ſui commodi cauſſa, ſed propter ipſarum praeſtantiam colere, in quo multo ſunt honeſtiores et li-

2 reverentur. Expertus ſcribo, quod ſcribo. Terentius Iunior, equeſtribus militiis, atque etiam procuratione Narbonenſis provinciae integerrime functus, recepit ſe in agros ſuos, paratisque ho-
3 noribus tranquilliſſimum otium praetulit. Hunc ego, invitatus hoſpitio, ut bonum patrem familiae, ut diligentem agricolam intuebar, de his loquuturus, in quibus illum verſari putabam: et coeperam, quum ille me doctiſſimo ſermone revoca-
4 vit ad ſtudia. Quam terſa omnia! quam Latina! quam Graeca! Nam tantum utraque lingua valet, ut ea magis videatur excellere, quam cum maxime loquitur. Quantum ille legit! quantum tenet! Athenis vivere hominem, non in villa,
5 putes. Quid multa? Auxit ſolicitudinem meam, effecitque, ut illis, quos doctiſſimos novi, non minus hos ſeductos et quaſi ruſticos verear.
6 Idem ſuadeo tibi. Sunt enim, ut in caſtris, ſic etiam in literis noſtris plures cultu pagano, quos cinctos et armatos, et quidem ardentiſſimo ingenio, diligentius ſcrutatus invenies. Vale.

XXVI.

Morbo amici admonitus, hortatur, ut tales ſani perſeveremus, quales nos futuros infirmi profitemur.

C. PLINIVS MAXIMO SVO S.

Nuper me cuiusdam amici languor admonuit,

beraliores iis, qui ſuae gloriae et famae cauſſa *ſtudia ſua proferunt.* *E.*

2 *equeſtribus militiis)* Egregie illuſtrarunt hunc locum viri docti adſcripto Sueton. Claud. c. 25. *Equeſtres militias ita ordinavit, ut poſt cohortem alam, poſt alam tribunatum legionis daret*, laudatoque Schelio ad Hygin. de caſtramet. p. 69. ſq. Breviter *equeſtres militiae* ſunt equitum Romanorum in ipſis legionibus, et inter pedites, praefecturae. *G.*

paratisque) Al. *ſperatisque.* Minus efficaciter ad laudem Terentii. Maioris enim animi, otium praeferre *paratis* honoribus, quam *ſperatis.* Ultima litera vocis praegreſſae adhaereſcens, inſequenti illam lectionem peperit. *S.*

3 *coeperam)* ſcil. cum eo colloqui de rebus ruſticis. *E.*

5 *ſeductos)* qui rure et in agrorum quaſi ſeceſſu vivunt. *E.*

6 *Sunt enim, ut* etc.) Locus acute inventus, ſed paululum contortus. *E.*

optimos esse nos, dum infirmi sumus. Quem enim infirmum aut avaritia aut libido solicitat? Non amoribus servit, non appetit honores, opes 2
negligit, et quantulumcunque, ut relicturus, satis habet. Tunc deos, tunc hominem esse se meminit: invidet nemini, neminem miratur, neminem despicit, ac ne sermonibus quidem malignis aut attendit, aut alitur: balinea imaginatur et fontes. Haec summa curarum, summa votorum; mollem- 3
que in posterum et pinguem, si contingat evadere, h. e. innoxiam beatamque destinat vitam. Possum ergo, quod pluribus verbis, pluribus 4
etiam voluminibus philosophi docere conantur, ipse breviter tibi mihique praecipere, ut tales esse sani perseveremus, quales nos futuros profitemur infirmi. Vale.

XXVII.

An aliquid spectra sint, ita quaerit, ut exemplis Curtii Rufi, et Athenodori philosophi, tum domesticorum suorum adfirmare videatur.

C. PLINIVS SVRAE SVO S.

Et mihi discendi, et tibi docendi facultatem otium praebet. Igitur perquam velim scire, esse

XXVI, 1 *aut avaritia aut libido*) Probabiliter suspiceris, Plinium scripsisse, *aut avaritia, aut ambitio, aut libido.* His optime respondent, quae sequuntur. Media cur exciderint, sponte apparet. Idem placet Gierigio. *S.*

2 *sermonibus — attendit — alitur)* Notanda constructio. *S.*

3 *mollem — pinguem)* Non satis assequor, quid Plinius secutus sit, cum *mollem* et *pinguem vitam*, quae ex communi latinae linguae consuetudine in vitio ponitur, nunc ipse *innoxiam beatamque* interpretetur. *E.* Communem illam latinae linguae consuetudinem non novi, mirorque hic haesisse virum doctissimum, qui *pingue otium*, *pinguem secessum* saepe laudari bene sciret. Mollis vita pinguisque opponitur ei, quam occupationes omnis generis perturbant, quam solicitat, nunc avaritia, nunc ambitio, nunc libido. Talem vitam innoxiam beatamque vocari, quid mirum? *S.*

4 *pluribus — pluribus)* Praestat, ut gravius, Cortii et Gierigii, *plurimis — plurimis.* *S.*

XXVII Vid. Gesneri ad I. A. Ernest. epistola.

aliquid phantaſmata, et habere propriam figuram numenque aliquod putes, an inania et vana ex
2 metu noſtro imaginem accipere. Ego ut eſſe credam, in primis eo ducor, quod audio accidiſſe Curtio Rufo. Tenuis adhuc et obſcurus obtinenti Africam comes haeſerat: inclinato die ſpatiabatur in porticu; offertur ei mulieris figura humana grandior pulchriorque: perterrito, *Africam ſe, futurorum praenuntiam*, dixit: *iturum enim Romam, honoresque geſturum, atque etiam cum ſummo imperio in eandem provinciam reverſu-*
3 *rum, ibique moriturum.* Facta ſunt omnia. Praeterea accedenti Carthaginem, egredientique navem, eadem figura in litore occurriſſe narratur. Ipſe certe implicitus morbo, futura praeteritis, adverſa ſecundis auguratus, ſpem ſalutis, nullo ſuorum
4 deſperante, proiecit. Iam illud, nonne et magis terribile, et non minus mirum eſt? quod expo-
5 nam, ut accepi. Erat Athenis ſpatioſa et capax

1 *phantaſmata)* Non nego, *phaſmata* bonum verbum eſſe, et huic rei aptum, quod vel veteres Gloſſae docent, in quibus φάσμα *moſtellum* eſt, diminuta a *monſtro* appellatione, qua ipſa hac epiſtola Plinius utitur; et notum *Phaſma*, Menandri fabula, quae *Moſtellariam* Plauti peperit. Sic in Luciani philopſeude p. 336. Gr. Καὶ τὰ ἄλλα φάσματα ἠφανίσθη κ. τ. λ. Quin p. 347. in fabula, quam haec Athenodori excluſiſſe videtur, φάσματος nomen bis occurrit. Sed hoc non eo valet, ut cum Caſaubono hic caſtrata voce *phaſmata* legamus pro *phantaſmata*, quod omnes in univerſum libros habere docet Cortius, et quod ſacris viris hoc ſenſu placuit Matthaeo 14, 26. et Marco 6, 49. *G.*

numen aliquod) vim quandam et potentiam divinam, θειότητα, qualis cernitur futurorum praeſagitione etc. *S.*

2 *Curtio Rufo)* Vitam eius, neque hac diſſimulata fabula, breviter enarrat Tacitus Annal. 11, 21. *G.*

iturum enim) Hoc *enim* reſpicere poteſt ad verba, *futurorum praenuntiam*; haec firmat ipſa denuntiatione. *Gruteri igitur coniectura, *eum*, non opus eſt. *G.*

5 *Erat Athenis)* In Luciani Philopſeude [cap. 35. vid. Böttiger *über Furienmasken* p. 51. *E.*] narratur, quod iam indicavi, fabella huic gemina, niſi quod Corinthi ſcena, non Athenis; quod pro Athenodoro Arignotus Pythagoricus eſt; et quod illud monſtrum Protei cuiusdam inſtar in varias ſe ſpecies mutat. Ceterum ad oſſa inſepulta deductus, ut hic Athenodorus, ita illic Arignotus, quibus ſepultis, quies reddita et ſalubritas domui ad eum diem peſtilenti. *G.*

domus, fed infamis et peftilens. Per filentium
noctis fonus ferri, et, fi attenderes acrius, ftrepi-
tus vinculorum longius primo, deinde e proximo
reddebatur: mox apparebat idolon, fenex macie
et fqualore confectus, promiffa barba, horrenti
capillo; cruribus compedes, manibus catenas ge-
rebat quatiebatque. Inde inhabitantibus triftes 6
diraeque noctes per metum vigilabantur: vigiliam
morbus, et, erefcente formidine, mors fequeba-
tur. Nam interdiu quoque, quamquam abfceffe-
rat imago, memoria imaginis oculis inerrabat,
longiorque cauffis [timoris] timor erat. Deferta
inde et damnata folitudine domus, totaque illi
monftro relicta: profcribebatur tamen, feu quis
emere, feu quis conducere, ignarus tanti mali,
vellet. Venit Athenas philofophus Athenodorus, 7
legit titulum: auditoque pretio, quia fufpecta vi-
litas, percunctatus, omnia docetur, ac nihilomi-
nus, immo tanto magis conducit. Ubi coepit
advefperafcere, iubet fterni fibi in prima domus
parte, pofcit pugillares, ftilum, lumen: fuos
omnes in interiora dimittit, ipfe ad fcribendum,
animum, oculos, manum intendit, ne vacua mens
audita fimulacra et inanes fibi metus fingeret.

idolon) Refugit adhuc Latinam appellationem *fpectri*, qua εἴδωλον Graecorum donaverat Catius, derifam nempe a Tullio fam. 15, 16.: fed poftea in ufum etiam ferio loquentium receptam. *G.*

fenex macie et fqualore confectus) Luciano αὐχμηρὸς, κομήτης, μελάντερος τοῦ ζόφου. *G.*

6 *longiorque cauffis* etc.) quia et interdiu timebant, cum fpectrum non apparebat. Satis erat tamdiu tremere, quamdiu fpectrum, cauffa timoris, aderat, nempe per noctem. Caeterum acutula eft haec omnis appendix, ἐνθύμημα habens concinnum, quod ex ingenii quodam radio fplenderet. *E.*

[*timoris*]) Inclufit uncis, ut fufpectum, Gesnerus, quod abeft in libris bonae notae, commodeque fubauditur. Omiferunt Cortius et Gierigius. Mox mallt N. Heinfius *damnata folitudini.* Sed *damnari* cafum fextum poenae legitime admittit. *S.*

7 *legit titulum*) Tabellam, in qua profcriptio. Vid. Heinf. ad illud Petron. c. 38. extr. *Hoc titulo auctionem profcripfit. G.*

fterni fibi) Non dormiendi cauffa, fed ftudendi, cui rei etiam lectos adhibebant. Vid. Burmann. ad Quintil. 10, 3. p. 936. *G.*

8 Initio, quale ubique, silentium noctis, deinde
concuti ferrum, vincula moveri: ille non tollere
oculos, non remittere stilum, sed obfirmare ani-
mum, auribusque praetendere: tum crebrescere
fragor, adventare etiam, ac iam ut in limine, iam
ut intra limen audiri: respicit, videt, agnoscitque
9 narratam sibi effigiem. Stabat innuebatque digi-
to, similis vocanti: hic contra, ut paullum exspe-
ctaret, manu significat, rursusque ceris et stilo
incumbit: illa scribentis capiti catenis insonabat:
respicit rursus idem, quod prius, innuentem: nec
10 moratus, tollit lumen, et sequitur. Ibat illa len-
to gradu, quasi gravis vinculis: postquam defle-
xit in aream domus, repente dilapsa deserit co-
mitem: desertus herbas et folia concerpta signum
11 loco ponit. Postero die adit magistratus, monet,
ut illum locum effodi iubeant. Inveniuntur ossa
inserta catenis et implicita; quae corpus aevo
terraque putrefactum nuda et exesa reliquerat
vinculis: collecta publice sepeliuntur: domus post-
12 ea rite conditis manibus caruit. Et haec quidem

8 *auribusque praetendere) Auribus praetendere animum* significat obstinatione quadam studendi impedire ne audiamus, certe audire nobis videamur, aliquid, ut qui manum vel ceram adeo praetendit. *Durum hoc videbatur Cl. Marklando ad Stat. Silv. 5, 23. quare legere nos volebat *acriusque pertendere*, eleganter utique; et forte melius consuluisset famae Plinius, si ita posuisset. Verum ut forte nimis audax fuit Plinius, qui ita posuerit; sic mutare contra omnes libros, audax ipsum quoque videtur. Et iam commonefecit virum doctum Cortius illius Sallustiani Catil. 58, 2. *Timor animi auribus officit.* G.

Aeg. Forcellinus, Cortio accedens: „h. e. animum et constantiam quasi in custodiam aurium praetendere, ne sonitu „strepituque percellerentur. *Prae-„tendere* hic a militia ductum „videtur, cum castra aut acies „contra hostem, et ad custodiam „limitum tenduntur. Tacit. 2. „Hist. c. 6. Quidquid castrorum „Armeniis praetenditur. Pacat. „in Paneg. Theodos. c. 10. Vix „Iberum tuum viderat, iam Istro „praetendebas. Claudian. de B. „Get. vers. 416. extremis legio „praetenta Britannis." S.

etiam) languidum hic, meliusque alii: *adventare, et iam ut in limine* etc. S.

10 *concerpta)* Gierigius: hinc inde carpta, evulsa. Immo est discerpta. S.

11 *rite conditis manibus)* Nempe ipsi manes vel anima condi et sepeliri putantur, et ad quietem redigi, una cum corpo-

adfirmantibus credo. Illud adfirmare aliis possum. Est libertus mihi Marcus, non illiteratus. Cum hoc minor frater eodem lecto quiescebat. Is visus est sibi cernere quendam in toro residentem, admoventemque capiti suo cultros, atque etiam ex ipso vertice amputantem capillos. Ubi illuxit, ipse circa verticem tonsus, capilli iacentes repe-
riuntur. Exiguum temporis medium, et rursus 13
simile aliud priori fidem fecit. Puer in paedagogio mistus pluribus dormiebat: venerunt per fenestras (ita narrat) in tunicis albis duo, cubantemque detonderunt; et qua venerant, recesserunt. Hunc quoque tonsum, sparsosque circa capillos
dies ostendit. Nihil notabile sequutum, nisi for- 14
te, quod non fui reus: futurus, si Domitianus, sub quo haec acciderunt, diutius vixisset. Nam in scrinio eius datus a Caro de me libellus inventus est; ex quo coniectari potest, quia reis moris est submittere capillum, recisos meorum capillos

re vel ossibus. Hinc preces insepulti Archytae apud Horatium Od. 1, 28. Praeclare plebis antiqua persuasione usi superiorum seculorum sacrificuli, qui Christiani nominis professionem nugis id genus sexcentis interpolare ausi sunt. Sed hoc non agimus. *G.*

12 *ipse — tonsus*) Sua sorte, vel alterius aut conscii, aut fraudem ipsi quoque molientis, manu. *G.*

13 *in paedagogio*) Nihil obstare videtur, quo minus *paedagogium* et hic et alias capiamus pro loco, ubi educantur pueri elegantiores beatae familiae. Iudicare poterit, si quis legerit, quae disputantur ad Sueton. Neron. 28. Hic illud praesertim observandum, quod *mistus pluribus dormit* puer: ergo in loco, ubi plures sunt etc. *G.*

14 *datus a Caro*) Metio Caro, illo nobili delatore, de quo 1, 5, 3. et 7, 19, 5. *G.*

reis — submittere capillum) Hoc est, alere et crescere pati, tanquam partem *squaloris* illius, propter quem etiam *sordidati* in publicum prodeunt. Poterat etiam cogitare, si ita ei libuisset, de naufragorum voto, qui capillum vovent, dum metuunt, ac ponunt defuncti periculo, qua de re viri docti ad Petron. c. 103. Poterat ex coniectorum disciplina etiam boni quidpiam suspicari. Sane Artemidorus 1, 23. postquam de naufragorum et convalescentium ex magno morbo tonsura dixit, subiicit ista: *Κείρεσθαι ὑπὸ κουρέως ἀγαθὸν πᾶσιν ἐπ' ἴσης δηλοῖ. Ἔτι γάρ, ὡς εἰπεῖν, ἀπὸ τοῦ καρῆναι καὶ τὸ χαρῆναι, κατὰ παραλλαγὴν στοιχείου, ἐκδέξασθαι. καὶ μέντοι οὐδεὶς ἐν περιστάσει πονηρᾷ, ἢ συμφορᾷ τινι καθεστώς, κείρεται, ἀλλ' οἷς μάλιστα μέλει εὐπρεπείας, ἀλύποις τε καὶ οὐκ ἀπόροις.* Sed illud primum cogitare debebat videlicet, pueros petulantia vel quacumque malitia fucum fecisse. *G.*

depulſi, quod imminebat, periculi ſignum fuiſſe.
15 Proinde rogo, eruditionem tuam intendas. Digna
res eſt, quam diu multumque conſideres: ne ego
quidem indignus, cui copiam ſcientiae tuae fa-
16 cias. Licet etiam utramque in partem, ut ſoles,
disputes: ex altera tamen fortius, ne me ſuſpen-
ſum incertumque dimittas, cum mihi conſulendi
cauſſa fuerit, ut dubitare deſinerem. Vale.

XXVIII.

Reprehenſus a nonnullis, quod nimium amicos laudet; amore ſe et benignitatis officio tuetur.

C. PLINIVS SEPTICIO SVO S.

Ais, quosdam apud te reprehendiſſe, tanquam
amicos meos ex omni occaſione ultra modum lau-
2 dem. Agnoſco crimen, amplector etiam. Quid
enim honeſtius culpa benignitatis? Qui ſunt ta-
men iſti, qui amicos meos melius me norint?
Sed ut norint; quid invident mihi feliciſſimo
errore? Ut enim non ſint tales, quales a me
praedicantur; ego tamen beatus, quod mihi vi-
3 dentur. Igitur ad alios hanc ſiniſtram diligen-
tiam conferant (nec ſunt parum multi) qui car-
pere amicos ſuos iudicium vocant: mihi nun-
quam perſuadebunt, ut meos amari a me nimium
putem. Vale.

XXVIII, 1 *tanquam*) Aldi *quod* a gloſſatore profectum. vid. ad 3, 9, 33. *S.*

Agnoſco — amplector) Non modo agnoſco illud crimen eſſe, ſed et mihi imputo, eiusque culpam tribuo. Hinc ſequentia: *Quid enim honeſtius culpa benignitatis? E.*

Melius Gierigius: „*Agnoſco* vox „eorum, qui aliquid concedunt, „verum eſſe fatentur. *amplector,* „eo delector." *S.*

2 *feliciſſimo errore*) Sic dedit e libris Cortius, et ſic hanc aetatem, ipſumque noſtrum, uſos *invidendi* verbo, poſt alios ad Quintil. 9, 3, 1. itemque in theſauro, qui prae manibus eſt, novo Latinae linguae oſtendimus. De uſu noſtri index conſuli poteſt. *G.*

5 *diligentiam*) ſeveritate cenſoria inquirendi in alios, laudemque iis debitam ad amuſſim exigendi. *S.*

XXIX.

Pallantis liberti monumentum ridet cum indignatione.

C. PLINIVS MONTANO SVO S.

Ridebis, deinde indignaberis, deinde ridebis, si legeris, quod nisi legeris, non potes credere. Est via Tiburtina intra primum lapidem (proxi- 2
me adnotavi) monimentum Pallantis, ita inscriptum: HVIC SENATVS, OB FIDEM PIETATEMQVE ERGA PATRONOS, ORNAMENTA PRAETORIA DECREVIT, ET SESTERTIVM CENTIES QVINQVAGIES, CVIVS HONORE CONTENTVS FVIT. Equidem numquam sum mira- 3
tus, quae saepius a fortuna, quam a iudicio proficiscerentur: maxime tamen hic me titulus admonuit, quam essent mimica et inepta, quae interdum in hoc coenum, in has sordes abiicerentur: quae denique ille furcifer et recipere ausus est, et recusare, atque etiam, ut moderationis exemplum, posteris prodere. Sed quid indignor? Ri- 4
dere satius est, ne se magnum aliquod adeptos putent, qui huc felicitate perveniunt, ut rideantur. Vale.

XXIX, 1 *deinde ridebis)* Post vices quasdam risus et indignationis, risus tandem obtinebit. *Repetitionem elegantem, Plinianamque restituit, omissam a quibusdam, Cortius. *G.*

2 *Pallantis)* Liberti Claudii Caesaris, de quo plura 8, 6. ubi etiam lucem accipiet, si quid forte hic obscurum maneat. *G.*

centies quinquagies, cuius) Apparet etiam ex hoc loco verum esse, quod inprimis Gronovius docuit, *sestertium* cum numerandi adverbiis esse singulare neutrius generis: refertur enim ad illud pronomen *cuius*. Ceterum ex Eisenschmidiana computatione, quam et accuratissimam et facillimam eandem deprehendisse mihi videor, *centies quinquagies sestertium* aequat florenos Rhenanos 750000 sive imperiales 500000; non sane contemtibilis pro liberto pecunia, quae si quincuncibus collocari possit, imperiales reddat quotannis 25000. *G.*

3 *mimica)* Hoc vult, non maioris facienda fortunae, quae vulgo vocantur, bona, si in hominem adeo indignum incidant, quam regium forte pallium in humeris mimi. Sic nempe etiam Paneg. 16, 3. *mimicos currus* de falsa triumphi adsimulatione dixit: utroque loco de *inimicis* somniarunt quidam librarii. *G.*

4 *Ridere satius est* etc.) Cortius cum Gierigio: *Ridere satius, ne se magnum aliquid* etc. quod verum. *S.*

XXX.

Dolet, amici ſtudia amiſſo diſcipulo impedita, nec ſua in ſeceſſu tranquilliora eſſe ſignificat, quamquam Demoſtheneis amicus comparaverit.

C. PLINIVS GENITORI SVO S.

Torqueor, quod diſcipulum, ut ſcribis, optimae ſpei amiſiſti, cuius et valetudine et morte impedita ſtudia tua quidni ſciam? quum ſis omnium officiorum obſervantiſſimus, quumque omnes,
2 quos probas, effuſiſſime diligas. Me huc quoque urbana negotia perſequuntur. Non deſunt enim,
3 qui me iudicem, aut arbitrum faciant. Accedunt querelae ruſticorum, qui auribus meis poſt longum tempus ſuo iure abutuntur. Inſtat et neceſſitas agrorum locandorum perquam moleſta. Adeo
4 rarum eſt invenire idoneos conductores. Quibus ex cauſſis precario ſtudeo: ſtudeo tamen. Nam et ſcribo aliquid et lego: ſed quum lego, ex comparatione ſentio, quam male ſcribam; licet tu mihi bonum animum facias, qui libellos meos de ultione Helvidii orationi Demoſthenis κατὰ
5 Μειδίου confers; quam ſane, quum componerem illos, habui in manibus, non ut aemularer (improbum enim ac paene furioſum) ſed tamen imitarer et ſequerer, quantum aut diverſitas ingenio-

XXX, 2 *perſequuntur*) Gesneriana: *proſequuntur*, qua auctoritate, neſcio. Videtur profectum ab negligentia operarum. Itaque mutavi. *S.*

Non deſunt enim) *Sic Aldus dedit: ſunt *enim* Mediceus apud Cortium. *Non delectant*, quod inculcatur poſt *perſequuntur*, abeſt in optimis pleriſque. *G.*

3 *auribus — abutuntur)* Ipſum illud *ſuo iure* indicat, *abuti* hic non ad vitioſum et malum uſum pertinere; ſed nihil aliud ſibi velle, quam pro arbitrio et vehementer uti. *G.*

4 *libellos de ultione Helvidii*) De quibus 9, 13. *Oratio Demoſthenis contra Midiam* exſtat, eum, a quo orator Bacchanaliorum die feſto pugnis in theatro caeſus fuerat. *G.*

5 *aemularer — imitarer)* Verba ſatis alioqui vicinae ſignificationis hic diſtinguuntur, ut *aemulari* ſtudium exaequandi, vel ſuperandi adeo, ſimul indicet; *imitari* autem is quoque dica-

rum, maximi aut minimi, aut caussae dissimilitudo pateretur. Vale.

XXXI.

Claudium Pollionem commendat.

C. PLINIVS CORNVTO SVO S.

Claudius Pollio amari a te cupit: dignus hoc ipso, quod cupit: deinde, quod ipse te diligit. Neque enim fere quisquam exigit illud, nisi qui facit. Vir alioqui rectus, integer, quietus, ac paene ultra modum (si quis tamen ultra modum)
verecundus. Hunc, quum simul militaremus, non 2
solum ut commilito inspexi. Praeerat alae milliariae: ego iussus a legato consulari rationem alarum et cohortium excutere, ut magnam quorundam foedamque avaritiam, et negligentiam parem, ita huius summam integritatem, solicitam diligen-
tiam inveni. Postea promotus ad amplissimas 3
procurationes, nulla occasione corruptus ab insito

tur, qui adspirare ad aequalem gloriam minime audeat, sed vestigia tantum magni viri adoret. *G.*

maximi aut minimi) Forte legend. *max. et min.* *G.*

Cortius, nulla varietate notata, *maximi et minimi.* quod unice verum. Sic et Gierigius, nihil monens de diversitate lectionis. *S.*

caussae dissimilitudo) Cum Demosthenes suas ultum iniurias eat, alienas Plinius. *G.*

XXXI, 1 *Claudius Pollio*) Nieuwlandus de Musonio pag. 18. (2): „Forte idem est, de quo „Suetonius Dom. 1. *Satisque con*„*stat* Clodium Pollionem, *prae*„*torium virum, in quem est* „*poëma Neronis, quod inscri*„*bitur* Luscio, *chirographum eius* „*conservasse et nonnunquam* „*protulisse, noctem sibi polli*„*centis.*" *S.*

dignus) scil. amari a te, primum *hoc ipso*, ob hoc ipsum, *quod cupit.* *S.*

2 *alae milliariae*) Adiectus numerus ad diversitatem alarum significandam, cum essent etiam *quingenariae.* Egit de *alarum* equestrium diversis generibus accuratissime post Lips. 2, 7. R. H. Schelius ad Hygin. p. 66. sqq. Add. Masson. 20, 6. *G.*

rationem) Cortius et Gierigius ex libris: *rationes.* verissime. Mox Gierigius pro *alarum* malit *turmarum* sine caussa idonea. Rationes alarum consiunt ex rationibus turmarum: nec urgenda in his oppositio. *S.*

3 *insito*) Dubito, an Secundus hic de discrimine inter *insitus* et *innatus* cogitaverit. Ipse Tullius *insitus* non raro sic usurpat, ut idem quod *innatus* significet. *S.*

abstinentiae amore deflexit: nunquam secundis
rebus intumuit, nunquam officiorum varietate
continuam laudem humanitatis infregit; eademque
firmitate animi laboribus suffecit, qua nunc otium
4 patitur. Quod quidem paullisper cum magna
sua laude intermisit et posuit, a Corellio nostro
ex liberalitate imperatoris Nervae emendis dividendisque agris adiutor adsumtus. Etenim qua
gloria dignum est, summo viro in tanta eligendi
5 facultate praecipue placuisse? Idem quam reverenter, quam fideliter amicos colat, multorum
supremis iudiciis, in his Musonii Bassi, gravissimi civis, credere potes, cuius memoriam tam
grata praedicatione prorogat et extendit, ut librum
de vita eius (nam studia quoque, sicut alias artes
6 bonas, veneratur) ediderit. Pulchrum istud, et
raritate ipsa probandum, quum plerique hactenus
7 defunctorum meminerint, ut querantur. Hunc
hominem, appetentissimum tui (mihi crede) complectere, apprehende, immo et invita, ac sic ama,
tanquam gratiam referas. Neque enim obligandus, sed remunerandus est in amoris officio, qui
prior coepit. Vale.

4 *ex liberalitate Nervae*) Cuius vestigium est in Xiphilini excerptis ex Dion. lib. 68. *Τοῖς πάνυ πένησι τῶν Ῥωμαίων ἐς χιλιάδα καὶ πεντακοσίας μυριάδας γῆς κτῆσιν ἐχαρίσατο, βουλευταῖς τισι τήν τε ἀγορασίαν αὐτῶν καὶ τὴν διανομὴν προστάξας.* G.

5 *Musonii Bassi*) Nescio, an hic sit Philosophus nobilis. Inquirere volenti materiem sufficiet Olearius ad Philostr. vit. Apollon. 4, 3. p. 176. G.

Al. *Annii Bassi*, quod Gierigius recepit. Sed celebratissimum illum philosophum intelligendum esse, satis probabile facit disputatio praestantissimi Nieuwlandi Cap. II. Sect. I. init. ubi hic Plinii locus severa critices lance expenditur. S.

veneratur) Claudius Pollio. Quod quis non videt? Retulit tamen vix credibili lapsu Gierigius ad Musonium, arguens hinc, philosophum tam clari nominis, qui literarum studia non *veneratus sit*, sed cum maxima laude excoluerit, h. l. non posse intelligi. S.

6 *querantur*) de supremis eorum iudiciis. Παρὰ προσδοκίαν hoc, satisque facetum. S.

XXXII.

Tironem proconsulem ad Fabatum divertisse, plurimosque manumissos liberasse, unice laetatur.

C. PLINIVS FABATO PROSOCERO SVO S.

Delector, iucundum tibi fuisse Tironis mei adventum: quod vero scribis, oblata occasione proconsulis, plurimos manumissos, unice laetor. Cupio enim patriam nostram omnibus quidem rebus augeri, maxime tamen civium numero: id enim oppidis firmissimum ornamentum. Illud etiam 2
me, non ut ambitiosum, sed tamen iuvat, quod adiicis, me teque et gratiarum actione et laude celebratos. Est enim, ut Xenophon ait, ἥδιστον ἄκουσμα ἔπαινος, utique si te mereri putes. Vale.

XXXIII.

Rogat, ut historiis suis actionem contra Baebium Massam inserat, cuius materiam recenset.

C. PLINIVS TACITO SVO S.

Auguror, nec me fallit augurium, historias tuas immortales futuras: quo magis illis (ingenue fatebor) inseri cupio. Nam si esse nobis curae solet, 2
ut facies nostra ab optimo quoque artifice expri-

XXXII, 1 *Tironis mei adventum)* De quo promiserat supra epistola 16, quam repete. *G.*

patriam nostram) Comum, ubi aetatem exegit. Memoriam eius rei servat lapis literatus in Comensi agro repertus, qui legitur apud Gruterum p. 382, 6. *G.*

2 *me teque)* Cortius ex libris bonae notae: *te meque.* Convenientius hoc modestiae scribentis. *S.*

ut Xenophon ait) In fabula Prodicia Mem. Socr. 2, 1. τὸ πάντων ἥδιστον ἄκουσμα vocat; in principio Hieronis autem ἥδιστον ἀκρόαμα. *G.*

XXXIII, 1 *Auguror)* Hanc epistolam cum Tulliana 5, 12. qui contulerit, non indelectatus, modo humanus sit, abibit. Par argumentum, personae prope pares, eventus in hoc idem, quod vel non consecutus est uterque quod petiit, vel interciderunt monimenta tanto studio quaesita. *G.*

matur; nonne debemus optare, ut operibus no-
ſtris ſimilis tui ſcriptor praedicatorque contingat?
3 Demonſtro itaque, quamquam diligentiam tuam
fugere non poſſit, quum ſit in publicis actis, de-
monſtro tamen, quo magis credas, iucundum mihi
futurum, ſi factum meum, cuius gratia periculo
crevit, tuo ingenio, tuo teſtimonio ornaveris.
4 Dederat me ſenatus cum Herennio Senecione ad-
vocatum provinciae Baeticae contra Baebium Maſ-
ſam: damnatoque Maſſa, cenſuerat, ut bona eius
publice cuſtodirentur. Senecio, quum exploraſ-
ſet, conſules poſtulationibus vacaturos, convenit
me, et, *Qua concordia*, inquit, *iniunctam nobis
accuſationem exſequuti ſumus, hac adeamus con-
ſules, petamusque, ne bona disſipari ſinant, quo-*
5 *rum eſſe in cuſtodia debent.* Reſpondi, *Quum
ſimus advocati a ſenatu dati, diſpice, num per-
actas putes partes noſtras, ſenatus cognitione
finita.* Et ille, *Tu, quem voles, tibi terminum
ſtatues, cui nulla cum provincia neceſſitudo, niſi
ex beneficio tuo, et hoc recenti: ipſe et natus ibi,*
6 *et quaeſtor in ea fui.* Tum ego, *Si fixum tibi
iſtud ac deliberatum, ſequar te, ut, ſi qua ex hoc*
7 *invidia erit, non tua tantum ſit.* Venimus ad
conſules, dicit Senecio, quae res ferebat: aliqua
ſubiungo. Vixdum conticueramus, et Maſſa que-
ſtus, *Senecionem non advocati fidem, ſed inimici
amaritudinem impleſſe*, impietatis reum poſtulat.

4 *Dederat me*) Conf. 3, 4, 4. et 6, 29, 7. *G.*

quorum eſſe in cuſtodia debent) Ad Conſules vulgo referunt. Immo Senecio his verbis ipſum videtur Imperatorem perſtrinxiſſe, quo conivente Maſſa bona ſua ſubtraheret. Hanc captans opportunitatem Maſſa Senecionem mox impietatis reum poſtulat, quod impedire conaretur, quae Principe non nolente fierent. *S.*

7 *impietatis reum*) Neſcio, quam bene *crudelitatem erga reum* hic interpretatus ſit Catanaeus *impietatem:* neque quis inde *horror* exſiſtere audientium, aut quae laus Plinio naſci ex periculi ſocietate potuerit. *Impietatis* erga principem crimen horribile fuiſſe novimus, eique ſuccubuiſſe tandem Herennium, vel ex 7, 19, 5. et 1, 5, 3. poteſt colligi. Quam facile fuerit ſub malis principibus in illud crimen incidere, ne longe abeamus, apparet ex Paneg. 33, 3. *G.*

Horror omnium: ego autem, *Vereor*, inquam, 8
clariſſimi conſules, ne mihi Maſſa ſilentio ſuo
praevaricationem obiecerit, quod non et me reum
poſtulavit. Quae vox et ſtatim excepta, et poſtea
multo ſermone celebrata eſt. Divus quidem Ner- 9
va (nam privatus quoque attendebat his, quae
recte in publico fierent) miſſis ad me graviſſimis
literis, non mihi ſolum, verum etiam ſaeculo eſt
gratulatus, cui exemplum (ſic enim ſcripſit) ſimi-
le antiquis contigiſſet. Haec, utcunque ſe habent, 10
notiora, clariora, maiora tu facies: quamquam
non exigo, ut excedas actae rei modum. Nam
nec hiſtoria debet egredi veritatem, et honeſte
factis veritas ſufficit. Vale.

9 *privatus quoque*) Forte etiam exſul eo tempore: a Domitiano enim, quod inſidiarum ſuſpectus eſſet, Tarenti habitare iuſſum, refert Philoſtratus vita Apollon. 7, 8. p. 284. Olear. G.

cui exemplum etc.) Vellei. 2, 78, 3. *Eadem tempeſtate Calvinus Domitius — — graviſſimi, comparandique antiquis, exempli auctor fuit.* ubi Ruhnkenius locum Plinianum comparavit. S.

LIBER OCTAVVS

I.

Ex itineris aestu lectorem suum in morbum incidisse, solicite significat.

C. PLINIVS SEPTICIO SVO S.

Iter commode explicui, excepto quod quidam ex
meis adversam valetudinem fervescentibus aestibus
2 contraxerunt. Encolpius quidem lector, ille seria
nostra, ille deliciae, exasperatis faucibus pulvere,
sanguinem reiecit. Quam triste hoc ipsi, quam
acerbum mihi, si is, cui omnis ex studiis gratia,
inhabilis studiis fuerit! Quis deinde libellos meos
sic leget? sic amabit? quem aures meae sic se-
3 quentur? Sed dii laetiora promittunt. Stetit
sanguis, resedit dolor. Praeterea continens ipse,
nos soliciti, medici diligentes. Ad hoc salubri-
tas coeli, secessus, quies, tantum salutis, quantum
otii, pollicentur. Vale.

I, 2 *Encolpius — lector*) Forte hoc ipsum nomen ab hero accepit, cuius *ἐν κόλπῳ in sinu* esset, qui non *seria* modo domini esset, sed etiam *deliciae*. G.

Vid. quae ad Epist. 1, 2, 2. notata sunt. Caeterum hoc nomen non rarum fuisse vel incognitum veteribus, Wagnerus in dissert. ad Plin. Epist. 1, 2. scripta ex Petronio et Ael. Lamprid. Vit. Severi Cap. 17. docuit. *E.*

si is, cui etc.) Desidero hic humanitatem tuam, Secunde. Ergo Encolpii tui omnis perit gratia, quod, exasperatis faucibus, libellos tuos legere non potest? *S.*

3 *Ad hoc*) Malim *ad haec.* Perpetua horum confusio. *S.*

II.

Vindemiae emtoribus, quod fructus ſpem fefellerat, remiſiſſe de pretio, et inde laudem conſequutum eſſe nuntiat.

C. PLINIVS CALVISIO SVO S.

Alii in praedia ſua proficiſcuntur, ut locupletiores revertantur; ego, ut pauperior. Vendideram vindemias certatim negotiatoribus ementibus. Invitabat pretium; et quod tunc, et quod fore videbatur. Spes fefellit. Erat expeditum, omnibus 2
remittere aequaliter, ſed non ſatis aequum. Mihi autem egregium inprimis videtur, ut foris, ita domi, ut in magnis, ita in parvis, ut in alienis, ita in ſuis, agitare iuſtitiam. Nam ſi paria peccata; pares etiam laudes. Itaque omnibus qui- 3
dem, ne quis mihi non donatus abiret, partem octavam pretii, quo quis emerat, conceſſi: deinde iis, qui ampliſſimas ſummas emtionibus occupaverant, ſeparatim conſului. Nam et me magis iuverant, et maius ipſi fecerant damnum. Igitur 4
iis, qui pluris, quam decem millibus emerant, ad illam communem, et quaſi publicam octavam, addidi decimam eius ſummae, quae decem millia exceſſerat. Vereor, ne parum expreſſerim; apertius 5
calculos oſtendam. Si qui forte quindecim millibus emerant, hi et quindecim millium octavam, et quinque millium decimam, tulerunt. Praeter- 6

II, 1 *vindemias)* Veriſſime Catanaeus: „vitium fructus, ius „demendi uvas a meis vineis." Poſtulat id et latinitatis Pliuianae et rei ipſius ratio. Sic apud nos ipſi arborum fructus, ceraſa etc. negotiatoribus venduntur. *S.*

2 *ſi paria peccata)* Ad Stoicorum illam ſententiam reſpicit, defenſam Ciceroni Parad. 2. et deriſam pro Murena c. 29. Hoc vult, Ex parva re recte administrata aeque magna laus debetur auctori. *G.*

3 *ne quis mihi* etc.) Expreſſit et hic Virgilium. vid. Aen. 5, 305. *S.*

occupaverant) „*Occupare* eleganter dicitur de pecunia, quae „aut ſub uſuris collocatur, aut „pro qua metallifodinae, agri etc. „emuntur, ut aliquid lucri et red„itus habeamus." Clav. Cic. *S.*

ea, quum reputarem quosdam ex debito aliquantum, quosdam aliquid, quosdam nihil reposuisse, nequaquam verum arbitrabar, quos non aequasset fides so-
7 lutionis, hos benignitate remissionis aequari. Rursus ergo iis, qui solverant, eius, quod solverant, decimam remisi. Per hoc enim aptissime et in praeteritum singulis, pro cuiusque merito, gratia referri, et in futurum omnes cum ad emendum,
8 tum etiam ad solvendum allici videbantur. Magno mihi seu ratio haec, seu facilitas stetit: sed fuit tanti. Nam regione tota et novitas remissionis et forma laudatur. Ex ipsis etiam, quos non una, ut dicitur, pertica, sed distincte gradatimque tractavi, quanto quis melior et probior, tanto mihi obligatior abit, expertus non esse apud me,
Ἐν δὲ ἰῇ τιμῇ ἠμὲν κακὸς, ἠδὲ καὶ ἐσθλός.

III.

Laetatur, placuisse librum suum, quem miserat, et de oratione, quam missurus erat, idem vel maius sperat.

C. PLINIUS SPARSO SUO S.

Librum, quem novissime tibi misi, ex omnibus meis vel maxime placere significas. Est eadem
2 opinio cuiusdam eruditissimi. Quo magis adducor, ut neutrum falli putem; quia non est credibile, utrumque falli, et quia tantum blandior mihi. Volo enim, proxima quaeque absolutissima

6 *reposuisse)* solvisse. Seneca de Benef. 4, 32. *Ego quid cui debeam scio, aliis post longam diem repono, aliis in antecessum* etc. *S.*

nequaquam verum) Iam advocarunt viri docti Horatianum illud epist. 1, 7. ext. *Metiri se quemque suo modulo ac pede verum est.* Reliqua damus in Lexicis. *G.*

8 *abit)* Praestat Cortii et Gierigii *abiit*. *S.*

Ἐν δὲ ἰῇ τιμῇ) Ex Il. ι, 319. Studio scribi curavi Ἐν δὲ ἰῇ, non Ἐν δ' ἰῇ. Recte enim monuerunt Barnesius et Clarkius, in ἰῇ corripi. *G.*

Aut scripsit Plinius, aut debuit scribere κακόν. ἐσθλόν. *S.*

III, 2 *proxima)* recentissima. *E.*

videri: et ideo iam nunc contra istum librum faveo orationi, quam nuper in publicum dedi: communicaturus tecum, ut primum diligentem tabellarium invenero. Erexi exspectationem tuam? 3 quam vereor, ne destituat oratio in manus sumta. Interim tamen tanquam placituram (et fortasse placebit) exspecta. Vale.

IV.

Bellum Dacicum scripturo stimulos addit, et de flectendis barbaris nominibus consilium dat.

C. PLINIVS CANINIO SVO S.

Optime facis, quod bellum Dacicum scribere paras. Nam quae tam recens, tam copiosa, tam lata, quae denique tam poëtica, et (quamquam in verissimis rebus) tam fabulosa materia? Dices immissa terris nova flumina, novos pontes 2 fluminibus iniectos, insessa castris montium abrupta, pulsum regia, pulsum etiam vita, regem nihil desperantem. Super haec, actos bis triumphos: quorum alter ex invicta gente primus, alter novissimus fuit. Una, sed maxima, difficultas, 3 quod haec aequare dicendo, arduum, immensum, etiam tuo ingenio, quamquam altissime adsurgat, et amplissimis operibus increscat. Non nullus et in illo labor, ut barbara et fera nomina, in pri-

contra istum librum etc.) neglecto iam illo, quia non est proximus et recentissimus, *faveo orationi*, recentiori et quam novissime scripsi. *E.*

3 *exspecta)* Cum cupiditate quadam et praecepto quasi amore, quae adiuncta esse solet exspectationi notio. *G.*

IV, 2 *immissa — flumina)* Primum a Decebalo, qui averso Sargetia flumine, sub ipso alveo thesauros absconderat, flumenque deinde reduxerat: deinde a Traiano, qui eruendi caussa similem operam impendit: quod tradit ex Dionis lib. 68. Xiphilinus, qui ibidem de ponte Traiani ita commemorat, ut admirabile opus fuisse intelligamus, ne de loco quidem eius satis hodie constare, doleamus. Quidquid de his rebus scitur, a solo fere Xiphilino, at quo homine? petendum esse, constat: tanto maior iactura in Caninii historia facta est. *G.*

mis regis ipsius, Graecis versibus non resultent.
4 Sed nihil est, quod non arte curaque, si non
potest vinci, mitigetur. Praeterea, si datur Ho-
mero, et mollia vocabula et Graeca ad lenitatem
versus contrahere, extendere, inflectere; cur tibi
similis audentia, praesertim non delicata, sed ne-
5 cessaria, negetur? Proinde iure vatum, invocatis
diis, et inter deos ipso, cuius res, opera, consi-
lia dicturus es, immitte rudentes, pande vela, ac,
si quando alias, toto ingenio vehere. Cur enim
6 non ego quoque poëtice cum poëta? Illud iam
nunc paciscor: prima quaeque ut absolveris, mit-
te, immo etiam, antequam absolvas; sic ut erunt
recentia, et rudia, et adhuc similia nascentibus.
7 Respondebis, non posse perinde carptim, ut con-
texta, perinde inchoata placere, ut effecta. Scio.

3 *versibus non resultent*) Non patiantur se in versus redigi, sed repugnent metro. De tali difficultate querelas poëtarum hic collegit Cortius. Addi possunt tria lepida Martialis epigrammata in Earinum 9, 12. it. 13 et 14. Nomen regis Δεκέβαλος scribitur a Graecis: *Diurpaneus* est Orosio 7, 10. *G.*

4 *delicata*) Αὐθαδείᾳ quadam et sine alia caussa, quam quod sic placeat, suscepta. Sic passim *delicias* poni, ubi *capriciam* nominant Galli Italique, alias observamus. *G.*

5 *ipso, cuius res — dicturus es*) Traianum in partes vocare iubet, ut Virgilius Augustum, Valerius Flaccus Vespasianum, alii alios invocant. Illud *dictaturus es*, quod habent quidam codices, est a barbaro seculo, ubi *dictare* solum est auctorum. *G.*

immitte rudentes) Quibus vela intenduntur, tanquam nervos navis atque tendines, quibus ea moveatur; quod nunc transfert ad scribendi quaedam initia. *G.*

Virgil. Aen. 8, 707. sq. *Ipsa videbatur ventis regina vocatis Vela dare, et laxos iam iamque inmittere funis.* propiusque ad nostrum locum 10, 229. *velis inmitte rudentes.* quo Secundum, Virgiliana toties exprimentem, respexisse puto. *S.*

7 *carptim, ut contexta*) Illud *carptim* semper mihi videbatur concinnitatem huius loci tollere, in quo et seq. *inchoata* et *effecta* sibi recte respondent. Laudabam igitur, cum viderem in aliis libris *carpta* lectum fuisse. [Est haec Barthii coniectura, nullius illa libri auctoritate nitens. *S.*] Sed cum altius inspecto loco animadverterem in composito verbo *contexta τὸ con* contrariam τῷ *carptim* notionem habere, putabam ipsum Plinium ita sententiam cogitasse, ut *carptim texta*, *contextis* opponeret, deinde vero brevitatis gratia illud prius *texta* omitteret. *E.*

Hae sunt argutiae, omninoque vanus timor, ne quid nostra lectio concinnitati orationis officiat. Similis metus locum Livianum videtur depravasse. Lib. 28. Cap. 25. 10. *Edictum subinde propositum, ut ad stipen-*

Itaque et a me aestimabuntur ut coepta, spectabuntur ut membra, extremamque limam tuam operientur in scrinio nostro. Patere hoc me super cetera habere amoris tui pignus, ut ea quoque norim, quae nosse neminem velles. In sum- 8
ma, potero fortasse scripta tua magis probare, laudare, quanto illa tardius cautiusque; sed ipsum te magis amabo, magisque laudabo, quanto celerius et incautius miseris. Vale.

V.

Macrinum uxoris sanctissimae obitu gravissimum vulnus accepisse, dolet.

C. PLINIVS GEMINIO SVO S.

Grave vulnus Macrinus noster accepit. Amisit uxorem singularis exempli, etiam si olim fuisset. Vixit cum hac triginta novem annis, sine iurgio, sine offensa. Quam illa reverentiam marito suo praestitit, cum ipsa summam mereretur! Quot quantasque virtutes, ex diversis aetatibus sumtas, collegit et miscuit! Habet quidem Macrinus gran- 2
de solatium, quod tantum bonum tam diu tenuit: sed hoc magis exacerbatur, quod amisit. Nam

dium petendum convenirent Carthaginem; seu carptim partes, seu universi mallent. I. Fr. Gronovius malit *per partes.* Immo *partes*, ni fallor, inducendum. *S.*

operientur in scrinio nostro) Quomodo limam adhibere Caninius poterat carmini latenti in scrinio Plinii? *E.*

Inepta quaestio. Secundus petit exemplum carminis, quod se in scrinio suo servaturum nec cum quoquam communicaturum promittit, donec Caninius extremam ei limam adhibuerit. *S.*

quae nosse neminem velles) scil. carmina nondum absoluta, sed inchoata et imperfecta. Hinc mox dicit, se magis amaturum Caninium, si *celerius et incautius miserit;* hoc enim ipsum illud pignus amoris est: certe est documentum fidei et amicitiae. *E.*

8 *quanto illa tardius cautiusque)* Nam quo tardius mittebat, eo diligentius emendata erant. *E.*

V, 1 *ex diversis aetatibus)* Sicut de Salinatore dixit 6, 26, 1. *puer simplicitate, comitate iuvenis, senex gravitate*, observavit post Buchnerum Cellarius. *G.*

3 fruendis voluptatibus crescit carendi dolor. Ero
ergo suspensus pro homine amicissimo, dum admittere avocamenta, et cicatricem pati possit;
quam nihil aeque ac necessitas ipsa, et dies longa, et satietas doloris inducit. Vale.

VI.

Adulatorium senatusconsultum de Pallante liberto Claudii perstringit indignabundus.

C. PLINIVS MONTANO SVO S.

Cognovisse iam ex epistola mea debes, adnotasse
me nuper monimentum Pallantis sub hac inscriptione: HVIC SENATVS, OB FIDEM PIETATEMQVE
ERGA PATRONOS, ORNAMENTA PRAETORIA DECREVIT
ET SESTERTIVM CENTIES QVINQVAGIES, CVIVS HONO-
2 RE CONTENTVS FVIT. Postea mihi visum est pretium curae, ipsum SC. quaerere. Inveni tam
copiosum et effusum, ut ille superbissimus titulus,
modicus atque etiam demissus videretur. Conferant se, non dico illi veteres, Africani, Achaici,
Numantini, sed hi proximi, Marii, Syllae, Pompeii; (nolo progredi longius) infra Pallantis laudes
3 iacebunt. Urbanos, qui illa censuerunt, putem,

3 *Ero ergo suspensus)* h. e. inquietus, solicitus, ut quae a filo suspensa, vel non tota basi incumbentia facile movetur. *G.*

cicatricem pati) Quod non possunt, qui refricant subinde vulnera sua, et recordatione iacturae, quam fecerunt, dolorem renovant atque instaurant. *G.*

VI, 1 *ex epistola mea)* Superiori libro 29. *G.*

2 *pretium curae)* Al. *operae pretium.* quae solennis locutio, nostraeque, ἅπαξ illi, opinor, λεγομένη, praeferenda. *S.*

Conferant se) Cortiana, sed invito Cortio: *Conferant se, misceantque.* quod nollem a Gierigio revocatum. Adscripsit verbo *conferant* glossator, qui non cogitaret, *conferre* hic esse comparare, non, adiungere, miscere. *S.*

Africani, Achaici) Synecdoche nota ad posteriores modo pertinet. Notum enim Scipiones Africanos esse duo, unum L. Mummium Achaicum, et iuniorem Scipionem eundem Numantinum. *G.*

3 *Urbanos)* Qui vanitatem liberti hominis verborum magnificorum inaniis per iocum pascere ita voluerint. *G.*

an miſeros? Dicerem urbanos, ſi ſenatum deceret urbanitas. Miſeros ergo? Sed nemo tam miſer eſt, ut ad illa cogatur. Ambitio ergo, et procedendi libido? Sed quis adeo demens, ut per ſuum, per publicum dedecus procedere velit in ea civitate, in qua hic eſſet uſus florentiſſimae dignitatis, ut primus in ſenatu laudare Pallantem poſſet? Omitto, quod Pallanti ſervo praetoria 4
ornamenta offeruntur; quippe offeruntur a ſervis: mitto, quod cenſent, NON EXHORTANDVM MODO, VERVM ETIAM COMPELLENDVM AD VSVM AVREORVM ANNVLORVM; erat enim contra maieſtatem ſenatus, ſi ferreis praetorius uteretur. Levia haec et trans- 5
eunda; illa memoranda, quod NOMINE PALLANTIS SENATVS, (nec expiata poſtea curia eſt?) PALLANTIS NOMINE SENATVS GRATIAS AGIT CAESARI, QVOD ET IPSE CVM SVMMO HONORE MENTIONEM EIVS PROSEQVVTVS ESSET, ET SENATVI FACVLTATEM FECISSET TESTANDI ERGA EVM BENEVOLENTIAM SVAM. Quid 6
enim ſenatui pulchrius, quam ut erga Pallantem ſatis gratus videretur? Additur, VT PALLAS, cui ſe omnes pro virili parte obligatos fatentur, SIN-

ſi ſenatum deceret urbanitas) nam gravitas decet adeoque ſeveritas. *S.*

ut ad illa cogatur) Cortius et Gierigius, deleta praepoſitione, *ut illa cogatur.* bene. Secundus 2, 20, 11. *ille tamen iſtud tamquam morituram coëgit.* Vid. interpr. ad Liv. 4, 26, 10. *S.*

eſſet) Subaudi, ſi eousque aſcendere *(procedere)* ambitioſo contingeret. Bene ergo *velit* habet. *S.*

primus) ut conſul deſignatus. Haec florentiſſima dignitas. *S.*

4 *Omitto)* Cortius: *Mitto.* veriſſime; nam ſequitur *mitto.* Epanaphoras tales Plinius adamat. *S.*

quippe offeruntur a ſervis) Perdunt dignitatem ſuam ornamenta praetoria eo ipſo, quod a ſervis offeruntur, h. e. abiectis ad humillimam adulationem hominibus: et hanc ob cauſſam nimis invidenda non ſunt, aut nimis mira in Pallante. Sic etiam in proximo membro cauſſam ſubiicit, cur minus admirandum videatur. *G.*

5 *nec expiata poſtea curia eſt)* Parentheſis acerrima, qua foediſſimam adulationem deteſtatur, quae profanaverit adeo curiam, ut expianda fuerit. *G.*

6 *cui — fatentur)* Gierigius cum Cortio pro parte ipſius SCti habet. Accedo. *S.*

pro virili parte) Cicero Philipp. XIII. 4. pag. 1647. Ern. *tum me eius beneficio plus quam pro virili parte obligatum puto.* Erneſtius in Clave: „*Virilis*

GVLARIS FIDEI, SINGVLARIS INDVSTRIAE FRVCTVM
MERITISSIMO FERAT. Prolatos imperii fines, red-
7 ditos exercitus reipublicae credas. Adſtruitur his,
QVVM SENATVI POPVLOQVE ROMANO LIBERALITATIS
GRATIOR REPRAESENTARI NVLLA MATERIA POSSET,
QVAM SI ABSTINENTISSIMI FIDELISSIMIQVE CVSTODIS
PRINCIPALIVM OPVM FACVLTATES ADIVVARE CONTI-
GISSET. Hoc tunc votum ſenatus; hoc praeci-
puum gaudium populi; haec liberalitatis materia
gratiſſima, ſi Pallantis facultates adiuvare publica-
8 rum opum egeſtione contingeret. Iam quae ſe-
quuntur, VOLVISSE QVIDEM SENATVM CENSERE, DAN-
DVM EX AERARIO SESTERTIVM CENTIES QVINQVAGIES,
ET QVANTO AB EIVSMODI CVPIDITATIBVS REMOTIOR
EIVS ANIMVS ESSET, TANTO IMPENSIVS PETERE A
PVBLICO PARENTE, VT EVM COMPELLERET AD CE-
9 DENDVM SENATVI. Id vero deerat, ut cum Pallan-
te auctoritate publica ageretur: Pallas rogaretur,
ut ſenatui cederet: ut illi ſuperbiſſimae abſtinen-
tiae Caeſar ipſe patronus advocaretur, ne ſeſter-
tium centies quinquagies ſperneret. Sprevit quod
ſolum potuit, tantis opibus publice oblatis: arro-
10 gantius fecit, quam ſi accepiſſet. Senatus tamen

„*pars*, ne errent tirones, ut vul-„go ſit, eſt cuiuscunque rei com-„munis pluribus, ſive bonae et „laetae, ſive triſtis et moleſtae, „pars ea, quae unicuique ex eo-„rum numero debetur aequali-„ter." *S.*

fidei) Cortius ἀρχαϊκῶς *fide.* Vid. Voſſ. de Analog. Lib. II. Cap. XIX. pag. 770. *S.*

8 *Iam quae ſequuntur*) Eſt interrogatio. *S.*

centies quinquagies) Vid. ad 7, 29. 2. *G.*

9 *Pallas*) Malim *ut Pallas.* Ultima ſyllaba verbi praegreſſi hanc particulam videtur eliſiſſe. Quod ſi quem *ut* toties repetitum offendat, ſcribat per me licet: *ut Pallas rogaretur, ſenatui cederet.* *S.*

Caeſar ipſe patronus advocaretur) Veram puto Aldi lectionem, ſi interpunctione adiuvetur: *Caeſar ipſe, patronus ipſe, advocaretur.* Cogitandum de patrono, non rei, ſed liberti. vid. infra 11. Al. *Caeſar ipſe advocatus eſſet.* quod placuit Cortio et Gierigio. Hac in lectione cur *patronus ipſe* exciderit, monere non attinet. *Advocatus eſſet* gloſſema videtur noſtri *advocaretur.* *S.*

Sprevit quod etc.) Veriſſime Cortius cum Gierigio e libris bonae notae: *Sprevit: quod ſolum potuit, tantis opibus publice oblatis, arrogantius facere, q. ſ. a.* Noſtra lectio ſenſu apto caret. *S.*

id quoque, similis querenti, laudibus tulit, his
quidem verbis: SED QVVM PRINCEPS OPTIMVS,
PARENSQVE PVBLICVS, ROGATVS A PALLANTE, EAM
PARTEM SENTENTIAE, QVAE PERTINEBAT AD DAN-
DVM EI EX AERARIO CENTIES QVINQVAGIES SESTER-
TIVM, REMITTI VOLVISSET; TESTARI SENATVM, ET
SE LIBENTER AC MERITO HANC SVMMAM INTER RELI-
QVOS HONORES, OB FIDEM DILIGENTIAMQVE PALLAN-
TIS, DECERNERE COEPISSE; VOLVNTATI TAMEN PRIN-
CIPIS SVI, CVI IN NVLLA RE FAS PVTARET REPVGNA-
RE, IN HAC QVOQVE RE OBSEQVI. Imaginare Pal- 11
lantem velut intercedentem senatus consulto, mode-
rantemque honores suos, et sestertium centies quin-
quagies, ut nimium, recusantem, quum praetoria
ornamenta, tanquam minus, recepisset. Imaginare
Caesarem, liberti precibus, vel potius imperio,
coram senatu obtemperantem. Imperat enim li-
bertus patrono, quem in senatu rogat. Imagina- 12
re senatum, usquequaque testantem, merito liben-
terque se hanc summam, inter reliquos honores,
Pallanti coepisse decernere; et perseveraturum
fuisse se, nisi obsequeretur principis voluntati, cui
non esset fas in ulla re repugnare. Ita, ne sester-
tium centies quinquagies Pallas ex aerario refer-
ret, verecundia ipsius, obsequio senatûs opus
fuit? in hoc praecipue non obsequuturi, si in
ulla re putasset fas esse non obsequi. Finem ex- 13
istimas? Mane dum, et maiora accipe. VTIQVE,

10 *laudibus tulit)* Non contra dicam vulgari intellectui, laudibus extulit: sed nec incongruum videbatur sumere id verbum ex formula rationum, ubi *ferre* est *acceptum ferre*, adscribere, imputare. Imputavit, adscripsit laudibus Pallantis, quod sprevit tantas opes. Nec est, quod obiicias, id esse *acceptum referre*: hac enim aetate et Plinio nostro *ferre acceptum*, in usu fuisse, constat. G.

et se — — coepisse) An scribendum: *etsi — — coepisset?* Mox praestat Cortii lectio: *Pallanti decernere coepisse.* S.

11 *Imperat libertus)* Hoc vult, non minus esse impudentem libertum, qui in senatu rogare patronum audeat, quam qui domi imperet: qui rogare possit in senatu, eum posse domi imperare, G.

13 *utique)* Explicat Catanaeus *praesertim.* Immo est *et ut.*

QVVM SIT VTILE, PRINCIPIS BENIGNITATEM PROMTISSIMAM AD LAVDEM PRAEMIAQVE MERENTIVM ILLVSTRARI VBIQVE, ET MAXIME IIS LOCIS, QVIBVS INCITARI AD IMITATIONEM PRAEPOSITI, RERVM EIVS CVRAE POSSENT, ET PALLANTIS SPECTATISSIMA FIDES, ATQVE INNOCENTIA EXEMPLO PROVOCARE STVDIVM TAM HONESTAE AEMVLATIONIS POSSET, EA QVAE IIII CALEND. FEBRVARIAS, QVAE PROXIMAE FVISSENT, IN AMPLISSIMO ORDINE OPTIMVS PRINCEPS RECITASSET, SENATVSQVE CONSVLTA DE HIS REBVS FACTA IN AES INCIDERENTVR, IDQVE AES FIGERETVR AD STATVAM LORICATAM DIVI
14 IVLII. Parum viſum tantorum dedecorum eſſe curiam teſtem: delectus eſt celeberrimus locus, quo legenda praeſentibus, legenda futuris proderentur. Placuit aere ſignari omnes honores faſtidioſiſſimi mancipii: quosque repudiaſſet, quosque, quantum ad decernentes pertinet, geſſiſſet. Inciſa et inſculpta ſunt publicis aeternisque monimentis praetoria; ſic quaſi foedera antiqua; ſic quaſi ſa-
15 crae leges. Tanta principis, tanta ſenatus, tanta Pallantis ipſius, — quid dicam, neſcio; ut vellent in oculis omnium figi, Pallas inſolentiam ſuam, patientiam Caeſar, humilitatem ſenatus. Nec puduit rationem turpitudini obtendere: egregiam

Solennis huius particulae uſus in SCtis. *S.*

ad ſtatuam loricatam) De qua maior Plinius 34, 5. ſ. 10. *Graeca res eſt nihil velare* (in ſtatuis). *At contra Romana ac militaris, thoracas addere. Caeſar quidem Dictator loricatam ſibi dicari in foro ſuo paſſus eſt.* *G.*

14 *quantum ad decernentes)* Per ſenatum enim non ſtetit, quo minus gereret praeturam is, cui praetoria ornamenta decreviſſet. *G.*

praetoria) Cortius et Gierigius: *praetoria ornamenta Pallantis.* bene. *S.*

foedera — leges) Qualium ex aere tabularum plures, certe earum fragmenta aetatem tulere, quae apud Briſſonium de formulis, et paſſim relata ſunt. Nobiliſſimorum unum eſt Senatusconſultum de Bacchanalibus, Gronoviano Ciceroni additum, et accuratius deſcriptum a doctiſſimo Aegyptio, qui commentario erudito illud illuſtravit. *G.*

15 *quid dicam, neſcio)* Abrumpit orationem deſperatione inveniendi nomina actionis huius indignitatem, ſtultitiamque exprimentia. Poterat forte *dementiam* ponere, *ſtuporem, infamiam,* vel Graeca, quae Caſaubonus ſuſpicatus eſt, ἀβελτηρίαν, ἀπόνοιαν. *G.*

quidem pulchramque rationem, VT EXEMPLO PAL-
LANTIS PRAEMIORVM AD STVDIVM AEMVLATIONIS CE-
TERI PROVOCARENTVR. Ea honorum vilitas erat, 16
illorum etiam, quos Pallas non dedignabatur.
Inveniebantur tamen honesto loco nati, qui pete-
rent cuperentque, quod dari liberto, promitti
servis videbant. Quam iuvat, quod in tempora 17
illa non incidi, quorum sic me, tanquam illis vi-
xerim, pudet! Non dubito, similiter adfici te.
Scio, quam sit tibi vivus et ingenuus animus:
ideoque facilius est, ut me, quamquam indigna-
tione quibusdam in locis fortasse ultra epistolae
modum extulerim, parum doluisse, quam nimis
credas. Vale.

VII.

A Tacito rogatus, ut librum suum tanquam magister corrigeret, ita promittit, quod is petierat, ut hyperbato titulum deprecetur.

C. PLINIVS TACITO SVO S.

Neque ut magistro magister, neque ut discipulo

16 *quos Pallas non dedign.*) Illi sunt maiores honores, quos non dedignatur Pallas, qui ceteroa fastidiose reiicit. Vilescunt autem hi quoque vel ea ipsa re, quod cadunt in mancipium. *Mediceus Codex ita, ut iam Casaubonus coniecerat, *quos Pallas non se dignabatur:* quae arguta sane est sententia. Nempe alii *dignantur se honore* i. e. dignos se illo putant. At fastidiosus Pallas *honorem* de pluribus unum *dignatur se*, ornamenta praetoria digna putat, quibus aliquid a se splendoris accedat. Illud centies et quinquagies sestertium *non dignatur se*, infra se suamque dignitatem collocat. Ceterum ea vilitas hoc Senatusconsulto ostenditur honorum, vel quos recepit Pallas, vel quos sprevit, ut etiam *servis promittantur.* Qui enim servus est, fieri libertus potest; at liberto ista dantur etc. *G.*

17 *Vivus et ingenuus*) *Vivus* est *vividus*, acer, qui facile moveatur ad indignationem; *ingenuus*, simplex, qui non dissimulet illam indignationem. Pro *vivus* quidam habent *verus*, quod et ipsum huc convenire puto, ut significet *severum*, et serio agentem quae agit. *G.*

ut me, quamquam) Illud *me* primo refertur ad *extulerim, quamquam me extulerim;* deinde ad *credas*, *credas me parum doluisse.* *Nempe dedimus lectionem manuscriptorum: vulgo illud totum *quamquam — extulerim* parenthesi includunt, et *indignationem* legunt pro *indignatione.* Ceterum de duplici illa verbi unius relatione vid. quos laudat Cortius ad nostri 3, 7, 4. Quaedam nos quoque ad Varr. R. R. 2, 1, 4. et in Lex. Rust. sub verbis *Duplex* et *Vt.* add. mox 8, 10, 2. *G.*

discipulus (sic enim scribis) sed ut discipulo magister, (nam tu magister, ego contra: atque ideo tu in scholam revocas, ego adhuc Saturnalia ex-
2 tendo) librum misisti. Num potui longius hyperbaton facere, atque hoc ipso probare, eum me esse, qui non modo magister tuus, sed ne discipulus quidem debeam dici? Sumam tamen personam magistri, exseramque in librum tuum ius, quod dedisti; eo liberius, quo nihil ex meis interim missurus sum tibi, in quo te ulciscaris. Vale.

VIII.

Clitumni fontis et fluvii naturam mirabilem perscribit.

C. PLINIVS ROMANO SVO S.

Vidistine aliquando Clitumnum fontem? Si nondum, (et puto nondum: alioqui narrasses mihi)

VII, 1 *in scholam revocas)* Apposite huc adscripsit Cellarius Mart. 5. ext. *Iam tristis nucibus puer relictis Clamoso* revocatur *a magistro — — — Saturnalia transiere tota. Extendere* amant pueri, i. e. continuare longius *Saturnalia*, *revocantur* a magistro. Plinius otiosum se fuisse significat per occasionem Saturnalium, interpellatum a Tacito. *G.*

2 *Num potui longius hyperb.)* Studio igitur *hyperbaton* commisit, h. e. longiore parenthesi constructionis Grammaticae ordinem exgressus est. *G.*

Vid. I. C. Th. Ernestii Lexic. Techn. Gr. Rhet. voce *ὑπερβατόν*. *S.*

non modo magister) 'Solenne esse *non* post *non modo* omittere, quoties nova sequatur negatio, ut hic *ne quidem*, pervulgatum hodie est, et in bona Lexica relatum. Sed attentione dignus, quem hic Cortius profert, locus Ciceronis de Senect. 16. *Ad quem fruendum non modo retardat, verum etiam invitat atque allectat senectus.* Sic nempe legi docet hunc locum in veterrimis membranis Nonii 2, 68. et 4, 232.: et video ita etiam dedisse utroque loco Mercerum. Sed apud ipsum Ciceronem non minus quam in aliis Nonii editionibus omnes, quod sciam, *non* interserunt. Utri libri sint sinceriores, non temere dixerim: nisi quod nolim tam aperte vitiari canonem tot exemplis firmatum de non omittenda negatione post *non tantum*, nisi ubi nova negatio sequatur. *G.*

quo nihil) quod n. MS. Medic. *G.*

Verum hoc; legereturque in textu Cortianae, si operae Cortio obtemperassent. *S.*

in quo te ulciscaris) Et me forte calumniantem vicissim calumnieris. Suavissimus iocus. *G.*

VIII, 1 *Clitumnum)* Cui ita adsignat locum suum Cellarius, in Umbria, cis Apenninum, inter Spoletium et Hispellum, qui Tiniae amni ad Mevaniam mistus, in Tiberim cum illo perfertur. *Ad visendum nemus flumenque*

vide; quem ego (poenitet tarditatis) proxime vidi.
Modicus collis adſurgit, antiqua cupreſſu nemo- 2
roſus et opacus. Hunc ſubter fons exit, et ex-
primitur pluribus venis, ſed imparibus; eluctatus-
que facit gurgitem, qui lato gremio pateſcit purus
et vitreus, ut numerare iactas ſtipes et relucentes
calculos poſſis. Inde non loci devexitate, ſed 3
ipſa ſui copia et quaſi pondere impellitur. Fons
adhuc, et iam ampliſſimum flumen atque etiam
navium patiens; quas, obvias quoque et contra-
rio niſu in diverſa tendentes, transmittit et per-
fert: adeo validus, ut illa, qua properat ipſe,
quamquam per ſolum planum, remis non adiu-
vetur; idem aegerrime remis contisque ſuperetur
adverſus. Iucundum utrumque per iocum ludum- 4
que fluitantibus, ut flexerint curſum, laborem
otio, otium labore variare. Ripae fraxino multa,
multa populo veſtiuntur: quas perſpicuus amnis,
velut merſas, viridi imagine adnumerat. Rigor

Clitumni Mevaniam procedit Caligula apud Sueton. c. 43. Add. viri docti ad Virgil. Georg. 2, 146. et Broukh. ad Prop. 2, 15, 25. *G.*

2 *exprimitur*) Quaſi in machina hydraulica, vi urgentis columnae liquidi. *G.*

eluctatusque facit etc.) Vera haec lectio, quidquid contra dicat Cortius. *Eluctatus*, ſcil. venarum anguſtias, reſpicit praegreſſum *exprimitur*. *Gurges* i. q. lacus: ποιητικῶς, ut plersque huius epiſtolae. *S.*

iactas ſtipes) parvulos nummos, quos ut diis aliis, ita fluminibus quoque iactari conſueviſſe Seneca docet Qu. nat. 4, 2. de his, quas *Nili venas* vocari ait, *In haec ora ſtipem ſacerdotes — iaciunt.* Laudaverat hunc etiam locum Cellarius. *G.*

3 *illa, qua — adiuvetur*) Illa via, qua ipſe fluvius properat, verbo, ſecundus fluvius non adiuvatur remis: quamquam per ſolum planum, ubi non ita incitatus eſſe poteſt curſus, quam ubi per declivia fertur, niſi magna vis inſequentis aquae praecedentem alveo ſuo coërcitam urgeat. Hinc illud alterum conſequitur, ut cum adverſo tanto vehementius luctandum ſit. *Sequimur autem hic fidem libri Medicei; et illud obiter obſervamus, lacunam decem epiſtolarum, quae ab hoc ipſo loco incipit, ac de qua ex Eraſmo Fabric. B. L. T. 2. p. 764. iam in Aldina editione, an. 1508. 8. ex illo antiquiſſimo libro, quem ad Plinii aetatem accedere putabat, expletam; ac legi quoque in Mediceo Codice, quem eundem ab Aldo uſurpatum ſuſpicari poſſis. *G.*

4 *velut merſas*) Ut cacumina et coelum, remotiora nempe ab oculo ſpectatoris, infra in profundo merſa videantur: illo *adnumerat* indicatur, quot ſtant in ripa arbores, totidem in fluvio, tanquam in ſpeculo videri. *G.*

5 aquae certaverit nivibus; nec color cedit. Adiacet templum, priſcum et religioſum. Stat Clitumnus ipſe, amictus ornatusque praetexta. Praeſeus numen, atque etiam fatidicum, indicant ſortes. Sparſa ſunt circa ſacella complura, totidemque dei. Sua cuique veneratio, ſuum nomen: quibusdam vero etiam fontes. Nam praeter illum, quaſi parentem ceterorum, ſunt minores capite diſcreti; ſed flumini miſcentur, quod ponte
6 transmittitur. Is terminus ſacri profanique. In ſuperiore parte navigare tantum, infra etiam natare conceſſum. Balineum Hiſpellates, quibus illum locum divus Auguſtus dono dedit, publice praebent, praebent et hoſpitium. Nec deſunt villae, quae ſequutae fluminis amoenitatem, mar-
7 gini inſiſtunt. Iu ſumma, nihil erit, ex quo non capias voluptatem. Nam ſtudebis quoque, et le-

nec color cedit) Aquas limpidiſſimas indicat, quales Martialis 7, 27. (31.) *niveas* dixit. Nil amplius. *S.*

5 *Stat Clitumnus) Iovem Clitumnum* etiam coli, docet Vibius Sequeſter. Dubitat an idem ſit, quem hic laudat Plinius, Broukh. ad Propert. 2, 16, 25. Poſſit tamen aliquis, rem ita ſe habere, vel inde ſuſpicari, quod *ſtat Clitumnus,* qui Iovis et coeleſtium deorum habitus eſt, cum iacentes, et nixi cubitu, vel attollentes ex undis ſuis caput, alias pingantur fluvii. Inſpice v. c. Rheuum apud Gronov. ad Melam p. 247. Si quis quaerere accuratius ea de re velit, illi Pauſanias praeſertim percurrendus erit, videndusque Aelianus H. V. 2, 33. qui locus claſſicus eſt. De fluviis in nummis, tauriformibus praeſertim et cornutis, Spanhem. diſſ. 7. p. 394. ſq. Add. id. ad Callim. H. in Del. 110. p. 413. *G.*

totidemque dei) **Simulacra* hinc magnis auctoribus eiecit Cortius. Sermo eſt de aliorum quoque deorum cultu. Itaque ſequitur, ſuum cuique *nomen* fuiſſe, quod parum ad ſimulacra plura unius Clitumni convenit. *G.*

dei) Hanc formam ſatis tuentur Voſſius de Analog. Lib. II. Cap. VI. pag. 685. et Aeg. Forcellinus. Gierigius ex libro Mediceo uſitatiorem *dii* adſcivit. *S.*

6 *navigare — natare)* In plane ſacris ne navigare quidem licet. Vide noſtrum 8, 20, 5. Verum magis etiam ſacra profanatur aqua nudo corpore, et pudendis quoque partibus contacta, quod egregie hic illuſtrat Cellarius advocato Tacito 14, 22, 7. ubi de Nerone, qui *fontem aquae Marciae ad urbem deductae, nando inceſſerat. Videbatur,* inquit, *potus ſacros et cerimoniam loci corpore toto polluiſſe.* Satis apparet, quorſum illa ſpectaverit fontium religio; ad puritatem aquae et ſalubritatem ſervandam nimirum. *G.*

ges multa multorum omnibus columnis, omnibus parietibus inſcripta, quibus fons ille deusque celebratur. Plura laudabis, nonnulla ridebis; quamquam tu vero, quae tua humanitas, nulla ridebis. Vale.

IX.

Negotia amicorum praefert ſtudiis.

C. PLINIVS VRSO SVO S.

Olim non librum in manus, non ſtilum ſumſi. Olim neſcio, quid ſit otium, quid quies, quid denique illud iners quidem, iucundum tamen, nihil agere, nihil eſſe: adeo multa me negotia amicorum nec ſecedere nec ſtudere patiuntur. Nulla enim ſtu- 2
dia tanti ſunt, ut amicitiae officium deſeratur: quod religioſiſſime cuſtodiendum, ſtudia ipſa praecipiunt. Vale.

X.

Abortum uxorem feciſſe, cum ſpe foecunditatis ſignificat.

C. PLINIVS FABATO PROSOCERO SVO S.

Quo magis cupis ex nobis pronepotes videre, hoc triſtior audies, neptem tuam abortum feciſſe, dum ſe praegnantem eſſe puellariter neſcit, ac per hoc quaedam, cuſtodienda praegnantibus, omittit, facit omittenda. Quem errorem magnis documentis expiavit, in ſummum periculum ad-

7 *quamquam tu vero)* Acervatio ſimilis illi 3, 8, 4. *Quare ego vero.* G.

IX, 1 *Olim)* Iam diu eſt, quod. Plinius 1, 11, 1. *Olim nullas mihi epiſtolas mittis.* S.

nihil eſſe) Non praetorem, non advocatum, non iudicem, non ſalutatorem, non convivam etc. G.

X, 1 *magnis documentis*) Sic reſtituit e libris Cortius. Nec auſim tamen alterum *detrimentis* plane damnare. *Detrimentum* ſine dubio fuit abortus, ſive ipſius matris valetudinem ſpectes,

2 ducta. Igitur, ut necesse est, graviter accipias
senectutem tuam quasi paratis posteris destitutam;
sic debes agere diis gratias, quod ita tibi in prae-
sentia pronepotes negaverint, ut servarint neptem,
illos reddituri, quorum nobis spem certiorem
haec ipsa, quamquam parum prospere explorata,
3 foecunditas facit. Iisdem nunc ego te, quibus
ipsum me, hortor, moneo, confirmo. Neque
enim ardentius tu pronepotes, quam ego liberos
cupio: quibus videor a meo tuoque latere pro-
num ad honores iter, et audita latius nomina, et
non subitas imagines relicturus. Nascantur modo,
et hunc nostrum dolorem gaudio mutent. Vale.

XI.

Soceri sorori eadem narrat.

C. PLINIVS HISPVLLAE SVAE S.

Quum adfectum tuum erga fratris filiam cogito, etiam materna indulgentia molliorem; intelligo

sive spem familiae. Sed ipsum nempe *detrimentum* idem *documentum* fuit. *G.*

Documenta hic ne vertas, *heilsame Lehren*, sed, *Leiden, die zur Warnung dienen*, quibus quidni error expiari possit? Sic *exempla* de poenis, quae pro exemplo sunt. Idem tenendum de Graeco παράδειγμα. Altera lectio, *detrimentis*, non incommoda illa, si sensum spectes, pro glossemate habenda. *S.*

2 *ut necesse est)* Etiam hic locus est inter eos, ubi una vox duplicem personam sustinere videtur, quod de ipsa hac *ut* aliquoties observavimus in Lexico rustico. Redi ad 8, 6, 17. Quamquam hic potest etiam coniunctio *ut* ad particulam *sic* in apodosi positam referri; altera *ut* post *necesse est* solemni ellipsi omissa esse. *G.*

Posterior ratio hic unice valet; atque humani quid passus est vir eximius, cum de priore cogitaret. Ceterum sensus: ut tibi dolendum est, senectutem tuam quasi paratis posteris destitutam esse. *S.*

3 *meo tuoque latere)* paterno et materno. *E.*

audita latius — imagines) Haec in hoc loco ita sunt selecta et splendida, ut mihi videantur ex aliquo scriptore vel poëta nobis incognito huc translata. Nisi forte dicamus Plinium, cum haec scriberet, ita animo commotum fuisse spe futurorum liberorum, ut quasi ποιητικῶς scriberet. Ceterum *non subitas imagines* dixit, non recentem aut novitiam nobilitatem, nec subito in gentem illatam, adeoque vetustam et plures imagines numerantem. *E.*

prius tibi, quod est posterius, nuntiandum, ut praesumta laetitia solicitudini locum non relinquat. Quamquam vereor, ne post gratulationem quoque in metum redeas; atque ita gaudeas periculo liberatam, ut simul, quod periclitata sit, perhorrescas. Iam hilaris, iam sibi, iam mihi 2
reddita, incipit refici, transmissumque discrimen convalescendo remetiri. Fuit alioqui in summo discrimine, (impune dixisse liceat) fuit nulla sua culpa, aetatis aliqua. Inde abortus, et ignorati uteri triste experimentum. Proinde, etsi non 3
contigit tibi desiderium fratris amissi aut nepote eius aut nepte solari; memento tamen, dilatum magis istud, quam negatum, quum salva sit, ex qua sperari potest. Simul excusa patri tuo casum, cui paratior apud feminas venia est. Vale.

XI, 2 *discrimen — remetiri*) *Discrimen* et vim morbi imaginemur ut subitum aliquem in profunda desceosum vel delapsum. Qui se ex gravi morbo recipit, ille quotidie quidem melius habet, sed ipsa tamen tarditate, qua ad plenae valetudinis statum redit, discit, quantum fuerit discrimen, quam vehemens morbus: ut qui de praecipitio quodam vel de scalis praecipiti lapsu decidit, *remetiendo* paullatim viam eandem, et per gradus adscendendo, demum intelligit, quam alte deciderit, quod aestimare tum per terrorem non poterat. *G.*

Recte Gesnerus; qui adnotare et hoc poterat, difficiliorem et argutiorem dicendi formam esse, ut declararetur, feminam *gradatim et sensim convalescere.* Alii suffecissent illa: *incipit refici.* Plinius autem raro sine acumine quodam sententiam relinquit. *E.*

De praecipitio, de scalis non cogitaverim. Immo discrimen illud simpliciter cum via comparatur a valetudine deflectente, est quasi sanitatis divortium, quod convalescens remetitur, donec in pristinum statum restitutus sit. *S.*

impune dixisse liceat) Haec verba simpliciter refero ad illud, quod initio promittit, se velle de periculo tum demum nuntiare, cum illud iam praeteriisse indicasset. *Impune* itaque puto esse, sine tuo, Hispulla, terrore: iam enim audire potes de morbo gravissimo, cum scias superatum. Quod volunt Barthius et Cellarius ad Deos referri: quorum iram metuat, si ipsis potius imputet uxoris periculum, quam illius imprudentiae: nescio, quam firmum sit. Aliquando etiam putabām esse εὐφημισμόν, quo, post nuntiatum finem periculi, novum deprecetur. Sed primum maxime placet. *G.*

3 *cui paratior apud feminas venia*) Facilius tali errori a puellari ignoratione profecto ignoscunt feminae, similium sibi consciae, quam viri, quam avus praesertim, cuius nupera et nondum deposita consuetudo, minores etiam neptis errores castigandi, cuius vehemens pronepotem videndi cupiditas, commotiorem illum hac in re potest

XII.

Capitonem auditurus, eius laudem praedicat.

C. PLINIVS MINVTIANO SVO S.

Hunc solum diem excuso. Recitaturus est Titinius Capito; quem ego audire, nescio magis debeam, an cupiam. Vir est optimus, et inter praecipua seculi ornamenta numerandus: colit studia, studiosos amat, fovet, provehit, multorumque, qui aliqua componunt, portus, sinus, praemium; omnium exemplum; ipsarum denique literarum iam senescentium reductor ac reforma-
2 tor. Domum suam recitantibus praebet: auditoria, non apud se tantum, benignitate mira frequentat; mihi certe, si modo in urbe est, defuit nunquam. Porro, tanto turpius gratiam non re-
3 ferre, quanto honestior caussa referendae. An, si litibus tererer, obstrictum esse me crederem obeunti vadimonia mea; nunc, quia mihi omne negotium, omnis in studiis cura, minus obligor tanta sedulitate celebranti, in quo obligari ego,
4 ne dicam solo, certe maxime possum? Quod si illi nullam vicem, nulla quasi mutua officia deberem; solicitarer tamen vel ingenio hominis pulcherrimo et maximo, et in summa severitate dulcissimo, vel honestate materiae. Scribit exitus il-

reddere. Itaque deprecatricem apud avum parat uxori suae amitam. *G.*

XII, 1 *multorumque)* Aldus: *multorum.* quod nollem Cortius sprevisset. *S.*

praemium) Exspectes *gremium.* Cicero pro M. Coelio 24. pag. 1231. ed. Ernest. *cum Q. Metellus abstraheretur e sinu gremioque patriae. S.*

2 *Porro)* autem. vid. 1, 8, 10. 1, 24, 4. *S.*

3 *obeunti vadimonia)* "Vehementer placuit, quod Mediceus omittit praepositionem, qua oneratur vulgo hic locus, *obeunti ad vadimonia mea. G.*

Cortius: „Alterum [*obeunti ad* „*v. m.*] vix Latinum est." Confidentius Gierigius: „Nemo autem „dixit *obire ad vad.*" Tamen Livius 10, 25, 14. *ne ad omnia simul obire unus non possit.* Neque offendit illa altera lectio Forcellinum, eximie callentem Latinitatis, qui explicat: discurrenti, et adsistenti mihi, dum mea vadimooia exsequor. *S.*

4 *exitus illustrium virorum)* Quos ille ut coluerit, narrat noster etiam 1, 17, 3. *G.*

luſtrium virorum, in iis quorundam mihi cariſſimorum. Videor ergo fungi pio munere, quo- 5
rumque exſequias celebrare non licuit, horum quaſi funebribus laudationibus, ſeris quidem, ſed tanto magis veris, intereſſe. Vale.

XIII.

Felicem praedicat, quod docto patre utatur.

C. PLINIVS GENIALI SVO S.

Probo, quod libellos meos cum patre legiſti. Pertinet ad profectum tuum, a diſertiſſimo viro diſcere, quid laudandum, quid reprehendendum: ſimul ita inſtitui, ut verum dicere adſueſcas. Vides, quem ſequi, cuius debeas implere veſtigia.
O te beatum! cui contigit vivum, atque idem 2
optimum et coniunctiſſimum exemplar: qui denique eum potiſſimum imitandum habes, cui natura eſſe te ſimillimum voluit. Vale.

5 *tanto magis veris*) quia tunc nec adulatio, nec ſtudium partium laudantem a veritate declinat. *E.*

XIII, 2 *vivum — exemplar*) *Nimis pulchra haec Gronovii emendatio, recepta a Cellario; quam ut expungere eam, et reponere cum Cortio illud dilutum nimis *unum* poſſim. Quoties *unum* intendendi ſive augendi vim habet, adiunctum ſibi proxime habet adiectivum, cuius ita vis augetur. Hic proxime ſequitur *atque idem*. Igitur ſi quis me cogat retinere *unum:* certe ita disponam verba, *cui contigit unum optimum, atque idem coniunctiſſimum exemplar.* Sed praeſtat, tria epitheta habere hoc exemplar, ut ſit a) *vivum*, adeoque praeſens, efficax, b) *optimum*, quod imitandum eſſet, etiamſi eſſet mortuum aut alienum, c) *coniunctiſſimum*, cuius penitius inſpiciendi, conſulendi, exprimendi quotidiana facultas. *G.*

qui denique — — voluit) Vim et ſenſum huius ſententiae non ſatis adſequor. Si *ſimillimus* patri eſt, quorſum et quatenus eum imitetur? nam alterum imitamur, ut ſimiles ei fiamus. Si ſimillimum eum vultu tantum et ore voluit, quid hoc ad imitationem attinet? Videtur mihi Plinius eam ſententiam adpoſuiſſe, ut rotundius et concinnius epiſtola finiret. Habet enim aliquem luſum e repugnantibus, qui tamen ſenſum non adiuvat, ſed minuit. *E.*

Acerba ſane criminatio, ſi quid arguaris concinnitatis cauſſa ſcripſiſſe, quod ſenſum non adiuvet, ſed impediat. Quidni vero haec intelligamus ſic: qui, ut paucis me expediam, potiſſimum

XIV.

Quaestionem senatoriam explicandam proponit.

C. PLINIVS ARISTONI SVO S.

Quum sis peritissimus et privati iuris et publici,
cuius pars senatorium est, cupio ex te potissimum
audire, erraverim in senatu proxime, necne:
non ut in praeteritum, (serum enim) verum ut in
2 futurum, si quid simile inciderit, erudiar. Di-
ces, *Cur quaeris, quod nosse debebas?* Priorum
temporum servitus, ut aliarum optimarum artium,
sic etiam iuris senatorii oblivionem quandam et
3 ignorationem induxit. Quotus enim quisque tam
patiens, ut velit discere, quod in usu non sit
habiturus? Adde, quod difficile est tenere, quae
acceperis, nisi exerceas. Itaque reducta libertas
rudes nos et imperitos deprehendit: cuius dulce-
dine accensi cogimur quaedam facere ante, quam
4 nosse. Erat autem antiquitus institutum, ut a
maioribus natu, non auribus modo, verum etiam
oculis disceremus, quae facienda mox ipsi, ac
per vices quasdam tradenda minoribus, habere-
5 mus. Inde adolescentuli statim castrensibus sti-
pendiis imbuebantur, ut imperare parendo, duces
agere, dum sequuntur, adsuescerent: inde hono-
res petituri adsistebant curiae foribus, et consilii

eum, ut perfectissimum exemplar, imitari debes, quem ipsa tibi natura exprimendum dedit, cum eo te nasci voluerit. Pater filio naturâ coniunctissimum exemplar, non item semper optimum. *S.*

XIV, 2 *quod nosse debebas)* *Neque hic dubitavi Gronovianam coniecturam vulgato *debeas* anteponere. Pauci nimis sunt MSti, et nimis durum, hoc est, minime Plinianum *debeas*. *G.*

Priorum temporum servitus) Nunquam excidisse debet lectori Plinii, scripsisse eum, post Domitiani furores recreata Nervae et Traiani beneficio republica. Quid tum iuvabat discere iura, quibus uti non liceret, ne ad hoc quidem, ut ea tibi cognita esse significares? *G.*

3 *deprehendit)* Ipsum hoc verbum habet eam vim, ut oppressum inopinato, et captum notet. Saepe ita Fabius meus, sed proprie, et unde intelligi metaphora possit, Instit. Or. 12, 2, 14. *Parva quaedam animalia, in angustiis mobilia, campo deprehenduntur.* Add. mox 8. 17, 4. *G.*

publici ſpectatores ante, quam conſortes, erant.
Suus cuique parens pro magiſtro, aut cui parens 6
non erat, maximus quisque et vetuſtiſſimus pro parente. Quae poteſtas referentibus, quod cenſentibus ius, quae vis magiſtratibus, quae ceteris libertas; ubi cedendum, ubi reſiſtendum; quod ſilentii tempus, quis dicendi modus, quae diſtinctio pugnantium ſententiarum, quae exſecutio prioribus aliquid addentium, omnem denique ſenatorium morem, quod fideliſſimum praecipiendi
genus, exemplis docebantur. At nos iuvenes 7
fuimus quidem in caſtris; ſed quum ſuſpecta virtus, inertia in pretio, quum ducibus auctoritas nulla, nulla militibus verecundia, nusquam imperium, nusquam obſequium, omnia ſoluta, turbata, atque etiam in contrarium verſa, poſtremo
oblivifcenda magis, quam tenenda. Iidem proſpe- 8
ximus curiam; ſed curiam trepidam et elinguem; quum dicere, quod velles, periculoſum; quod nolles, miſerum eſſet. Quid tunc diſci potuit? quid didiciſſe iuvit? quum ſenatus aut ad otium ſummum, aut ad ſummum nefas vocaretur; et

6 *quis dicendi modus)* Quamdiu dicere fas eſſet? an liceret, ut mora inüciatur negotio, et diſferatur, quod iam impediri non poteſt, *diem dicendo eximere?* Locus ea de re claſſicus eſt Gell. 4, 10. *C. Caeſar conſul M. Catonem ſententiam rogavit. Cato rem, quam conſulebatur, quoniam non e republica videbatur, perſici nolebat. Eius rei gratia ducendae, longa oratione utebatur, eximebatque dicendo diem. Erat enim ius ſenatori,* (en partem iuris ſenatorii!) *ut ſententiam rogatus, diceret ante quidquid vellet aliae rei, et quoad vellet.* Vid. Gronov. Obſſ. 1, 22. et add. ſupra 6, 5, 1. et 6, 19, 3. infra 9, 13, 9. *G.*

diſtinctio pugnantium ſent.) Recte explicat Catanaeus de *dividenda*, ut alias loquuntur, *ſententia*, ubi ex parte amplectimur alterius ſententiam, ex alia parte eam refutamus. Elegantiſſime Sen. ep. 21. *Quod in ſenatu fieri ſolet, faciendum in philoſophia quoque eſſe exiſtimo. Cum cenſuit aliquis, quod ex parte mihi placeat, iubeo illum dividere ſententiam, et ſequor.* Laudavit h. l. et totam rem explicavit Briſſon. de form. 2, 59. p. 168. Conr. Conſ. mox ſ. 15. *G.* Add. Gesneri ad I. A. Erneſt. epiſtola.

exſecutio) Nempe *exſequi* eſt perſequi ad finem: qui addit aliquid ſuperiori ſententiae, illam ſequitur ultra, quam auctor ipſe. *G.*

8 *proſpeximus curiam) Adſiſtentes nempe in curiae foribus*, quod dixerat ſ. 5. *G.*

modo ludibrio, modo dolori retentus, nunquam
9 ſeria, triſtia ſaepe cenſeret. Eadem mala iam ſe-
natores, iam participes malorum, multos per an-
nos vidimus, tulimusque: quibus ingenia noſtra
in poſterum quoque hebetata, fracta, contuſa ſunt.
10 Breve tempus (nam tanto brevius omne, quanto
felicius tempus) quo libet ſcire, quid ſimus; libet
exercere, quod ſumus. Quo inſtius peto, primum,
ut errori (ſi quis eſt error)tribuas veniam; deinde,
medearis ſcientia tua, cui ſemper fuit curae, ſic
iura publica, ut privata; ſic antiqua, ut recentia;
11 ſic rara, ut aſſidua, tractare. Atque ego arbitror
illis etiam, quibus plurimarum rerum agitatio
frequens nihil eſſe ignotum patiebatur, genus quae-
ſtionis, quod adfero ad te, aut non ſatis tritum,
aut etiam inexpertum fuiſſe. Hoc et ego excuſa-
tior, ſi forte ſum lapſus, et tu dignior laude, ſi
potes id quoque docere, quod in obſcuro eſt, an
12 didiceris. Referebatur de libertis Afranii Dextri
conſulis, incertum ſua an ſuorum manu, ſcelere
an obſequio, peremti. Hos alius, (*Quis?* Ego;

ludibrio — dolori) Senatus retinebatur *ludibrio*, cum conſuleretur vel de nugis, vel de quibus iam ſtatuiſſet princeps: *dolori*, cum crudelitati vel ſuperbiae principis ſerviendum eſſet, decernendis innocentium ſuppliciis, ubi *ſeria*, et ex animi ſententia, *cenſere* nemo vir bonus potuit, niſi praeſentiſſimum ultro periculum vellet ſibi arceſſere. Prius illud graphice depingit Iuvenalis maiore parte ſatyrae quartae, ubi de ingenti rhombo convocatur et conſulitur ſanctior quidam ſenatus. *G.*

10 *ſcire, quid ſimus*) Quae iura habeamus ut ſenatores, ut magiſtratus. vid. ſ. 6. *Nimirum antiqua tenenda eſt lectio e Mediceo etiam libro firmata, prae Buchneriana coniectura, quam receperat Cellarius, *ſcire, quod ſcimus*. *G.*

11 *an didiceris*) Hoc eſt, an inciderit tua aetate talis ſpecies, ut diſcendi ſub exemplo fuerit occaſio. *G.*

Nempe *diſcere* cauſſam proprie dicitur patronus a cliente, qui eam *docere* aeque proprie dicitur. *E.*

Vera haec, ſed ab hoc loco aliena, quem Gesnerus bene interpretatur. *S.*

12 *Afranii Dextri Cos.*) In Almeloveenianis faſtis refertur ad A. V. C. 850. poſt C. N. 98. ex Kal. Octob. De hiſtoria non puto aliunde conſtare. *G.*

Hos alius, (Quis? Ego;)) Primo ſimpliciter narrare incipit alicuius ſententiam: deinde fingit, amicum interrogare, *Quis* eſt ille alius? Huic poterat reſpondere *Ego*: nimirum, ſe fuiſſe ipſum in hac ſententia. Sed ſuſtinet ſe, cum nihil ad rem faciat. Ex

sed nihil refert) post quaestionem supplicio liberandos, alius in insulam relegandos, alius morte puniendos arbitrabatur. Quarum sententiarum tanta diversitas erat, ut non possent esse, nisi singulae. Quid enim commune habet, occidere et 13
relegare? Non hercule magis, quam relegare et absolvere: quamquam propior aliquanto est sententiae relegantis, quae absolverit, quam quae occiderit; utraque enim ex illis vitam relinquit, haec adimit: quum interim et qui morte puniebant, et qui relegabant, una sedebant, et temporaria simulatione concordiae discordiam differebant. Ego postulabam, ut tribus sententiis con- 14
starct suus numerus, nec se brevibus induciis duae iungerent. Exigebam ergo, ut, qui capitali supplicio adficiendos putabant, discederent a relegante, nec interim contra absolventes mox dissensuri congregarentur, quia parvulum referret, an idem displiceret, quibus non idem placuisset. Illud etiam mihi permirum videbatur, eum qui- 15
dem, qui libertos relegandos, servos supplicio adficiendos censuisset, coactum esse dividere sententiam; hunc autem, qui libertos morte multaret, cum relegante numerari. Nam si oportuisset dividi sententiam unius, quia res duas comprehendebat, non reperiebam, quemadmodum posset iungi sententia duorum tam diversa censentium. Atque adeo permitte mihi, sic apud te tanquam 16
ibi; sic peracta re, tanquam adhuc integra, rationem iudicii mei reddere: quaeque tunc car-

his, quae sequuntur, apparet, omnino Plinium in ea fuisse sententia, servos esse absolvendos. *G.*

Id iam nunc apparet, non demum ex sequentibus. *S.*

13 *absolverit — occiderit*) Immo *absolvit — occidit*: sicque Cortius cum Gierigio. *S.*

una sedebant) Nempe in hoc conveniebant, quod utrique dicerent servos esse puniendos; dissidebant de genere poenae. Sed sic temporaria illa concordia superabant mitem illam absolventium sententiam. *G.*

15 *dividere sententiam*) Redi ad ea, quae §. 6. hac de re diximus. *G.*

ptim, multis obſtrepentibus, dixi, per otium iun-
17 gere. Fingamus, tres omnino iudices in hanc
cauſſam datos eſſe: horum uni placuiſſe, perire
libertos; alteri, relegari; tertio, abſolvi: utrum-
ne ſententiae duae, collatis viribus, noviſſimam
periment? an ſeparatim unaquaeque tantundem,
quantum altera, valebit? nec magis poterit cum
ſecunda prima connecti, quam ſecunda cum ter-
18 tia? Igitur in ſenatu quoque numerari, tanquam
contrariae, debent, quae tanquam diverſae dicun-
tur. Quod ſi unus atque idem et perdendos cen-
ſeret et relegandos, num ex ſententia unius et
perire poſſent et relegari? num denique omnino
una ſententia putaretur, quae tam diverſa con-
19 iungeret? Quemadmodum igitur, quum alter pu-
niendos, alter cenſeat relegandos, videri poteſt
una ſententia, quae dicitur a duobus, quae non
videretur una, ſi ab uno diceretur? Quid? lex
non aperte docet, dirimi debere ſententias occi-
dentis et relegantis, quum ita diſceſſionem fieri
iubet: QVI HAEC SENTITIS, IN HANC PARTEM; QVI
ALIA OMNIA, IN ILLAM PARTEM ITE, QVA SENTITIS.
Examina ſingula verba et expende: QVI HAEC CEN-
SETIS, hoc eſt, qui relegandos putatis: IN HANC
PARTEM, id eſt, in eam, in qua ſedet, qui cenſuit
20 relegandos. Ex quo manifeſtum eſt, non poſſe
in eadem parte remanere eos, qui interficiendos
arbitrantur. QVI ALIA OMNIA: animadvertis, ut
non contenta lex dicere ALIA, addiderit OMNIA.

16 *carptim — dixi) Carptim* proprie ad ea pertinet animalia, quae non uno perpetuo quodam tenore atque tractu veſcuntur, ſed nunc hic nunc illic *carpunt* aliquid ſive decerpunt. Hinc *carptim* dicit, qui propter crebras interpellationes non poteſt contexere iuſtam orationem, ſed nunc hanc nunc aliam ſententiam breviter profert. *G.*

19 *qua ſentitis)* In quam inclinatis veſtra ſententia. *G.*

Qui haec cenſetis) Opinor ſcribendum: *Qui haec ſentitis. Cenſetis* interpretamentum videtur. *S.*

20 *alia omnia)* Nempe *alia omnia* ex mente Plinii non ſignificat hic plane diverſa, omnibus partibus alia; ſed ulla vel quaecunque alia, quocunque modo diverſa. *G.*

Num ergo dubium eſt, alia omnia ſentire eos, qui occidunt, quam qui relegant? IN ILLAM PARTEM ITE, QUA SENTITIS: nonne videtur ipſa lex eos, qui diſſentiunt, in contrariam partem vocare, cogere, impellere? non conſul etiam, ubi quisque remanere, quo transgredi debeat, non tantum ſolennibus verbis, ſed manu geſtuque demonſtrat? At enim futurum eſt, ut, ſi divi- 21
dantur ſententiae interficientis et relegantis, praevaleat illa, quae abſolvit. Quid iſtud ad cenſentes? quos certe non decet omnibus artibus, omni ratione pugnare, ne fiat, quod eſt mitius. Oportet tamen eos, qui puniunt, et qui relegant, abſolventibus primum, mox inter ſe comparari. Scilicet ut in ſpectaculis quibusdam ſors aliquem ſeponit ac ſervat, qui cum victore contendat: ſic in ſenatu ſunt aliqua prima, ſunt ſecunda certamina; et ex duabus ſententiis eam, quae ſu-

21 *At enim futurum*) Huius obiectionis haec vis eſt, iniquum eſſe, cum plures ſint longe, qui puniendos putent reos, licet diverſo modo, quam qui abſolvendos; tamen horum ſententiam ideo praevalere, quia illis in genere poenae non conveniat, abſolvique adeo reos maioris partis ſententia damnatos. Reſpondet Plinius, Illud iam non curandum eſſe cenſentibus etc. *G.*

Oportet tamen etc.) Nova obiectio. Sic *tamen* orditur obiectionem 7, 17, 5. *S.*

qui puniunt) Nihil opus eſt hic gloſſa, quam quidam interſerunt, *morte:* etiam ſ. 19. iam ita abſolute poſuerat *punire* noſter, pro *interficere*. *G.*

in ſpectaculis) Diſertiſſime et plurimis verbis hoc non tam deſcripſit, quam actione velut quadam propoſuit Lucianus in Hermotimo p. 536. ſqq. Nempe ſi numero impari, v. g. novem ſint gladiatores, ſortes coniiciuntur binae earundem literarum, duae A, duae B, etc. Comparantur et committuntur duo, quibus eadem litera exiit. Sed reſtat una ſors, quae parem non habet, ut hic, ſi ordinem elementorum ſecuti eſſent praeſides ludi, E. Cui haec ſolitaria litera evenit, hic ἔφεδρος eſt, hic *ſedet* interim, et exſpectat victorem aliquem, quicum deinde, integer cum feſſo aliquantum, ſed forti, et victoria alacri, congreditur. *Non uſus eſt Luciano Lipſius Sat. 2, 14. quem laudant ad Plinium viri docti: alioqui accuratius ἔφεδρον Plutarchi interpretatus eſſet: quem *ſubſeſſorem* potius, quam *ſubditicium* aut *ſuppoſiticium* vocavimus in noſtra Luciani interpretatione, quae cum maxime Wetſteniana prela exercet. *Hermes ſuppoſiticius* apud Martial. 5, 25. dicitur reſpectu fatigati gladiatoris, in cuius locum ſuccedit: ſed ἔφεδρος Graecorum ἐφεδρεύει, in inſidiis quaſi collocatus imminet victori. *G.*

22 perior exierit, tertia exſpectat. Quid, quod,
prima ſententia comprobata, ceterae perimuntur?
Qua ergo ratione poteſt eſſe [non] uuus atque
idem locus ſententiarum, quarum nullus eſt poſt-
23 ea? Planius repetam. Niſi, dicente ſententiam
eo, qui relegat, illi, qui puniunt capite, initio
ſtatim in alia diſcedunt, fruſtra poſtea diſſentient
24 ab eo, cui paullo ante conſenſerint. Sed quid
ego ſimilis docenti, quum diſcere velim, an ſen-
tentias dividi, an iri in ſingulas, oportuerit?
Obtinui quidem, quod poſtulabam: nihilominus
tamen quaero, an poſtulare debuerim, an absti-
nere. Quemadmodum obtinui? Is, qui ulti-
mum ſupplicium ſumendum eſſe cenſebat, neſcio,

22 *prima ſententia)* *Planiora eſſent haec, ſi ponamus fuiſſe in veteri libro, *una*, unde *ima* ortum ſit, et deinde *Ima*, ex quo aliquis *prima* fecerit. Certe hic intellectus eſt, *una* ſententia probata, ceteras perimi, et non valere. Sed tamen recepta lectio etiam hanc ſententiam habere poteſt. *G.*

Nihil mihi videor obſcuritatis in vulgata lectione reperire. Prima ſententia in noſtra ſpecie, (ad hanc enim ſolam Plinius reſpicit) eſt abſolventis: qua comprobata, ceterae, altera relegantis, morte multantis altera, non poſſunt non perimi. Nulla igitur hic, quam adverſarius urget, *ἐφεδρεία*: ſatisque commode, ſi quid video, Plinius hanc alteram obiectionem refellit. *S.*

Qua ergo ratione) Locus forte inter difficillimos Plinii, et deſtitutus ab interpretibus. Si licet cum Genevenſi editione Catanaei negationem, quam ideo incluſimus, omittere, ſalva res erit, haec nempe ſententia: Quomodo poſſunt ſtare interim ſententiae morte multantes et coniungi cum relegantibus, ad ſuperandas abſolventes, quarum paullo poſt, comparatione cum relegantibus facta, nullus locus erit? cur valeant contra abſolventes, non valeant contra relegantes? Si poſt non valent, neque prius debent valere: ſi prius, etiam poſt. *G.*

Negatio nata ex compendio non intellecto adverbii *nunc*. *Nunc*, *poſtea*, ſibi opponuntur. Saepe ita peccatum a librariis. Vid. Drakenb. ad Liv. 9, 7, 5. *S.*

24 *an ſententias dividi, an iri)* Cave putes haec eſſe membra disiuncta: ἢ *an* per anaphoran poſita non aliam vim habet, quam ſi ita dediſſet Plinius, *An ſententias dividi, ET iri in ſingulas oportuerit.* Hoc enim eſt dividere ſententias, ſi non in duas coniunctim itur, ſed in ſingulas. *Malebat Cortius pro poſteriori *an* legi *ac*: quod eodem redit. *G.*

Quemadmodum obtinui?) *Capitalis emendatio e Mediceo libro prolata a Cortio. Reliqui, *An poſtulare debuerim, an abſtinere, quemadmodum abſtinuit is, qui ultimum.— — cenſebat. Neſcio an iure* etc. Quae ab editoribus ita informata puto, cum ſemel pro *obtinui* irrepſiſſet

an iure, certe aequitate poſtulationis meae victus, omiſſa ſententia ſua, acceſſit releganti: veritus ſcilicet, ne, ſi dividerentur ſententiae, (quod alioqui fore videbatur) ea, quae abſolvendos eſſe cenſebat, numero praevaleret. Etenim longe plures in hac una, quam in duabus ſingulis, erant.
Tum illi quoque, qui auctoritate eius traheban- 25
tur, transeunte illo, deſtituti, reliquerunt ſententiam ab ipſo auctore deſertam, ſequutique ſunt quaſi transfugam, quem ducem ſequebantur.
Sic ex tribus ſententiis duae factae; tenuitque ex 26
duabus altera, tertia expulſa, quae quum ambas ſuperare non poſſet, elegit, ab utra vinceretur. Vale.

XV.

Non habenti quod legat in vineis, legendos mittit libros.

C. PLINIVS IVNIORI SVO S.

Oneravi te tot pariter miſſis voluminibus. Sed oneravi primum, quia exegeras; deinde, quia ſcripſeras tam graciles iſtic vindemias eſſe, ut plane ſcirem tibi vacaturum (quod vulgo dicitur)
librum legere. Eadem ex meis agellis nuntian- 2
tur. Igitur mihi quoque licebit ſcribere, quae legas, ſit modo, unde chartae emi poſſint: quae ſi ſcabrae bibulaeve ſint, aut non ſcribendum,

abstinuit. Plinianum eſt ita interrogare, et ſibi reſpondere, vid. 3, 9, 2. 6, 2, 1. 6, 23, 1. 6, 29, 1. ſq. 9, 17, 2. vel proponere quaedam deinde repetenda, ut mox 8, 18, 6. ut 9, 16, 1. etc. Mediceus liber etiam verba *an abstinere* omittit. Servavimus ea, cum quod ſenſum non incommodum habere poſſunt; ſubaudire enim licet, *abstinere a poſtulando:* tum quod inde poteſt intelligi, unde illud *abstinuit* pro *obtinui* irrepſerit. *G.*

XV, 1 *quod vulgo dicitur*) Proverbium igitur tum inter ſcholaſticos homines uſitatum fuiſſe debet, de gracili vindemia, ex ambiguitate verbi *legere* tractum, nempe tale: Librum una ferendum eſſe in vindemiam, ut, ſi uvae non ſint, ſit tamen liber qui *legi* poſſit. *G.*

aut necessario, quidquid scripserimus boni malive, delebimus. Vale.

XVI.

De morbis et morte servorum queritur, additis solatiis.

C. PLINIVS PATERNO SVO S.

Confecerunt me infirmitates meorum, mortes etiam, et quidem iuvenum. Solatia duo, nequaquam paria tanto dolori, solatia tamen: unum facilitas manumittendi, (videor enim non omnino immaturos perdidisse, quos iam liberos perdidi) alterum, quum permitto servis quoque quasi testamenta facere, eaque, ut legitima, custodio.
2 Mandant rogantque, quod visum: pareo ut iussus. Dividunt, donant, relinquunt, dumtaxat intra domum. Nam servis respublica quaedam et quasi
3 civitas domus est. Sed quamquam his solatiis adquiescam, debilitor et frangor eadem illa humanitate, quae me, ut hoc ipsum permitterem, induxit. Non ideo tamen velim durior fieri. Nec ignoro, alios huiusmodi casus nihil amplius vocare, quam damnum; eoque sibi magnos homi-

2 *delebimus*) Etiam hic lusus in verbo est: qui in bibula ac spongiosa nimis et scabra charta scribit, ille diffluentibus literis delere potius et lituras facere quam scribere videtur. *G.*

XVI, 1 *iam liberos*) Propediem manumittendos, qua re non modo damnum minuitur; sed illa humanissima exoritur consolatio, vicem illis pro suis meritis redditam. *G.*

Immo, iam manumissos. Facilis autem manumissio, tali fortasse occasione oblata, qualis supra 7, 32. memoratur. *S.*

quum permitto) Cortius et Gierigius *quod permitto.* bene. *S.*

2 *pareo ut iussus. Dividunt*) *Etiam hic locus Mediceo libro sanitatem debet. Alii, *pareo ocius. Suis dividunt. G.*

quasi civitas) Cum alias *caput* non habeat servus, nec ullam civilis iuris communionem, ac proinde nec facere testamentum, nec percipere ex alio testamento quidquam, quod suum sit, possit, cum ipse sit domini. *G.*

3 *alios—damnum*) Cum moritur servus, illud modo computant, quanti fuerit, quanti emi alius aeque bonus possit; amicitiae, et ex consuetudine suavitatis, rationem nullam habent. Tangit autem Catonem maiorem, *Sapientem* dictum, cuius erga servos vetulos vel morbosos in-

nes et ſapientes videri. Qui an magni ſapientes-
que ſint, neſcio: homines non ſunt. Hominis 4
eſt enim adfici dolore, ſentire, reſiſtere tamen,
et ſolatia admittere; non, ſolatiis non egere. Ve- 5
rum de his plura ſortaſſe, quam debui, ſed pau-
ciora, quam volui. Eſt enim quaedam etiam
dolendi voluptas: praeſertim ſi in amici ſinu de-
fleas, apud quem lacrumis tuis vel laus ſit para-
ta, vel venia. Vale.

XVII.

Exundationem Tiberis et Anienis narrat, rogans ut ſibi nuntietur, ſi quid ſimile in aliis praediis accidiſſet.

C. PLINIVS MACRINO SVO S.

Num iſtic quoque immite et turbidum caelum?
Hic aſſiduae tempeſtates, et crebra diluvia. Ti-
beris alveum exceſſit, et demiſſioribus ripis alte
ſuperfunditur. Quamquam foſſa, quam providen- 2
tiſſimus imperator fecit, exhauſtus, premit valles,
innatat campis; quaque planum ſolum, pro ſolo
cernitur. Inde, quae ſolet flumina accipere, et
permiſta devehere, velut obvius retro cogit; at-
que ita alienis aquis operit agros, quos ipſe non
tangit. Anio, delicatiſſimus amnium, ideoque 3

humanitas, quam etiam in libello de re ruſtica c. 2. teſtatam reliquit, tum ab aliis, tum a Plutarcho praeſertim, reprehenditur. Vid. p. 333. Bryani, *ubi non τὸ ἄγαν ἀγεννὲς, ſed τὸ ἄγαν ἀτενὲς, non *humilitatem* et *ignaviam*, ſed *auſteritatem ſeveritatemque* nimiam, obiici Catoni, alias obſervavimus. *G.*

5 *dolendi voluptas)* Pulchre huc advocarunt illud Ovid. Triſt. 4. 3. 37. *Eſt quaedam flere voluptas: Expletur lacrumis egeriturque dolor. G.*

XVII, 2 *Quamquam exhauſtus)* Continuanda, opinor, antecedentibus. *S.*

retro cogit) *Aeque elegans eſt, quod ex Mediceo dedit Cortius, *ſiſtere cogit.* Sic paullo poſt habet, *ſe ſuper ruinas eiecit*, pro aliorum *evexit.* Haec talia ſunt, ut, quod praeferam, non inveniam, ac proinde ex interdicto *uti poſſidetis*, interim agere ſtatuerim. *G.*

3 *Anio — — extulit)* Sunt haec omnia, et plurima alia in

adiacentibus villis velut invitatus retentusque,
magna ex parte nemora, quibus inumbratur, fre-
git et rapuit. Subruit montes, et decidentium
mole pluribus locis clausus, dum amissum iter quae-
rit, impulit tecta, ac se super ruinas evexit atque ex-
4 tulit. Viderunt hi, quos excelsioribus terris illa tem-
pestas non deprehendit, alibi divitum apparatus, et
gravem supellectilem, alibi instrumenta ruris; ibi
boves, aratra, rectores, hic soluta et libera ar-
menta; atque inter haec arborum truncos, aut
villarum trabes [atque culmina] varie lateque flui-
5 tantia. Ac ne illa quidem loca malo vacaverunt,
ad quae non adscendit amnis. Nam pro amne
imber assiduus, et deiecti nubibus turbines: pro-
ruta opera, quibus pretiosa rura cinguntur: quassata
atque etiam decussa monimenta. Multi eiusmodi
casibus debilitati, obruti, obtriti, et aucta luctibus

hac epistola, elaboratiora et splendidiora, quam exspectes. Omnis epistola est chriae quam epistolae similior; et si ex nulla alia pateret, Plinium has epistolas de industria et *εἰς κτῆμα* scripsisse, profecto ex hac intelligeretur. Caeterum cum Plinius Anienem *delicatissimum* amnium dixit, virtutes tales cogitasse putandus est, quae eum amnem accolis, vel invisentibus iucundissimum, amoenissimum facerent, ut liquoris puritatem, cursus tranquillitatem eam, quae exundationis pericula excludit, et quae similia sunt. *E.*

delicatissimus). Choaspes *delicatam* vehere *aquam* dicitur Curtio 5, 2, 9. Acumen in hoc, sed sophista illud dignum, quod amnis tam delicatus, ut adiacentes eum villae invitent et retineant, nunc nemora, quibus inumbretur, fregerit, montes subruerit etc. *S.*

4 *tempestas non deprehendit)* *Deprehendere* esse opprimere, tanquam in decipula, ante observatum ad 8, 14, 3. Quosdam *excelsioribus locis*, h. e. propter id ipsum, quod excelsioribus in locis versarentur, non oppressit tempestas. Hi observare aliorum strages et narrare possunt. *Servanda nempe omnibus modis est negativa particula, quam male omittit liber Mediceus, etiam in voce *qui* pro *quos* posita vitiosus. *G.*

atque culmina) *Absunt a quibusdam codicibus haec verba. *G.*

5 *opera, quibus pretiosa)* Aggeres, quibus arbores impositae, maceriae, sepes, de quibus rustici mei, v. g. Varro 1, 14. *Volebam aliquando transpositis verbis duobus *pretiosa* iungere cum *operibus*: sed quo pretiosiora sunt rura, tanto plus in septa eorum impendi verisimile est. *G.*

monimenta) Non sepulcrorum modo, sed alia etiam publica opera. Videtur Plinius cogitasse secundam oden Horatii, ubi Tiberis it *deiectum monimenta regis* etc. *G.*

luctibus) ob debilitatos, obrutos, obtritos. *S.*

damna. Ne quid simile istic, pro mensura peri- 6
culi, vereor: teque rogo, si nihil tale est, quam
maturissime solicitudini meae consulas: sed et, si
tale, id quoque nunties. Nam parvulum differt,
patiaris adversa, an exspectes: nisi quod tamen
est dolendi modus, non est timendi. Doleas
enim, quantum scias accidisse; timeas, quantum
possit accidere. Vale.

XVIII.

Domitium Tullum laudat, qui moribus cetera non probatissimis, testamentum fecerat honestissimum, posthabitis captatoribus, et scriptis unice, quos pietas iubebat.

C. PLINIVS RVFINO SVO S.

Falsum est nimirum, quod creditur vulgo, testa-
menta hominum speculum esse morum: quum
Domitius Tullus longe melior apparuerit morte,
quam vita. Nam, quum se captandum praebuis- 2
set, reliquit filiam heredem, quae illi cum fratre
communis, quia genitam fratre adoptaverat. Pro-
sequutus est nepotes plurimis iucundissimisque le-
gatis; prosequutus etiam pronepotem. In summa,
omnia pietate plenissima; ac tanto magis, quo-

6 *pro mensura periculi*) Intelligit, puto, analogiam et proportionem quandam. Si hic circa Anienis ac Tiberis confluentes, hoc est, in Latio, tanta diluvia, quanta *istic*, ubi tu es, Macrine; locis humilioribus, diluvio magis alias obnoxiis etc. forte in Transpadanis, ad Larium lacum, ubi praedia habuisse nostrum constat. *G.*

XVIII, 2 *se captandum praebuisset*) Admisisset blanditias, munera, obsequia, heredipetarum, quibus in testamentum illius irrepere conabantur. Fecit itaque Domitius, quod Coranus ille apud Horatium Sat. 2, 5, 55. sq. quod senes plures in Luciani Dialogis mortuorum, verbo, *corvos delusit hiantes*. *G.*

ac tanto magis — sunt) His ego non offendor: nec Gesnerus, opinor, offensus est. Domitii pietas tanto magis placebat adeoque maior videbatur, quoniam testamentum tam pium nemo exspectaverat. *S.*

3 niam inexſpectata ſunt. Ergo varii tota civitate
ſermones: alii fictum, ingratum, immemorem lo-
quuntur, ſeque ipſos, dum inſectantur illum, tur-
piſſimis confeſſionibus produnt, ut qui de patre,
avo, proavo, quaſi de orbo, querantur: alii con-
tra hoc ipſum laudibus ferunt, quod ſit fruſtratus
improbas ſpes hominum; quos ſic decipere, pro
moribus temporum, prudentia eſt. Addunt etiam,
non fuiſſe ei liberum, alio teſtamento mori; ne-
que enim reliquiſſe opes filiae, ſed reddidiſſe,
4 quibus auctus per filiam fuerat. Nam Curtilius
Mancia, peroſus generum ſuum Domitium Luca-
num (frater eſt Tulli) ſub ea conditione filiam
eius, neptem ſuam, inſtituerat heredem, ſi eſſet
manu patris emiſſa. Emiſerat pater, adoptaverat
patruus: atque ita circumſcripto teſtamento, con-
ſors frater in patris poteſtatem emancipatam filiam
adoptionis fraude revocaverat, et quidem cum
5 opibus ampliſſimis. Fuit alioqui fratribus illis
quaſi fato datum, ut divites fierent invitiſſimis,

3 *ut qui de patre)* Speciem habuiſſent querelae deluſorum captatorum, ſi *orbus* deceſſiſſet, ſine liberis, ſine pignore, Tullus: ſic enim aequum erat, eum gratias ultimo iudicio referre bene de ſe meritis aliis. Sed quod queruntur de *patre* filiae, *avo* nepotum, *proavo* pronepotis, qui ſ. 2. commemorati ſunt, in eo produnt ſe etc. *Nimium recepimus ſine ulla mutatione Mediceam lectionem, ut plane huic loco aptam. Vulgatum adhuc, *qui de illo uti de patre, avo, proavo, quaſi orbi querantur.* Quae ſi lectio locum habere debeat, tum *orbi* fuerint, inaudita, quantum conſtat, ſignificatione, non qui liberis carent, ſed *exheredutati:* quem intellectum Buchnerus quidem ſibi inveniſſe videtur ſupra 5, 1, 3. Sed nihil impedit, quin ſententia cogit, ut et ibi ſolemnis ſignificatio obtineat; et iam contra dixit ad eum iplum locum Gronovius. *G.*

4 *frater eſt Tulli)* Cortius ex Mediceo: *frater is Tulli.* Plinianum hoc. Recepit et Gierigius. *S.*

circumſcripto teſtamento) Commento quodam, quod iuris ſpeciem habet, eluſo et fruſtrato. Illa circumſcriptio in eo ineſt, quod filiam fratris, emancipari iuſſam, ut frui poſſet teſtamento avi ſui, adoptat frater is, qui *conſors* eſſet fratris emancipantis, h. e. in communione bonorum indiviſa cum illo viveret: hunc enim eſſe *conſortem*, ICti docent, et Burm. ad Vell. 1, 10. Igitur quod ad ipſum rediturum erat, de bonis filiae non emancipatae, illud iam redibat, poſtquam emancipata quidem, ſed eadem adoptata a fratre conſorte erat. *G.*

a quibus facti ſunt. Quin etiam Domitius Afer,
qui illos in nomen adſumſit, reliquit teſta-
mentum ante octo et decem annos nuncupa-
tum, adeoque poſtea improbatum ſibi, ut pa-
tris eorum bona proſcribenda curaverit. Mira 6
illius aſperitas, mira felicitas horum: illius aſpe-
ritas, qui numero civium excidit, quem ſocium
etiam in liberis habuit; felicitas horum, quibus
ſucceſſit in locum patris, qui patrem abſtulerat.
Sed haec quoque hereditas Afri, ut reliqua cum 7
fratre quaeſita, transmittenda erant filiae fratris,
a quo Tullus ex aſſe heres inſtitutus, praelatus-
que filiae fuerat, ut conciliaretur. Quo laudabi-
lius teſtamentum eſt, quod pietas, fides, pudor,
ſcripſit: in quo denique omnibus adfinitatibus, pro
cuiusque officio, gratia relata eſt: relata et uxori.
Accepit amoeniſſimas villas, accepit magnam pe- 8
cuniam uxor optima et patientiſſima: ac tanto
melius de viro merita, quanto magis eſt repre-
henſa, quod nupſit. Nam mulier natalibus clara,
moribus proba, aetate declivis, diu vidua, mater
olim, parum decore ſequuta matrimonium vide-
batur divitis ſenis, ita perditi morbo, ut eſſe tae-
dio poſſet uxori, quam iuvenis ſanusque duxiſſet.
Quippe omnibus membris extortus et fractus tan- 9
tas opes ſolis oculis obibat: ac ne in lectulo
quidem, niſi ab aliis, movebatur. Quin etiam
(foedum miſerandumque dictu) dentes lavandos
fricandosque praebebat. Auditum eſt frequenter ab
ipſo, quum quereretur de contumeliis debilitatis

5 *Domitius Afer)* Profuit hic locus nobis ad interpretandum non nimis facilem locum Quintiliani 6, 3, 92. ubi putamus huius teſtamenti mentionem fieri. *G.*

6 *ſocium in liberis)* Cuius ipſe filios adoptaſſet, ut ſ. 2. *filiam, quae illi cum fratre communis.* *G.*

7 *ut conciliaretur)* Ut filiae ſuae propitium redderet fratrem ſuum, a quo illi inſidiae metuendae erant, ſi ipſa heres eſſet; illum ipſum heredem praeterita filia inſtituit, futurum arbitratus, quod accidit, ut nec vivus inſidiaretur ſuae ex fratre nepti, cuius iam bona nemine contra dicente haberet; et curaret, cum liberos ex ſe natos non haberet, ut certe poſt mortem ſuam rediret ad illam hereditas. *G.*

ſuae, *ſe digitos ſervorum ſuorum quotidie lingere.*
10 Vivebat tamen, et vivere volebat, ſuſtentante ma-
xime uxore; quae culpam inchoati matrimonii in
11 gloriam perſeverantia verterat. Habes omnes fa-
bulas urbis. Iam ſunt venales tabulae Tulli: ex-
ſpectatur auctio. Fuit enim tam copioſus, ut am-
pliſſimos hortos eodem, quo emerat, die inſtru-
xerit plurimis et antiquiſſimis ſtatuis. Tantum
illi pulcherrimorum operum in horreis, quae
negligebantur. Invicem tu, ſi quid iſtic epiſtola
12 dignum, ne gravare ſcribere. Nam quum aures
hominum novitate laetentur, tum ad rationem
vitae exemplis erudimur. Vale.

XIX.

Infirmitate et mortibus ſuorum turbatus ſolatium in literis quaerit, et librum emendandum mittit.

C. PLINIUS MAXIMO SUO S.

Et gaudium mihi et ſolatium in literis; nihilque tam laetum, quod his laetius; nihil tam triſte, quod non per has ſit minus triſte. Itaque et infirmitate uxoris, et meorum periculo, quorundam vero etiam morte turbatus, ad unicum doloris levamentum ſtudia confugio; quae praeſtant, ut adverſa magis intelligam, ſed patientius

10 *et vivere volebat)* Non praetulit ἀποκαρτέρησιν, quod honeſtum nomen quaeſitae per inediam mortis ab iis, qui dolores morborum vel curationis perferre noilent. His, quae ad Quintil. 8, 5, 23. dicimus, add. Tertull. Apol. cap 46. Notum in primis exemplum Attici Corneliani: et Corellii Rufi apud noſtrum 1, 12. Cum Maecenate Tullum bene comparat Buchnerus, cuius verſiculos retulit Seneca epiſt. 101. *Debilem facito manu, Debilem pede, coxa: Tuber adſtrue gibberum, Lubricos quate dentes. Vita dum ſupereſt, bene eſt. Hanc mihi, vel acuta Si ſedeam cruce, ſuſtine.* G.

11 *Iam ſunt venales tabulae Tulli)* Argutior adeoque Secundi ingenio dignior lectio Medicei libri, quam Cortius adſcivit: *Habes omnes ſabulas urbis: nam ſunt omnes ſabulae Tullus.* S.

12 *laetentur)* Cortius *laetantur.* vid. ad 7, 8, 5. S.

feram. Est autem mihi moris, quod sum daturus in manus hominum, ante amicorum iudicio examinare, in primis tuo. Proinde, si quando, nunc intende libro, quem cum hac epistola accipies: quia vereor, ne ipse, ut tristis, parum intenderim. Imperare enim dolori, ut scriberem, potui; ut vacuo animo laetoque, non potui. Porro, ut ex studiis gaudium, sic studia hilaritate proveniunt. Vale. 2

XX.

Miranda lacus Vadimonis.

C. PLINIVS GALLO SVO S.

Ad quae noscenda iter ingredi, transmittere mare solemus, ea sub oculis posita negligimus: seu quia ita natura comparatum, ut proximorum incuriosi, longinqua sectemur: seu quod omnium rerum cupido languescit, quum facilis occasio est: seu quod differimus tanquam saepe visuri, quod datur videre, quoties velis cernere. Quacunque de 2
caussa, permulta in urbe nostra, iuxtaque urbem, non oculis modo, sed ne auribus quidem novimus: quae si tulisset Achaia, Aegyptus, Asia, aliave quaelibet miraculorum ferax commendatrixque terra; audita, perlecta, lustrataque haberemus. Ipse certe nuper, quod nec audieram an- 3
te, nec videram, audivi pariter et vidi. Exegerat prosocer meus, ut Amerina praedia sua inspicerem. Haec perambulanti mihi ostenditur subiacens lacus, nomine Vadimonis; simul quaedam

XX, 2 *Achaia)* Sensu Romanorum dicta. vid. infra ep. 24, 2. *S.*

lustrataque) Bene Cortius ex Mediceo *lustrata*. *S.*

3 *Amerina praedia)* Monet Cellarius, ea non tam ab *Ameria* urbe dicta, quae trans Tiberim in extrema Umbria fuit; quam a *castello Amerino* cis flumen in Etruria, inter confluentem Naris et Falerios etc. *G.*

Vadimonis) Pronuntiationis caussa notandum a Polybio 2, 20.

4 incredibilia narrantur. Perveni ad ipſum. Lacus
eſt in ſimilitudinem iacentis rotae circumſcriptus,
et undique aequalis: nullus ſinus, obliquitas nul-
la, omnia dimenſa, paria, et quaſi artificis manu,
cavata et excíſa. Color caeruleo albidior; viri-
dior et preſſior ſulphuris: odor ſaporque medica-
tus: vis, qua fracta ſolidantur. Spatium modi-
cum, quod tamen ſentiat ventos, et fluctibus in-
5 tumeſcat. Nulla in hoc navis (ſacer enim eſt)
ſed innatant inſulae herbidae, omnes arundine et
iunco tectae, quaeque alia foecundior palus, ipſa-
que illa extremitas lacus effert. Sua cuique figu-
ra, ut modus: cunctis margo deraſus, quia fre-
quenter vel litori vel ſibi illiſae terunt teruntur-
que. Par omnibus altitudo, par levitas: quippe
in ſpeciem carinae humili radice deſcendunt.

'Οάδμονα λίμνην vocari, quem laudavit hic et in Geographia Cellarius, ut et Livium 9, 39. Florum 1, 13. Senecam quaeſt. nat. 3, 25. qui unius modo natantis in eo inſulae mentionem facit, tum Plinium maiorem 2, 95. qui ſilvam natantem in eo memorat: ad quem locum Harduinus *lago di Beſſanello* hodie vocari refert. *G.*

4 *viridior et preſſior ſulphuris*) Intelligo, *colore*. Nempe intermedium quendam habet colorem aqua huius lacus et mixtum, quem *caeruleum*, qui ſolemnis aquae color eſt, dicere non poſſis; eſt enim *albidior* pallidiorque. Inclinat ad flavum, ſed *ſulphuris* colore eſt *viridior et preſſior* h. e. obſcurior, et plus ex nigro trahens, quo ipſo ad caeruleum aliquantum vergit, quippe qui flavo mixtus dat viridem. Nempe ſequimur lectionem Mediceam, et antiquarum editionum. Vulgata lectio, *viridiore preſſior* debetur coniecturae Barthii. Praeterea ita diſtinguunt, *viridiore preſſior: ſulphuris odor, ſaporque medicatus: vis, qua fracta.* In qua lectione primo incommodum eſt, quod comparativus comparativo comparatur, *viridiore preſſior*, quod vix intelligo: deinde, niſi *odor ſaporque* coniungantur, ἡ *que* ad ſapor adiecta male reſpondet reliquae verborum continuationi: poſuiſſet ſane Plinius, *ſulphuris odor, ſapor medicatus, vis, qua fracta* etc. *G.*

5 *ſacer enim eſt*) Vid. 8, 86. *G.*

figura, ut modus) Figura pariter et magnitudine, hic enim *modus* eſt, differunt. 'Nolim tamen damnare *motus*, quod ad natatum illum et fluctuationem referri poteſt. *G.*

motus eſt Lectii coniectura, probata Caſaubono. Unice verum *modus*. *S.*

humili radice) Quae *alte* non deſcendit. Nam *humile* etiam *alto*, in quantum *profundum* notat, opponi, Columella oſtendit, cum 4, 1, 6. *humilem poſitionem* vitis, quam eandem *ſuſpenſam* vocat, altae opponit, quod in Indice noſtro declaravimus. *G.*

Haec ab omni latere perſpicitur: eadem aqua 6
pariter ſuſpenſa et merſa. Interdum iunctae co-
pulataeque et continenti ſimiles ſunt; interdum
discordantibus ventis digeruntur: nonnunquam
deſtitutae, tranquillitate, ſingulae fluitant. Saepe 7
minores maioribus, velut cymbulae onerariis, ad-
haereſcunt; ſaepe inter ſe maiores minoresque
quaſi curſum certamenque deſumunt; rurſus omnes
in eundem locum appulſae, qua ſteterunt, pro-
movent terram, et modo hac, modo illac, lacum
reddunt auferuntque; ac tum demum, quum me-
dium tenuere, non contrahunt. Conſtat, pecora 8
herbas ſequuta, ſic in inſulas, ut in extremam
ripam, procedere ſolere, nec prius intelligere
mobile ſolum, quam litore abrepta, quaſi illata
et impoſita, circumfuſum undique lacum pavent;
mox quo tulerit ventus egreſſa, non magis ſe de-
ſcendiſſe ſentire, quam ſenſerint adſcendiſſe. Idem 9
lacus in flumen egeritur; quod ubi ſe paullisper
oculis dedit, ſpecu mergitur, alteque conditum
meat: ac, ſi quid, ante quam ſubduceretur, ac-

6 *eadem aqua — merſa)* Gemina haec lectio, cui oraculi Medicei effatum praeferri non debebat. Senſus: radix ita merſa eſt aqua, ut tamen ſimul (eadem aqua) ſuſpenſa ſit. Errat Cortius de radice alia ſuſpenſa, alia merſa cogitans. *S.*

deſtitutae) *Deſtitutae* a ventis nimirum, *tranquillitate,* cum tranquillitas eſt: itaque incidendum curavi poſt utrumque verbum, ne quis iungat. *G.*

7 *curſum certamenque)* Ἓν διὰ δυοῖν: curſus certamen. *S.*

promovent terram) producunt et continuant terram continentem, cum litori lacus adhaerent. Tum et *lacum auferunt.* Eundem autem *reddunt,* cum a litore recedunt, ut in eorum locum aqua cedat. Etiam in hac epiſtola Plinius non modo deſcribendi veritatem, ſed et artem ſectatur. Locus ſequens de pecoribus in inſulas delatis ex litore, in verbis et ſententiis exquiſitiores, quam pro narratione tali, flores et colores habet. In his talibus locis tirones immorandi ſunt, [tironibus immorandum eſt,] ut diſcant artem et argutias et acumina noſcere, et a recta ratione et ſimplici dictione diſtinguere. *E.*

non contrahunt) In quacunque parte litoris adhaereſcant inſulae, illa parte minui videtur lacus, produci et promoveri continens. Itaque tum lacus videtur maximus, cum verſus centrum illius coactae inſulae, ripas in circuitu relinquunt liberas. *Intempeſtive igitur negationem quidam omittendam cenſuere. *G.*

8 *pavent)* Cortius et Gierigius e Mediceo *paveant.* bene. Sic mox *ſenſerint.* *S.*

10 cepit, servat et profert. Haec tibi scripsi, quia nec minus ignota, quam mihi nec minus grata credebam. Nam te quoque, ut me, nihil aeque ac naturae opera delectant. Vale.

XXI.

Graviora se studia distinguere lusibus, exemplo recitati poëmatum libri ostendit.

C. PLINIVS ARRIANO SVO S.

Ut in vita, sic in studiis pulcherrimum et humanissimum existimo, severitatem comitatemque miscere, ne illa in tristitiam, haec in petulantiam
2 procedat. Qua ratione ductus, graviora opera lusibus iocisque distinguo. Ad hos proferendos et tempus et locum opportunissimum elegi; utque iam nunc adsuescerent et ab otiosis et in triclinio audiri, Iulio mense, quo maxime lites interquiescunt, positis ante lectos cathedris, amicos collocavi.
3 Forte accidit, ut eo die mane in advocationem subitam rogarer: quod mihi caussam praeloquendi dedit. Sum enim deprecatus, ne quis ut irreverentem

10 *nihil — delectant)* Notanda constructio, verbi numero ad *opera*, non ad *nihil* relato. *S.*

XXI, 2 *lites interquiescunt)* Adscribomus et nos locum Statii silv. 4, 4, 39. *Certe iam Latiae non miscent iurgia leges, Et pacem piger annus habet, messesque reversae Dimisere forum.* Sunt tituli tum Pandectarum tum Codicis de Feriis. Quod paullo post de *advocatione subita* dicit, extraordinarium quiddam fuit, et morae impatiens. *G.*

positis ante lectos cathedris) Nempe *cathedra* hic est pulpitum, quo ante lectum posito commodius scribere aliquid vel legere quis possit. Ita accipit Propertius 4, 5, 37. *posita tu scribe cathedra Quidlibet. G.*

Cf. Ep. 2, 17, 21. *E.*

Nimirum ea cathedrarum constructio erat, ut simul et sedis et pulpiti vice fungerentur. Nunc a Plinio tantum considendi caussa adhibitae sunt. *S.*

3 *caussam praeloquendi)* Ubi? in iudicione, an apud auditmos recitantem? Puto posterius. Parum enim decora in foro illa esset deprecatio. Sed apud privatos amicos, quibus tanquam musicum epulum praebetur a recitatore, videtur excusationem res mereri, si quis voce iam in foro obtusa, imparatus, et quasi obiter, atque adeo *irreverenter* ad recitandum accedat, cum exquisita omnia et studiose parata exspectent amici. *G.*

operis argueret, quod recitaturus, quamquam et
amicis, et paucis, idem iterum amicis, foro et
negotiis non abstinuiſſem. Addidi, hunc ordinem
me et in ſcribendo ſequi, ut neceſſitates volupta-
tibus, ſeria iucundis anteferrem, ac primum ami-
cis, tum mihi ſcriberem. Liber fuit et opuſculis 4
varius et metris. Ita ſolemus, qui ingenio parum
fidimus, ſatietatis periculum fugere. Recitavi bi-
duo: hoc adſenſus audientium exegit: et tamen
ut alii transeunt quaedam, imputantque, quod
transeant; ſic ego nihil praetereo; atque etiam
non praeterire me, teſtor. Lego enim omnia, ut
omnia emendem. Quod contingere non poteſt
electa recitantibus. At illud modeſtius, et for- 5
taſſe reverentius. Sed hoc ſimplicius et amantius.
Amat enim, qui ſe ſic amari putat, ut taedium
non pertimeſcat. Alioqui quid praeſtant ſodales,
ſi conveniunt voluptatis ſuae cauſſa? Delicatus ac
ſimilis ignoto eſt, qui amici librum bonum ma-
vult audire, quam facere. Non dubito, cupere 6
te, pro cetera mei caritate, quam maturiſſime le-
gere hunc adhuc muſteum librum. Leges, ſed
retractatum; quae cauſſa recitandi fuit; et tamen
non nulla iam ex eo noſti. Haec vel emendata
poſtea, vel (quod interdum longiore mora ſolet)
deteriora facta, quaſi nova rurſus, et reſcripta
cognoſces. Nam, pleriſque mutatis, ea quoque
mutata videntur, quae manent. Vale.

idem iterum) * Vehementer probo coniecturam Barthii, *idem interim*. Multo ſane commodius ita legeremus. *G.*

5 *Delicatus ac ſimilis ignoto*) *Delicatus* eſt, qui ſuae tantum voluptati ſervit, nihil facere ad alterius commodum vult. *Similis ignoto*, contrarius ſodali vel amico. Mox ad *facere* intellig. bonum librum, emendando, conſulendo. *E.*

6 *longiore mora*) Ipſa *mora* quomodo fieri deteriora queant, non intelligebam: ſed referebam ad illam nimiam emendandi calumniam, et κακιζοτεχνίαν, qua quidam diu nimis limando, et corrigendo, ſcripta ſua perdunt et gratiam iis omnem delent: de qua dicimus ad Quintil. 8. pr. 31. et 10, 1, 115. *G.*

Rectiſſime Geſnerus. Eſt igitur nunc *longior mora*, quum ſcripto emendando et limando diutius *immoramur*. *E.*

XXII.

Reprehendit quosdam, qui dare veniam, nisi sibi nesciunt.

C. PLINIVS GEMINIO SVO S.

Nostine hos, qui omnium libidinum servi sic
aliorum vitiis irascuntur, quasi invideant, et gra-
vissime puniunt, quos maxime imitantur? quum
eos etiam, qui non indigent clementia ullius, ni-
2hil magis quam lenitas deceat. Atqui ego opti-
mum et emendatissimum existimo, qui ceteris ita
ignoscit, tanquam ipse quotidie peccet; ita pecca-
3tis abstinet, tanquam nemini ignoscat. Proinde
hoc domi, hoc foris, hoc in omni vitae genere
teneamus, ut nobis implacabiles simus; exorabiles
istis etiam, qui dare veniam, nisi sibi, nesciunt;
mandemusque memoriae, quod vir mitissimus, et
ob hoc quoque maximus, Thrasea, crebro dicere
solebat: *qui vitia odit, homines odit.* Fortasse
4quaeris, quo commotus haec scribam. Quidam
nuper — Sed melius coram; quamquam ne tunc
quidem. Vereor enim, ne id, quod improbo,
insectari, carpere, referre, huic, quod cum ma-
xime praecipimus, repugnet. Quisquis ille, qua-
liscunque, sileatur; quem insignire, exempli non
nihil; non insignire, humanitatis plurimum refert.
Vale.

XXIII.

Obitus Aviti, cum laude ingenii morumque.

C. PLINIVS MARCELLINO SVO S.

Omnia mihi studia, omnes curas, omnia avoca-
menta exemit, excussit, eripuit dolor, quem ex

XXII, 2 *Atqui*) Sic e coniectura Gruteri legitur. Omnes libri *atque*. quod bonum. *S.*

3 *qui vitia odit*) Ita nempe, ut nulli ignoscat, cum vitioso nemine commune quidquam sibi esse velit etc. Cum enim nusquam non vitii aliquid sit, metus est, ne plane non aula, sed vita exeundum sit ei, qui vitia omnia ita reformidet. *G.*

morte, Iunii Aviti graviſſimum cepi. Latum cla- 2
vum in domo mea induerat: ſuffragio meo adiu-
tus in petendis honoribus fuerat: ad hoc, ita me
diligebat, ita verebatur, ut me formatore morum,
me quaſi magiſtro uteretur. Rarum hoc adole- 3
ſcentibus noſtris. Nam quotusquisque vel aetati
alterius, vel auctoritati, ut minor, cedit? Statim
ſapiunt, ſtatim ſciunt omnia: neminem verentur,
imitantur neminem, atque ipſi ſibi exempla ſunt.
Sed non Avitus: cuius haec praecipua prudentia,
quod alios prudentiores arbitrabatur; haec prae-
cipua eruditio, quod diſcere volebat. Semper 4
ille aut de ſtudiis aliquid, aut de officiis vitae
conſulebat: ſemper ita recedebat, ut melior fa-
ctus: et erat factus vel eo, quod audierat, vel
quod omnino quaeſierat. Quod ille obſequium 5
Serviano, exactiſſimo viro, praeſtitit! quem lega-
tum tribunus ita et intellexit, et cepit, ut ex Ger-
mania in Pannoniam transeuntem, non ut commi-
lito, ſed ut comes adſectatorque ſequeretur. Qua
induſtria, qua modeſtia quaeſtor conſulibus ſuis
(et plures habuit) non minus iucundus et gratus,
quam uſui fuit! Quo diſcurſu, qua vigilantia,
hanc ipſam aedilitatem, cui praereptus eſt, petiit!
Quod vel maxime dolorem meum exulcerat. Ob- 6
verſantur oculis caſſi labores, et infructuoſae pre-
ces, et honor quem meruit tantum. Redit animo
ille latus clavus in penatibus meis ſumtus: red-

XXIII, 3 *Rarum hoc adoleſcentibus noſtris)* Praeſtat lectio Medicei libri: *Rarum hoc in adoleſcentibus noſtris*. S.

5 *exactiſſimo)* diligentiſſimo, accuratiſſimo, adeoque ſubmoroſo, cui non facile eſſet probari. Quo magis laudandus Avitus, quod tali viro tale obſequium praeſtitit. Fallitur Gierigius, conſummatiſſimum interpretans. S.

et intellexit, et cepit) Poſterius verbum ita omnino interpretandum videtur, ut aliquid a priore diverſum ſignificet, hoc nempe, devinxit ſibi humanitate ſua Servianum, ut Cornelianus Alcibiades Pharnabazum *ſua cepit humanitate* 7, 9, 3. G. Add. Gesneri ad I. A. Erneſt. epiſtola.

Nempe *intelligere* aliquem eſt, eius mores, adfectus, ſtudia et voluntatem noſſe, iisque rebus ſe in agendo et dicendo accommodare. Hoc qui poteſt, is alterum neceſſario *capit*, eum ſibi devincit, ei carus eſt. E.

eunt illa prima, illa postrema suffragia mea, illi
7 sermones, illae consultationes. Adficior adole-
scentia ipsius, adficior necessitudinum casu. Erat
illi grandis natu parens; erat uxor, quam ante
annum virginem acceperat; erat filia, quam paul-
lo ante sustulerat. Tot spes, tot gaudia dies unus
8 in diversa convertit. Modo designatus aedilis,
recens maritus, recens pater, intactum honorem,
orbam matrem, viduam uxorem, filiam pupillam,
ignaramque patris, reliquit. Accedit lacrimis meis,
quod absens, et impendentis mali nescius, pariter
aegrum, pariter decessisse, cognovi, ne gravissimo
9 dolori timore consuescerem. In tantis tormentis
eram, quum scriberem haec, scriberem sola.
Neque enim nunc aliud aut cogitare aut loqui
possum. Vale.

XXIV.

Maximum, ad Achaiam ordinandam missum, admonet, ut antiquitatis reverentia humaniter civitates tractet.

C. PLINIVS MAXIMO SVO S.

Amor in te meus cogit, non ut praecipiam, (ne-
que enim praeceptore eges,) admoneam tamen,
ut, quae scis, teneas et observes, aut scias melius.
2 Cogita, te missum in provinciam Achaiam, illam

7 *necessitudinum casu)* calamitate et dolore, quo eius necessarii, quos mox nominat, pater, [immo mater. *S.*] uxor, filia, adfecti [adfectae] sunt. *E.*

uxor — acceperat) Vid. 1, 16, 6. Graeci uno verbo: *κουριδίη ἄλοχος*. *S.*

8 *ignaramque patris)* *Inferunt alii et ipse Mediceus liber *ignaram avi*, quod potest facere ad calamitatem puellae huius augendam, cui nec in avo praesidium, qui alias patris mortui vices solet subire. *G.*

XXIV Secundum, cum hanc epistolam scriberet, celebratissimam illam Tullii ad Quintum fratrem (1, 1.) in animo habuisse, iam vidit Catanaeus. *S.*

2 *provinciam Achaiam)* Latius patere Achaiae nomen, et cum tota Peloponneso Atticam etiam et vicinas insulas complecti, hic quoque observarunt viri docti. *G.*

veram et meram Graeciam, in qua primum humanitas, literae, etiam fruges, inventae effe creduntur; miffum ad ordinandum ftatum liberarum civitatum, id eft, ad homines maxime homines, ad liberos maxime liberos, qui ius a natura datum virtute, meritis, amicitia, foedere deuique, et religione tenuerunt. Reverere conditores deos, 3
nomina deorum. Reverere gloriam veterem, et hanc ipfam fenectutem, quae in homine venerabilis, in urbibus facra eft. Sit apud te honor antiquitati, fit ingentibus factis, fit fabulis quoque. Nihil ex cuiusquam dignitate, nihil ex libertate, nihil etiam ex iactatione decerpferis. Habe ante oculos, hanc effe terram, quae 4
nobis miferit iura, quae leges non victa acceperit, fed petentibus dederit; Athenas effe, quas adeas; Lacedaemonem effe, quam regas: quibus reliquam umbram, et refiduum libertatis nomen eripere, durum, ferum, barbarumque eft.

Caeterum cum hoc loco utiliter conferri poffunt, quae Cicero in nobili ad Quintum fratrem epiftola Lib. I. 1. fimillima fcribit. *E.*

homines maxime homines) *Homines maxime homines* funt ad humanitatem literis et confuetudine exculti: *liberi maxime liberi*, qui naturalem libertatem contra vim externam Perfarum et Macedonum, internamque tyrannorum ftrenue legibus et armis tuiti funt. *Nempe fic elegantiffime Mediceus liber. Repetitio vocis *maxime* fecit, ut ea femel cum proximis aliquot verbis omitteretur. *G.*

3 *nomina deorum*) Quae urbes ipfae praeferunt, ut *Athenae τῆς Ἀθηνᾶς* five Palladis, ut *Apolloniae*, *Heracleae* etc. quae in tot aris, fub tot ftatuis, monumentisque leguntur. *Sequimur hic quoque Mediceam fidem. *Numina deorum* plerique editi, quae cum a diis non differrent, *nomina heroum* voluit Gronovius. *G.*

nihil — ex iactatione) Patere illos ineptire, et magni putare fuas antiquitates, fuorum heroum veftigia, fuos artifices. Cicero de tali re in Verr. 4. 56. *Nimium fortaffe haec illi mirentur atque efferant. Efto. Verumtamen honeftius eft* etc. *G.*

4 *leges — dederit*) Refpicit ad notam XII tabularum hiftoriam, traditam a Livio 3, 31. extr. Totum autem hunc locum de Graeciae Europeae laudibus et reverentia eodem fere modo tractat Cic. pro Flacco c. 26. *G.*

Mediceus liber: *quae leges non victis, fed petentibus dederit.* quod iure placuit Cortio et Gie-

5 Vides a medicis, quamquam in adversa valetu-
dine nihil servi ac liberi differant, mollius ta-
men liberos clementiusque tractari. Recordare,
quid quaeque civitas fuerit; non ut despicias,
quod esse desierit. Absit superbia, asperitas.
6 Nec timueris contemtum. An contemnitur, qui
imperium, qui fasces habet, nisi qui humilis, et
sordidus, et qui se primus ipse contemnit? Male
vim suam potestas aliorum contumeliis experitur:
male terrore veneratio adquiritur; longeque va-
lentior amor ad obtinendum quod velis, quam
timor. Nam timor abit, si recedas; manet
amor: ac sicut ille in odium, hic in reveren-
7 tiam vertitur. Te vero etiam atque etiam (repe-
tam enim) meminisse oportet officii tui titulum,
ac tibi ipsi interpretari, quale quantumque sit
8 ordinare statum liberarum civitatum. Nam quid
ordinatione civilius? quid libertate pretiosius?
Porro quam turpe, si ordinatio eversione, liber-
tas servitute mutetur? Accedit, quod tibi cer-
tamen est tecum: onerat te quaesturae tuae fama,
quam ex Bithynia optimam revexisti: onerat
testimonium principis: onerat tribunatus, prae-
tura, atque haec ipsa legatio, quasi praemium,
9 data. Quo magis nitendum est, ne in longinqua
provincia, quam suburbana; ne inter servientes,
quam liberos; ne sorte, quam indicio missus;
ne rudis et incognitus, quam exploratus proba-
tusque, humanior, melior, peritior fuisse videa-
ris: quum sit alioqui, ut saepe audisti, saepe
legisti, multo deformius amittere, quam non ad-
10 sequi laudem. Haec velim credas, (quod initio
dixi) scripsisse me admonentem, non praecipien-

rigio. Insignis haec laus eunomiae Graecorum. *S.*

8 *tibi certamen est tecum*) curandum et annitendum tibi est, ut partam olim famam et opinionem virtutis tuearis et conserves. Iam ea cura habet aliquid molestiae, quia agendi libertatem quasi coërcet, ne quid agamus, quod cum vita ante acta pugnet. Hinc illa: *onerat te*

tem; quamquam praecipientem quoque. Quippe non vereor, in amore ne modum excesserim. Neque enim periculum est, ne sit nimium, quod esse maximum debet. Vale.

quaesturae fama, onerat testimonium principis. E.

10 *non vereor, in amore*) Si omnino peccatum a me sit, quod praecipere tibi ausus sum: at illud in eo fuerit peccatum, quod in amore modum excessi. Iam vero *modum* excedere in amore nemo potest. G.

LIBER NONVS

I.

Maximum hortatur, ut libros, contra Plantam vivum compositos, festinet edere, ne post mortem eius inchoasse videatur.

C. PLINIVS MAXIMO SVO S.

Saepe te monui, ut libros, quos vel pro te, vel in Plantam, immo et pro te et in illum (ita enim materia cogebat) composuisti, quam maturissime emitteres: quod nunc praecipue, morte
2 eius audita, et hortor, et moneo. Quamvis enim legeris multis, legendosque dederis, nolo tamen quemquam opinari, defuncto demum in-
3 choatos, quos incolumi eo peregisti. Salva sit tibi constantiae fama. Erit autem, si notum aequis iniquisque fuerit, non post inimici mortem scribendi tibi natam esse fiduciam, sed iam paratam editionem morte praeventam. Simul vitabis illud,

Οὐχ ὁσίη φθιμένοισιν.

4 Nam quod de vivente scriptum, de vivente reci-
tatum est, in defunctum quoque, tanquam viven-
5 tem adhuc, editur, si editur statim. Igitur, si

I, 3 Οὐχ ὁσίη) Ex Odyss. χ 412. Οὐχ ὁσίη κταμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχετάασθαι. *Secutus sum Mediceum et optimos quosque libros cum Cortio. Ex memoria laudavit Plinius locum, et, ut solent in notis versibus, abrupte. *G.*

Non puto, μνημονικὸν esse ἁμάρτημα: sed Plinius ἔπος illud consulto videtur inflexisse, ut ad rem suam faceret. *S.*

quid aliud in manibus, interim differ: hoc perfice, quod nobis, qui legimus olim, abſolutum videtur. Sed iam videatur et tibi; cuius cunctationem nec res ipſa deſiderat, et temporis ratio praecidit. Vale.

II.

Longas et crebras epiſtolas flagitanti, excuſat ſe, quod materia deficiat.

C. PLINIVS SABINO SVO S.

Facis iucunde, quod non ſolum plurimas epiſto-
las meas, verum etiam longiſſimas, flagitas: in
quibus parcior fui, partim quia tuas occupationes
verebar, partim quia ipſe multum diſtringebar
plerumque frigidis negotiis, quae ſimul et avo-
cant animum et comminuunt. Praeterea nec ma- 2
teria plura ſcribendi dabatur. Neque enim ea-
dem noſtra conditio, quae M. Tullii, ad cuius
exemplum nos vocas. Illi enim et copioſiſſimum
ingenium, et ingenio qua varietas rerum, qua
magnitudo, largiſſime ſuppetebat. Nos quam an- 3
guſtis terminis claudamur, etiam tacente me, per-
ſpicis: niſi forte volumus ſcholaſticas tibi, atque
(ut ita dicam) umbraticas literas mittere. Sed 4
nihil minus aptum arbitramur, quum arma veſtra,
quum caſtra, quum denique cornua, tubas, ſu-
dorem, pulverem, ſoles cogitamus. Habes, ut 5
puto, iuſtam excuſationem: quam tamen dubito,

5 *abſolutum videtur. — et tibi)* Qui recitante te audivimus Anti-Plantam tuum, abſolutum et perfectum iudicavimus. Itaque noli iu cunctari, et calumniari tanquam imperfectum opus, diutius premendum, ac domi continendum, dum perpoliatur. *G.*

deſiderat) Male Cortius *deſideret.* Indicativus longe accommodatior conſilio Plinii, Maximum omni ratione perpellentis, ut ne diutius cunctetur librum ſuum emittere. *S.*

temporis) Genuinum hoc: *mortis* aliorum a gloſſatore profectum. *Temporis ratio* illa ipſa Plantae mors eſt. Sic ſaepe *res* et *tempus* iunguntur. *S.*

an tibi probari velim. Eſt enim ſummi amoris, negare veniam brevibus epiſtolis amicorum, quamvis ſcias illis conſtare rationem. Vale.

III.

Bonam manſuramque famam omnibus aliis rebus anteponit.

C. PLINIVS PAVLLINO SVO S.

Alius alium, ego beatiſſimum exiſtimo, qui bonae manſuraeque famae praeſumtione perfruitur, certusque poſteritatis cum futura gloria vivit. Ac mihi niſi praemium aeternitatis ante oculos,
2 pingue illud altumque otium placeat. Etenim omnes homines arbitror oportere aut immortalitatem ſuam aut mortalitatem cogitare: et illos quidem contendere, eniti; hos quieſcere, remitti, nec brevem vitam caducis laboribus fatigare: ut video multos, miſera ſimul et ingrata imagine in-
3 duſtriae, ad vilitatem ſui pervenire. Haec ego tecum, quae quotidie mecum, ut deſinam mecum, ſi disſenties tu: quamquam non disſenties, ut qui ſemper clarum aliquid et immortale mediteris. Vale.

II, 5 *an tibi probari velim)* Ut eam accipias, eaque contentus, in poſterum non poſtules epiſtolas vel plures vel longiores. *G.*

illis conſtare rationem) illos habere iuſtas cauſſas brevitatis aut ſilentii. *E.*

Illis Erneſtius ad *amicorum* videtur retuliſſe. Immo referendum ad *epiſtolis*. *S.*

III, 2 *brevem vitam — fatigare)* in hac vitae brevitate ſe defatigare et macerare laboribus inanibus. *E.*

imagine — pervenire) Praeclare interpretatur Gronovius: Stultis occupationibus, vana ſpecie diligentiae, iactando ſeſe, et in vanum laborando, hoc aſſequi, ut leviores et peiores habeantur, quam ſi quieviſſent: ſibique ipſi exprobrent ſtultitiam, qui in rebus inanibus, qualem putant ipſi gloriam, ita elaborent. Nempe *vilitas ſui* conſcientiae bonae famae oppoſita eſt: qui ſibi ipſe vilis et contemtibilis videtur, quid de aliorum iudiciis exſpectabit? *G.*

3 *clarum — mediteris)* Utrumque e bonis libris apud Cortium: licet ille prius tantum receperit. Vulg. *praeclarum — meditaris. G.*

Mediteris Cortio in nullo libro oblatum. Sed habent Brummeri

IV.

Excusat orationem, quam mittit, tanquam in universitate longissimam, brevissimam in partibus.

C. PLINIVS MACRINO SVO S.

Vererer, ne immodicam orationem putares, quam cum hac epistola accipies, nisi esset generis eius, ut saepe incipere, saepe desinere videatur. Nam singulis criminibus singulae velut caussae continentur. Poteris ergo, undecunque inceperis, ubi- 2
cunque desieris, quae deinceps sequentur, et quasi incipientia legere, et quasi cohaerentia; meque in universitate longissimum, brevissimum in partibus iudicare. Vale.

V.

Aequitate Tironis erga provinciales laetatur.

C. PLINIVS TIRONI SVO S.

Egregie facis (inquiro enim, et persevere) quod iustitiam tuam provincialibus multa humanitate commendas: cuius praecipua pars est, honestissimum quemque complecti, atque ita a minoribus amari, ut simul a principibus diligare. Plerique 2
autem, dum verentur, ne gratiae potentium nimium impertiri videantur, sinisteritatis atque etiam malignitatis famam consequuntur. A quo vitio 3
tu longe recessisti, scio: sed temperare mihi non

Excerpta: idque iure praetulit Gesnerus. Plinius 5, 5, 4. *qui vero posteros cogitant, et memoriam sui operibus extendunt, his nulla mors non repentina est, ut quae semper inchoatum aliquid abrumpat.* S.

IV, 1 *immodicam orationem)* Eam forte, de qua supra 3, 9. *G.*

V, 1 *et persevere)* 'Vehementer mihi, ut olim Thomasio Cellarioque, placet Boxborniana lectio, quae in parenthesi includit haec verba: *inquiro enim, et persevere* intell. inquiro, ut in rem, quam scire mea magni interest. Alii (*inquiro enim et persevero*). Alii, in quibus et Cortius, (*inquiro enim) et persevera.* G.

3 *longe recessisti)* Quin si totam epistolam inspicias, videtur subaccusare Tironem suum

possum, quo minus laudem, similis monenti, quod eum modum tenes, ut discrimina ordinum dignitatumque custodias: quae si confusa, turbata, permista sint, nihil est ipsa aequalitate inaequalius. Vale.

VI.

Ridet vanitatem Circensium ludorum, et illorum tempus studiis impendit.

C. PLINIVS CALVISIO SVO S.

Omne hoc tempus inter pugillares ac libellos iucundissima quiete transmisi. *Quemadmodum*, inquis, *in urbe potuisti?* Circenses erant; quo genere spectaculi ne levissime quidem teneor. Nihil novum, nihil varium, nihil quod non semel spe-
2 ctasse sufficiat. Quo magis miror, tot millia virorum tam pueriliter identidem cupere currentes equos, insistentes curribus homines videre. Si tamen aut velocitate equorum, aut hominum arte traherentur, esset ratio non nulla: nunc favent panno, pannum amant: et si in ipso cursu, medioque certamine, hic color illuc, ille huc transferatur; studium favorque transibit, et repente agitatores illos, equos illos, quos procul noscitant, quorum clamitant nomina, relinquent. Tanta gratia, tanta auctoritas in una vilissima tunica.

Plinius, quod in hanc partem aliquantum propendeat. *G.*

sint) Praestat Cortii et Gierigii *sunt* librorum auctoritate, non ratione latinitatis, quae utrumque modum fert. *S.*

VI, 1 *Omne hoc tempus* etc.) Compara Senecam Epist. 80, in. *Hodierno die non tantum meo beneficio mihi vaco, sed spectaculi, quod omnes molestos ad sphaeromachiam avocavit* etc. *S.*

2 *favent panno)* Cuius i. e. vestimenti diversis coloribus distinctae sunt factiones Circi, in *Venetam* seu caeruleam, *Prasinam* seu viridem, et *Russatam* s. rubram, atque *Albam*: de quibus locus classicus Cassiodori Var. 3, 51. Add. Iac. Gothofr. ad l. 10. C. Theod. de equis curulibus. *G.*

Tanta — tunica) Post *tunica* comma ponendum: haec enim artissime cum sequentibus cohaerent. *S.*

Mitto apud vulgus, quod vilius tunica est; sed 3
apud quosdam graves homines: quos ego quum
recordor, in re inani, frigida, assidua, tam insa-
tiabiliter desidere, capio aliquam voluptatem,
quod hae voluptate non capiar. Ac per hos dies 4
libentissime otium meum in literis colloco, quos
alii otiosissimis occupationibus perdunt. Vale.

VII.

Villas suas ad Larium lacum, et in iis aedificationem describit.

C. PLINIVS ROMANO SVO S.

Aedificare te scribis. Bene est: inveni patroci-
nium. Aedifico enim iam ratione, quia tecum.
Nam hoc quoque non dissimile, quod ad mare
tu, ego ad Larium lacum. Huius in litore plu- 2
res villae meae, sed duae ut maxime delectant,
ita exercent. Altera imposita saxis, more Baiano,
lacum prospicit: altera, aeque more Baiano,
lacum tangit. Itaque illam, tragoediam; hanc, 3
appellare comoediam soleo: illam, quod quasi
cothurnis, hanc, quod quasi socculis sustinetur.
Sua utrique amoenitas, et utramque possidenti
ipsa diversitate iucundior. Haec lacu propius, 4

3 *Mitto apud vulgus*) h. e. non reprehendo apud vulgus et plebem tantam gratiam in vilissima tunica esse: notum enim est, vulgus rebus levissimis et humillimis delectari, quia nihil alti, nihil elati sentire didicit. Huic ergo *quosdam graves homines* opponit. Illa autem sententia, *quod vilius tunica est*, nescio quomodo mihi frigere videtur. Non enim satis promtum et aptum est, hominis pretium cum vestimenti pretio comparare: itaque et acumen, quod in hac comparatione inesse videtur, maiorem speciem quam veritatem habet. *E.*

assidua) Malim *assidue.* Mox pro *capiar* Cortius bene *capior. S.*

VII, 1 *ratione, quia tecum*) Nempe, tuum mihi exemplum pro ratione est. *G.*

Hoc idem *patrocinium* dixerat, h. e. argumentum, quo suum aedificandi studium defendat, et excuset. *E.*

2 *more Baiano*) *Baiarum* enim amoenitas ita nota, ita celebrata omnibus, ut exemplum et nomen praeberent aliis. Nam, quod ait dives apud Horatium epist. 1, 1, 83 *Nullus in orbe sinus Baiis praelucet amoenis. G.*

illa latius utitur: haec unum ſinum molli curvamine amplectitur, illa editiſſimo dorſo duos dirimit: illic recta geſtatio longo limite ſuper litus extenditur, hic ſpatioſiſſimo xyſto leviter inflectitur: illa fluctus non ſentit, haec frangit: ex illa poſſis deſpicere piſcantes, ex hac ipſe piſcari, hamumque e cubiculo, ac paene etiam lectulo, ut e navicula, iacere. Hae mihi cauſſae utrique, quae deſunt, adſtruendi, ob ea quae ſuperſunt.
5 Etſi quid ego rationem tibi? apud quem pro ratione erit, idem facere. Vale.

VIII.

Laudatus ab Augurino, laudare eum veretur, et tamen laudat.

C. PLINIVS AVGVRINO SVO S.

Si laudatus a te laudare te coepero, vereor, ne non tam proferre iudicium meum, quam referre gratiam videar. Sed, licet videar, omnia ſcripta tua pulcherrima exiſtimo; maxime tamen illa, quae de nobis. Accidit hoc una eademque de cauſſa. Nam et tu, quae de amicis, optime ſcribis; et ego, quae de me, ut optima lego. Vale.

IX.

Fidem Colonis erga defunctum amicum laudat, praeſertim quod dignus ille fuerat.

C. PLINIVS COLONI SVO S.

Vnice probo, quod Pompeii Quinctiani morte tam dolenter adficeris, ut amiſſi caritatem deſide-

4 *ſinum*) Gesneriana, negligentiâ operarum, *ſuum*. S.
lectulo) Praepoſitio vix recte abeſt. Itaque praefero lectionem Cortianam, in libris bonae notae repertam: *hamumque de cubiculo, ac paene etiam de lectulo*. S.

IX, 1 *caritatem deſiderio extendas*) Deſiderium effectus, quin ſpecies vel pars caritatis: qui deſiderat defunctum, ille ſe amare nondum deſiiſſe oſtendit, producitque adeo et *extendit caritatem*. G.

rio extendas; non ut plerique, qui tantum viventes amant, seu potius amare se simulant, ac ne simulant quidem, nisi quos florentes vident. Nam miserorum, non secus ac defunctorum, obliviscuntur. Sed tibi perennis fides, tantaque in amore constantia, ut finiri, nisi tua morte, non possit. Et, Hercule, is fuit Quinctianus, quem 2
diligi deceat exemplo ipsius. Felices amabat, miseros tuebatur, desiderabat amissos. Iam illi quanta probitas in ore! quanta in sermone cunctatio! quam pari libra gravitas comitasque! quod studium literarum! quod iudicium! qua pietate cum dissimillimo patre vivebat! quam non obstabat illi, quo minus vir optimus videretur, quod erat optimus filius! Sed quid dolorem tuum ex- 3
ulcero? Quamquam sic amasti viventem, ut haec audire potius, quam de illo sileri velis: a me praesertim, cuius praedicatione putas vitam eius ornari, memoriam prorogari, ipsamque illam, qua est raptus, aetatem posse restitui. Vale.

X.

Quod studiis et venationi non conveniat, illa sola in secessu tractari significat.

C. PLINIVS TACITO SVO S.

Cupio praeceptis tuis parere; sed aprorum tanta

2 *probitas in ore)* Pudor, qui facile erubescat, et illum virtutis colorem ostendat. Eodem pertinet *cunctatio in sermone,* quam parit hinc verecundia, hinc *λογισμὸς* ille, qui *ὄκνον φέρει*, ut supra 4, 7, 3. Impudentis et stupidi simul hominis est effutire, quidquid in buccam venerit. Itaque *pressa et decora cunctatio* laudatur etiam 1, 22, 3. *G.*

cum dissimill. patre) Est *Afranius Quinctianus* inter C Pisonis coniuratos apud Tac. A. 15. 49. extr. *Senatorii ordinis, mollitia corporis infamis, et a Nerone probroso carmine diffamatus.* Hunc esse Quinctiani hic laudati patrem, non immerito suspicatus iam est Catanaeus. *G.*

optimus filius) Qui malum etiam patrem revereretur et defenderet. *G.*

3 *ut haec audire potius)* Plerique libri: *ut hoc potius,* i. e. ut exulcerari dolorem tuum potius laudibus defuncti commemorandis. Genuinum hoc: nostrum a glossatore profectum. *S*

X, 1 *praeceptis tuis)* Cum

penuria est, ut Minervae et Dianae, quas ais pa-
2 riter colendas, convenire non possit. Itaque Minervae tantum serviendum est; delicate tamen, ut in secessu, et aestate. In via plane nonnulla leviora, statimque delenda, ea garrulitate, qua sermones in vehiculo seruntur, extendi. His quaedam addidi in villa, quum aliud non liberet. Itaque poëmata quiescunt; quae tu inter nemora
3 et lucos commodissime perfici putas. Oratiunculam unam et alteram retractavi; quamquam id genus operis inamabile, inamoenum, magisque laboribus ruris, quam voluptatibus simile. Vale.

XI.

Materiam scribendi promittit rogatus, et sua scripta trans Alpes legi laetatur.

C. PLINIVS GEMINO SVO S.

Epistolam tuam iucundissimam recepi; eo maxime, quod aliquid ad te scribi volebas, quod libris inseri posset. Obveniet materia, vel haec ipsa quam monstras, vel potior alia. Sunt enim in hac offendicula nonnulla: circumfer oculos,
2 et occurrent. Bibliopolas Lugduni esse non putabam: ac tanto libentius ex literis tuis cognovi

tale quid praeceperit Tacito Plinius ipse supra 1, 6. extr. hinc colligit Catanaeus, hanc esse Taciti, ad superiorem respondentis. Sed probabile non est, unam modo adoptatam alienam epistolam a Plinio. Quid prohibet, a Tacito admonitum Plinium suorum ipsius praeceptorum, cui hic respondeat? Quid impedit, scholasticam esse, et exercitationis modo caussa scriptam, hanc pariter epistolam, et multas alias? Et ubinam in laudata epistola aliquid de eo, quod hic f. 2. dicitur, *inter nemora et lucos commodissime perfici poëmata?* G.

convenire non possit) eodem studio coli non possit utraque, Minerva et Diana. *E.*

2 *In via)* In qua serio studere solebat nostri avunculus. vid. 3, 5, 15. *G.*

extendi) Respicit hoc verbum uberem illam et luxuriantem scribendi rationem, quam *garrulitatem* etiam vocat. Sic Stat. Silv. 5, 3, 22. *modos Arati extendere* est vel simpliciter continuare, ut plures fiant versus Aratei, vel paraphrasi uberiore declarare. *G.*

venditari libellos meos, quibus peregre manere gratiam, quam in urbe collegerint, delector. Incipio enim ſatis abſolutum exiſtimare, de quo tanta diverſitate regionum discreta hominum iudicia conſentiunt. Vale.

XII.

Quaedam filiis remittenda, nec ſemper utendum ſeveritate, exemplo monet.

C. PLINIVS IVNIORI SVO S.

Caſtigabat quidam filium ſuum, quod paullo ſumtuoſius equos et canes emeret. Huic ego, iuvene digreſſo, *Heus tu, nunquamne feciſti, quod a patre corripi poſſet? Feciſti, dico? Non interdum facis, quod filius tuus, ſi repente pater ille, tu filius, pari gravitate reprehendat? Non omnes homines aliquo errore ducuntur? Non hic in illo ſibi, in hoc alius, indulget?* Haec tibi ad- 2
monitus immodicae ſeveritatis exemplo, pro amore mutuo, ſcripſi, ne quando tu quoque filium tuum acerbius duriusque tractares. Cogita et illum puerum eſſe, et te fuiſſe: atque ita hoc, quod es pater, utere, ut memineris, et hominem eſſe te, et hominis patrem. Vale.

XIII.

Quae circa Helvidii ultionem egerit, pertuleritque, ordine renarrat.

C. PLINIVS QVADRATO SVO S.

Quanto ſtudioſius intentiusque legiſti libros, quos

XI, 2 *peregre manere gratiam*) etiam apud exteros placere, et libenter legi. *E.*

discreta hominum iudicia) Debebat eſſe: *discretorum* tanto intervallo *hominum iudicia.* Sed quo magis oppoſitio exſiſteret, Plinius ad ipſa iudicia retulit. Aliter Gierigius explicat: dubito, an ex mente Plinii. *S.*

XII, 1 *equos et canes*) Delicias iuventutis, quae *gaudet equis, canibusque* etc. Querelas patrum de filiorum *ἱπποτροφίᾳ* eleganter proponit in Nubium principio Ariſtophanes. *G.*

de Helvidii ultione compoſui; tanto impenſius
poſtulas, ut perſcribam tibi, quaeque extra li-
bros, quaeque circa libros, totum denique ordi-
2 nem rei, cui per aetatem non interfuiſti. Occiſo
Domitiano ſtatui mecum ac deliberavi, eſſe ma-
gnam pulchramque materiam inſectandi nocentes,
miſeros vindicandi, ſe proferendi. Porro, inter
multa ſcelera multorum, nullum atrocius videba-
tur, quam quod in ſenatu ſenator ſenatori, prae-
torius conſulari, reo iudex, manus intuliſſet.
3 Fuerat alioqui mihi cum Helvidio amicitia, quan-
ta potuerat eſſe cum eo, qui metu temporum
nomen ingens, paresque virtutes, ſeceſſu tegebat.
Fuerat cum Arria et Fannia: quarum altera, Hel-
vidii noverca, altera, mater novercae. Sed non
ita me iura privata, ut publicum fas, et indigni-
4 tas facti, et exempli ratio, incitabat. Ac primis
quidem diebus redditae libertatis pro ſe quisque
inimicos ſuos, dumtaxat minores, incondito tur-
bidoque clamore poſtulaverant ſimul et oppreſſe-
rant. Ego et modeſtius et conſtantius arbitratus
immaniſſimum reum non communi temporum in-
vidia, ſed proprio crimine urgere: quum iam ſa-
tis ille primus impetus deſervilſet, et languidior

XIII, 1 *de Helvidii ultione)* De quibus ſupra 7, 30, 4. *G.*

2 *ſtatui mecum ac deliberavi)* *Deliberare* ſaepe ita dicitur, ut ſit decernere, ſtatuere: ne putes, ſic ordinanda h. l. verba, *deliberavi ac mecum ſtatui.* Cicero Verr. Act. II. 1, 1. *quod iſte certe ſtatuerat ac deliberaverat non adeſſe.* Ibid. 3, 41. *ſic habuiſti ſtatutum cum animo ac deliberatum, omnes — — reiicere. S.*

manus intuliſſet) De eadem re Tacitus Agric. c. 45. *Noſtrae duxere Helvidium in carcerem manus*, ſive ipſum manuum miniſterium intelligatur, ſive, quod malunt ad eum locum cum Buchnero Boxhornius, delatoris accuſatorisque ſusceptae partes ita notentur. *G.*

3 *Arria et Fannia)* De quibus etiam 3, 11, 3. Fannia noverca Helvidii. *G.*

4 *quisque — poſtulaverant)* Hanc pronominis *quisque* cum plurali conſtructionem copioſe hic ex MSS. probat Cortius. *G.*

deferviſſet) *Cortius ex Mediceo, *deſremuiſſet*, quod ipſum quoque aptum huic rei eſſe, nemo negaverit. Sidonius, imitator Plinii, ep. 9, 9. *donec gentium concitatarum procella deſremeret.* *Fremere* de indignan

in dies ira ad iuſtitiam rediſſet, quamquam tum
maxime triſtis, amiſſa nuper uxore, mitto ad An-
teiam, (nupta haec Helvidio fuerat,) rogo ut ve-
niat, quia me recens adhuc luctus limine conti-
neret. Ut venit, *Deſtinatum eſt*, inquam, *mihi*, 5
*maritum tuum non inultum pati. Nuntia Arriae
et Fanniae:* (ab exſilio enim redierant:) *conſule te,
conſule illas, an velitis adſcribi facto, in quo ego
comite non egeo: ſed non ita gloriae meae faverim,
ut vobis ſocietatem eius invideam.* Perfert Anteia 6
mandata; nec illae morantur. Opportune ſenatus
intra diem tertium. Omnia ego ſemper ad Co-
rellium retuli, quem providentiſſimum aetatis no-
ſtrae ſapientiſſimumque cognovi. In hoc tamen
contentus conſilio meo fui, veritus, ne vetaret:
erat enim cunctantior cautiorque. Sed non ſuſti-
nui inducere in animum, quo minus illi eodem
die facturum me indicarem, quod an facerem non
deliberabam: expertus uſu, de eo, quod deſtina-
veris, non eſſe conſulendos, quibus conſultis ob-
ſequi debeas. Venio in ſenatum: ius dicendi pe- 7
to: dico paullisper maximo adſenſu. Ubi coepi
crimen attingere, reum deſtinare, (adhuc tamen
ſine nomine) undique mihi reclamari. Alius:
Sciamus, qui ſit, de quo extra ordinem referas;
alius: *Quis eſt ante relationem reus?* alius: *Sal-
vi ſimus, qui ſuperſumus.* Audio imperturbatus, 8

tium vocibus et anhelitu dici, notum eſt. *G.* Add. Gesneri ad I. A. Erneſtium epiſtola.

tum maxime) Eandem vim habet, quam *cum maxime:* quod oſtendit, laudante Cortio, Duker. ad Flor. 2, 16, 3. *G.*

5 ab exſilio enim redierant) Al. neglecta coniunctione, *ab exſilio redierant.* quod Cortius iure praetulit. Sic modo habuimus: *nupta haec Helvidio fuerat.* *S.*

adſcribi facto) Subſcribenda accuſatione, quam meditatur Plinius, a qua ſubſcriptione pro accuſatore ipſo *ſubſcriptor* nonnunquam dicitur. Subſcripſiſſe feminas, indicat verbis, *nec illae morantur.* *G.*

ſocietatem) Melius Cortius ex Mediceo *ſocietate.* Vid. Heuſingerum ad 1, 10, 12. *S.*

7 ante relationem reus) Ante quam *delatum* ſit *nomen* eius, eoque *recepto*, *relatum* de illo in ſenatu. *G.*

Salvi ſimus) Pauci ſuperſumus de crudelitate ſuperiorum

interritus: tantum ſusceptae rei honeſtas valet,
tantumque ad fiduciam vel metum differt, nolint
homines, quod facias, an non probent. Longum
eſt omnia, quae tunc hinc inde iactata ſunt,
9 recenſere. Noviſſime conſul: *Secunde, ſententiae*
loco dices, ſi quid volueris. Permiſeris, inquam,
quod usque adhuc omnibus permiſiſti. Reſido:
10 aguntur alia. Interea me quidam ex conſularibus
amicis ſecreto accuratoque ſermone, quaſi nimis
fortiter incauteque progreſſum, corripit, revocat,
monet, ut deſiſtam. Adiecit etiam: *Notabilem te*
futuris principibus feciſti. Eſto, inquam, *dum*
11 *malis.* Vix ille diſceſſerat, rurſus alter: *Quid*
audes? cur ruis? quibus te periculis obiicis?
Quid praeſentibus confidis, incertus futurorum?
Laceſſis hominem iam praefectum aerarii, et bre-
vi conſulem? praeterea qua gratia, quibus ami-
citiis fultum? Nominat quendam, qui tunc ad
orientem ampliſſimum exercitum, non ſine ma-
12 gnis dubiisque rumoribus, obtinebat. Ad haec
ego: *Omnia praecepi, atque animo mecum ante*

principum, de vindictae libidine contra delatores, de qua ante ſ. 4. *G.*

Ex his paucis noli quemquam in crimen vocare. Miſerantium haec vox. *S.*

8 *iactata)* Al. *iacta.* Difficile eſt definire, utrum a Secundi manu profectum ſit: magis tamen huc inclino, ut noſtrum pro genuino habeam. Vid. omnino Drakenb. ad Liv. 10, 37, 2. *S.*

9 *ſententiae loco)* Vid. quae diximus de hoc more ad 8, 14, 6. *G.*

Permiſeris) Non rogandi vel poſtulandi vox, ut modo ſ. 7. *ſciamus:* ſed ſubirati, certe iure ſuo nitentis, quaſi dicat, Nihil ita mihi beneficii tribueris, ſed ad commune ſenatorum ius me revocas. *G.*

Veriſſime Gesnerus, cuius mentem Gierigius non videtur perVidiſſe. Neque enim *permiſeris* referendum ad ius dicendi, quod extra ordinem Secundus petierat, (vid. ſupra 7.) ſed ad ius cenſendi, de quo poſtea 13. 18. Non ea ſpectat Plinius, quae dixerat, ſed quae erat dicturus. *S.*

10 *Adiecit)* Al. *Adiicit,* quod praeferendum. *Adigit,* quod cod. Arnz. habet, indidem natum: nam eſt pro *adicit*, h. e. *adiicit.* *S.*

11 *cur ruis?)* Plerique libri: *quo ruis?* quod cum Cortio praeferam. *S.*

12 *Omnia praecepi)* Ex Aen. 6, 105. ubi, quem ad modum hic, *praecepi*, non *percepi* habent optimi quique libri. *G.*

peregi: nec recuso, si ita casus attulerit, luere
poenas ob honestissimum factum, dum flagitiosissi-
mum ulciscor. Iam censendi tempus. Dicit Do- 13
mitius Apollinaris, consul designatus, dicit Fabri-
cius Veiento, Fabius Postumius, Vectius Proculus,
collega Publicii Certi, de quo agebatur;
uxoris autem meae, quam amiseram, vitricus:
post hos Ammius Flaccus. Omnes Certum, non-
dum a me nominatum, ut nominatum defendunt:
crimenque quasi in medio relictum defensione
suscipiunt. Quae praeterea dixerint, non est ne- 14
cesse narrare; in libris habes. Sum enim cuncta
ipsorum verbis persequutus. Dicunt contra Avi- 15
dius Quietus, Cornutus Tertullus. Quietus: *In-*
iquissimum esse, querelas dolentium excludi: ideo-
que Arriae et Fanniae ius querendi non auferen-
dum: nec interesse, cuius ordinis quis sit, sed
quam caussam habeat. Cornutus: *Datum se a* 16
consulibus tutorem Helvidii filiae, petentibus ma-
tre eius et vitrico: nunc quoque non sustinere de-
serere officii sui partes; in quo tamen, et suo
dolori modum imponere, et optimarum femina-
rum perferre modestissimum adfectum: quas con-
tentas esse, admonere senatum Publicii Certi
cruentae adulationis, et petere, si poena flagitii
manifestissimi remittatur, nota Certo quasi censo-
ria inuratur. Tum Satrius Rufus medio ambi- 17
guoque sermone: *Puto*, inquit, *iniuriam factam*

attulerit) Malim e libro Vossiano *tulerit.* *S.*

13 *crimenque — — suscipiunt)* Eleganter. Secundus crimen in medio reliquerat, quod reum nondum nominasset: res adhuc anceps et dubia poterat videri, donec edito rei nomine certo constaret, cui a Plinio metuendum esset. Hoc quidquid supererat dubitationis, eximebant illi, qui Certum ut nominatum defenderent. Id scite dicitur, *crimen quasi in medio relictum defensione suscipere.* Ita qui rumoris antea incerti se auctorem profitetur, dici potest famam in medio positam suscepisse. *S.*

15 *Avidius Quietus)* Idem, puto, de quo supra 6, 29, 1. *Cornutus* autem *Tertullus* collega fuit in consulatu Plinii. vid. Paneg. 90, 3. *G*

17 *Puto — iniuriam)* Mirum non est, si obscuritatis aliquid habeat haec oratio Satrii, quum

Publicio Certo, si non absolvitur; nominatus est
ab amicis Arriae et Fanniae, nominatus ab
amicis suis. Nec debemus soliciti esse. Idem
enim nos, qui bene sentimus de homine, iudica-
turi sumus: si innocens est, sicuti et spero, et
malo, donec aliquid probetur, credo poteritis ab-
18 *solvere.* Haec illi, quo quisque ordine citaban-
tur. Venitur ad me: consurgo: utor initio, quod
in libro est: respondeo singulis. Mirum qua in-
tentione, quibus clamoribus omnia exceperint,
qui modo reclamabant. Tanta conversio vel ne-
gotii dignitatem, vel proventum orationis, vel
19 actoris constantiam subsequuta est. Finio. Inci-
pit respondere Veiento: nemo patitur: obturba-
tur, obstrepitur: adeo quidem, ut diceret: *Rogo,*
Patres C. ne me cogatis implorare auxilium tri-
bunorum. Et statim Murena tribunus: *Permitto*
tibi, vir clarissime Veiento, dicere. Tunc quo-
20 que reclamatur. Inter moras consul citatis nomi-
nibus et peracta discessione, mittit senatum: ac
paene adhuc stantem tentantemque dicere Veien-
tonem relinquit. Multum ille de hac (ita vo-
citabat) contumelia questus est Homerico versu:

Ὦ γέρον, ἦ μάλα δή σε νέοι τείρουσι μαχηταί.

21 Non fere quisquam in senatu fuit, qui non me

ipse Secundus *ambiguam* appellet. Conabimur eam explicatiorem reddere. Cum nominatus sit Certus non quidem a Plinio, (vid. s. 13.) sed ab aliis tum amicis Arriae et Fanniae, adversariarum, tum suis; nec tamen probatum quidquam: iniuria illi fit, nisi absolvitur: haeret enim crimen non probatum. Ergo interim absolvendus videtur. Nec debemus nos senatores soliciti esse, ne semel absolutus, si forte nocens sit, deinde damnari non possit. Hoc enim si appareat, nos, qui bene de Certo sentimus, idem de illo iudicaturi sumus, quod ii, qui nocentem arbitrantur etc. *G.*

19 *auxilium tribunorum)* Quorum vim meminimus comparatam esse ad suum cuique civium ius contra vim iniustam, magistratuum praesertim patriciorum, tuendum. *G.*

20 *Ὦ γέρον)* Il. Θ. 102. verba Diomedis, admonentis Nestorem, ut, cum senex ipse nimis prematur a iuvenibus, in suum, Diomedis, currum transeat. Indicat igitur Veiento, se antiquum senatorem in ordinem cogi a iunioribus. *G.*

complecteretur, exoſcularetur, certatimque laude
cumularet, quod intermiſſum tamdiu morem in
publicum conſulendi, ſuſceptis propriis ſimultati-
bus, reduxiſſem: quod denique ſenatum invidia
liberaſſem, qua flagrabat apud ordines alios, quod
ſeverus in ceteros, ſenatoribus ſolis, diſſimula-
tione quaſi mutua, parceret. Haec acta ſunt ab- 22
ſente Certo. Abſuit enim, ſeu tale aliquid ſuſpi-
catus, ſive, ut excuſabatur, infirmus. Et relatio-
nem quidem de eo Caeſar ad ſenatum non remi-
ſit: obtinui tamen, quod intenderam. Nam col- 23
lega Certi conſulatum, ſucceſſorem Certus acce-
pit: planeque factum eſt, quod dixeram in fine:
*Reddat praemium ſub optimo principe, quod a
peſſimo accepit.* Poſtea actionem meam, utcunque
potui, recollegi: addidi multa. Accidit fortui- 24
tum (ſed non tanquam fortuitum) quod, editis
libris, Certus intra pauciſſimos dies implicitus
morbo deceſſit. Audivi referentes, hanc imagi- 25
nem menti eius, hanc oculis oberraſſe, tanquam
videret me ſibi cum ferro imminere. Verane haec,
adfirmare non auſim: intereſt tamen exempli, ut
vera videantur. Habes epiſtolam, ſi modum epi- 26
ſtolae cogitas, libris, quos legiſti, non minorem.
Sed inputabis tibi, qui contentus libris non fui-
ſti. Vale.

22 *relationem — ad ſenatum*) Non iuſſit rem denuo ad ſenatum referri, ut alias, v. g. 4, 9, 1. etc. *G.*

23 *ſucceſſorem Certus*) Praefectus tum aerarii, brevi conſul, ut putabant homines: vid. ſ. 11. *G.*

24 *non tanquam fortuitum*) Nemo facile pro fortuito habuit, ſed cauſſam mortis Certi in Plinii actione ineſſe putarunt vulgo homines. Modeſtia quadam philoſophica utitur Secundus. Non vult tribui ſibi eventum, ſed nec vehementer repugnat. Et nihil, profecto, impedit, quo minus mortem Certo horror, ira, metus, acceleraverit: nihil ab ingenii humani rationibus alienum, ſi febris illi imminentem cum ferro inimicum obiecit. Sed haec eadem cauſſa eſt, cur fingi talia probabilius poterant. *G.*

26 *modum epiſtolae*) Sic ex libris Corr. bene. *Modum* i. e. proportionem. *G.*

XIV.

Tacitum hortatur ad parandam ſcriptis immortalitatem.

C. PLINIVS TACITO SVO S.

Nec ipſe tibi plaudis, et ego nihil magis ex fide, quam de te ſcribo. Poſteris an aliqua cura noſtri, neſcio: nos certe meremur, ut ſit aliqua, non dico ingenio, (id enim ſuperbum,) ſed ſtudio, ſed labore, et reverentia poſterorum. Pergamus modo itinere inſtituto: quod ut paucos in lucem famamque provexit, ita multos e tenebris et ſilentio protulit. Vale.

XV.

Quid in villa agat.

C. PLINIVS FALCONI SVO S.

Refugeram in Tuſcos, ut omnia ad arbitrium
meum facerem: at hoc ne in Tuſcis quidem: tam
multis undique ruſticorum libellis, et tam queru-
lis, inquietor; quos aliquanto magis invitus, quam
2 meos, lego. Nam et meos invitus. Retracto
enim actiunculas quaſdam; quod, poſt intercape-
dinem temporis, et frigidum et acerbum eſt. Ratio-

XIV *ſed ſtudio* etc.) Malim, aut cum Cortio: *ſed ſtudio, et labore, et reverentia poſterorum*, aut: *ſed ſtudio, ſed labore, ſed reverentia poſterorum.* S.

reverentia poſterorum) De quorum nimirum iudicio de nobis ſoliciti, et moderatius vivimus, et cura maiore ſcribimus. *G.*

paucos — multos) Duos nobilitatis e literis et virtute gradus conſtituit. Prior, quem multi conſequuntur, eſt, *ut e tenebris et ſilentio proferantur*, ſciantque poſteri, eos vixiſſe: alter et excelſior, ſed qui paucis contingit, *ut provehantur in lucem et famam*, ſintque non noti modo utcunque poſteris, ſed in illuſtri quaſi faſtigio poſiti. *G.*

XV, 2 *frigidum et acerbum*) *Frigidum*; cum impetus ille et ardor, qui agentem aut mox ab actione ſcribentem proſequitur, iam reſederit: *acerbum*, cum ſua vineta caedere, eaque, quae inventionis calor commendaverat, condemnare cogatur. *G.*

Rationes) acceptorum et expenſorum, quas villici curant. Has neque praeſens inſpicit Pli-

nes, quasi absente me, negliguntur. Interdum 3 tamen equum conscendo, et patrem familiae hactenus ago, quod aliquam partem praediorum, sed pro gestatione, percurro. Tu consuetudinem serva, nobisque sic rusticis urbana acta perscribe. Vale.

XVI.

Non venari se propter vindemias, quamquam exiguas, posse, attamen versiculos pro musto devecturum significat.

C. PLINIVS MAMILIANO SVO S.

Summam te voluptatem percepisse ex isto copiosissimo genere venandi non miror, quum historicorum more scribas, numerum iniri non potuisse. Nobis venari nec vacat, nec libet: non vacat, quia vindemiae in manibus; non libet, quia exiguae. Devehemus tamen pro novo musto novos versiculos tibi, quos iucundissime exigenti, ut primum videbuntur deferviisse, mittemus. Vale. 2

XVII.

Ferendos esse aliorum mores, ut isti nostros quoque ferant, acroamatum in conviviis exemplo monet.

C. PLINIVS GENITORI SVO S.

Accepi tuas literas, quibus quereris, taedio tibi

nius. libellis nimirum orationum suarum magis quam rationum intentus. *Ratiocinationes* quidam legunt, quos refutant libri optimi, et ipse Mediceus. *G.*

3 *sed pro gestatione)* Hoc est, non eo consilio, ut patrem familias agam, ut, quid agant mei, inspiciam: sed movendi illa gestatione corporis, valetudinisque adeo, caussa. *G.*

XVI. 1 *historicorum more)* Ubi praelium et cladem aliquam vel suorum vel hostium referunt. *G.*

2 *Devehemus — versiculos tibi, quos — mittemus)* Melius Cortius ex libro Mediceo: *Devehemus — versiculos, tibique — mittemus.* Nostra lectio, ut vehementer languida, prae illa sordet. *S.*

deferviisse) Continuata eleganter metaphora, hoc notat, cum versiculi erunt semel iterumque retractati, emendati, et illud musteum quasi ac turbidum, quod a primo calore scribendi traxere, deposuerint. *G.*

fuisse quamvis lautissimam coenam, quia scurrae,
2 cinaedi, moriones mensis inerrabant. Vis tu re-
mittere aliquid ex rugis? Equidem nihil tale
habeo, habentes tamen fero. Cur ergo non
habeo? quia nequaquam me, ut inexspectatum
festivumve delectat, si quid molle a cinaedo, pe-
tulans a scurra, stultum a morione profertur.
3 Non rationem, sed stomachum tibi narro. Atque
adeo quam multos putas esse, quos aeque ea,
quibus ego et tu capimur et ducimur, partim ut
inepta, partim ut molestissima offendant? Quam
multi, quum lector aut lyristes aut comoedus in-
ductus est, calceos poscunt, aut non minore
cum taedio recubant, quam tu ista (sic enim
4 appellas) prodigia perpessus es? Demus igitur
alienis oblectationibus veniam, ut nostris impe-
tremus. Vale.

XVIII.

Desideranti libellos suos promittit, sed per partes, ne memoriam turbet.

C. PLINIVS SABINO SVO S.

Qua intentione, quo studio, qua denique me-

XVII, 2 *Vis tu remittere*) Admonendi formula. Sic Servius Sulpicius ad Ciceronem sub fam. 4, 5. se ipse alloquens, *Visne tu te, Servi, cohibere, et meminisse* etc. G.

Non rationem, sed stomachum) Negat se virtutis aut sapientiae cuiusdam nomine, quae certa ratione agit omnia, imputari sibi velle, quod ab id genus oblectamentis abhorreat: sed *stomachum* esse, peculiarem et suum sensum atque iudicium, *gustum* hodie appellant omnes. Sic 6, 14, 2. dixerat, *stomachi mei haec natura est*. G.

3 *calceos poscunt*) Ut abituri nimirum de coena, quem ad modum *soleas poscit* avunculus nostri supra 6, 16, 5. cum *gustasset iacens* et *studuisset*, iam vero *adscendere* vellet locum editum etc. *Soleas* ille, quia extra urbem. Hic de urbanis sermo est, quorum *calceum* esse, ex 7, 3, 2. apparet. G.

prodigia) Puto, e tribus generibus supra propositis, ad primum maxime *cinaedorum* respici, quorum detestabilis, et sexui illudens libido, non minus *prodigium* est, quam apud Romanos *hermaphroditus*, quod genus mari mergi expiandi prodigii caussa voluere. Liv. 27, 11. et 37. it. 31, 12. etc. G.

moria, legeris libellos meos, epiſtola tua oſtendit.
Ipſe igitur exhibes negotium tibi, qui elicis et
invitas, ut quamplurima communicare tecum ve-
lim. Faciam; per partes tamen, et quaſi digeſta, 2
ne iſtam ipſam memoriam, cui gratias ago, aſſi-
duitate et copia turbem, oneratamque, et quaſi
oppreſſam, cogam pluribus ſingula, poſterioribus
priora dimittere. Vale.

XIX.

Verginium tuetur, quod factum ſuum ſepulcro inſcribi iuſſerit; et Frontinum laudat, qui monimentum ſibi fieri vetuerat.

C. PLINIVS RVFONI SVO S.

Significas, legiſſe te in quadam epiſtola mea,
iuſſiſſe Verginium Rufum inſcribi ſepulcro ſuo:

HIC SITVS EST RVFVS, PVLSO QVI VINDICE QVONDAM
IMPERIVM ADSERVIT NON SIBI, SED PATRIAE.

Reprehendis, quod iuſſerit; addis etiam, melius
rectiusque Frontinum, quod vetuerit omnino mo-
nimentum ſibi fieri; meque ad extremum, quid
de utroque ſentiam, conſulis. Utrumque dilexi; 2

XVIII, 2 *cui gratias ago)* Genuina haec ſunt. Pergratum Secundo fecerat Sabinus, qui tanta intentione, tanto ſtudio, *tanta denique memoria*, (id maxime placebat Plinio laudis avidiſſimo, edifici ſua a legentibus glorianti) illius libellos contriviſſet. Debebatur igitur gratia a Plinio Sabini memoriae. *S.*

pluribus — dimittere) Poſterius lecta urgent quaſi et premunt memoriam, coguntque, ut poſteriora teneat, priora dimittere. Imaginatur memoriam ut manum, ut vas, quae ultra certum finem oblata vel infuſa capere, ac tenere capta, non poſſunt. Sed ſunt ſcilicet Briarei quidam centimani, ſunt Scaevolae: ſunt dolia pertuſa, ſunt oceani. In verbo *dimittere* praeceptorem imitatus eſſe videri poteſt. Sic enim Fabius 11, 2, 9. *Invenio apud Platonem, obſtare memoriae uſum literarum: videlicet quod illa, quae ſcriptis repoſuimus, velut cuſtodire deſinimus, et ipſa ſecuritate dimittimus. G.*

XIX, 1 *in quadam epiſtola)* Eſt 6, 10, ad quam etiam de ipſo Verginii facto, quod hic celebratur, dictum eſt. *G.*

miratus fum magis, quem tu reprehendis, atque
ita miratus, ut non putarem fatis unquam laudari
poffe, cuius nunc mihi fubeunda defenfio eft.
3 Omnes ego, qui magnum aliquod memorandum-
que fecerunt, non modo venia, verum etiam
laude digniffimos iudico, fi immortalitatem, quam
meruere, fectantur, victurique nominis famam
4 fupremis etiam titulis prorogare nituntur. Nec
facile quemquam nifi Verginium invenio, cuius
tanta in praedicando verecundia, quanta gloria
5 ex facto. Ipfe fum teftis, familiariter ab eo di-
lectus probatusque, femel omnino, me audiente,
provectum, ut de rebus fuis hoc unum referret,
ita fecum aliquando Cluvium loquutum: *Scis,
Vergini, quae hiftoriae fides debeatur: proinde fi
quid in hiftoriis meis legis aliter ac velles, rogo
ignofcas.* Ad hoc fic illum: *Tune, Cluvi, igno-
ras, ideo me feciffe, quod feci, ut effet liberum
6 vobis fcribere, quae libuiffet?* Agedum, hunc
ipfum Frontinum in hoc ipfo, in quo tibi parcior
videtur et preffior, comparemus. Vetuit exftrui
monimentum: fed quibus verbis? *Impenfa mo-
nimenti fupervacua eft; memoria noftri durabit, fi
vita meruimus.* An reftrictius arbitraris per orbem

2 *atque ita miratus*) *Florentina lectio. Al. e libro Modii, *adeoque miratus.* G.

3 *immortalitatem — fectantur*) Ciceronem fuum hic etiam fequitur Secundus, qui tum alias, tum luculenter in Archiana oratione hunc locum tractat, *optimum quemque laudis ftudio trahi.* Plura hac de re in praefatione, ubi oftendimus, id ipfum Secundo harum epiftolarum vel fcribendarum vel edendarum confilium fuiffe. G.

5 *velles*) Cortius et Gierigius: *velis.* Nil puto referre. Mox malim cum Cortio: *Ad hoc ille.* S.

Tune, Cluvi) *Sic e Mediceo libro Cortius. G.

me feciffe, quod feci) me imperium adferuiffe, non mihi, fed patriae. S.

6 *parcior et preffior*) *Parcior* fuae laudis, et *preffior* i. e. moderatior, non efferens fe. *Preffum* enim luxurianti, fuperfluo, opponi, vel noftri Secundi ufus, ex indice notus, fatis docet. G.

per orbem terrarum) Hinc intelligimus, verba Frontini modo adfcripta, non in teftamenti modo tabulis aut fcripto privato pofita, fed in librum in vulgus editum relata effe. Opponit enim Plinius haec duo, *per orbem*

terrarum legendum dare, duraturam memoriam
ſui, quam uno in loco duobus verſiculis ſignare,
quod feceris? Quamquam non habeo propoſitum 7
illum reprehendendi, ſed hunc tuendi: cuius
quae poteſt apud te iuſtior eſſe defenſio, quam ex
collatione eius, quem praetulſti? Meo quidem 8
iudicio neuter culpandus, quorum uterque ad
gloriam pari cupiditate, diverſo itinere, contendit:
alter, dum expetit debitos titulos; alter,
dum mavult videri contemſiſſe. Vale.

XX.

Laetatur epiſtola, qua libros ſuos laudatos vidit; et de vindemiis nuntiat.

C. PLINIVS VENATORI SVO S.

Tua vero epiſtola tanto mihi iucundior fuit,
quanto longior erat, praeſertim cum de libellis
meis tota loqueretur; quos tibi voluptati eſſe
non miror, cum omnia noſtra perinde ac nos
ames. Ipſe cum maxime vindemias, graciles 2
quidem, uberiores tamen quam exſpectaveram,
colligo; ſi colligere eſt, non nunquam decerpere
uvam, torculum inviſere, guſtare de lacu
muſtum, obrepere urbanis, qui nunc ruſticis
praeſunt, meque notariis et lectoribus reliquerunt.
Vale.

terrarum legendum dare, et, *uno in loco*, nempe in monimento ſepulcri, *duobus verſiculis ſignare*. G.

legendum) Gesneriana *legendam*, negligentià, puto, operarum. *S.*

8 *mavult videri contemſiſſe*) Fecit enim ſimile quiddam iis Philoſophis, qui in libris ſuis de contemnenda gloria nomen ſuum adſcribunt; aut, ſi inclementius agere lubeat, Diogeni, Platonis faſtum faſtu alio calcanti. *G.*

XXI.

Libertum in gratiam cum patrono reducere tentat.

(Adde epist. XXIV. *huius libri.)*

C. PLINIVS SABINIANO SVO S.

Libertus tuus, cui ſuccenſere te dixeras, venit
ad me, advolutusque pedibus meis, tanquam tuis,
haeſit. Flevit multum, multumque rogavit; mul-
tum etiam tacuit: in ſumma, fecit mihi fidem
poenitentiae. Vere credo emendatum, quia deli-
2 quiſſe ſe ſentit. Iraſceris, ſcio: et iraſceris me-
rito, id quoque ſcio: ſed tunc praecipua man-
ſuetudinis laus, quum irae cauſſa iuſtiſſima eſt.
3 Amaſti hominem, et, ſpero, amabis: interim ſuf-
ficit, ut exorari te ſinas. Licebit rurſus iraſci, ſi
meruerit: quod exoratus excuſatius facies. Re-
mitte aliquid adoleſcentiae ipſius, remitte lacry-
mis, remitte indulgentiae tuae: ne torſeris illum,
ne torſeris etiam te. Torqueris enim, quum
4 tam lenis iraſceris. Vereor, ne videar non roga-
re, ſed cogere, ſi precibus eius meas iunxero.
Iungam tamen tanto plenius et effuſius, quanto
ipſum acrius ſeveriusque corripui, deſtricte mina-
tus, nunquam me poſtea rogaturum. Hoc illi,
quem terreri oportebat, tibi non idem. Nam
fortaſſe iterum rogabo, iterum impetrabo: ſit
modo tale, ut rogare me, ut praeſtare te deceat.
Vale.

XXI, 3 *Torqueris enim, quum*) Quo quis natura lenior eſt et manſuetior, tanto ei ira gravior et nocentior ipſi ſolet eſſe. Hinc tritum illud, *patientia laeſa fit furor.* Admirabiliter hic tractat et verſat quaſi amicum ſuum Plinius; eamque in eo virtutem laudat, qua cum maxime opus eſt. Huc pertinet, quod ait, *vereor, ne videar non rogare, ſed cogere.* Indicat enim et amici officium, atque in ſe voluntatem, et ſuam in rogando modeſtiam, qui ob id ipſum rogare dubitet, quod ſciat ſibi nihil negare amicum poſſe. *G.*

4 *tibi non idem*) Poteſt omnino et ferri, et commodo explicari, *tibi non idem*, nempe dico. Sed nec diffiteor, mihi etiam in mentem veniſſe, et non dubitaturum recipere, ſi in libro inveniam, illud, quod in Scheffero improbat Cortius, *tibi non item.* G.

XXII.

Paſſieni aegritudine dolet, eiusque genus, mores et ingenium laudat.

C. PLINIVS SEVERO SVO S.

Magna me ſolicitudine adfecit Paſſieni Paulli valetudo, et quidem plurimis iuſtiſſimisque de cauſſis. Vir eſt optimus, honeſtiſſimus, noſtri amantiſſimus; praeterea in literis veteres aemulatur, exprimit, reddit: Propertium in primis, a quo genus ducit, vera ſoboles, eoque ſimillima illi, in quo ille praecipuus. Si elegos eius in manum 2
ſumſeris, leges opus terſum, molle, iucundum, et plane in Propertii domo ſcriptum. Nuper ad lyrica deflexit, in quibus ita Horatium, ut in illis illum alterum, effingit. Putes, ſi quid in ſtudiis cognatio valet, et huius propinquum. Magna varietas, magna mobilitas. Amat, ut qui veriſſime; dolet, ut qui impatientiſſime; laudat, ut qui beniguiſſime; ludit, ut qui facetiſſime: omnia denique tanquam ſingula abſolvit. Pro hoc ego 3
amico, pro hoc ingenio, non minus aeger animo, quam corpore ille, tandem illum, tandem me recepi. Gratulare mihi; gratulare etiam literis ipſis, quae ex periculo eius tantum discrimen adierunt, quantum ex ſalute gloriae conſequentur. Vale.

XXII, 1 *in quo ille praecipuus)* In eo genere ſimillimus eſt Propertio Paſſienus, in quo ille eſt praecipuus, nempe in elegia. *G.*

2 *manum)* Cortius et Gierigius: *manus.* Sic ſolet Plinius. *S.*

effingit. Putes) 'Hanc lectionem, quam a Boxhornio Thomaſioque accepit Cellarius, praefero ipſi Mediceae, *effingi putes: ſi quid in ſtudiis cognatio valet, et huius propinquus.* Nam malo illud *effingit* abſolute et ſimpliciter dici, *putes* autem adiungi ad illum luſum de *propinquo*; quam contra verbum *putes* adiici ad id, quod ſimpliciter verum eſt, excuſationem nullam ad figuratum de *propinquo* ſermonem apponi. *G.*

XXIII.

Laetatur, doctorum nomine se in primis et Tacitum intelligi.

C. PLINIVS MAXIMO SVO S.

Frequenter agenti mihi evenit, ut centumviri, quum diu se intra iudicum auctoritatem gravitatemque tenuissent, omnes repente, quasi victi coactique consurgerent laudarentque.
2 Frequenter e senatu famam, qualem maxime optaveram, retuli: nunquam tamen maiorem cepi voluptatem, quam nuper ex sermone Cornelii Taciti. Narrabat, sedisse secum Circensibus proximis equitem Romanum: hunc post varios eruditosque sermones requisisse, *Italicus es, an provincialis?* se respon-
3 disse, *Nosti me, et quidem ex studiis.* Ad hoc illum, *Tacitus es, an Plinius?* Exprimere non possum, quam sit iucundum mihi, quod nomina nostra, quasi literarum propria, non hominum, literis redduntur; quod uterque nostrum his etiam

XXIII, 2 *sedisse secum equitum Romanum)* Potuit hoc fieri, ut senatori Tacito adsideret eques. Nam licet in circo etiam sua senatui, sua equitibus, loca assignata essent Neronis instituto: potuit tamen senator, privata veste usus, sedere etiam ubi vellet: quod ex Dionis lib. 60. ad Tac. Ann. 15, 32. docet, nec hunc ipsum locum omittit, Lipsius. *Nimirum servanda nobis videtur recepta lectio, et probata Buchnero Cellarioque interpretatio Lipsii. Quod dedit ex Mediceo Cortius, *sedisse se cum quodam Circensibus proximis: hunc post* etc. non reprehendo equidem, et potuisse ita dare Secundum, concesserim. Sed manet eadem difficultas, ad quam Lipsii observatione opus est: nisi putamus senatorem hic describi, qui sederit cum Tacito; eique alium senatorem, collegam prope suum, virum fama celeberrimum, facie fuisse ignotum. Nec video caussam, cur non potuerit sic interrogare eques Romanus, urbanus etiam et politus, doctusque homo Tacitum spectaculorum dies non admodum obeuntem, nec alias multum versantem in publico; in urbe, qualis et quanta tum erat Roma. Si plebeium facimus hunc assessorem, tanto magis opus est Lipsiana animadversione. Equitem minimum suadet eruditio, et locus cum Tacito: senatorem negat ignorantia. Absurdi profecto nihil habet recepta vel lectio vel interpretatio. *G.*

3 *nomina — literis redduntur)* *Reddere* alicui *nomen* suum apud avunculum nostri frequentissime significat, nomine illum suo compellare. Non utar exemplis in re obvia. *Reddit ergo literis nomen Taciti et*

ex ſtudiis notus, quibus aliter ignotus eſt. Acci- 4
dit aliud ante pauculos dies ſimile. Recumbebat mecum vir egregius, Fabius Rufinus; ſuper eum municeps ipſius, qui illo die primum in urbem venerat; cui Rufinus, demonſtrans me, *Vides hunc?* Multa deinde de ſtudiis noſtris. Et ille, *Plinius eſt*, inquit. Verum fatebor, capio magnum labo- 5
ris mei fructum. An, ſi Demoſthenes iure laetatus eſt, quod illum anus Attica ita noſcitavit, Οὗτός ἐστι Δημοσθένης; ego celebritate nominis mei gaudere non debeo? Ego vero et gaudeo, et gaudere me dico. Neque enim vereor, ne iactan- 6
tior videar, quum de me aliorum iudicium, non meum, profero: praeſertim apud te, qui nec ullius invides laudibus, et faves noſtris. Vale.

XXIV.

Gratias agit, quod precibus pro liberto ſuis locum dederit.
(*Conf.* 9, 21.)

C. PLINIVS SABINIANO SVO S.

Bene feciſti, quod libertum, aliquando tibi carum,

Plinii, qui ita colligit, *Literatus eſt, ergo vel Tacitus vel Plinius.* Ita poëti redditur nomen Homeri, vel Virgilii. Sic praeceptor noſtri Fabius 10, 1. p. 916. *Ut*, inquit, *Cicero iam non hominis, ſed eloquentiae nomen habeatur*, hoc eſt, Ciceronis nomen reddatur eloquentiae. G.

aliter) Cortius *alter*, perperam. Secundus loquitur de iis, qui utrumque ignorabant. Ideo eques ille: *Tacitus es, an Plinius? Aliter* et *ex ſtudiis* ſibi opponuntur. S.

5 *noſcitavit)* *Noſcitare* eſt eorum, qui dubiam adhuc notitiam confirmare ſtudent, et certo cupiunt cognoſcere. Hnc Plautinis praeſertim exemplis Ciſtell. 4, 2, 14. Epid. 4, 1, 10. Mil. 2, 6, 41. et Trin. 4, 2, 21. demonſtramus in theſauro, qui nos cum maxime exercitos habet, Linguae Latinae. [Add. Gesneri ad I. A. Erneſt. epiſtola.] Igitur hic interrogationis notam adpono et vocem arbitror, certe Plinium intellexiſſe puto, interrogantis mulierculae, *Hiccine eſt ille Demoſthenes?* Contigit huic etiam narratiunculae, quod multis aliis, ut varie pro cuiusque ingenio et referretur, et iudicaretur. Hic ſatis fuerit indicare loca Cic. Tuſc. 5, 36. Aelian. V. H. 9, 17. Schol. Perſ. ad 1, 28. Nempe illud, *Digito monſtrari, et dicier* HIC EST? ab hac narratione ortum volunt: quod etiam Horatio placuit Od. 4, 3, 22. G.

reducentibus epistolis meis, in domum, in animum recepisti. Iuvabit hoc te: me certe iuvat; primum, quod te talem video, ut in ira regi possis: deinde, quod tantum mihi tribuis, ut vel auctoritati meae pareas, vel precibus indulgeas. Igitur et laudo et gratias ago. Simul in posterum moneo, ut te erroribus tuorum, etsi non fuerit, qui deprecetur, placabilem praestes. Vale.

XXV.

Ex castris solicitatus de carminibus, missurum esse finito rerum actu, pollicetur.

C. PLINIVS MAMILIANO SVO S.

Quereris de turba castrensium negotiorum, et, tanquam summo otio perfruare, lusus et ineptias nostras legis, amas, flagitas, meque ad similia
2 condenda non mediocriter incitas. Incipio enim ex hoc genere studiorum non solum oblectationem, verum etiam gloriam petere, post iudicium tuum, viri gravissimi, eruditissimi, ac super ista
3 verissimi. Nunc me rerum actus modice, sed tamen distringit: quo finito aliquid earundem Camoenarum in istum benignissimum sinum mittam. Tu passerculis et columbulis nostris inter aquilas

XXIV *te talem video)* "Elegans est et Plinianum, quod ex Mediceo dedit Cortius, *te tam tractabilem video.* Sed dubitavi recipere, quia longior haec phrasis interpretatio videtur nominis *talem*, apparetque adeo ratio, qui in libros bonos venerit: non item contra, qua re ductus aliquis *tam tractabilem* expunxerit, substitueritque *talem.* G.

XXV, 2 *post iudicium — verissimi)* Haec appendicula et propter ordinem, qui periodi concinnitatem tollit, et propter sensum mihi semper aliquo modo frigere visa est. — Mox *rerum actus* negotia forensia, caussarum actiones dicit. *E.*

Appendicula illa, quam Ernestius dixit, tantum abest, ut frigeat, ut ad sensum maxime necessaria sit. *S.*

3 *inter aquilas vestras)* In castris versatur Mamilianus, inter *aquilas* ergo et signa militaria. Plinius mittit inter carmina alia etiam ludicra quaedam, et *passeri* Catulliano, noto, quod hodieque legitur, carmini, atque

vestras dabis pennas, si tamen et sibi et tibi placebunt: si tantum sibi, continendos cavea nidove curabis. Vale.

XXVI.

Veterum exemplo probat, oratorem sublimia interdum et fere praecipitia debere.

C. PLINIVS LVPERCO SVO S.

Dixi de quodam oratore seculi nostri, recto quidem et sano, sed parum grandi et ornato, ut opinor, apte: *Nihil peccat, nisi quod nihil peccat.* Debet enim orator erigi, attolli, interdum etiam 2
effervescere, efferri, ac saepe accedere ad praeceps. Nam plerumque altis et excelsis adiacent abrupta: tutius per plana, sed humilius et depressius iter: frequentior currentibus, quam reptantibus, lapsus: sed his non labentibus nulla, illis non nulla laus, etiamsi labantur. Nam ut 3
quasdam artes, ita eloquentiam nihil magis, quam ancipitia commendant. Vides, qui per funem in summa nituntur, quantos soleant excitare clamores, quum iam iamque casuri videntur. Sunt 4
enim maxime mirabilia, quae maxime insperata, maxime periculosa, utque Graeci magis exprimunt, παράβολα. Ideo nequaquam par gubernatoris est

columbae Stellae, aequalis fere Plinio poëtae, (de qua Martial. 1, 8. et 7, 13. Statiusque Silv. 1, 2, 102.) similia. Alioquin etiam lascivi passeres, columbae Veneri sacrae et Venereae. Vid. Burm. ad Petron. c. 85. p. 418. Potest quoque fieri, ut hos ipsos titulos quibusdam libellis, vel partibus eorum, dederit Plinius. *G.*

XXVI, 3 *nituntur*) Verum puto. Mediceus liber *nitantur*, quod Gierigius praetulit. *S.*

4 *maxime periculosa*) Multa de his Rhetores. Graeci non παράβολα modo vocant, ut hic etiam monet Secundus, sed παρακεκινδυνευμένα, τολμηρά, ἐπισφαλῆ, ἀκροσφαλῆ κ. τ. λ. Multa Latini, praesertim Fabius, ad cuius 2, 11, 3. Longini pluscula dedimus. Add. 8, 2, 20. 8, 6, 11. 10, 1, 128. *Parabolos*, proiectae audaciae gladiatores, et bestiarum in amphitheatro confectores, illustravit hic ex Cassiodoro et aliunde Cellarius. *G.*

virtus, quum placido et quum turbato mari vehitur: tunc admirante nullo illaudatus, inglorius subit portum; at quum stridunt funes, curvatur arbor, gubernacula gemunt, tunc ille clarus et
5 diis maris proximus. Cur haec? Quia visus es mihi in scriptis meis adnotasse quaedam ut tumida, quae ego sublimia; ut improba, quae ego audentia; ut nimia, quae ego plena arbitrabar. Plurimum autem refert, reprehendenda adnotes,
6 an insignia. Omnis enim advertit, quod eminet et exstat; sed acri intentione diiudicandum est, immodicum sit an grande, altum an enorme. Atque ut Homerum potissimum attingam, quem tandem alterutram in partem potest fugere,

— — βράχε δ' εὐρεῖα χθὼν,
Ἀμφὶ δὲ σάλπιγξεν μέγας οὐρανός.

et

— ἠέρι δ' ἔγχος ἐκέκλιτο — —

diis maris) Praeter Neptunum, Aeolumque, in primis Castori et Polluci, qui θεοὶ σωτῆρες ideo dicti, in inscriptione Phari Aegyptiae; tum Palaemoni forte, seu Melicertae etc. *G.*

6 *Omnis enim*) Si retinere lubet scriptionem hanc librorum forte omnium: certe illud tenendum, quod iam Gronovius hic monuit, esse accusativum pluralem. Constructio similis et significatio verbi *adverto* est 1, 10, 5. Cortius reposuit *omnes*. *G.*

βράχε δ'). Il. φ, 387. quem ipsum versum olim et recentiori aetate varia iudicia expertum videre licet ex Clarkii adnotatione, qui hanc versionem probasse videtur: *Remugiit lata tellus, Circumque clangorem reddidit magnum caelum* *G.*

ἠέρι δ' ἔγχος) Il. ε, 356. Qua in re insit audacia et periculum huius formulae, non facile intelliget, si quis solam versionem consulet, quae etiam in Clarkiana editione sic habet, *caligine hasta* Martis pugnam spectantis *erat abdita.* Sic enim nihil aliud, quam hoc intelligitur, Martem videri potuisse ipsum, hastam ipsius et equos videri non potuisse: ἠέρι δ' ἔγχος ἐκέκλιτο καὶ ταχέ' ἵππω. Et praeivit his interpretibus scholiorum minorum auctor. Verum non hoc dicit poeta, sed ait, *in aëre reclinatam fuisse hastam et equos:* ubi primum illud audacissimum, quod *in aëre reclinatam dicit hastam.* Ubi igitur? aut quid eam tanquam paries retinuit? Nempe aeria etiam erat hasta, aut fumo poëtico consians. Deinde et illud notat Eustathius, audacter eodem verbo hastam et equos comprehendi etc. Prius monuisse ad Plinium intelligendum opus erat. *Plinii enim etiam hunc locum putamus, revocatum a Cortio, licet absit a plerisque editis. *G.*

Errat Gesnerus de hasta aëria fumoque poëtico cogitans. Melius Gierigius: „Immo hoc vole-

et totum illud,

Ὡς δ' ὅτε χείμαῤῥοι ποταμοὶ κατ' ὄρεσφι ῥέοντες,

Ἐς μισγάγκειαν συμβάλλετον ὄμβριμον ὕδωρ.

Sed opus est examine et libra, incredibilia sint 7
haec et immania, an magnifica et caelestia. Nec
nunc ego me his similia aut dixisse aut posse di-
cere puto. Non ita insanio: sed hoc intelligi vo-
lo, laxandos esse eloquentiae frenos, nec angustis-
simo gyro ingeniorum impetus refringendos. At 8
enim alia conditio oratorum, alia poëtarum. Quasi
vero M. Tullius minus audeat. Quamquam hunc
omitto: neque enim ambigi puto. Sed Demo-
sthenes ipse, ille norma oratoris et regula, num
se cohibet et comprimit, quum dicit illa notissi-
ma? Ἄνθρωποι μιαροὶ καὶ κόλακες καὶ ἀλάστορες.
Et rursus: Οὐ γὰρ λίθοις ἐτείχισα τὴν πόλιν, οὐδὲ
πλίνθοις ἐγώ. Et statim: Οὐκ ἐκ μὲν θαλάττης
τὴν Εὔβοιαν προὐβαλόμην ἐγὼ πρὸ τῆς Ἀττικῆς;

„bat Homerus: Hasta circumdata „erat nube. Haec nubes ei quasi „paries videbatur; hinc audaci „tropo dixit: hasta reclinata erat „nubi. Hoc ipsum spectavit Pli-„nius." Ceterum cur locus hic in libris exciderit, caussa in propatulo est: duplex enim *et* fefellit oculos minus diligentes. *S.*

totum illud) Il. δ, 452. in quibus τραχυφωνίαν μιμητικὴν τῶν πραγμάτων laudat Eustathius, et jam expenderat Dionysius Halic. περὶ συνθέσ. c. 16. apud quem ita vertitur: *Non secus hiberni summis de montibus amnes Permistas volvunt plenis convallibus undas.* G.

8 *ipse; ille*) Melius: *ipse ille*. *S.*

Ἄνθρωποι μιαροὶ) Circa hunc, et qui sequuntur in hac epistola locos Demosthenis eandem veniam rogo lectores, et impetraturum me confido, quam ceteri, qui in eo adhuc versati sunt. Fieri non potest, ut vim eorum, et id ipsum, propter quod laudavit illos Secundus, aliquis adsequatur, nisi Demosthenem paene totum, statum reipublicae, personas, et consilium omne orationum harum cognoverit. Istam disputationem vero non capiunt adnotationes, quales iam scribimus. Qui intelligere ista volunt, ii debent malle ipsum Demosthenem, quem tanto opere hic etiam commendat Secundus, cognoscere: alioquin frustra illos iudicare de talibus doceas. Huc vel maxime pertinet illud sublimitatis magistri, f. 6. Ἡ τῶν λόγων κρίσις πολλῆς ἐστι πείρας τελευταῖον ἐπιγέννημα. G.

Ἄνθρωποι — ἀλάστορες, Demosthenes p. 324. 20. Reisk. *S.*

Οὐ γὰρ - ἐγώ) ibid. p. 325. 22. *S.*

Οὐκ ἐκ μὲν — δυνατόν) Varia hic miscentur, librariorum, opinor, negligentiâ, non ipsius Plinii. Conf. Demosth. p. 325. 27. p. 326. 8. *S.*

(ὅσον ἦν ἀνθρωπίνῳ λογισμῷ δυνατόν.) Et alibi: Ἐγὼ δὲ οἶμαι μὲν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, νὴ τοὺς θεοὺς, ἐκεῖ-
9 νον μεθύειν τῷ μεγέθει τῶν πεπραγμένων. Iam quid audentius illo pulcherrimo ac longiſſimo exceſſu? Νόσημα γάρ. Quid haec, breviora ſuperioribus, ſed audacia paria? Τότε ἐγὼ μὲν τῷ Πύθωνι θρασυνομένῳ καὶ πολλῷ ῥέοντι καθ᾽ ὑμῶν. Ex eadem nota: Ὅταν δὲ ἐκ πλεονεξίας καὶ πονηρίας τις, ὥσπερ οὗτος, ἰσχύσῃ, ἡ πρώτη πρόφασις καὶ μικρὸν πταῖσμα ἅπαντα ἀνεχαίτισε καὶ διέλυσε. Simile his: Ἀπεσχοινισμένος ἅπασι τοῖς ἐν τῇ πόλει δικαίοις, γνώσεσι τριῶν δικαστηρίων. Et ibidem: Σὺ τὸν εἰς ταῦτα ἔλεον προὔδωκας, Ἀριστόγειτον, μᾶλλον δὲ ἀνῄρηκας ὅλως. μὴ δὴ, πρὸς οὓς αὐτὸς ἐξέκλωκας λιμένας, καὶ προσβολῶν ἐνέπλησας, πρὸς τούτους ὁρμίζου. Et dixerat: Δέδοικα, μὴ δόξητέ τισι τὸν ἀεὶ βουλόμενον εἶναι πονηρὸν τῶν ἐν τῇ πόλει παιδοτριβεῖν. ἀσθενὴς μὲν γάρ ἐστι πᾶς ὁ πονηρὸς καθ᾽ ἑαυτόν. Et deinceps: Τούτῳ δ᾽ οὐδένα ὁρῶ τῶν τόπων τούτων βάσιμον ὄντα, ἀλλὰ πάντα ἀπόκρημνα, φάραγγας, βάραθρα. Nec ſatis: Οὐδὲ γὰρ τοὺς προγόνους ὑπολαμβάνω τὰ δικαστήρια ταῦτα οἰκοδομῆσαι, ἵνα τοὺς τοιούτους ἐν αὐτοῖς μοσχεύητε, ἀλλὰ τοὐναντίον, ἵν᾽ ἀνείργητε, καὶ κολάζητε, καὶ μηδεὶς ζηλοῖ, μηδ᾽ ἐπιθυμῇ κακίας. Adhuc: Εἰ δὲ κάπηλός ἐστι πονηρίας, καὶ παλιγκάπηλος, καὶ μεταβολεύς. Et mille talia; ut praeteream quae ab Aeſchine θαύματα, non ῥήματα, vo-
10 cantur. In contrarium incidi. Dices, hunc quo-

Ἐγὼ δὲ — πεπραγμένων) Demoſth. p. 54. 8. *S.*

9 Νόσημα γάρ) Idem p. 424. 3. *S.*

Τότε ἐγὼ — ὑμῶν) p. 272. 19. *S.*

Ex eadem nota) Hoc eſt eiusdem generis, ut vinum primae aut alterius *notae* eſſe dicitur. *G.*

Ὅταν δὲ ἐκ — διέλυσε) Idem p. 20. 25. *S.*

Ἀπεσχοινισμένος — δικαστηρίων) p. 778. 16. *S.*

Σὺ τὸν — ὁρμίζου) p. 796. 12. cum lectionis varietate, unde Pliniana corrigenda. *S.*

Δέδοικα — ἑαυτόν) p. 771. 25. *S.*

Τούτῳ — βάραθρα) p. 793. 4. *S.*

Οὐδὲ γὰρ — κακίας) p. 785. 2. *S.*

Εἰ δὲ — μεταβολεύς) p. 784. 7. *S.*

θαύματα, non ῥήματα) Aeſchine, p. 557. Reisk. *S.*

10 *In contrarium)* Dum obiter Aeſchinis dictum profero, qui

que ob iſta culpari. Sed vide, quanto maior ſit,
qui reprehenditur, ipſo reprehendente; et maior
ob haec quoque. In aliis enim vis, in his gran- 11
ditas eius elucet. Num autem Aeſchines ipſe iis,
quae ab Demoſthene carpebat, abſtinuit? Χρὴ
γὰρ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τὸ αὐτὸ φθέγγεσθαι τὸν
ῥήτορα καὶ τὸν νόμον· ὅταν δ' ἑτέραν μὲν φωνὴν
ἀφιῇ ὁ νόμος, ἑτέραν δὲ ὁ ῥήτωρ, τῷ τοῦ νόμου δι-
καίῳ χρὴ διδόναι τὴν ψῆφον, οὐ τῇ τοῦ λέγοντος
ἀναισχυντίᾳ. Alio loco: Ἔπειτα ἀναφαίνεται περὶ
πάντων ἐν τῷ ψηφίσματι πρὸς τῷ κλέμματι γρά-
ψας, τὰ πέντε τάλαντα τοὺς πρέσβεις ἀξιῶν τοὺς
Ὠρείτας μὴ ἡμῖν, ἀλλὰ Καλλίᾳ διδόναι. ὅτι δὲ ἀλη-
θῆ λέγω, ἀφελὼν τὸν κόμπον, καὶ τὰς τριήρεις, καὶ
τὴν ἀλαζονείαν ἐκ τοῦ ψηφίσματος, ἀνάγνωθι. Ite-
rum alio: Καὶ μὴ ἐᾶτε αὐτὸν εἰς τοὺς τοῦ παρανό-
μου λόγους περιΐστασθαι. Quod adeo probavit, ut
repetat: Ἀλλὰ ἐγκαθήμενοι καὶ ἐνεδρεύοντες ἐν τῇ
ἐκκλησίᾳ εἰσελαύνετε αὐτὸν εἰς τοὺς τοῦ παρανόμου
λόγους, καὶ τὰς ἐκτροπὰς αὐτοῦ τῶν λόγων ἐπιτη-
ρεῖτε. An illa cuſtoditius preſſiusque? Σὺ δὲ ἑλ- 12
κοποιεῖς, καὶ μᾶλλόν σοι μέλει τῶν αὐθημέρων λόγων,
ἢ τῆς σωτηρίας τῆς πόλεως. Altius illa: Οὐκ ἀπο-
πέμψεσθε τὸν ἄνθρωπον ὡς κοινὴν τῶν Ἑλλήνων συμ-
φορὰν, ἢ συλλαβόντες ὡς λῃστὴν τῶν πραγμάτων διὰ
τῆς πολιτείας πλέοντα τιμωρήσεσθε; et alia. Ex- 13
ſpecto, ut quaedam ex hac epiſtola, ut illud,
gubernacula gemunt, et *diis maris proximus*, iis-
dem notis, quibus ea, de quibus ſcribo, confo-

θαύματα vocavit audaciora illa Demoſthenis, quorum prolata adhuc ſunt ſpecimina; incidi in aliquid, quod contrarium eſt meae ſententiae, cum hoc ipſo verbo Aeſchines reprehendendi cauſſa hoc nomine uſus ſit. *G.*

11 *ab Demoſthene*) Cortius, nulla notata varietate lectionis, *in Demoſthene*. idque verum puto. *S.*

Χρὴ — ἀναισχυντίᾳ) Aeſchines p. 404. *S.*

Ἔπειτα — ἀνάγνωθι) p. 492. *S.*

Καὶ μὴ — περιΐστασθαι) p. 595. *S.*

Ἀλλὰ — ἐπιτηρεῖτε) p. 596. *S.*

12 Σὺ — πόλεως) p. 599. *S.*

Οὐκ — τιμωρήσεσθε;) p. 644. *S.*

13 *gubernacula gemunt*) ſupra ſ. 4. *G.*

dias. Intelligo enim me, dum veniam prioribus peto, in illa ipſa, quae adnotaveras, incidiſſe. Sed confodias licet, dummodo iam nunc deſtines diem, quo et de illis et de his coram exigere poſſimus. Aut enim tu me timidum, aut ego te temerarium faciam. Vale.

XXVII.

Hiſtoriae reverentiam haberi, exemplo monſtrat.

C. PLINIVS LATERANO SVO S.

Quanta poteſtas, quanta dignitas, quanta maieſtas, quantum denique numen ſit hiſtoriae, cum frequenter alias, tum proxime ſenſi. Recitaverat quidam veriſſimum librum, partemque eius in alium diem reſervaverat: ecce amici cuiusdam
2 orantes obſecrantesque, ne reliqua recitaret. Tantus audiendi quae fecerint, pudor, quibus nullus faciendi, quae audire erubeſcunt. Et ille quidem praeſtitit, quod rogabatur: ſinebat fides. Liber tamen, ut factum ipſum, manet, manebit, legeturque ſemper, tanto magis, quia non ſtatim. Incitantur enim homines ad agnoſcenda, quae differuntur. Vale.

XXVIII.

Tribus epiſtolis reſpondet: quartam, curioſius ſcriptam, accepiſſe ſe negat.

C. PLINIVS ROMANO SVO S.

Poſt longum tempus epiſtolas tuas, ſed tres pariter recepi, omnes elegantiſſimas, amantiſſimas,

exigere poſſimus) Peculiaris verbi notio, in qua non illam modo vim habet, a qua *examen* quaſi *exagmen* dictum eſt; ſed illam quoque, ubi eſt *ad finem agere*, perficere, qualis eſt in *exſequi*, *exaedificare* etc. Vid. 5, 12, 3. et de illa *examinis* ſignificatione ad Quintil 6. 5. 5. G.

XXVII, 2 *agnoſcenda*) Excerpta Brummeri *cognoſcenda*. quod malim. S.

et quales a te venire, praeſertim deſideratas, oportebat: quarum una iniungis mihi iucundiſſimum miniſterium, ut ad Plotinam, ſanctiſſimam feminam, literae tuae perferantur: perferentur. Ea- 2
dem commendas Popilium Artemiſium: ſtatim praeſtiti, quod petebat. Indicas etiam, modicas te vindemias collegiſſe. Communis haec mihi tecum, quamquam in diverſiſſima parte terrarum, querela eſt. Altera epiſtola nuntias, multa te 3
nunc dictare, nunc ſcribere, quibus nos tibi repraeſentes. Gratias ago: agerem magis, ſi me illa ipſa, quae ſcribis aut dictas, legere voluiſſes. Et erat aequum, ut te mea, ita me tua ſcripta cognoſcere, etiamſi ad alium, quam ad me pertinerent. Polliceris in fine, quum certius de vi- 4
tae noſtrae ordinatione aliquid audieris, futurum te fugitivum rei familiaris, ſtatimque ad nos evolaturum, qui iam tibi compedes nectimus, quas perfringere nullo modo poſſis. Tertia epiſtola 5
continebat, eſſe tibi redditam orationem pro Clario, eamque viſam uberiorem, quam dicente me, audiente te, fuerit. Eſt uberior: multa enim poſtea inſerui. Adiicis, alias te literas curioſius ſcriptas miſiſſe: an acceperim, quaeris: non accepi, et accipere geſtio. Proinde prima quaque occaſione mitte, appoſitis quidem uſuris, quas ego (num parcius poſſum?) centeſimas computabo. Vale.

XXVIII, 1 *Plotinam, ſanctiſſimam feminam)* Hoc eam titulo mactat, non tantum propter auguſtum coniugium Traiani; ſed propter mores, quos Paneg. 83, 5. ſq. etiam laudat. G.

3 *tibi repraeſentes)* Non tantum, nobiſcum tanquam cum praeſentibus agas, inter ſtudendum, recitandum de nobis cogites: ſed maxime de nobis vel ad nos aliquid ſcribas, atque praeſentem adeo animo tuo et cogitationi me habeas. Hoc poſtulant aperte ultima huius ſegmenti verba. G.

4 *qui iam tibi — poſſis)* His verbis continetur reſponſum ad partem epiſtolae Virginii Romani. Scripſerat ille, *ſe evolaturum* ad Plinium. Hic, ſe iam vincula ei et *compedes nectere*, h. e., excogitare varias cauſſas, ferias, iocoſas, voluptates, negotia, quibus hoſpitem ita carum quam diutiſſime apud ſe retineat. G.

5 *centeſimas computabo)* Uſurae maximae, unus de centum in

XXIX.

Diffisus perfectioni in uno scribendi genere, se vario, merendae veniae caussa, exercet.

C. PLINIVS RVSTICO SVO S.

Ut satius, unum aliquid insigniter, quam facere plurima mediocriter; ita plurima mediocriter, si non possis unum aliquid insigniter. Quod intuens ego, variis me studiorum generibus, nulli
2 satis confisus, experior. Proinde quum hoc vel illud leges, ita singulis veniam, ut non singulis, dabis. An ceteris artibus excusatio in numero, literis durior lex, in quibus difficilior effectus est? Quid autem ego de venia quasi ingratus? Nam si ea facilitate haec proxima acceperis, qua priora, laus potius speranda, quam venia obsecranda est. Mihi tamen venia sufficit. Vale.

XXX.

Quae vera liberalitas sit, docet.

C. PLINIVS GEMINIO SVO S.

Laudas mihi, et frequenter praesens, et nunc per

singulos menses, adeoque, ut nunc loquimur, *XII per centum:* sed non parcius potest aestimare Plinius damnum, quod facit ex dilatione iucunditatis speratae ex literis amici, itaque *computaturum* h. e. imputaturum et proinde exacturum se dicit usuras, quae maximae sunt inter legitimas. *G.*

XXIX, 2 *ut non singulis*) Cortius: „Sic de uno opere indicabis, ut reputes non esse unicum, sed plura me scripsisse, ut vel propter numerum me excusatum habeas, si singula non sint perfectissima." *S.*

excusatio in numero) Ut, quanto plures delibavit, tanto minus in singulis ab eo exspectetur. Ceterum illud facile intelligitur, plures esse eius rei, de qua hic disputatur, gradus: *a)* plurima insigniter; *b* unum vel pauca insigniter, multa mediocriter; *c*) multa mediocriter, nihil insigniter; *d*) unum insigniter, cetera ne mediocriter quidem: quamquam, si illud unum sit praeclarum quiddam, possis illi etiam priorem locum assignare; *e*) unum mediocriter, cetera ne mediocriter quidem etc. *G.*

Rectius cum Gierigio sic intelligas: An ceterarum artium peritis, si parum effecerunt, excusatio in numero operum, literatis durior lex? *S.*

epiſtolas, Nonium tuum, quod ſit liberalis in
quosdam: et ipſe laudo, ſi tamen non in hos ſo-
los. Volo enim eum, qui ſit vere liberalis, tri-
buere patriae, propinquis, adſinibus, amicis, ſed
amicis dico pauperibus: non ut iſti, qui iis potiſ-
ſimum donant, qui donare maxime poſſunt. Hos 2
ego viſcatis hamatisque muneribus non ſua pro-
mere puto, ſed aliena corripere. Sunt ingenio
ſimili, qui quod huic donant, auferunt illi, fa-
mamque liberalitatis avaritia petunt. Primum eſt 3
autem, ſuo eſſe contentum: deinde, quos praeci-
pue ſcias indigere, ſuſtentantem foventemque,
orbe quodam ſocietatis ambire. Quae cuncta ſi
facit iſte, usquequaque laudandus eſt: ſi unum
aliquod, minus quidem, laudandus tamen. Tam 4
rarum eſt etiam imperfectae liberalitatis exemplar.
Ea invaſit homines habendi cupido, ut poſſideri
magis, quam poſſidere videantur. Vale.

XXXI.

Laudat illius librum, et laudatus in eo ipſe, gratias agit.

C. PLINIVS SARDO SVO S.

Poſtquam a te receſſi, non minus tecum, quam quum apud te, fui. Legi enim librum tuum, iden-

XXX, 1 *Nonium)* Quod *Liberalem* ſe *Nonium* legiſſe ait Cataneus in monimentis Brixianorum, puto pertinere ad inſcriptionem, quam *Brixiae* deſcriptam refert Gruterus p. 828, 8. SILVANIAE FLORAE NONIVS LIBERALIS CONIVGI. Eſt igitur proprium; quid ſi ex huius noſtri virtute ortum? *G.*

in hos ſolos) *Sic coniecerat Caſaubonus, ſic Boxhornius dedit, et Cellarius. Alii *in nos ſolos.* Sunt etiam qui legant *ſit tamen non* etc. facili errore librariorum, primam ſequentis ſyllabae priori etiam adſcribentium. *G.*

2 *viſcatis hamatisque)* Vid. Paneg. 43. 5. *G.*

4 *poſſideri)* Non ipſi poteſtatem habere rerum ſuarum, ſed in poteſtate aliena eſſe, atque adeo a cupiditate tuendae augendaeque rei familiaris teneri, ut ne *liberi* quidem, nedum *liberales* ſint. Convenit huc Diogenis illud, *ἔχω τὴν Λαΐδα, οὐκ ἔχομαι.* Pluscula praebet Cortius ad Salluſtii Iug. 2, 3. ubi *animus* noſter *agit atque habet cuncta, neque ipſe habetur. G.*

tidem repetens ea maxime (non enim mentiar) quae de me scripsisti. In quibus quidem percopiosus fuisti. Quam multa, quam varia, quam non eadem de eodem, nec tamen diversa, dixisti?
2 Laudem pariter et gratias agam? Neutrum satis possum, et, si possem, timerem, ne arrogans esset, ob ea laudare, ob quae gratias agerem. Unum illud addam, omnia mihi tanto laudabiliora visa, quanto iucundiora; et tanto iucundiora, quanto laudabiliora erant. Vale.

XXXII.

Quid agat amicus, quaerit: et delicatum otium suum festive narrat.

C. PLINIVS TITIANO SVO S.

Quid agis? quid acturus es? Ipse vitam iucundissimam, id est otiosissimam, vivo. Quo fit, ut scribere longiores epistolas nolim, velim legere: illud, tanquam delicatus; hoc, tanquam otiosus. Nihil est enim aut pigrius delicatis, aut curiosius otiosis. Vale.

XXXIII.

Mira de Hipponensi delphino narrat.

C. PLINIVS CANINIO SVO S.

Incidi in materiam veram, sed simillimam fictae, dignamque isto laetissimo, altissimo, planeque

XXXI, 2 *ne arrogans esset*) Viderer enim tanquam rem laude dignam extollere secundum illud et benevolum tuum de me iudicium; idque ea ipse re probare, et agnoscere. Quae sequuntur, ita intelligo: illud ipsum laudabile in libro tuo puto, quod ita iucunde potuisti scribere, ita suaviter laudare. Vicissim illud multum auxit iucunditatem, quam ex libro tuo percepi, quod gaudebam amicum ita in illo versatum, laudem ut mereretur. *G.*

XXXIII, 1 *isto*) quod in te est. Plinius 4, 30, 1. *Attuli tibi ex patria mea pro munusculo quaestionem, altissima ista*

poëtico ingenio. Incidi autem, dum fuper coe-
nam varia miracula hinc inde referuntur. Magna
auctoris fides: tametfi quid poëtae cum fide? Is
tamen auctor, cui bene vel hiftoriam fcripturus
credidiffes. Eft in Africa Hipponenfis colonia, ma- 2
ri proxima: adiacet ei navigabile ftagnum, ex
quo, in modum fluminis, aeftuarium emergit,
quod vice alterna, prout aeftus aut repreffit, aut
impulit, nunc infertur mari, nunc redditur fta-
gno. Omnis hic aetas pifcandi, navigandi, atque 3
etiam natandi ftudio tenetur: maxime pueri, quos
otium ludusque follicitat. His gloria et virtus
altiffime provehi: victor ille, qui longiffime, ut
litus, ita fimul nantes, reliquit. Hoc certamine 4
puer quidam, audentior ceteris, in ulteriora ten-
debat. Delphinus occurrit, et nunc praecedere
puerum, nunc fequi, nunc circuire, poftremo
fubire, deponere, iterum fubire, trepidantemque
perferre primum in altum: mox flectit ad litus,
redditque terrae et aequalibus. Serpit per colo- 5
niam fama: concurrere omnes, ipfum puerum
tanquam miraculum adfpicere, interrogare, audi-
re, narrare. Poftero die obfident litus, profpe-
ctant mare, et fi quid eft mari fimile. Natant
pueri: inter hos ille, fed cautius. Delphinus
rurfus ad tempus, rurfus ad puerum venit. Fu-
git ille cum ceteris. Delphinus, quafi invitet,

eruditione digniffimam. ubi vid. Gesner. et Heufinger. *S.*

poëtico ingenio) (Quod defcribit 8, 4. pr. *G.*

Magna auctoris fides) Cur non nominat avunculum fuum, qui narrat 9. 8. f. 8? ubi plures id genus delphini amatores hominum. Similis etiam, quam ex Apione narrat Gellius 7, 8. *G.*

2 *adiacet — ex quo)* Cort. *adiacet navigabile ftagnum: ex hoc.* placet. Sic enim narratio vividior. *S.*

4 *ulteriora)* non ftagni, puto, fed maris; remotiora a litore, a terra. *S.*

5 *fi quid eft mari fimile)* Confueta figura *fi quid* pofuit pro relativo *quod* vel *quidquid*, non ipfum tantum mare, fed illud ftagnum cum fuo Euripo, quo mare inferri referrique modo dixit. *G.*

Vera videtur Cortii coniectura: *ecquid e mari fimile.* *S.*

invitet, revocet Cortius et Gierigius: *invitet et revocet.* bene. *S.*

revocet, exſilit, mergitur, varioſque orbes impli-
6 citat expeditque. Hoc altero die, hoc tertio,
hoc pluribus, donec homines, innutritos mari,
ſubiret timendi pudor. Accedunt, et adludunt,
et appellant: tangunt etiam, pertrectantque prae-
bentem. Creſcit audacia experimento. Maxime
puer, qui primus expertus eſt, adnatat natanti,
inſilit tergo: fertur referturque, agnoſci ſe, ama-
ri putat, amat ipſe: neuter timet, neuter time-
tur: huius fiducia, manſuetudo illius augetur.
7 Nec non alii pueri dextra laevaque ſimul eunt
hortantes monentesque. Ibat una (id quoque mi-
rum) delphinus alius, tantum ſpectator et comes.
Nihil enim ſimile aut faciebat, aut patiebatur:
ſed alterum illum ducebat, reducebat, ut puerum
8 ceteri pueri. Incredibile (tam verum tamen quam
priora) delphinum geſtatorem colluſoremque pue-
rorum in terram quoque extrahi ſolitum, arenis-
que ſiccatum, ubi incaluiſſet, in mare revolvi.
9 Conſtat Octavium Avitum, legatum proconſulis, in
litus educto religione prava ſuperfudiſſe unguen-

implicitat expeditque) Hoc vult, non continuaſſe eundem motum circularem, ſed quem primo feciſſet orbem, illum converſo corpore deinde remenſum: ut canes, cum laſciviunt, aliaque animalia facere videmus. *G.*

6 *appellant)* *Simonem* vocant. Maior Plinius 9, 8. ſ. 7. *Roſtrum* delphinis *ſimum: qua de cauſſa nomen Simonis omnes miro modo agnoſcunt, maluntque ita appellari.* Si quis ſeverius agere cum viro erudito velit, poſſit ipſi tribuere hanc ſententiam, quaſi putaſſet, *a)* conſcios ſibi eſſe delphinos illius conformationis roſtri ſui: *b)* noſſe, hanc conformationem nomine *Simonis* declarari: *c)* illam ſibi conformationem pulchram, et materiam laudis videri. Satis, credo, fuerit illis qualemcunque blanditiarum et plauſus alieni ſenſum, ut equis, canibus, pavonibus, tribuere. *G.*

8 *in terram — extrahi)* Iam alias obſervavimus, quae ex Ovidii Ep. Herus ad Leand. 201. adferuntur, ut oſtendatur, quam incredibilis haec ſit narratio, *Quem poſtquam bibulis illiſit fluctus arenis, Unda ſimul miſerum vitaque deſeruit;* ea partem ſomnii eſſe, non ad hiſtoriam animalis huius pertinere: pluribus autem obſervatum apud Plin. mai. l. c. legendum, *Solent in terram erumpere incerta de cauſſa, nec* (non *et) ſtatim tellure tacta moriuntur.* G.

9 *Octavium Avitum)* Maior Plinius Flavianum legatum proconſulis [immo proconſulem. *S.*] nominat: forte ambo una fuere. *G.*

ſuperfudiſſe unguentum) Quod honoris genus habebant anima-

tum, cuius illum novitatem odoremque in altum
refugiſſe: nec niſi poſt multos dies viſum langui-
dum et moeſtum; mox, redditis viribus, priorem
laſciviam et ſolita miniſteria repetiſſe. Conflue- 10
bant ad ſpectaculum omnes magiſtratus, quorum
adventu, et mora, modica res publica novis ſum-
tibus atterebatur. Poſtremo locus ipſe quietem
ſuam ſecretumque perdebat. Placuit occulte in-
terfici, ad quod coibatur. Haec tu qua miſera- 11
tione, qua copia deflebis, ornabis, attolles! Quam-
quam non eſt opus adfingas aliquid aut adſtruas:
ſufficit, ne ea, quae ſunt vera, minuantur. Vale.

libus, quae libera dimitterent, hirundinibus, equis, elephantis. Vide eruditiſſimam obſervationem Caſauboni ad Sueton. Caeſ. 81. ubi nec huius delphini obliviſcitur. *G.*

De illo honore hic non cogitandum, ſed, ut ipſe Plinius ait, religione motus Avitus, quod τοῦ θείου aliquid in delphino repeiſſe ſibi videretur, eum unguento perfudit. Veriſſime Geſnerus in carmine: *Hoc in piſce deos ſibi placaturus Avitus Naribus affundit croceos nardique liquores.* *S.*

10 *modica res publica*) Reditus publici Hipponenſium iam ante modici ac tenues: *res publica* hic dicitur ut *res familiaris*, ut *rem facere.* Qui vel ita interpungunt, ut *mora modica* iungantur, vel *Reſp.* ſcribunt, non videntur hanc ſententiam ſpectaſſe, quae, niſi fallimur, unice vera eſt. *G.*

11 *Haec tu qua miſeratione*) Poëtam Caninium alloquitur, cui nimirum ob id ipſum hanc narravit hiſtoriam, ut materiem carmini praeberet. Utrum fecerit Caninius, non dixerim: me certe excitavit Secundus, ut hoc ſumerem ante XII annos argumentum carminis, quo honorem haberem veteri meo et literarum omnium in Vinarienſi aula Patrono, cui mitem ſenectutem et beatum in rure ſuo, in quod receſſit, otium, ex animi ſententia precor. Licetne illud huc attexere? Et ponamus, monumentum non tam qualiscunque ingenii, quod ad tales ludos paullatim, ut par eſt, obdureſcit, quam aeternae in virum, immortaliter de nobis meritum, pietatis. Hoc monumentum tibi, Plini Secunde, qui ſimiles MARSCHALLI mei, et tui ipſius viros vivus complectebare, colebas mortuos, ad omnes poſteros ſervandum commendamus.

Eſt autem illud carmen, cuius aliquot ſimilia olim nobis nata ſunt. Et erunt forte amici quidam, quibus hunc libellum donabimus, ita blandi, ut rogent ea colligi, quibus deinde obtemperatum, in praefatione gloriari modeſte poſſimus: Satisne probavi me poëtam? an melius, quam ipſo carmine? *G.*

DELPHINVS PLINIANVS

ILLVSTRISSIMO HEROI

FRIDERICO GOTTHILF MARSCHALLO

GRYPHO

IN STRENAE VICEM OBLATVS VINARIAE

KAL. IANVAR. A. CIƆIƆCCCXXVII

A

I. M. G.

Hoc unum, MARSCHALLE, tuis tibi deerat in hortis,
Fons ſalientis aquae, Nymphis ſedesque iocusque.
Hoc etiam, tua cura tibi, an fortuna? paravit.
Qua puros capiunt paſſo ſpecularia ſoles
In lunam falcata ſinu, qua maximus aeſtus,
Exoritur iam dulce ſitisque aeſtusque levamen:
Lympha ſalit labro recidens excepta capaci.
An patiere, alto qui munera pectore ſpernis,
Piſcis ut his in aquis noſtro tibi munere ludat?
Accipe, quem priſci commendat gratia ſaecli,
Quique inſtar ſaecli vel ſolus, Plinius ille,
Traiani decus, atque ſui laus unica Comi,
Quem primum laudet, cui non ignotus uterque,
Si tibi ſit ſimilis priſco revocandus ab aevo.
Nec metus, ut labri delphinum anguſtia magnum
Terreat: ille per arentes te luctus arenas,
Ille per et montes, et per ſtabula alta ferarum,
Ingentem pietate virum pius ipſe ſequatur.
Monſtrorum genitrix terra Afra, Diarrhytos Hippo
Qua colitur miſſis Roma de matre colonis,
Humani ah! nimium vidit miracula piſcis.
Imminet urbs ſtagno. hoc vicino e gurgite ponti,
(Euripus qualis fluctus vomit atque reſorbet)
Hauritque infuſas urgentibus aeſtibus undas,
Eructatque ſuum pelago reſidente liquorem.
Navigat hic omnis populus, varioque natatu
Neptuni pecus exagitat. dubitaveris, alti
Imperiumne Iovis, ſceptra an fraterna ſequantur?
Non canibus matres hic iraſcuntur equisve,
Non trochus exercet, non pulverulenta palaeſtra,
Non curſus, pueros: mare ſumma et ſola voluptas.
Exſuperat tam quisque alios, quanto altius aequor
Ingreſſus, litusque ſimul nantesque reliquit.
Huius amore puer reliquis audentior unus
Accenſus palmae, quae meta ſuprema laborum
Illum erat ante diem, proferre interritus audet,
Ipſamque ingreditur Neptuni fervidus aulam.

Nec tamen haec bilem moviſſe audacia regi
Creditur. en cara in primis de gente ſatelles
Occurrit puero delphinus, et accipit ultro
Advenientem: et iam videas praeire ſequentem,
Pergentemque ſequi, gyros iam ducere circum,
Iamque ſubire pedes, equitandaque ſubdere terga,
Ponere iam trepidum novitate, iterumque ſubire,
Inque altum ferre, et veſtigia flectere retro,
Ludentumque gregi laeto ſic reddere tandem.
Fama exit, non eſt tota vulgatior urbe
Fabula, confertumque videt lux altera litus,
Spectatum veniunt matres, veniuntque puellae.
Eſt, quae delphinum obtendat, lectura tot inter
Egregios iuvenes praeſtanti corpore amicum.
Confeſtim redit ad certamina nota iuventus.
Delphini puer at vector diſcedere turba
Cunctatur, fidei incertus, cautusque pericli,
Et pavidae parens genitrici. piſcis ad horam
Praeſto eſt, et puerum curſu deſignat: at ille
Cum reliquis celeri repetit ſua litora planta.
Delphinus ſequitur rapido non ille volatu,
Quo, quando urgetur per Gallica *) retia mugil,
Verum invitanti ſimilis nutuque vocanti.
Exſilit hinc, et mergitur hinc, varioque natatu
Spumeus implicitat crebros atque expedit orbes.
Qualis ubi tenerae Melitaea gente catellus
Alludit dominae, refugitque, venitque, caditque,
Et revolutus humi ſubito emicat, atque laceſſit
Dentibus innocuis veſtem, latratibus aures.
Vel qualis, iuvenes quando facilesque puellae
Lulibus ingenuis campo viridante caleſcunt,
Malo blanda petit iuvenem Galatea, fugitque
Illa quidem celeri pede, ſed deprendier optat:
Itque reditque viam, atque ultro ſe amplexibus offert,
Quos vario cupit anfractu ſugiſſe videri:
Talia delphinus puerum pertentat amatum.
Verum hic laetitiae medius, mediusque timoris
Blanditias ſentit, ſed reſpondere veretur.
Viderat ille cani quondam colludere hyaenam,
Sed luſus inter medios in devia raptum.
Omnia vincit amor; timor hic conceſſit amori.
Accedit venienti, alludit voce manuque,
Simonem appellans, et ſquamea tergora mulcens.
Adnatat, inſilit in tergum, ferturque referturque,
Agnoſci credit ſe, credit amari, amat ipſe:
Inſidias neuter metuit, fiducia creſcit
Alterius tantum, quanto eſt manſuetior alter.
Nec non et reliqui dextra pueri atque ſiniſtra
Vectorem comitantur, iter clamore frequentant:
Heus age dextrorſum frenis inflecte caballum,
Heus nunc ſiſte gradum, nunc nunc calcaribus urge.
Verum et delphino ſuus eſt comes alter; it una
Spectator ludi, non pars, comitatur euntem,

---

*) Plin. H. N. 9, 8. ſ. 9.

XXXIV.

Consulit, num versus, quos male legere dicatur, ipse pergat recitare, an liberto legendos tradat.

C. PLINIVS TRANQVILLO SVO S.

Explica aestum meum. Audio, me male legere, dumtaxat versus: orationes enim commodius, sed tanto minus versus. Cogito ergo, recitaturus fa-

Deducit reducem, sed nil paliturve facitve
Ingenium praeter piscis, moresque serinos.
Alter at in litus pueris volventibus exit,
Et iacet in siccis et cauda ludit arenis,
Inque suas pinna fervente revolvitur undas.
Prava superstitio, millenum caussa malorum,
Hos etiam ludos, grata haec spectacula turbat.
Hoc in pisce deos sibi placaturus Avitus
Naribus affundit croceos nardique liquores.
Ilicet acris odor novitate infestat et angit
Delphinum: refugit trepidans, et mergitur alto,
Nec nisi post aliquot languens emergere soles,
Offenso similis diffidentique, videtur.
Mansisses! aevo dignum pecus, inque profundis
Narrasses, animos hominum quam stulta teneret
Relligio. sua sed miserum clementia perdit.
Nam redit ad solitum, populo plaudente, theatrum,
Paullatimque prior lascivia redditur. orbem
Rumores miro crebri de pisce pererrant.
Spectatum ingenti concurritur undique turba.
Nunquam tot chlamydas, trabeas tot viderat Hippo,
Roma paludatos tot nunquam miserat illuc,
Multum, GRYPHE, tui absimiles, et munerum avaros.
Iam loca, quae tribuant cives, iam lautia desunt.
Ira in inhumanos merito concepta Quirites
Expetit in miserum, nec quidquam tale merentem.
Ne sit, quod spectare velit damnosa Quirini
Gens, in delphini coniuratur caput insons,
Tempore et obtruncant capto miseranda gementem.
Heu pietas! heu sancta fides! heu flebile fatum!
Haec erat ergo tibi pro tanto debita amore
Merces? sicne, viri, miseros tractatis amantes?
Ergo Barbariae tibi, tellus improba, nomen
Iure datum post haec merito, aeternumque manebit.
Te, delphine, mori totum vetuere Camaenae:
Tam pisces inter memorabile nomen habebis,
Quantum homines inter MARSCHALLI fama decusque
Eminet, occultoque frequens celebrabitur aevo.

XXXIV, 1 *Explica aestum meum)* Libera me sollicitudine, quae me facit incertum, quid faciam. Sic et *aestuare* dicitur. Vid. Epist. 1, 23, 3. et cf. Sallust. Catil. 23. Etiam *aestuare dubitatione* Cicero dixit Verr. Act. 2. Lib. 2. 50. *E.*

miliaribus amicis, experiri libertum meum. Hoc quoque familiare, quod elegi, non bene, ſed melius lecturum: ſi tamen non fuerit perturbatus. Eſt enim tam novus lector, quam ego poëta. Ipſe neſcio quid illo legente interim faciam, ſe- 2
deam defixus, et mutus, et ſimilis otioſo, an (ut quidam) quae pronuntiabit, murmure, oculis, manu proſequar. Sed puto, me non minus male ſaltare, quam legere. Iterum dicam, explica aeſtum meum, vereque reſcribe, num ſit melius, peſſime legere, quam iſta vel non facere, vel facere. Vale.

XXXV.

Librum ſibi miſſum, quum vacaverit, lecturum eſſe promittit: et ne diligentior amicus in retractatione ſit, monet.

C. PLINIVS APPIO SVO S.

Librum, quem miſiſti, recepi, et gratias ago:

Hoc quoque familiare) Quem ad modum familiares modo amicos ad recitationem adhibeo, ita *hoc quoque familiaritatis iure mihi arrogo*, quod non mea voce, ſed liberti uti decrevi. Elegi autem *non bene* ex omni parte lecturum, (quam non vulgarem laudem fuiſſe, ex Cornelii Attico videas 1, 3. et praeceptis Fabii 11, 3.) ſed melius tamen, quam poſſum ego, qui oratoriae actioni adſuetus, minus commode poëmata recito. 'Haec lectio antiqua male a quibusdam ſic immutata eſt, *Hic quoque ſimiliter, quem elegi, non bene; ſed melius ſcio lecturum, ſi tamen non fuerit perturbatus.* Pollit etiam in noſtra lectione illud *ſcio* retineri, ſi parentheſeos inſtar inter duo inciſa coërceamus. G.

2 *male ſaltare*) Reſpicit ad illud *manu proſequar.* Nam illa manuum apta et ad argumentum accommodata geſticulatio, proprie ſaltatio eſt. Vid. Quintil. 1, 11, 18. ſq. 1, 12, 14. 11, 3, 66. it. 89. etc. Notum eſt Ovidianum illud, *Si vox eſt, canta; ſi mollia brachia, ſalta:* et Iuven. 5, 120. *Structorem — Saltantem ſpectes, et chironomonta volanti Cultello.* G.

num ſit melius) Scripſiſſes iſta, Secunde, Catoni alicui, triſte reſponſum accepiſſes, et ſimile illi iudicio, quod de A. Albino tulit antiquus et archetypus Cato apud Gellium 11, 8. *Nae tu, inquit, Aule, nimium nugator es, quum maluiſti culpam deprecari, quam culpa vacare* etc. Sed nimirum Plinius familiariter deliberat cum familiariſſimo, de re per ſe parva, ſed vel ea ipſa cauſſa alicuius momenti, quod ad honorem ſtudiorum pertineret. G.

sum tamen hoc tempore occupatissimus. Ideo nondum eum legi, quum alioqui validissime cupiam: sed eam reverentiam cum literis ipsis, tum scriptis tuis debeo, ut sumere illa, nisi vacuo
2 animo, irreligiosum putem. Diligentiam tuam in retractandis operibus valde probo. Est tamen aliquis modus, primum, quod nimia cura deterit magis, quam emendat; deinde, quod nos a recentioribus revocat, simulque nec absolvit priora, et inchoare posteriora non patitur. Vale.

XXXVI.

Quam vitae rationem et studiorum in secessu seu villa teneat, exponit.

(Conf. 3, 5.)

C. PLINIVS FVSCO SVO S.

Quaeris, quemadmodum in Tuscis diem aestate disponam. Evigilo quum libuit, plerumque circa horam primam, saepe ante, tardius raro: clau-
2 sae fenestrae manent. Mire enim silentio et tenebris animus alitur. Ab iis, quae avocant, abductus, et liber, et mihi relictus, non oculos animo, sed animum oculis sequor, qui eadem, quae mens, vident, quoties non vident alia. Cogito, si quid in manibus, cogito ad verbum scribenti

XXXV, 2 *nimia cura)* Quam *calumniam* et *cavillationem* atque κακιζοτεχνίαν saepe reprehendit Fabius. Vid nos ad 10, 1, 115. it. supra 5, 11, 3. G.

XXXVI, 2 *tenebris animus alitur)* Fabius 10, 3, 25. *Lucubrantes silentium noctis, et clausum cubiculum, et lumen unum velut tectos maxime teneat.* Quem locum a correctione, quae non necessaria nobis videatur, tuemur. Ceterum de lecto studendi caussa etiam adhibito supra 7, 27, 7. G.

Commode Buchnerus Graecorum εὐφρόνη hic comparat. vid. H. Steph. Thes. L. Gr. Append. col. 991. sq. S.

cogito ad verbum) *Est illa exercitatio cogitandi, totasque materias vel silentio (dum tamen quasi dicat intra se ipsum) persequendi, quae nullo non et tempore et loco, quando non aliud agimus, explicari potest.* etc. Quintil. 10, 7, 25. G.

emendantique similis: nunc pauciora, nunc plu-
ra, ut vel difficile vel facile componi tenerive
potuerunt. Notarium voco, et, die admisso, quae
formaveram dicto: abit, rursusque revocatur, rur-
susque remittitur. Ubi hora quarta vel quinta 3
(neque enim certum dimensumque tempus), ut
dies suasit, in xystum me vel cryptoporticum con-
fero; reliqua meditor et dicto. Vehiculum ad-
scendo. Ibi quoque idem, quod ambulans aut
iacens. Durat intentio, mutatione ipsa refecta:
paullum redormio, dein ambulo, mox orationem
Graecam Latinamve clare et intente, non tam
vocis caussa, quam stomachi, lego: pariter ta-
men et illa firmatur. Iterum ambulo, ungor, 4
exerceor, lavor. Coenanti mihi, si cum uxore,
vel paucis, liber legitur: post coenam, comoedi
aut lyristes: mox cum meis ambulo, quorum in
numero sunt eruditi. Ita variis sermonibus ve-
spera extenditur, et, quamquam longissimus, dies
cito conditur. Non nunquam ex hoc ordine ali- 5
qua mutantur. Nam si diu tacui, vel ambulavi,
post somnum demum lectionemque, non vehicu-
lo, sed (quod brevius, quia velocius) equo ge-

Notarium) vid ad 3, 5, 15. quam nempe totam epistolam cum hac conferre utile fuerit, ut ad argumentum monuimus. *G.*

die admisso) reclusis s. apertis fenestris, quae antea clausae erant. *E.*

3 *stomachi*) Barthius laudavit Celsum 1, 8. in. *Si quis vero stomacho laborat, legere clare debet.* *S.*

4 *comoedi*) Cortius *comoedus*. quod praeferam. *S.*

quorum in numero sunt eruditi) Propter hoc ipsum, quod quis eruditus est, meus est, in meorum numero est. *G.*

Equidem malim cum Gierigio de pueris literatis intelligere. *S.*

dies — conditur) Notissimum illud Virgilii: *saepe ego longos Cantando puerum memini me condere soles.* quod Bentleius comparat cum Callimacheo, ἥλιον ἐν λέσχῃ κατεδύσαμεν, Epigr. 2, 3. pag. 275. ed. Ernesti. *S.*

5 *tacui*) Al. *iacui*, quod iure praetulerunt Cortius et Gierigius. *S.*

quod brevius, quia velocius) Hora gestationis impensa est alii rei. Ne plane a motu corporis recedat, aliud tempus sumitur decerpendum alii rei: ne longum nimis sit, in equo conficiuntur eadem spatia, quae alias in curru, totidem succussionibus movetur corpus, sed celerius se consequentibus. *G.*

ſtor. Interveniunt amici ex proximis oppidis, partemque diei ad ſe trahunt, interdumque laſſato mihi opportuna interpellatione ſubveniunt.
6 Venor aliquando; ſed non ſine pugillaribus, ut, quamvis nihil ceperim, nonnihil referam. Datur et colonis, ut videtur ipſis, non ſatis temporis, quorum mihi agreſtes querelae literas noſtras et iſthaec urbana opera commendant. Vale.

XXXVII.

Excuſat ſe, quod propter praediorum locationem Calendis Ianuariis Paullino, conſulatum inituro, non poſſit adeſſe.

C. PLINIVS PAVLLINO SVO S.

Nec tuae naturae eſt, translaticia haec et quaſi publica officia a familiaribus amicis contra ipſorum commodum exigere: et ego te conſtantius amo, quam ut verear, ne aliter ac velim accipias, niſi te Calendis ſtatim conſulem videro: praeſertim, quum me neceſſitas locandorum praediorum plures annos ordinatura detineat; in qua

6 *non ſine pugillaribus)* Vid. 1, 6. *G.*

iſthaec) Praeſtat plerorumque librorum *haec.* Romae haec epiſtola videtur ſcripta. *S.*

commendant) Querelae ruſticorum, quales habes 9, 15. faciunt, ut taedium me capiat ruris, ac tanto lubentius vel literis me abdam, vel redeam in urbem. *G.*

XXXVII, 1 *translaticia — publica)* Huc praeſertim pertinent Petroniana iſta c. 113. *nec Giton me tralaticia propinatione dignum iudicabat,* et c. 114. *praeteriens aliquis tralaticia humanitate lapidabit* eiecta naufragio corpora. *Publica* officia dicuntur, ut *publica verba* Ovid. Ar. 1, 144. quibus in primis etiam congreſſionibus utimur, a quibus initium notitiae oritur. *G.*

Opponuntur hîc *publica* officia *familiaribus* amicis. Venia danda *familiari* amico, ſi quod *publicum* officium negligat. *S.*

ordinatura) Hoc vult: Locatio, quam nunc facio, non ad unum modo annum pertinet, ſed ad plures, ad luſtrum. Rationem enim cenſoris et publicani ſecuti etiam in locationibus privati, quod ſatis multis ICtorum veterum locis comprobare pronum eſt. Igitur lex locationis, quam luſtri initio conſtituebant,

mihi nova confilia fumenda funt. Nam priore 2
luftro, quamquam poft magnas remiffiones, reli-
qua creverunt: inde plerisque nulla iam cura
minuendi aeris alieni, quod defperant poffe per-
folvi; rapiunt etiam, confumuntque, quod na-
tum eft, ut qui iam putent fe non fibi parcere.
Occurrendum ergo augefcentibus vitiis, et meden- 3
dum eft. Medendi una ratio, fi non nummo,
fed partibus locem, ac deinde ex meis aliquos
exactores operi, cuftodes fructibus ponam: et
alioqui nullum iuftius genus reditus, quam quod
terra, caelum, annus refert. Ad hoc, magnam 4
fidem, acres oculos, numerofas manus pofcit:
experiendum tamen, et, quafi in veteri morbo,
quaelibet mutationis auxilia tentanda funt. Vi- 5
des, quam non delicata me cauffa obire primum
confulatus tui diem non finat: quem tamen hic
ut praefens votis, gaudio, gratulatione celebra-
bo. Vale.

valebat in plures annos, quo confideratius diligentiusque cogitanda primum, deinde fcribenda erat. *G.*

2 *non fibi parcere)* Plura fe iam debere, quam folvere poffint, itaque exactum iri de praediis: quidquid igitur efficiant, tamen nullam ad fe inde utilitatem perventuram. *G.*

3 *partibus locem)* Partibus reditus, ut v. g. femiffis, quincunx, triens, quadrans illius cedat colono: qui quanto diligentiorem operam dederit, tanto fic feret fructum laboris fui uberiorem. Egimus hac de re ad Caton. R. R 136. et 137. Contra *nummo locat*, qui certam pecuniae fummam exigit, quicunque proventus fuerit. *G.*

exactores operi) Al. *operis exactores.* Noftrum concinnius. *S.*

4 *Ad hoc)* Melius Gierigius ex aliquot libris: *At hoc. S.*

5 *non delicata me cauffa)* Otii, aut deliciarum; fed negotium moleftum magis, quo quis eft naturae liberalioris, qualem Plinium fuiffe, loquuntur hae epiftolae. *G.*

XXXVIII.

Rufum laudat, non tam precibus alienis, quam ipsius meritis inductus.

C. PLINIVS SATVRNINO SVO S.

Ego vero Rufum nostrum laudo: non quia tu, ut ita facerem, petiisti, sed quia est ille dignissimus. Legi enim librum omnibus numeris absolutum, cui multum apud me gratiae amor ipsius adiecit. Iudicavi tamen. Neque enim soli iudicant, qui maligne legunt. Vale.

XXXIX.

Aedem Cereris refecturus, marmora et signum sibi emi rogat.

C. PLINIVS MVSTIO SVO S.

Aruspicum monitu reficienda est mihi aedes Cereris in praediis in melius et in maius. Vetus sane et angusta, quum sit alioqui stato die fre-
2 quentissima. Nam Idibus Septembribus magnus e regione tota coit populus, multae res aguntur, multa vota suscipiuntur, multa redduntur, sed nullum in proximo suffugium aut imbris aut solis.
3 Videor ergo munifice simul religioseque facturus, si aedem quam pulcherrimam exstruxero,

XXXIX, 1 *in melius et in maius)* Cortius et Gierigius: *in melius, in maius.* Nolim sequi. *S.*

2 *multae res aguntur)* Boni ominis caussa enim in templis deorum senatus habetur, conventusque celebrantur alii vel de publica re vel privata. *G.*

Apte haec a Gesnero monentur. In universum is de usu templorum praeter religiosum loquitur: nam in aede illa Pliniana senatum non habitum fuisse, sponte apparet. *S.*

suffugium — imbris) Opportune iam hic laudatus est Vitruv. 3, 2. *Pteromatos ratio et columnarum circa aedem dispositio ideo est inventa — si imbrium aquae vis occupaverit et intercluserit hominum multitudinem, ut habeat in aede circaque cellam cum laxamento liberam moram.* *G.*

addidero porticus: illam ad usum deae, has ad hominum. Velim ergo emas quatuor marmoreas columnas, cuius tibi videbitur generis: emas marmora, quibus solum, quibus parietes excolantur. Erit etiam vel faciendum vel emendum ipsius 4
deae signum: quia antiquum illud e ligno quibusdam sui partibus vetustate truncatum est.
Quantum ad porticus, nihil interim occurrit, 5
quod videatur istinc esse repetendum: nisi tamen, ut formam secundum rationem loci scribas: neque enim possunt circumdari templo; nam solum templi hinc flumine et abruptissimis ripis, hinc via cingitur. Est ultra viam latissimum pratum, in quo 6
satis apte contra templum ipsum porticus explicabuntur: nisi quid tu melius inveneris, qui soles locorum difficultates arte superare. Vale.

XL.

Cui vitae studiorumque rationem aestivam, quam in secessu teneat, epist. XXXVI. perscripserat; eidem rogatus exponit etiam hibernam.

C. PLINIVS FVSCO SVO S.

Scribis, pergratas tibi fuisse literas meas, quibus cognovisti, quemadmodum in Tuscis otium aestatis exigerem: requiris, quid ex hoc in Laurentino hieme permutem. Nihil, nisi quod meridia- 2
nus somnus eximitur, multumque de nocte vel ante vel post diem sumitur: et, si agendi necessi-

3 *addidero porticus)* Malim cum Cortio et Gierigio, ut magis Plinianum, *addidero porticus aedi.* S.
5 *istinc — repetendum)* Quod a te petendum, tibi iniungendum sit, ut huc ad me mittas. G.
6 *contra templum — explicabuntur)* e regione templi ipsius porticus exstruentur. *Explicare porticus* significanter dictum, ut *fossam deprimere* aliaque id genus. S.

XL, 1 *literas meas)* supra 9, 36. G.
2 *agendi necessitas)* Dicendi, in iudicio, in senatu: ideo etiam

tas inſtat, quae frequens hieme, non iam comoedo vel lyriſtae poſt coenam locus; ſed illa, quae dictavi, identidem retractantur, ac ſimul memo-
3 riae frequenti emendatione proficitur. Habes aeſtate, hieme conſuetudinem; addas huc, licet, auctumnum, quaeque inter hiemem aeſtatemque media, ut nihil de die perdunt, ita de nocte parvulum adquirunt. Vale.

hieme in Laurentino verſatur, quod paene ſuburbanum eſt. *G.* 3 *addas huc — — media)* Leg. cum Cortio et Gierigio auctoritate bonorum librorum: *addas huc, licet, ver et auctumnum, quae inter hiemem aeſtatemque media.* Noſtra lectio a facilitate Plinianae orationis mirum quantum abhorret. *S.*

LIBER DECIMVS

In quo Epistolae Plinii ad Traianum Imperatorem, et Traiani ad Plinium.

I.

Imperium Traiano morte Nervae consequuto gratulatur.

C. PLINIVS TRAIANO.

Tua quidem pietas, Imperator sanctissime, optaverat, ut quam tardissime succederes patri: sed dii immortales festinaverunt virtutes tuas ad gubernacula reipublicae, quam susceperas, admovere. Precor ergo, ut tibi, et per te generi humano, 2
prospera omnia, id est, digna seculo tuo, contingant. Fortem te et hilarem, Imperator optime, et privatim et publice opto.

I, 1 *quam susceperas)* cuius curam susceperas. Plenius Cicero Orat. pro P. Sextio c. 22. pag. 1145. Ern. *neminem umquam fore, qui auderet suscipere contra improbos cives reipublicae salutem.* Displicent tamen haec Pliniana I. A. Ernestio, quod gubernacula commemorentur, gubernatorque non recte dicatur navem suscipere. *S.*

2 *seculo tuo)* Seculum Imperatoris est tempus, quo rerum potitur. Igitur *digna seculo* Imperatoris sunt, quae Imperator virtute sua meretur, ut se imperante contingant. *G.*

et privatim et publice) Haec adverbia incertum quo referantur. Si cum *opto* iungas; significat Plinius, se hoc optare, cum pro amore, quo Traianum per se complectatur, tum quod utile hoc putet reipublicae: si ad *fortem et hilarem*; et domi esse vult felicem, et in administranda re publica. Posterius magis mihi placet. *G.*

Immo vero mihi prius, hoc sensu: opto, ut sis fortis et hilaris

II.

Iure trium liberorum donatus, gratias agit.

C. PLINIVS TRAIANO.

Exprimere, Domine, verbis non possum, quantum mihi gaudium attuleris, quod me dignum putasti iure trium liberorum. Quamvis enim Iulii Serviani, optimi viri, tuique amantissimi, precibus indulseris: tamen etiam ex rescripto intelligo, libentius hoc ei te praestitisse, quia pro me roga-
2 bat. Videor ergo summam voti mei consequutus, quum inter initia felicissimi principatus tui probaveris, me ad peculiarem indulgentiam tuam pertinere: eoque magis liberos concupisco; quos habere etiam illo tristissimo seculo volui, sicut
3 potes duobus matrimoniis meis credere. Sed dii melius, qui omnia integra bonitati tuae reserva-

(gesund und vergnügt), et meo et totius civitatis nomine. Nempe tum et mibi et reipublicae consultum est. *E.*

Verissime Ernestius: idque tam apertum est, ut mirer Gesnero alteram illam rationem placere potuisse. Commode huc advocat I. A. Ernestius ex epist. 9. *et tuo nomine et reipublicae gratulor, S.*

II, 1 *Domine)* Haec appellatio, qua perpetuo in his epistolis utitur auctor, interdum scrupulum mihi movit, possintne eius auctoris esse, qui Paneg. 45, 3 et alias *Dominum* ita diligenter a Principe separet, crudelitatisque et iniustitiae illi notionem adiungat. Sed aliud videtur, *Dominum* se ipsum vocare in publicis edictis: aliud, blandientis amici honorem non adspernari. Sic *reges* suos vocabant clientes libera etiam republica: sic *Domini* et *Dominae* nomen in amantium et coniugum adeo blanditiis. Cogitabam aliquando, ex provinciis modo Imperatorem tum vocatum *Dominum*, nempe *provinciae*, ut ipsa Roma *rerum Domina*. Sed haec quidem, et plures epistolae non e provincia datae videntur. Senec. Ep. 3 *Obvios, si nomen non succurrit, dominos salutamus.* Maneat igitur, blandientis et amantis Plinii hanc esse vocem: qui idem nihilo minus reprehendere potuerit eos, qui ipsi sibi id nomen arrogassent, et mensuram nominis eius, cum pro servis tractarent cives, implessent. Similia ad Baudii et Hearnii quaestionem respondet Arntzenius ad Pa. 2, 3. Eadem Anglus interpres Melmothus. *G.*

2 *sicut potes)* Si haec verba ad ea, quae proxime praecedunt, referas, Plinius iam duas uxores Domitiano imperante duxisse debet. Sed potest etiam ad paullo superiora respici, *eoque magis liberos concupisco.* Certe de duabus eius modo uxoribus constat. *G.*

3 *dii — reservarunt)* Dii melius, quid mihi utile sit, vi-

runt. Malui hoc potius tempore me patrem fieri, quo futurus essem et securus et felix.

III. (V)

Petit, ut Voconium in senatorium ordinem promoveat.

C. PLINIVS TRAIANO.

Indulgentia tua, Imperator optime, quam plenissimam experior, hortatur me, ut audeam tibi etiam pro amicis obligari; inter quos sibi vel praecipuum locum vindicat Voconius Romanus, ab ineunte aetate condiscipulus et contubernalis meus. Quibus ex caussis et a divo patre tuo petieram, 2 ut illum in amplissimum ordinem promoveret: sed hoc votum meum bonitati tuae reservatum est, quia mater Romani liberalitatem sestertii quadringenties, quod conferre se filio codicillis ad

dent; et a bonitate tua exspectare me voluerunt iura eorum, qui liberos habent, quae matrimoniis duobus adhuc non consecutus sum. Nimirum hinc non minus, quam ex ep. 95 apparet, conditionem impetrandi huius iuris fuisse, ut quis legitimo modo liberos quaesierit, sed frustra. *G.*

Immo est: dii melius, qui mihi antea prolem negarunt, ut sub principe tam bono demum pater fierem. *S.*

Malui) Sub bono principe malunt homines liberos habere. vid. Paneg. 26 extr. *Ceterum non optime haec cohaerent superioribus: quid si legamus, *maluerunt?* [Scripserat Gesnerus *malunt:* unde, quae sequuntur, lucem accipiunt. Vid. Gesneri ad I. A. Ernestium epistolam, ipsumque Ernestium ad h. l. *S.*] quod facile corrumpi in *malui* potuit, si *n* per transversam literae *u* impositam signavit librarius. Sic simul indicarit, spem prolis e Calpurnia, quam circa haec tempora duxit, suscipiendae se habere. Vid. 8, 10 ubi abortum eius Fabato narrat. Certe si cui illud audacius videatur, quamquam non est, legerim *Mallim*, ut votum sit, quo illud *concupisco* confirmet. *G.*

Assentior I. A. Ernestio *maluere* rescribenti. *S.*

III, 2 *quadringenties)* Immanis summa, millio uncialium nummorum, s. imperiales 1333333⅓: Buchneri et Gronovii coniectura moderatior *quaterdecies*, quae essent quinque et triginta millia uncialium: medium, *quadragies*, tonnam uncialium efficiat. Fuisse summam mediocrem, vel inde apparet, quod ad censum senatorium explendum data est, qui, si Suetonium sequamur, Augusto c. 41, ab illo constitutus est *duodecies* h. e. triginta millium uncialium. Itaque ipsum *quaterdecies* iam nimium esse videtur. Quid si fuit CCCCHS. h. e. *quadringentorum millium*, quae

patrem tuum ſcriptis profeſſa fuerat, nondum ſa-
tis legitime peregerat. Quod poſtea fecit, ad-
3 monita a nobis. Nam et fundos emancipavit, et
cetera, quae in emancipatione implenda ſolent
4 exigi, conſummavit. Quum ſit ergo finitum,
quod ſpes noſtras morabatur, non ſine magna
fiducia ſubſigno apud te fidem pro moribus Ro-
mani mei, quos et liberalia ſtudia exornant, et
eximia pietas, quae hanc ipſam matris liberalita-
tem, et ſtatim patris hereditatem, et adoptionem
5 a vitrico meruit. Auget haec et natalium et pa-
ternarum facultatum ſplendor; quibus ſingulis
multum commendationis acceſſurum etiam ex
6 meis precibus, indulgentiae tuae credo. Rogo
ergo, Domine, ut me exoptatiſſimae mihi gratu-
lationis compotem facias, et honeſtis (ut ſpero)
adfectibus meis praeſtes, ut non in me tantum,
verum et in amico gloriari iudiciis tuis poſſim.

IV. (VI)

Medico ſuo civitatem Romanam: Antoniae libertis feminis ius Quiritium petit.

(*Conf. ep.* 22.)

C. PLINIVS TRAIANO.

Proximo anno, Domine, graviſſima valetudine
usque ad periculum vitae vexatus iatralipten ad-
ſumſi: cuius ſolicitudini et ſtudio, tuae tantum
indulgentiae beneficio referre gratiam poſſum.
2 Quare rogo, des ei civitatem Romanam. Eſt

ſunt 13333⅓ imperiales ſ. unciales 10000. *G.*

Vid. I. A. Erneſtius ad h. l. *S.*

3 *fundos emancipavit)* Solemni ritu e ſuo dominio dimiſit et filio tradidit, ut iam verus illorum dominus eſſet, neque retrahi aut revocari munus poſſet. *G.*

5 *paternarum facultatum)* Recte monet Cellarius, eas non omnes perveniſſe ad hunc filium, qui alioquin opus non habuiſſet liberalitate matris. Forte fratres habuit. *G.*

enim peregrinae conditionis, manumiſſus a peregrina. Vocatur ipſe Harpocras: patronam habuit Thermuthin Theonis, quae iampridem defuncta eſt. Idem rogo, des ius Quiritium libertis Antoniae Maximillae, ornatiſſimae feminae, Heliae et Antoniae Harmeridi. Quod a te, petente patrona, peto.

V. (XI)

Alexandrinam etiam civitatem Harpocrati datam laetatur, cui literas ad praefectum Aegypti, ſibi licentiam occurſus longioris petit.

C. PLINIVS TRAIANO.

Exprimere, Domine, verbis non poſſum, quanto me gaudio adfecerint epiſtolae tuae, ex quibus cognovi te Harpocrati, iatraliptae meo, etiam Alexandrinam civitatem tribuiſſe, quamvis ſecundum inſtitutionem principum non temere eam dare propoſuiſſes. Eſſe autem Harpocran νομοῦ Μεμφιτικοῦ indico tibi. Rogo ergo, indulgentiſſi- 2
me Imperator, ut mihi ad Pompeium Plantam, praefectum Aegypti, amicum tuum, ſic, ut pro-

IV, 2 *ius Quiritium)* Hodie, beneficio praeſertim Ill. Spanbemii, qui iſta in Orbe Romano expedivit feliciter, ſatis conſtat de gradibus *civitatis Romanae,* in iisque ſummum eſſe, *ius* ipſum *Quiritium.* Habemus in compendium relatas tum aliorum tum Spanhemii obſervationes in Ill. Heineccii append. ad L. I. antiquitt. iur. Rom. *G.*

V, 1 *epiſtolae tuae)* Reſpondet praeſertim epiſtolae 23 huius libri, quae cum 22 ante hanc legi omnino debet. *G.*

Ceterum notandum, *epiſtolas* hic de una dici epiſtola. Vid. Ritterahuſ. ad h. l. Sic ſaepius Iuſtinus. vid. indic. Freinshem. *S.*

νομοῦ) Latina voce utitur Traianus, vel librarii, ep. 23. De *nomis* ſ. praefecturis Aegyptiis inſpicere praeſtat Marshamum in Can. Chron. p. 391. ſq. et ipſum praeſertim Geographum, Cellarium. *G.*

2 *amicum tuum)* Diſplicent haec verba I. A. Erneſtio, ut parum apte et decore addita, forſitanque repetita a librario ex epiſtola 23. Mirum ni etiam quae ſtatim ſequuntur, *ut promiſiſti,* plurimaque alia his in epiſtolis, ad noſtrum ſenſum indecore ſcripta, Erneſtium offenderint. *S.*

misisti, epistolam mittas. Obviam iturus, quo maturius, Domine, exoptatissimi adventus tui gaudio frui possim, rogo, permittas mihi, quam longissime occurrere tibi.

VI. (XII)

Medici propinquis civitatem, et aliis ius Quiritium petit.

C. PLINIVS TRAIANO.

Proxima infirmitas mea, Domine, obligavit me
Postumio Marino medico: cui parem gratiam re-
ferre beneficio tuo possum, si precibus meis, ex
2 consuetudine bonitatis tuae, indulseris. Rogo er-
go, ut propinquis eius des civitatem, Chrysippo
Mithridatis, uxorique Chrysippi Stratonicae Epi-
goni, item liberis eiusdem Chrysippi, Epigono et
Mithridati, ita ut sint in patris potestate, utque
iis in libertos servetur ius patronorum. Item
rogo, indulgeas ius Quiritium L. Satrio Abascan-
tio, et P. Caesio Phosphoro, et Panchariae Sote-
ridi. Quod a te, volentibus patronis, peto.

VII. (XIII)

Praeturam amico, Accio Surae, petit.

C. PLINIVS TRAIANO.

Scio, Domine, memoriae tuae, quae est benefaciendi tenacissima, preces nostras inhaerere: quia

VI, 2 *Epigono et Mithridati*) Observamus hic quoque morem Graecorum, qui avi utriusque nominibus appellarent suos liberos: quae res obscuritatem non nunquam ex hominum eiusdem nominis confusione parit. G.

in patris potestate) Nam *patria potestas* est pars Romanae civitatis, non minus quam *ius patronorum*. Vult ergo Plinius, ut ius civitatis retro etiam valeat ad patriam potestatem in eos quoque liberos, qui ante nati sunt, etc. G.

ius Quiritium) Iam fuere cives, sed summum gradum civitatis illis petit Plinius. Vid. ad 10, 4, 2. G.

tamen in hoc quoque saepe indulsisti, admoneo simul et impense rogo, ut Accium Suram praetura exornare digneris, cum locus vacet. Ad quam spem alioqui quietissimum hortatur et natalium splendor, et summa integritas in paupertate, et ante omnia, felicitas temporum, quae bonam conscientiam civium tuorum ad usum indulgentiae tuae provocat et attollit.

VIII. (XIV)

Sacerdotium sibi petit.

C. PLINIVS TRAIANO.

Quum sciam, Domine, ad testimonium laudemque morum meorum pertinere, tam boni principis iudicio exornari: rogo, dignitati, ad quam me provexit indulgentia tua, vel auguratum, vel septemviratum, quia vacant, adiicere digneris, ut iure sacerdotii precari deos pro te publice possim, quos nunc precor pietate privata.

IX. (XV)

Victoriam Traiano gratulatur.

C. PLINIVS TRAIANO.

Victoriae tuae, optime Imperator, maximae, pulcherrimae, antiquissimae, et tuo nomine et reipu-

VII *in hoc quoque)* ut, si usus ferret, preces iterarem. *S.*

alioqui quietissimum) qui otium potius honestum, quam vitae publicae et negotiosae strepitus amat. *E.*

summa integritas in paupertate) I. A. Ernestii ad h. l. dubitationi bene occurrit Gierigius, monens paupertatem hic non eam intelligi, quae hodie fere dicatur, sed eius, qui praeter censum nihil, certe parum habeat. *S.*

VIII *septemviratum)* Epulonum, de quo ad 2, 11, 12. *Auguratum* accepisse, testatur inscriptio antiqua, quam etiam nos cum vita Plinii damus. *G.*

blicae gratulor, deosque immortales precor, ut omnes cogitationes tuas tam laetus ſequatur eventus; ut virtutibus tantis gloria imperii et novetur et augeatur.

X. (XXVI)

Servilii adventum nunciat.

C. PLINIVS TRAIANO.

Servilius Pudens legatus, Domine, VIII Calend. Decembr. Nicomediam venit: meque longae exſpectationis ſolicitudine liberavit.

XI. (XXVII)

Roſianum commendat.

C. PLINIVS TRAIANO.

Roſianum Geminum, Domine, arctiſſimo vinculo, mecum tua in me beneficia iunxerunt. Habui enim illum quaeſtorem in conſulatu, mei ſumme obſervantiſſimum expertus. Tantam mihi poſt conſulatum reverentiam praeſtat, ut publicae neceſſitudinis pignora privatis cumulet officiis.
2 Rogo ergo, ut ipſe apud te pro dignitate eius precibus meis faveas: cui et, ſi quid mihi credis, indulgentiam tuam dabis. Dabit ipſe operam, ut in his, quae ei mandaveris, maiora mereatur.

X *Nicomediam)* Bithyniae caput. Scripta ergo haec epiſtola eſt ex provincia, ut maior pars reliquarum. *G.*

XI, 1 *ſumme obſervantiſſimum)* Vid. Sanctii Minerva Lib. IV. Cap. IX. *S.*

2 *ut ipſe apud te)* ipſius Gemini nomine. — *Cui et* etc. Bene Cortius: „Senſus eſt: non „tantum favebis dignitati eius, ſed „et indulgentiam tuam ipſi dabis: „quae utraque multum ſane differunt." Ceterum hic locus mihi quidem, ut qui maxime, ſanus videtur. *S.*

in his, quae) In muneribus, quae ei mandaveris. *Obſervanda res levicula, quia *in* praepoſitio quibusdam praeter rem hic ſuſpecta eſt. *G.*

Parciorem me in laudando facit, quod ſpero, tibi et integritatem eius, et probitatem, et induſtriam non ſolum ex eius honoribus, quos in urbe ſub oculis tuis geſſit, verum etiam ex commilitio, eſſe notiſſimam. Illud unum, quod propter caritatem 3 eius nondum mihi videor ſatis plene feciſſe, etiam atque etiam facio; teque, Domine, rogo, gaudere me exornata quaeſtoris mei dignitate, id eſt, per illum mea, quam maturiſſime velis.

XII.

Gratias agit, quod Coelium ex conſulatu in Bithyniam miſſurus ſit.

C. PLINIVS TRAIANO.

Difficile eſt, Domine, exprimere verbis, quantam perceperim laetitiam, quod et mihi et ſocrui meae praeſtitiſti, ut ad finem conſulatus Coelium Clementem in hanc provinciam transferres. Ex illo 2 enim menſuram beneficii tui penitus intelligo, quum tam plenam indulgentiam cum tota domo mea experiar: cui referre gratiam parem ne audeo quidem, quamvis maxime debeam. Itaque ad vota confugio, deosque precor, ut iis, quae in me aſſidue confers, non indignus exiſtimer.

XIII. (LXIV)

Tabellarium regis Sauromatae ad Traianum mittit.

C. PLINIVS TRAIANO.

Scripſit mihi, Domine, Lycormas, libertus tuus, ut, ſi qua legatio a Boſporo veniſſet, urbem petitura, usque in adventum ſuum retineretur. Et legatio quidem, dumtaxat in eam civitatem, in qua ipſe ſum, nulla adhuc venit; ſed venit tabel-

larius Sauromata, quem ego, uſus opportunitate, quam mihi caſus obtulerat, cum tabellario, qui Lycormam ex itinere praeceſſit, mittendum putavi, ut poſſis ex Lycormae et ex regis epiſtolis pariter cognoſçere, quae fortaſſe pariter ſcire deberes.

XIV. (LXV)

Diplomate ſe tabellarium Sauromatam iuviſſe ſignificat.

C. PLINIVS TRAIANO.

Rex Sauromates ſcripſit mihi, eſſe quaedam, quae deberes quam maturiſſime ſcire: qua ex cauſſa feſtinationem tabellarii, quem ad te cum epiſtolis miſit, diplomate adiuvi.

XV. (LXVIII)

Excuſat, quod legatum regis Sauromatae non retinuerit.

C. PLINIVS TRAIANO.

Legato Sauromatae regis, quum ſua ſponte Niceae, ubi me invenerat, biduo ſubſtitiſſet, longio-

XIII *poſſis*) *poſſes* corrigit I. A. Erneſtius, quem vide ad h. l. *S.*

XIV Non perſuadet Gierigius, hoc epiſtolium partem ſuperioris eſſe decernens. Priorem illum tabellarium Plinius opportunitate uſus, quam caſus obtulerat; ad Traianum miſit: huius alterius curſum, quod talis opportunitas deeſſet, adiuvit diplomate. Ceterum ante *deberes* videtur excidiſſe *D.*, i. e. *Domine.* — *Epiſtolis* de una epiſtola. Iam ſupra monuimus. *S.*

diplomate adiuvi) Cuius ea vis erat, ut publice praebitis equis et vehiculis curſus illius adiuvaretur. Sic enim Plut. in Galba p. 1494 H. Steph. *Τῶν ὑπάτων οἰκέτας δημοσίους προχειρισαμένων, τὰ δόγματα κομίζοντας τῷ αὐτοκράτορι, καὶ τὰ καλούμενα διπλώματα σεσημασμένα δόντων, ἃ γνωρίζοντες, οἱ κατὰ πόλιν ἄρχοντες, ἐν ταῖς τῶν ὀχημάτων ἀμοιβαῖς ἐπιταχύνουσι τὰς προπομπὰς τῶν γραμματηφόρων.* Add. 10, 121, *G.*

XV, 1 *Niceae*) Immo *Nicaeae.* Sic et infra malim. *S.*

rem moram faciendam, Domine, non putavi: primum quod incertum adhuc erat, quando libertus tuus Lycormas venturus eſſet; deinde quod ipſe proficiſcebar in diverſam provinciae partem, ita officii neceſſitate exigente. Haec in notitiam 2 tuam perferenda exiſtimavi, quia proxime ſcripſeram, petiiſſe Lycormam, ut legationem, ſi qua veniſſet a Boſporo, usque in adventum ſuum retinerem. Quod diutius faciendi nulla mihi probabilis ratio occurrit; praeſertim quum epiſtolae Lycormae, quas detinere, ut ante praedixi, nolui, aliquot diebus hunc legatum anteceſſurae viderentur.

XVI. (LXXV)

Callidromum, multorum variante fortuna ſervum, Traiano mittit.

C. PLINIVS TRAIANO.

Apuleius, Domine, miles, qui eſt in ſtatione Nicomedenſi, ſcripſit mihi, quendam nomine Callidromum, quum detineretur a Maximo et Dionyſio piſtoribus, quibus operas ſuas locaverat, confugiſſe ad tuam ſtatuam, perductumque ad magiſtratus indicaſſe, ſerviſſe aliquando Laberio Maximo, captumque a Suſago in Moeſia, et a Decebalo muneri miſſum Pacoro, Parthiae regi, pluribusque annis in miniſterio eius fuiſſe; deinde fugiſſe, atque ita in Nicomediam perveniſſe. Quem 2 ego perductum ad me, quum eadem narraſſet,

2 *proxime ſcripſeram)* Ep. 13. *G.*

XVI, 1 *ad tuam ſtatuam)* Tanquam ad aſylum: de qua re copioſe Lipſ. ad Tac. A. 3, 36 ſ. Excurſ. F. *G.*

ſerviſſe) Potuiſſe *ſe* poſt *ſerviſſe* abſorberi a clauſula verbi, concederem I. A. Erneſtio, ſi credibile eſſet, Plinium tam inepte *εὐφημίσαι*, ut aurium iudicium ſusque deque haberet. Et ipſe agnoſcit Erneſtius, tales ellipſes non raras eſſe. *S.*

mittendum ad te putavi. Quod paullo tardius feci, dum requiro gemmam, quam sibi, habentem imaginem Pacori, et quibus insignibus ornatus
3 fuisset, subtractam indicabat. Volui enim hanc quoque, si inveniri potuisset, simul mittere, sicut glebulam misi, quam se ex Parthico metallo attulisse dicebat. Signata est annulo meo, cuius aposphragisma quadriga.

XVII. (LXXXVI)

Procuratorem Caesaris testimonio prosequitur.

C. PLINIVS TRAIANO.

Maximum, libertum et procuratorem tuum, Domine, per omne tempus, quo fuimus una, probum, et industrium, et diligentem, ac, sicut rei tuae amantissimum, ita disciplinae tenacissimum expertus, libenter apud te testimonio prosequor ea fide, quam tibi debeo.

XVIII. (LXXXVII)

Gabium Bassum laudat apud Traianum.

C. PLINIVS TRAIANO.

Gabium Bassum, Domine, praefectum orae Ponticae, integrum, probum, industrium, atque inter ista reverentissimum mei expertus, voto pariter et

2 *mittendum ad te*) Qui forte referre posset de rebus Parthicis, quae audire Traiani interesset. G.

3 *glebulam*) auri, ut videtur: *eine Goldstufe.* Mox *metallum* de ipsa fodina intelligendum. S.

aposphragisma) Expressa imago! sic impedire vult, ne quid subiiciatur aliud. Opportune comparavit Cellarius, quod est apud Capitolinum in Albino c. 2 ex literis Commodi, *Super hoc ad procuratores meos literas misi, quas ipse signatas excipies signo Amazoniae.* G.

XVII *Maximum*) de quo etiam ep. 28. 5 it. 36 et 37. G.

XVIII, 1 *Gabium Bassum*) Laudat etiam ep. 32. G.

ſuffragio proſequor, ea fide, quam tibi debeo: quem abunde conſpexi inſtructum commilitio tuo, cuius diſciplinae debet, quod indulgentia tua di-
gnus eſt. Apud me et milites et pagani, a qui- 2
bus iuſtitia eius et humanitas penitus inſpecta eſt, certatim ei, qua privatim, qua publice, teſtimonium retribuerunt. Quod in notitiam tuam perfere ea fide, quam tibi debeo.

XIX. (LXXXVIII)

Filium commilitonis ſui, et ipſum acrem militem, commendat.

C. PLINIVS TRAIANO.

Nymphidium Lupum, Domine, primipilarem, commilitonem habui, quum ipſe tribunus eſſem, ille praefectus: inde familiariter diligere coepi. Crevit poſtea caritas ipſa mutuae vetuſtate amici-
tiae. Itaque et quieti eius inieci manum, et ex- 2
egi, ut me in Bithynia conſilio inſtrueret. Quod ille amiciſſime, et otii et ſenectutis ratione poſt-
poſita, et iam fecit, et facturus eſt. Quibus ex 3
cauſſis neceſſitudines eius inter meas numero, et filium in primis, Nymphidium Lupum, iuvenem probum, induſtrium, et egregio patre digniſſimum, ſuffecturum indulgentiae tuae: ſicut primis

ea fide, quam tibi debeo) Referendum hic ad ipſius Plinii ſuffragium. Repetitur in fine epiſtolii eadem formula, ſed ibi ſpectat ea, quae Plinius de teſtimonio aliorum perſcribit. Utroque loco apte poſita eſt. *S.*

2 *retribuerunt)* Cort. *pertribuerunt.* cf. Arntz. ad Paneg. 95, 1. *G.*

Vid. Gesneri ad I. A. Erneſt. epiſtola, coll. ipſius Erneſtii ad h. l. nota. *S.*

XIX, 1 *primipilarem)* I. A. Erneſtii dubitationi occurras, ſi poſt *habui* colon ponas, et ad *praefectus* ſubaudias *fuit.* *S.*

3 *et filium in primis)* Malim cum Cortio, deleta copula, *filium in primis.* *S.*

ſuffecturum indulgentiae) Dignum illa, qui capere eam, agnoſcere, aeſtimare, tueri, poſſit. Laudarunt iam viri docti Stat. Silv. 2, 175. *Vade puer, tantisque enixus ſuffice donis.* *G.*

Ipſe Plinius ep. 6, 23, 4. *Spondeo, ſolicitudini tuae, ſpei meae, magnitudini cauſſae ſuffecturum.* *S.*

eius experimentis cognoscere potes, quum praefectus cohortis, plenissimum testimonium meruerit Iulii Ferocis et Fusci Salinatoris, clarissimorum virorum. Meum gaudium, Domine, meam gratulationem filii honores continuent.

PLINII ET TRAIANI EPISTOLAE MVTVAE.

XX. (III)

Excusat se, quod praefectus aerario patrocinium Afris negaverit, et rursus iubente senatu praestiterit.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Ut primum me, Domine, indulgentia vestra pro-

continuent) Haec est petitio ipsa, et argumentum adeo epistolae. *Nempe sic legendum puto levissime immutata lectione Boxhornii, ut superiores taceam, et Cellarii, qui illam debent, puto, Aldo, in cuius editione 1518 ut et in Grut. 1620 legitur, *filii honore continuerent*, unde ipsi fecerunt, *honores continuerent*. Gruterianae 1611 lectio *mea gratulatio filii honore continuetur (continetur* reposuit, servatis ceteris, Longolius) mutat nimia multa ab antiqua scriptura. Quam vicina sint *continuent* et *continerent*, facile intelligunt, qui tractarunt libros. Sententia aperta, Plinio digna, et prope necessaria, nisi velimus, nihil illum hac epistola petiisse. *G.*

XX, 1 *indulgentia vestra)* Cuius? Traiani et Nervae tum adhuc viventis? Ita secutus Lipsium et Rittershusium Cellarius. Contra dicit subductis temporum rationibus doctissimus Massonus ad annum Chr. XCVIII §. 7. sed ita, ut, licet recte posuerit calculos, tamen hoc non effecerit, fieri non potuisse, ut Nerva adhuc vivente praefectura haec demandata Plinio fuerit. Provocat ad 10, 24, 3 ubi *primum valetudine* Nervae (demus ei, hanc fuisse ultimam, et statim ita gravem, ut per eam non potuerit praefecturam decernere Secundo) *postea curis delegati officii* (demus de hac praefectura sermonem esse) *se retentum.* Sed nonne potuit ante delegatum esse, aditum post aliquod unius alteriusve mensis intervallum? Hoc si ponas, calculi Massoniani stabunt, et tamen Praefecturam ab utroque Imperatore acceperit Plinius, qui hic pariter et 10, 24, 3 non videtur contra morem suum et seculi plurium numero de uno Traiano usus fuisse; praesertim posteriore loco, ubi et patris Nervae et Traiani filii diserta mentio proxime praecessit. Igitur hoc quidem in loco praesidium non invenit illa sequioris aevi ratio, quam *vossitationem*, digno hac re vocabu-

movit ad praefecturam aerarii Saturni, omnibus advocationibus, quibus alioqui nunquam eram promiscue functus, renuntiavi, ut toto animo, delegato mihi officio vacarem. Qua ex caussa, 2
quum patronum me provinciales optassent contra Marium Priscum, et petii veniam huius muneris, et impetravi: sed cum postea consul designatus censuisset, agendum nobiscum, quorum erat excusatio recepta, ut essemus in senatus potestate, pateremurque nomina nostra in urnam coniici, convenientissimum esse tranquillitati seculi putavi, praesertim tam moderatae voluntati amplissimi ordinis non repugnare. Cui obsequio meo, 3
opto, ut existimes constare rationem, quum omnia facta dictaque mea probare sanctissimis moribus tuis cupiam.

lo, appellant. Agit de origine huius rei Baelius in epist. p. 279. sq. ubi semina quasi ab hoc aevo et ipse repetit; sed idem observat, in Symmachi adeo epistolis videri respici ad collegas imperii, cum *vestrae maiestatis*, *vestri numinis* etc. fit mentio. Quid autem dicemus de epistola Tiberiani ad Traianum ap. Io. Malalam p. 356. ubi *ὑμέτερα θεσπίσματα — καταξιώσατε*. An hoc ipsum *νοθείας* signum, vel certe interpolatae a Malala epistolae? *G.*

aerarii Saturni) Videntur antiquissimis Diis et aetatis ratione avaris aerarium credidisse Romani, ut Opi h. e. Telluri Deorum Matri, de quo Cic. Phil. 1, 7. et 2, 14. it. 37, et Saturno, de quo etiam Sueton. Claud. c. 24. Quin unum idemque templum Saturni et Opis, nunc a marito, nunc ab uxore denominatum videtur fuisse. Habuisse enim communem aedem hos coniuges, adparet non ex P. Victore modo, qui Regione octava s. foro Romano *aedem Opis et Saturni* iunctim memorat, quum apud Sextum Rufum eadem Regione solius *Saturni templum* nominetur: sed etiam ex inscriptione apud Gruterum p. 26, 3. ubi *locus adsignatus aedi Opis et Saturni* dicitur etc. Non omisit hosce Deos paredros vir doctus Georgius d' Arnaud c. 23. *G.*

2 *contra Marium Priscum)* Vid. supra 2, 11. *G.*

consul designatus) *Quidni *consules designati?* Fuit forte in libro antiquo coss. DESS. ultima litera facile periit. Sed potuit tamen fieri, ut alter consulum designatorum primo ita *censuerit*, (quod senatorium verbum est) eique alii postea adsensi sint. Quare nihil contra libros hic mutandum. *G.*

in urnam coniici) ut sorte definiretur, quis inter plures a senatu nominatos accusaret Marium Priscum. *G.*

XXI. (IV)

TRAIANVS PLINIO S.

Et civis et ſenatoris boni partibus functus es, obſequium ampliſſimi ordinis, quod iuſtiſſime exigebat, praeſtando. Quas partes impleturum te ſecundum ſusceptam fidem confido.

XXII. (VII)

Gratias agit pro impetratis, quae rogaverat, et Alexandrinam quoque civitatem iatraliptae ſuo petit.

(Conf. ep. 4. et 5.)

C. PLINIVS TRAIANO.

Ago gratias, Domine, quod et ius Quiritium li-
bertis neceſſariae mihi feminae, et civitatem Ro-
manam Harpocrati, iatraliptae meo, ſine mora
indulſiſti. Sed quum annos eius et cenſum, ſic-
ut praeceperas, ederem, admonitus ſum a peri-
tioribus, debuiſſe me ante ei Alexandrinam
civitatem impetrare, deinde Romanam, quo-
2 niam eſſet Aegyptius. Ego autem, quia inter
Aegyptios ceterosque peregrinos nihil intereſſe
credebam, contentus fueram hoc ſolum ſcribere
tibi, eum ſcilicet a peregrina manumiſſum, pa-
tronamque eius iam pridem deceſſiſſe. De qua
ignorantia mea non queror, per quam ſtetit, ut

XXII, 1 *annos — et cenſum*) Haec enim profeſſio neceſſaria, ut ſcribatur aliquis in tabulis cenſualibus. Notum ex oratione pro Archia Poëta. *G.*

2 *per quam ſtetit, ut*) Elegans erroris ſui excuſatio. Non queror de errore meo, quum non uno libello petii, quod petendum erat; non excuſo tibi duplicem obiectam pro una reſpondendi moleſtiam: nam eadem etiam tibi nata eſt bis mihi gratificandi, mihi nata bis tibi gratias agendi occaſio. Sed illud nove dictum, *per quam ſtetit, ut obligarer.* Cum enim in hac formula, *ſtetit* alias vim ſuam retineat, ut ſit *ſubſtitit, non progreſſum eſt, impeditum eſt:* non ſequuntur apud antiquos, quantum obſervaverim, niſi verba negativa. Habuit tamen Secundus praeceptoris ſui auctoritatem. Sic enim Fabius decl. 250. p. 451. Burm. *Fortaſſe per te ſtetit, ut iniuriam hic quoque faceret. G.*

tibi pro eodem homine saepius obligarer. Rogo itaque, ut beneficio tuo legitime frui possim, tribuas ei et Alexandrinam civitatem, et Romanam. Annos eius et censum (ne quid rursus indulgentiam tuam moraretur) libertis tuis, quibus iusseras, misi.

XXIII. (VIII)

TRAIANVS PLINIO S.

Civitatem Alexandrinam secundum institutionem principum non temere dare proposui: sed cum Harpocrati, iatraliptae tuo, iam civitatem Romanam impetraveris, huic quoque petitioni tuae negare non sustineo. Tu ex quo nomo sit, notum mihi facere debebis, ut epistolam tibi ad Pompeium Plantam, praefectum Aegypti, amicum meum, mittam.

XXIV. (IX)

Commeatum in agros excurrendi petit, tum rerum suarum caussa, tum ut templum exstruat.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Quum divus pater tuus, Domine, et oratione pulcherrima, et honestissimo exemplo, omnes cives ad munificentiam esset cohortatus; petii ab eo, ut statuas principum, quas in longinquis agris per plures successiones traditas mihi, quales acceperam, custodiebam, permitteret in municipium transferre, adiecta sua statua. Quodque ille mihi cum plenissimo testimonio indulserat, ego statim decurionibus scripseram, ut adsignarent

XXIII *ex quo nomo sit)* Respondet Plinius supra ep. 5, ubi aliquid de *nomo*. G.

XXIV, 1 *in municipium)* Tifernum Tiberinum. Videtur enim idem templum, de quo 4, 1, 5. G.

ſolum, in quo templum pecunia mea exſtruerem:
illi in honorem operis ipſius electionem loci mihi
3 obtulerunt. Sed primum mea, deinde patris tui
valetudine, poſtea curis delegati a vobis officii
retentus, nunc videor commodiſſime poſſe in
rem praeſentem excurrere. Nam et menſtruum
meum Calend. Septembris finitur, et ſequens
4 menſis complures dies feriatos habet. Rogo er-
go, ante omnia permittas mihi, opus quod in-
choaturus ſum, exornare et tua ſtatua: deinde,
ut hoc facere quam maturiſſime poſſim, indul-
5 geas commeatum. Non eſt autem ſimplicitatis
meae diſſimulare apud bonitatem tuam, obiter te
plurimum collaturum utilitatibus rei familiaris
meae. Agrorum enim, quos in eadem regione
poſſideo, locatio quum alioqui CCCC excedat,
adeo non poteſt differri, ut proximam putationem
novus colonus facere debeat. Praeterea conti-
nuae ſterilitates cogunt me de remiſſionibus cogi-
tare: quarum rationem, niſi praeſens, inire non
6 poſſum. Debebo ergo, Domine, indulgentiae
tuae et pietatis meae celeritatem, et ſtatus ordina-

2 *in honorem*) Cortiana *in honore*, ſed, ut videtur, invito Cortio. *S.*

3 *delegati a vobis officii*) Loquitur de praefectura aerarii Saturni. Vid. ad 10, 20, 1. *G.*

menſtruum meum) Pulchre hic oſtendit Buchnerus, per menſtruas vices adminiſtrari ſolita Romae collegarum munera. De faſcibus Conſulum res apparet etiam ex Sueton. Caeſ. 20. et Gell. 2, 15. *G.*

Septembris) Immo *Septembribus*. *S.*

dies feriatos) Vindemiales praeſertim, item ludos, quod adparet ex Kalendariis. *G.*

5 *CCCC*) Supple *HS*. *S.*

putationem) Vinearum, quae fit mox a vindemia. Vid. Colum. 4, 9, 1. et 4, 10, 5. *G.*

de remiſſionibus) Vid. 9, 37, 2. Sed de hac ipſa re videtur agere 8, 2. init. *G.*

6 *pietatis — celeritatem*) Ut templo aedificando, ponendisque in eo ſtatuis, mox ſatisfaciam meae in Nervam atque te pietati. *G.*

ſtatus ordinationem) Ut mox conſtituere poſſim, quid meum ſit, quid alienum, quod ſcire ante non poſſum, quam remiſſiones illae ordinatae fuerint. *Status* hanc ſignificationem eſſe, ut certam et ſecuram patrimonii etiam rationem poſſeſſionemque notare poſſit, nullum dubium eſt: licet exempla, quae hic dedit Gronovius, ad rem familiarem, certe ſolam, pertinere non putem. Vid. Vell. 2, 2, 3. 2, 72, 5. Tac. 3, 28, 5. *G.*

tionem, si mihi ob utraque haec dederis commeatum XXX dierum. Neque enim angustius tempus praefinire possum, quum et municipium et agri, de quibus loquor, sint ultra centesimum et quinquagesimum lapidem.

XXV.

TRAIANVS PLINIO S.

Et privatas multas et omnes publicas caussas petendi commeatus reddidisti: mihi autem vel sola voluntas tua suffecisset. Neque enim dubito te, ut primum potueris, ad tam districtum officium reversurum. Statuam poni mihi a te eo, quo desideras loco, quamquam eiusmodi honorum parcissimus, tamen patior, ne impedisse cursum erga me pietatis tuae videar.

XXVI. (XVI)

Suum ad Bithyniam accessum nuntiat.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Quia confido, Domine, ad curam tuam pertinere, nuntio tibi, me Ephesum cum omnibus meis ὑπὲρ Μαλέαν navigasse. Quamvis contrariis ven-

Statum Gesnerus sensu nimis angusto intelligit. Complectitur enim non solum illas remissiones, sed etiam agrorum locationem, omninoque rationem rei familiaris Secundi. *S.*

XXVI *me Ephesum — navigasse*) Cur huc appulerit, docet I. A. Ernestius ad h. l. *S.*

ὑπὲρ Μαλέαν) Mentionem huius infimi ad austrum promontorii Laconiae facit quasi proverbio, quod infame naufragiis et latronibus esset. Vid. Berkel. ad Steph. Byzant. h. v. *G.*

Sulpicius epist. ad Ciceronem (4, 12.) *ille, ut aiebat, ὑπὲρ Μαλέας in Italiam versus navigaturus erat.* ad q. l. vid. Victorius pag. 201. ed. Graev. *S.*

Quamvis — retentus) Aut sic interpungendum, aut, si cum aliis editoribus *quamvis — retentus* antecedentibus continues, legendum, quod iam Stephanus suasit, *retentum.* Prius cum Gesnero praeferes, si contuleris ep. 28, 2. *S.*

tis retentus, nunc deſtino partim orariis navibus, partim vehiculis, provinciam petere. Nam ſicut itineri graves aeſtus, ita continuae navigationi eteſiae reluctantur.

XXVII. (XVII)

TRAIANVS PLINIO S.

Recte renuntiaſti mihi, Secunde cariſſime. Pertinet enim ad animum meum, quali itinere in provinciam pervenias. Prudenter autem conſtituis interim navibus, interim vehiculis uti, prout loca ſuaſerint.

XXVIII. (XVIII)

Nuntiat ſe tandem in provinciam veniſſe, et rationes excutere, propter quas menſorem ex urbe petit.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Sicut ſaluberrimam navigationem, Domine, usque Epheſum expertus, ita inde, poſtquam vehiculis iter facere coepi, graviſſimis aeſtibus, atque etiam
2 febriculis vexatus, Pergami ſubſtiti. Rurſus, quum tranſiſſem in orarias naviculas, contrariis ventis retentus, aliquanto tardius, quam ſperaveram, id eſt XV. Calend. Octobres, Bithyniam intravi.

orariis navibus) parvis, quibus *orae* leguntur, an quae *oris* i. e. funibus e litore trahuntur? Recte huc advocavit vir doctus illud Rutilii 1, 219. *Progredimur parvis per litora proxima cymbis, Quarum perfugio crebra pateret humus.* G.

eteſiae reluctantur) Tendenti nempe in Bithyniam, verius Septemtrionem, reſſant eteſiae, boreales venti, etiam Nilum retinere quibusdam creditu etc. *G.*

XXVII *mihi, S. c.)* Al. *mi Secunde cariſſime.* Frequens hoc in Traiani ad Plinium epiſtolis: malimque et hic, ut amantius. *S.*

ad animum meum) Maius hoc quiddam, quam quod Plinius ſcripſerat, *ad curam tuam.* Curamus multa, quae tamen ad animum noſtrum non pertinent. *S.*

XXVIII, 1 *expertus)* Deſideres hic *ſum expertus.* *S.*

2 *id eſt XV. Calend. Octobres)* E gloſſa nata videntur I. A. Erneſtio. Non aſſentior. Con-

Non possum tamen de mora queri, quum mihi
contigerit, quod erat auspicatissimum, natalem
tuum in provincia celebrare. Nunc rei publicae 3
Prusensium impendia, reditus, debitores excutio:
quod ex ipso tractu magis ac magis necessarium
intelligo. Multae enim pecuniae variis ex caussis a
privatis detinentur: praeterea quaedam minime le-
gitimis sumtibus erogantur. Haec tibi, Domine, 4
in ipso ingressu meo scripsi. Quinto decimo Calend.
Octobres, Domine, provinciam intravi, quam in
eo obsequio, in ea erga te fide, quam de genere
humano mereris, inveni. Dispice, Domine, an 5
necessarium putes, mittere huc mensorem. Viden-
tur enim non mediocres pecuniae posse revocari a
curatoribus operum, si mensurae fideliter aguntur.
Ita certe prospicio ex ratione Prusensium, quam
cum Maximo tracto.

XXIX.

T R A I A N V S P L I N I O S.

Cuperem sine querela corpusculi tui, et tuorum,

ferenti enim seriem eorum, quae Traianus his Plinii literis rescripsit, apparet, hoc loco diem ingressus in provinciam indicatum fuisse. *S.*

3 *tractu*) Forte *tractatu*, quod ex coniectura Rittershusiana assumsit Cortius. *G.*

Assumsit item Gierigius. Vid. I. A. Ernestium ad h. l. *S.*

4 *Haec tibi — — inveni*) Uncis haec, ut spuria, Gierigius inclusit. Laudo factum. *S.*

5 *mensorem*) *aedificiorum* intellige, quod nomen etiam adiicitur in vetustis aliquot inscriptionibus apud Grut. p. 623. f. Sunt nempe hi *mensores* architecti, qui dimensis omnibus aestimant materiam pariter atque operam aedificiorum. Videtur autem Plinius Roma petiisse mensorem, non tam, quod peritus nemo esset in provincia; quam quod fidem non haberet Graeculis, metueretque, ne illi odio aut amori, vel lucro adeo, plus darent, quam fidei et religioni. Quam frequens hic fraus fuerit, docet titulus Digestorum 11, 6. si mensor falsum modum dixerit. Ad similem quaestionem simile responsum accipit Secundus 48, 6. 49, 3. *G.*

si — aguntur) Vix ferri hic potest indicativus modus, non propter conditionalem *si*, quae sine dubio indicativo saepe iungitur; sed quod ipsa sententia omnino suspensa, et cum modesta dubitatione coniuncta, videtur. Nolui tamen contra libros, quod sciam, omnes aliquid mutare. Sic mox 40, 4. *G.*

Adscivit Gierigius *agantur*. Cf. I. A. Ernestius ad h. l. *S.*

XXIX, 1 *tuorum*) Nolim tentare: per se enim intelligitur,

pervenire in Bithyniam potuiſſes, ac ſimile tibi iter ab Epheſo ei navigationi fuiſſet, quam exper-
2 *tus usque illo eras. Quo autem die perveniſſes in Bithyniam, cognovi, Secunde cariſſime, literis tuis. Provinciales, credo, proſpectum ſibi a me, intelligent. Nam et tu dabis operam, ut manifeſtum ſit illis, electum te eſſe, qui ad eosdem mei*
3 *loco mittereris. Rationes autem in primis tibi rerum publicarum excutiendae ſunt. Nam et eſſe eas vexatas ſatis conſtat. Menſores vix etiam iis operibus, quae aut Romae, aut in proximo, fiunt, ſufficientes habeo: ſed in omni provincia inveniuntur, quibus credi poſſit, et ideo non deerunt tibi, modo velis diligenter excutere.*

XXX.

Conſulit, cuſtodiae per publicos ſervos adſervandae ſint, an per milites.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Rogo, Domine, conſilio me regas haeſitantem, utrum per publicos civitatum ſervos (quod usque adhuc factum) an per milites, adſervare cuſtodias debeam. Vereor enim, ne et per ſervos publicos parum fideliter cuſtodiantur, et non exiguum
2 militum numerum haec cura diſtringat. Interim publicis ſervis paucos milites addidi. Video tamen periculum eſſe, ne id ipſum utrisque negligentiae cauſſa ſit; dum communem culpam hi in illos, illi in hos regerere poſſe confidunt.

XXXI. (XXI)

TRAIANVS PLINIO S.

Nihil opus eſt, mi Secunde cariſſime, ad conti-

gravisſimos illos aeſtus etiam comitibus Plinii moleſtos fuiſſe. Ceterum quid in hac epiſtola ioculare inſit, non video: immo omnia, ut peramanter, ita graviter ſcripta ſunt. *S.*

nendas custodias, plures commilitones converti. Perseveremus in ea consuetudine, quae isti provinciae est, ut per publicos servos custodiantur. Etenim, ut fideliter hoc faciant, in tua severitate ac diligentia positum est. In primis enim, sicut scribis, verendum est, ne, si permisceantur servis publicis milites, mutua inter se fiducia negligentiores sint: sed et illud haereat nobis, quam paucissimos milites a signis avocandos esse.

XXXII. (XXII)

Cur nondum a Basso supernumerarios milites revocaverit, significat.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Gabius Bassus, praefectus orae Ponticae, et reverentissime et officiosissime, Domine, venit ad me, et compluribus diebus fuit mecum. Quantum perspicere potui, vir egregius, et indulgentia tua dignus: cui ego notum feci, praecepisse te, ut ex cohortibus, quibus me praeesse voluisti, contentus esset beneficiariis decem, equitibus duobus, centurione uno. Respondit, non sufficere sibi hunc numerum, idque se scripturum tibi. Hoc in caussa fuit, quo minus statim revocandos putarem, quos habet supra numerum.

XXXII *beneficiariis)* Dubiae admodum conditionis homines in locum suum vindicasse videtur vir illustris Ge. Christian. Gebauerus in originibus Feodi p. 6. sqq. Breviter, sunt milites beneficio Ducis sui s. Tribuni a durioribus militiae muneribus, portandi, fodiendi, liberi, ut propriam belli operam tanto enixius navarent, quos proinde Duces custodiae et ministeriorum quorundam caussa circa se habebant, *ἐπὶ θεραπείᾳ τῶν Μαγιστράτων τεταγμένοι*, ut optime in glossis verborum iuris Car. Labbaei ex ipsius emendatione definiuntur. Haec descriptio ad loca veterum omnia convenit, et ad conciliandum cum Festo, i. e. Verrio Flacco, Vegetium etiam valet: quod ex Gebaueri observatis in thesauro Linguae Latinae ostendere non omittemus. *G.*

XXXIII. (XXIII)

TRAIANVS PLINIO S.

Et mihi scribit Gabius Bassus, non sufficere sibi eum militum numerum, qui ut daretur illi, mandatis meis complexus sum. Quod quaeris, scripsisse me, ut notum haberes, his literis subiici iussi. Multum interest, res poscat, an homines imperare latius velint. Nobis autem utilitas demum spectanda est: et quantum fieri potest, curandum, ne milites a signis absint.

XXXIV. (XXIV)

Prusensium nomine balineum rogat exstrui.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Prusenses, Domine, balineum habent et sordidum
et vetus. Id itaque, indulgentia tua, restituere
desiderant: ego tamen aestimans novum fieri de-
bere, videris mihi desiderio eorum indulgere
2 posse. Erit enim pecunia, ex qua fiat: primum
ea, quam revocare a privatis et exigere iam coe-
pi: deinde, quam ipsi erogare in oleum soliti,

XXXIII *Quod quaeris, scripsisse)* *Locus depositus, cui tamen sensum mentemque reddidit illustris Gebauerus laudatis modo origg. Feodi 1, A. p. 8. not. z. *Quoi quae rescripserim, ut notum haberes.* Mirifice favet huic coniecturae antiqui Codicis lectio a Catanaeo prolata, *Quot quaeris scripsisse me:* quam si recipimus, ipsum tamen *Quot* non tam a Plinio, quam a librario antiquario, qui pro *Cui* ita dederit, acceptum referendum videtur. *G.*

XXXIV, 1 *ego tamen — videris)* Manifestum anacoluthon, sive Plinii fusum incuria, sive descriptoribus imputandum sit. Quam non infrequentia sint talia apud optimos quosque scriptores, docent quos laudat Cort. ad Sallust. Iug. 50, 1. add. Davis. ad Cic. Tusc. 2, 1. Simillimum est Hirtii de B. Afr. c. 25. pr. *Rex Iuba cognitis Caesaris difficultatibus, et copiarum paucitate,* visum est etc. Etiam hic plura dedit Davisius. *G.*

2 *revocare a privatis)* Vid. Ep. 28, 3. *G.*

in oleum) Quod publice praeberetur in balneis: unde publicum munus ut *sitonias*, sic *eleonias*, σιτωνίας, ἐλαιωνίας, *emendi olei*, de quo l. 18. §. 5. π. de vacat. et excusat. muner. add. Cuiac. ad l. 6. π. de excusatio-

parati ſunt in opus balinei conſerre. Quod alioqui et dignitas civitatis, et ſeculi tui nitor poſtulat.

XXXV. (XXV)

TRAIANVS PLINIO S.

Si inſtructio novi balinei oneratura vires Pruſenſium non eſt, poſſumus deſiderio eorum indulgere: modo ne quid ideo aut intribuant, aut minus illis in poſterum ſiat ad neceſſarias erogationes.

XXXVI. (XXVI)

De militibus, liberto Caeſaris relinquendis, conſulit.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Maximus, libertus et procurator tuus, Domine, praeter decem beneficiarios, quos adſignari a me Gemellino, optimo viro, iuſſiſti, ſibi quoque confirmat neceſſarios eſſe milites. Ex his interim, ſicut inveneram, in miniſterio eius relinquendos exiſtimavi: praeſertim quum ad frumentum comparandum iret in Paphlagoniam. Quin etiam tutelae cauſſa, quia deſiderabat, addidi duos equites. In futurum quid ſervari velis, rogo reſcribas.

XXXVII. (XXIX)

TRAIANVS PLINIO S.

Nunc quidem proficiſcentem, ad comparationem

nibus. Vetus lapis ap. Grut. p. 576, 5. *L. Caecilius — HS. N. XXX. Municipibus Comenſibus legavit, quorum reditu quotannis per Neptunalia oleum in campo, et in thermis, et balineis omnibus, quae ſunt Comi, populo praeberetur.* G.

XXXVI *Maximus)* De quo etiam ep. 17. G.

beneficiarios) Vid. ad ep. 32. G.

interim, ſicut inveneram) *Videtur numerus militum deeſſe. G.

frumentorum, Maximum, libertum meum, recte militibus instruxisti. Fungebatur enim et ipse extraordinario munere. Quum ad pristinum actum reversus fuerit, sufficient illi duo a te dati milites, et totidem a Virbio Gemellino, procuratore meo, quem adiuvat.

XXXVIII. (XXX)

Consulit de poena servorum inter tirones repertorum.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Sempronius Caelianus, egregius iuvenis, repertos inter tirones, duos servos misit ad me: quorum ego supplicium distuli, ut te, conditorem disciplinae militaris firmatoremque, consulerem de
2 modo poenae. Ipse enim dubito ob haec maxime, quod, ut iam dixerant, sacramento militari nondum distributi in numeros erant. Quid ergo debeam sequi, rogo, Domine, scribas, praesertim quum pertineat ad exemplum.

XXXIX. (XXXI)

TRAIANVS PLINIO S.

Secundum mandata mea fecit Sempronius Caelianus, mittendo ad te eos, de quibus cognosci oportebat, an capitale supplicium meruisse videantur. Refert autem, voluntarii se obtulerint,
2 *an lecti sint, vel etiam vicarii dati. Lecti si sunt, inquisitor peccavit: si vicarii dati, penes eos cul-*

XXXVIII, 1 *duos servos)* Laudavit opportune Buchnerus l. 11. π. de re milit. ubi Marcianus, *Ab omni*, inquit, *militia servi prohibentur, alioquin capite puniuntur.* G.

2 *quod, ut iam etc.)* Interpungendum: *quod, ut iam dixerant sacramento militari, nondum* etc. *Sacramento dicere* solennis locutio. S.

XXXIX, 2 *inquisitor)* Libri veteres *inquisitio*; quod praeferendum videtur, tanquam paullo

pa eſt, qui dederunt: ſi ipſi, quum haberent conditionis ſuae conſcientiam, venerunt, animadvertendum in illos erit. Neque enim multum intereſt, quod nondum per numeros distributi ſunt. Ille enim dies, quo primum probati ſunt, veritatem ab his originis ſuae exigit.

XL. (XXXII)

Quaerit, quid faciendum de damnatis ſit, qui miniſteriis publicis ſe immiſcuerunt.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Salva magnitudine tua, Domine, deſcendas oportet ad meas curas, quum ius mihi dederis referendi ad te, de quibus dubito. In plerisque ci- 2
vitatibus, maxime Nicomediae et Niceae, quidam vel in opus damnati, vel in ludum, ſimiliaque his genera poenarum, publicorum ſervorum officio miniſterioque funguntur, atque etiam, ut publici ſervi, annua accipiunt. Quod ego quum audiſſem, diu multumque haeſitavi, quid facere deberem. Nam et reddere poenae poſt longum tem- 3
pus plerosque iam ſenes, et, quantum adfirmatur, frugaliter modeſteque viventes, nimis ſeverum

abſtruſius, neque tamen non verum, ut *miniſterium* pro *miniſtris* et i. g. a. *G.*

Praetulit cum Longolio Gierigiua. *S.*

quo primum probati ſunt) Quo tribunus vel ipſe dux exploratione facta illos idoneos et recipiendos iudicavit, licet non ſtatim ſacramento dixerint. Explicat Vegetius 1, 4. *cuius aetatis tirones* probandi, et c. 5. *qua ſtatura ſint* probandi etc. Probatur autem, ut obiter adiiciamus locum, qui nos detinuit, *adoleſcens vigilantibus oculis, erecta cervice, lato pectore, humeris muſculoſis, valentibus digitis, longioribus brachiis, ventre modico, exilior cruribus, ſuris, et pedibus non ſuperflua carne distentis, ſed nervorum duritia collectis.* Quo igitur die probati ſunt, ſignificante eo, qui delectum agit, eos ſibi probari, ſe velle illos recipere, indicare debent originem ſuam etc. *G.*

XL, 2 *in opus, in ludum*) *In opus*, quale eſt *metalli*; *in ludum* gladiatorium, vel venatorium, ubi depugnandum cum beſtiis. Laudatus iam hic eſt Paullus rec. ſent. 5, 17. it. Ulpian. l. 8. π. de poenis §. 5. ſq. *G.*

arbitrabar; et in publicis officiis retinere damnatos, non satis honestum putabam; eosdem rursus a republica pasci otiosos, inutile; non pasci,
4 etiam periculosum existimabam. Necessario ergo rem totam, dum te consulerem, in suspenso reliqui. Quaeres fortasse, quemadmodum evenerit, ut poenis, in quas damnati erant, exsolverentur: et ego quaesivi, sed nihil comperi, quod adfirmare tibi possum. Ut decreta, quibus damnati erant, proferebantur; ita nulla monimenta, quibus libe-
5 rati probarentur. Erant tamen, qui dicerent deprecantes, iussu proconsulum legatorumve dimissos. Addebat fidem, quod credibile erat, neminem hoc ausum sine auctore.

XLI. (XXXIII)

TRAIANVS PLINIO S.

Memineris, idcirco te in istam provinciam missum, quoniam multa in ea emendanda apparuerint. Erit autem vel hoc maxime corrigendum, quod qui damnati ad poenam erant, non modo ea sine auctore, ut scribis, liberati sunt, sed etiam in conditionem proborum ministrorum retrahun-
2 *tur. Qui igitur intra hos proximos decem annos damnati, nec ullo idoneo auctore liberati sunt, hos oportebit poenae suae reddi: si qui vetustiores invenientur, et senes, ante annos decem damna-*

3 *periculosum)* Ne victum peterent, unde non oportet, cum damno privatorum et rei publicae. *G.*

4 *in quas damnati)* *Libri quidam *dati*, eleganter et bonis auctoribus, ipsoque mox Traiano, ultimis proximae epistolae verbis. *G.*

quod — possum) Verius videtur *possim*, ut infinita magis et incerta reddatur oratio. Sed aetati suae hic forte indulsit Plinius, ut in illo *si aguntur* 10, 28, 5. *G.*

Vid. I. A. Ernestium ad h. l., qui *possim* non sprevisset, si reputasset, *comperi* hic non dici *ἀορίστως*, sed habere vim *τοῦ παρακειμένου*. *S.*

XLI, 1 *vel hoc maxime)* Accedo Rittershusio *hoc vel maxime* corrigenti. *S.*

ti, distribuamus illos in ea miniſteria, quae non longe a poena ſint. Solent enim eiusmodi, ad balineum, ad purgationes cloacarum, item munitiones viarum et vicorum, dari.

XLII. (XXXIV)

Nicomedenſe incendium narrat, et inſtitutionem collegii fabrûm commendat.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Quum diverſam partem provinciae circumirem,
Nicomediae vaſtiſſimum incendium multas privatorum domos, et duo publica opera, quamquam
via interiacente, Geruſian et Iſſon, abſumſit. Eſt 2
autem latius ſparſum: primum violentia venti,
deinde inertia hominum, quod ſatis conſtat otioſos et immobiles tanti mali ſpectatores perſtitiſſe:
et alioqui nullus usquam in publico ſipho, nulla
hama, nullum denique inſtrumentum ad incendia

XLII, 1 *Quum diverſam partem)* Videtur hoc indicare, per abſentiam ſuam in diverſa ac remotiore parte provinciae rem ſecius adminiſtratam Nicomediae. *G.*

Geruſian) Geruſia, *γερουσία*, ad verbum *ſenatum* notat: unde etiam Plutarchus lib. An ſeni resp. p. 1413. extr. *τὴν ἐν Λακεδαίμονι παραζευχθεῖσαν ἀριστοκρατίαν τοῖς βασιλεῦσιν - - ὁ Λυκοῦργος ἄντικρυς γερουσίαν ὠνόμασεν· ἡ δὲ Ῥωμαίων σύγκλητος ἄχρι νῦν γερουσία καλεῖται.* De Lacedaemoniis etiam Pauſan. Lacon. p. 92, 16. Ἡ *μὲν δὴ γερουσία συνέδριον Λακεδαιμονίοις κυριώτατον τῆς πολιτείας.* Pronum igitur erat *Geruſian* interpretari *curiam*, ſenatus habendi templum. Sed eſt etiam locus notabilis Vitruvii 2, 8. *Croeſi domus, quam Sardiani civibus ad requieſcendum aetatis otio, ſeniorum collegio Geruſian dedicaverunt.* Eadem repetit avunculus Plinii noſtri 35, 14. ſ. 49. Fuerit itaque quaſi *Prytaneum* Athenienſium, ubi honoris cauſſa aluntur ſenes de republica bene meriti. Sed *Gerontocomeion* egeſtati ſenum levandae dicatum etc. *G.*

et Iſſon) *Non habeo melius quidquam coniectura Rittershuſiana, [immo Catanaei. *S.*] *Iſeon*, Ἰσεῖον, templum Iſidis: cuius monetae nominum magnam vim, neque hoc omiſſo, recenſet Fabric. B. G. 2, 1, 7. Vol. 1, p. 257. ſq. Quin ab Eutropio 7, extr. inter *opera*, quae Romae fecit Domitianus, etiam eſt *Iſeum*, ubi male in paraphraſi edit. noviſſ. legitur τὸ Ἰσιὸν pro Ἰσεῖον: melius Cellar. Ἴσιον. *G.*

2 *nulla hama)* Ad adferendam aquam. Romae illud non negligebatur. Paullus l. 3. π. de

compefcenda. Et haec quidem, ut iam praecepi,
3 parabuntur. Tu, Domine, dispice, an instituendum putes collegium fabrorum, dumtaxat hominum CL; ego attendam, ne quis, nisi faber, recipiatur, neve iure concesso in aliud utatur. Nec erit difficile custodire tam paucos.

XLIII. (XXXV)

TRAIANVS PLINIO S.

Tibi quidem secundum exempla complurium in mentem venit, posse collegium fabrorum apud Nicomedenses constitui. Sed meminerimus, provinciam istam, et praecipue eas civitates, ab
1 *eiusmodi factionibus esse vexatas. Quodcunque nomen ex quacunque caussa dederimus iis, qui in idem contracti fuerint, hetaeriae, quamvis*
2 *breves, fient. Satius itaque est comparari ea, quae ad coërcendos ignes auxilio esse possint, admonerique dominos praediorum, ut et ipsi inhibeant; ac, si res poposcerit, accursu populi ad hoc uti.*

off. Praef. Vigil. §. 3. *Sciendum est praefectum vigilum per totam noctem vigilare debere, et coërrare* (quid si *coerare* h. e. *curare?*) *cum hamis et dolabris.* De hamis etiam Cato R. R. 135. *G.*

3 *ego attendam)* Suspecta Imperatori collegia omnia: itaque cautionem promittit Secundus et tamen, ut statim videbimus, non persuadet. *G.*

XLIII, 1 *factionibus)* Quibus occasionem dederant collegia eiusmodi: nempe homines honestissima etiam de caussa collecti, interdum, ubi vires suas sentiunt, contra rem publicam coitionem faciunt. Quid collegia opificum, quas *Gildas* vocant, saepe turbaverint, notum est. Haec caussa, obtentus certe, in Christianos saeviendi fuit. Vid. inf. ep. 97, 7. *Hetaeria*, ab ἑταῖρος *sodalis*, ad congressum proprie pertinet, cui oblectatio sola proposita est, *sodalitium.* Sed multo facilius haec in suspicionem adducitur. Novimus, quid nuper de *Collegii Fabrûm Liberalium* Britannici coloniis per Franciam et Italiam metuerint quidam principes. Add. infra ep. 93. et 97. 7. Similis ex aliqua parte species tractatur ep. 117. *G.*

2 *dominos praediorum)* Urbanorum nempe: quae apud ICtos praesertim frequens appellatio est. Vid. v. g. titulus Digestorum 8, 2. de Servit. praediorum urban. *G.*

XLIV. (XXXVI)

Vota pro principis ſalute ſuſcepta et ſoluta nuntiat.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Solennia vota pro incolumitate tua, qua publica ſalus continetur, et ſuſcipimus, Domine, pariter et ſolvimus, precati deos, ut velint ea ſemper ſolvi, ſemperque ſignari.

XLV. (XXXVII)

TRAIANVS PLINIO S.

Et ſolviſſe vos cum provincialibus, diis immortalibus vota pro mea ſalute et incolumitate, et nuncupaſſe, libenter, mi Secunde cariſſime, cognovi ex literis tuis.

XLVI. (XXXVIII)

Aquaeductum, Nicomediae fruſtra inceptum, perfici poſſe, ſi ex urbe aquilex mittatur.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

In aquaeductum, Domine, Nicomedenſes impenderunt HS XXX. CCC. XXVIIII, qui imper-

XLIV *Solennia)* Buchnerus hic laudavit Caium l. 233. de V. S. *Poſt Kalendas Ianuarias die tertio pro ſalute principis vota ſuſcipiuntur.* Ipſum hunc diem *Vota* appellatum cenſent. Sic Principum *Natales* et *Parilia*, et *Kalendae Ianuariae*, et *Vota* iunguntur apud Vopiſcum Tac. 9. Vid. omnino Caſaubon. ad Spartian. Adrian. c. 23. *G.*

ſignari) Scripto comprehendi, ut exſtet illorum memoria. Iam laudatus hic Rutgerſ. V. L. 5, 5. *G.*

XLVI, 1 *HS XXX)* Ad primum hunc numerum, ſi ſanus eſt, minimum intelligenda millia, ipſe ordo numerorum ſuadet, et forte impoſita fuit in libris antiquis transverſa linea, a poſterioribus, ut fit, omiſſa. Sunt enim 30329 ſeſtertii circiter 1200 imperiales. Quae deinde ſequuntur notae, CC, in iis etiam intelligo millia, qui ſunt 6666 2/3 imperiales. Alioquin non fuerit, cur Imperator appellet *tantam pecuniam.* Quin ſuadet epiſtola 48, 1. de *HS. centies*, ut putem non XXXM. ſ. *triginta millia* hic legendum, ſed *tricies*, qui ſunt

fectus adhuc relictus, ac etiam destructus est: rursus in alium ductum erogata sunt CC. Hoc quoque relicto, novo impendio est opus, ut aquam habeant, qui tantam pecuniam male perdi-
2 derunt. Ipse perveni ad fontem purissimum, ex quo videtur aqua debere perduci, sicut initio tentatum erat, arcuato opere, ne tantum ad plana civitatis et humilia perveniat. Manent adhuc paucissimi arcus: possunt et erigi quidam lapide quadrato, qui ex superiore opere detractus est: aliqua pars, ut mihi videtur, testaceo opere agen-
3 da erit. Id enim et facilius et vilius. Et in primis necessarium est, mitti a te vel aquilegem vel architectum, ne rursus eveniat, quod accidit. Ego illud unum adfirmo, et utilitatem operis et pulchritudinem seculo tuo esse dignissimam.

XLVII. (XXXIX)

TRAIANVS PLINIO S.

Curandum est, ut aqua in Nicomedensem civitatem perducatur. Vere credo, te ea, qua debebis, diligentia hoc opus adgressurum. Sed, me Dius fidius, ad eandem diligentiam tuam pertinet, inquirere, quorum vitio ad hoc opus tantam pecuniam Nicomedenses perdiderint, ne, quum

centies mille imperiales: ac deinde *ducenties*, h. e. 666666 2/3 imperiales. Hae demum summae tantis ac tam magnificis operibus dignae. Ceterum si quis lector et hanc epistolam recte intelligere, et de hac tota ratione antiquae magnificentiae recte edoceri cupis, legendi erunt commentarii Illustrissimi Marchionis Poleni ad Frontinum, quo opere nihil in hoc genere perfectius limatiusque visum adhuc esse, mihi videbatur. *G.*

Vid. I. A. Ernestius ad h. l. *S.*

3 *Et in primis*) Puto scribendum: *Sed in primis.* *S.*

XLVII *ad hoc opus*) Al. *ad hoc tempus.* quod I. A. Ernestio haud displicet. *S.*

quum) Cum I. Fr. Gronovio legendum *dum.* Sic et I. A. Ernestius. Ceterum Gierigius errat ante *et inchoaverint* inserendum esse *impune* arbitrans. Non meminerat, *ne* hic πευτικῶς dictum

inter se gratificantur, et inchoaverint aquaeductus, et reliquerint. Quid itaque compereris, perfer in notitiam meam.

XLVIII.

De Nicensium et Claudiopolitanorum aedificationibus consulit.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Theatrum, Domine, Niceae maxima iam parte
constructum, imperfectum tamen, sestertium, ut
audio, (neque enim ratio plus excussa est) amplius
centies hausit: vereor ne frustra. Ingentibus enim 2
rimis descendit et hiat, sive in caussa solum humidum
et molle, sive lapis ipse gracilis et putris:
dignum est certe deliberatione, sitne faciendum,
an sit relinquendum, an etiam destruendum. Nam
fulturae ac substructiones, quibus subinde suscipitur,
non tam firmae mihi quam sumtuosae videntur.
Huic theatro ex privatorum pollicitatio- 3
nibus multa debentur, ut basilicae circa, ut porticus
supra caveam: quae nunc omnia differuntur
cessante eo, quod ante peragendum est. Ii- 4
dem Nicenses gymnasium, incendio amissum, ante

esse. Vid. Perizon. ad Sanct. Min. 4, 15, 30. *S.*

Quid) An *quidquid?* Nisi cum I. A. Ernestio malis *quod.* *S.*

XLVIII, 1 *plus)* I. A. Ernestius pro vitioso habet rescribitque *dum.* Legendumne *penitus?* Certe *plus* vix genuinum. *S.*

2 *descendit)* Tuetur hoc I. A. Ernestius, quem vide. *S.*

sitne — an sit) Servavi lectionem Cellarianam, cum adhuc unum *an* sequatur. Quae adferuntur ex bonae aetatis scriptoribus ad tuendum usum *τῆς aut* post *utrum* aut *ne,* ea vereor, ut vel non habeant disiunctionem veram, aut librariis semibarbaris debeantur. Ipsum illud nostri 1, 18, 5. non ita cohaeret, *Dispice, an vertas, aut rescribas:* sed *dispice, aut rescribe.* Vid. tamen ad Paneg. 84, 1. *G.*

Nec magis ita cohaeret Traiani illud epist. 39, 1. *Refert autem, voluntarii se obtulerint, an lecti sint, vel etiam vicarii dati.* Ibi enim voluntariis opponuntur, et lecti, et vicarii dati. *S.*

3 *porticus supra caveam)* Quibus ornetur et tegatur supréma illa post gradus omnes theatri praecinctio et ambulatio. *G.*

adventum meum restituere coeperunt longe numerosius laxiusque, quam fuerat. Etiam aliquantum erogaverunt: periculum est, ne parum utiliter. Incompositum enim et sparsum est. Praeterea architectus, sane aemulus eius, a quo opus inchoatum est, adfirmat, parietes (quamquam viginti et duos pedes latos) imposita onera sustinere non posse, quia sine caemento medio farti, nec
5 testaceo opere praecincti. Claudiopolitani quoque in depresso loco, imminente etiam monte, ingens balineum defodiunt magis, quam aedificant, et quidem ex ea pecunia, quam buleutae addunt

4 *longe numerosius*) Vel plurium cubiculorum et membrorum, ut vult Gronovius, vel certe quod maiorem hominum numerum capiat, ut *numerosa subsellia* 2, 14, 6. *G.*

Non probat haec I. A. Ernestius, nihil ipse afferens, quod melius sit. *S.*

sine caemento) *Caementa* magni lapides ad angulos rectos caesi, fundamentis idonei. Hinc apud Horatium Od. 3, 1, 34. cum iaci in altum moles debent, *caementa demittit redemtor*, ac 3, 24, 3. *Caementis occupatur mare Tyrrhenum* etc. Parietes itaque qui sustinere onera debent, caementis struuntur optime. Iidem *testaceo opere praecingi* dicuntur, cum *corium* illis, nam sic etiam loquuntur, inducitur ex testa s. figlina materia tusa, calce temperata. Hoc opere, quod *Signinum* etiam vocatur, tegi parietes, hoc piscinas, hoc pavimenta fieri iubent rustici mei. vid. Lex. Rust. et add. Polen. ad Frontin. art. 10. n. 9. et art. 125. n. 4. Hoc igitur vel Signino vel testaceo munitus et praecinctus paries ab aquis tutus, vitium eo minus potest facere; hoc continetur, si quid etiam in medio *farcti* sit, h. e. rudere, lapillis, glarea, modo impleti. Si vero *sine caemento medio farti* tantum sint parietes, *nec certe testaceo opere praecincti*, facile aqua penetrat, facile dilabitur materia. *Haec ipsa interpretatio ostendit, falsam esse alteram lectionem, *quia sint caemento medii farti*. *Caemento farciri* non dicitur paries, sed materie minuta: a *caementis* non fit imbecillis aut vitiosus paries, sed substructionibus aptissimus. *G.*

Non reiiciam illud *sint*. Plinius enim videtur scripsisse: *quia sint sine* etc. *S.*

5 *buleutae addunt*) *Quid hic sibi velit *addunt*, quod libros omnes obsedit, nemo docet. *Additi* coniicit Casaubonus, plaudentibus aliis. Sermo enim est de *buleutis* s. *decurionibus* (quo nomine esse in aliis urbibus, qui Romae *senatores*, translaticium est) qui beneficio Traiani creati, et reliquis *additi*, non a suis censoribus lecti sunt. Quid si *adiuncti* legamus? Hi quidem et sono vocis, et numero apicum, propius a verbo *addunt* videntur abesse. Res ipsa satis declaratur infra ep. 113. et 114. *G.*

Ego tamen vix intelligo, cur hoc in loco commemoretur illud, buleutas *creatos esse beneficio Traiani*. Haec sententia plane aliena est. Mihi in voce *addunt* latere videtur vel hoc: *aut dant*, ut pecunia illa ex fisco Traiani

beneficio tuo, aut iam obtulerunt ob introitum,
aut nobis exigentibus conferent. Ergo quum ti- 6
meam, ne illic publica pecunia, hic, quod est
omni pecunia pretiosius, munus tuum male collo-
cetur; cogor petere a te, non solum ob thea-
trum, verum etiam ob haec balinea, mittas ar-
chitectum, dispecturum, utrum sit utilius post
sumtum, qui factus est, quoquo modo consum-
mare opera, ut inchoata sunt: an, quae videntur
emendanda, corrigere; quae transferenda, trans-
ferre; ne, dum servare volumus, quod impensum
est, male impendamus, quod addendum est.

XLIX. (XLI)

TRAIANVS PLINIO S.

*Quid oporteat fieri circa theatrum, quod inchoa-
tum apud Nicenses est, in re praesenti optime
deliberabis et constitues. Mihi sufficiet indicari,
cui sententiae adcesseris. Tunc autem a privatis
exigi opera tibi curae sit, quum theatrum (pro-
pter quod illa promissa sunt) factum erit. Gy-* 2
*mnasiis indulgent Graeculi: ideo forsitan Nicenses
maiore animo constructionem eius adgressi sunt:
sed oportet illos eo contentos esse, quod possit illis*

vel saltem eo concedente ex aerario sumta significetur: aut hoc: *dabunt*, eodem sensu. Unde et mox *munus* dicitur. *E.*

Conf. I. A. Ernestius ad h. l. Suspicor scribendum esse *addendi*. Nostra lectio nasci potuit ex altera forma, invecta fortasse a librario captante archaismos, *addundi:* quae si cui mira videatur, sciat in Lucretio legi *reddundus*, 1, 54. 5, 67. *S.*

6 *munus tuum)* Quod licet praeter suas leges, aerarii subplendi caussa, legere supra numerum decuriones sive bulentas, qui pecuniam eo nomine publico conferant. *G.*

dum servare volumus) Ut, *ne perdiderit, non cessat perdere lusor. G.*

XLIX, 1 *Mihi sufficiet)* Pronomen *Mihi* aeque ad *sufficiet*, quam ad *indicari* referri potest. Saepe talia occurrunt, ut notavimus ad 8, 6, 17. it. ad 8, 10, 12. *G.*

2 *maiore animo)* animosius, cupidius, ut proinde maiora viribus susceperint. *G.*

illos — illis) Alterutrum delet I. A. Ernestius. Sane abesse poterat. *S.*

3 *sufficere. Quod Claudiopolitanis circa balineum, quod parum (ut scribis) idoneo loco inchoaverunt, suadendum sit, tu constitues. Architecti tibi deesse non possunt. Nulla provincia est, quae non peritos et ingeniosos homines habeat: modo ne existimes, brevius esse, ab urbe mitti, quum ex Graecia etiam ad nos venire soliti sunt.*

L. (XLII)

Suadet, ut lacus Nicomedensis cum mari fossa coniungatur.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Intuenti mihi et fortunae tuae et animi magnitudinem, convenientissimum videtur, demonstrare opera non minus aeternitate tua, quam gloria digna, quantumque pulchritudinis, tantum utilitatis
2 habitura. Est in Nicomedensium finibus amplissimus lacus: per hunc marmora, fructus, ligna, materiae, et sumtu modico et labore usque ad viam navibus, inde, magno labore, maiore impendio, vehiculis ad mare devehuntur. Sed hoc opus multas manus poscit. At hae pro re non

3 *Quod Claudiopolitanis)* Al. bene: *Quid Cl. S.*

modo ne existimes) Vid. ad 10, 28, 5. *G.*

soliti sunt) Immo *soliti sint. S.*

L, 1 *demonstrare opera)* Subiicere tibi et ostendere opera, in quibus possis illam animi tui et fortunae magnitudinem declarare, et commendare posteritati. Alioquin possit etiam alicui, qui vim verbi Graeci *ἀποδεικνύειν* cogitet, in mentem venire, *demonstrare* hic ad ipsum Traianum referri, et idem esse quod *efficere.* Sed sic illud *convenientissimum* de Traiano non usurpaturus videtur politissimus scriptor et submisse admodum agere cum Imperatore solitus. *G.*

2 *Sed hoc opus* etc.) Lacunam, quam viri docti hic reperisse sibi visi sunt, quomodo I. A. Ernestius expleverit, vide in eius ad h. l. nota. Durior sane ellipsis, si talem Plinius sibi indulsit: quamquam Traiano non opus fuit divinatione, ut intelligeret, de quonam ille opera loqueretur. Ceterum *Sed — poscit* obiectio est, cui respondent sequentia, *At — desunt.* Moneo, ne quis cum I. A. Ernestio corrigendum putet, *Et hae* etc. *S.*

desunt. Nam et in agris magna copia est homi-
num, et maxima in civitate: certaque spes, omnes
libentissime adgressuros opus omnibus fructuosum.
Superest, ut tu libratorem vel architectum, si tibi 3
videbitur, mittas, qui diligenter exploret, sitne
lacus altior mari, quem artifices regionis huius
quadraginta cubitis altiorem esse contendunt. Ego 4
per eadem loca invenio fossam a rege percussam:
sed incertum, utrum ad colligendum humorem
circumiacentium agrorum, an ad committendum
flumini lacum; est enim imperfecta: hoc quoque
dubium, intercepto rege mortalitate, an desperato
operis effectu. Sed hoc ipso (feres enim me am- 5
bitiosum) pro tua gloria incitor et accendor, ut
cupiam peragi a te, quae tantum coeperant reges.

LI. (XLIII)

TRAIANVS PLINIO S.

Potest nos solicitare lacus iste, ut committere illum mari velimus: sed plane explorandum est diligenter, ne, si immissus in mare fuerit, totus effluat; certe, quantum aquarum, et unde accipiat. Poteris a Calpurnio Macro petere libratorem, et ego hinc aliquem tibi, peritum eiusmodi operum, mittam.

3 *libratorem)* Qui *libram* aquae exploret, h. e. quantum altitudo eius a centro terrae computata unius loci, superet altitudinem loci alterius. Qui verbia Latinis et dilucidis ad veterum mentem totnm hoc de *libra*, *libramento*, *libratoribus* disputatum legere vult, illi satisfaciet Io. Polenus ad Frontin. de aquaeduct. art. 18. p. 61. sq. *G.*

4 *a rege percussam)* Loquiturne more antiquo Romanorum et Graecorum de rege Persarum; an successorum Alexandri aliquem indefinite designat? *G.*

Add. Gesneri ad I. A. Ernest. epistolam, ipsumque ad h. l. Ernestium. *S.*

intercepto rege mortalitate) *μεσολαβηθέντος τοῦ βασιλέως ὑπὸ τῆς πεπρωμένης.* Saepe sic Diodorus; vid. 16, 1. *S.*

5 *pro tua gloria)* Bonane fide, Secunde? Nonne sperabas futurum, ut tuum etiam, Legati, nomen in pariete haereret? *G.*

Gierigius *pro tua gloria* bene coniungit cum *ambitiosum*. *S.*

3 *sufficere. Quod* ... *IV)*
quod parum (ut ... *legationem ad principem*
suadendum sit ... *detulit.*
non possunt.
tos et ingen...

TRAIANO IMP. S.

mes, brevi ... *cia etiam* ...

Requirenti mihi Byzantiorum reipublicae impendia, quae maxima fecit, indicatum est, Domine, legatum ad te salutandum annis omnibus cum psephismate mitti, eique dari nummorum duodena millia. Memor ergo propositi tui, legatum
2 quidem retinendum, psephisma autem mittendum putavi, ut simul et sumtus levaretur, et impleretur publicum officium. Eidem civitati imputata
3 sunt terna millia, quae viatici nomine annua dabantur legato eunti ad eum, qui Moesiae praeest,
4 publice salutandum. Haec ego in posterum circumcidenda existimavi. Te, Domine, rogo, ut, quid sentias, rescribendo, aut consilium meum confirmare, aut errorem emendare digneris.

LIII. (XLV)

TRAIANVS PLINIO S.

Optime fecisti, Secunde carissime, duodena ista Byzantiis, quae ad salutandum me in legatum impendebantur, remittendo. Fungetur his partibus, etsi solum eorum psephisma per te missum fuerit. Ignoscet illis et Moesiae praeses, si minus illum sumtuose coluerint.

LII, 2 *legatum — retinendum*) Fuit Plinio hic etiam cum Cicerone aemulatio, quem tales provincialium legationes impediisse, ex fam. 3, 8. apparet. *G.* Addidit Plinius, ut Traianus certo sciret, illam summam singulis annis expensam esse. *S.*

3 *annua*) Non erat, cur I. A. Ernestio suspectum videretur.

LIII *Fungetur*) Praestat Iuntinae *fungentur*, quod Gierigius adscivit. *S.*

LIV. (XLVI)

Diplomata quamdiu valeant, doceri cupit.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Diplomata, Domine, quorum dies praeterita, an omnino obſervari, et quamdiu velis, rogo ſcribas, meque haeſitatione liberes. Vereor enim, ne in alterutram partem ignorantia lapſus, aut illicita confirmem, aut neceſſaria impediam.

LV. (XLVII)

TRAIANVS PLINIO S.

Diplomata, quorum praeteritus eſt dies, in uſu eſſe non debent. Ideo inter prima iniungo mihi, ut per omnes provincias ante mittam nova diplomata, quam deſiderari poſſint.

LVI. (XLVIII)

An Apameorum rationes, quod putabant contra privilegia eſſe, inſpiciendae ſint, conſulit.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Quum vellem Apameae, Domine, cognoſcere publicos debitores, et reditum, et impendia; reſponſum eſt mihi, cupere quidem univerſos, ut a me rationes coloniae legerentur; nunquam tamen eſſe lectas ab ullo proconſulum; habuiſſe privilegium et vetuſtiſſimum morem, arbitrio ſuo rempublicam adminiſtrare. Exegi, ut, quae dice- 2 bant, quaeque recitabant, libello complecteren-

LIV *Diplomata)* Vid. ad 10, 14. *G.*
LVI, 1 *habuiſſe privilegium)* Poterat aliquis ſuſpicari, poſt *habuiſſe* pronomen *ſe* excidiſſe. Sed ſic etiam *te* omittit Traianus mox 57, 2. *ut ſciant, hoc — eſſe facturum. G.*

LII. (XLIV)

De ſumtu Byzantiorum, in legationem ad principem quotannis facto, conſulit.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Requirenti mihi Byzantiorum reipublicae impendia, quae maxima fecit, indicatum eſt, Domine, legatum ad te ſalutandum annis omnibus cum pſephiſmate mitti, eique dari nummorum duode-
2 na millia. Memor ergo propoſiti tui, legatum quidem retinendum, pſephiſma autem mittendum putavi, ut ſimul et ſumtus levaretur, et implere-
3 tur publicum officium. Eidem civitati imputata ſunt terna millia, quae viatici nomine annua dabantur legato eunti ad eum, qui Moeſiae praeeſt,
4 publice ſalutandum. Haec ego in poſterum circumcidenda exiſtimavi. Te, Domine, rogo, ut, quid ſentias, reſcribendo, aut conſilium meum confirmare, aut errorem emendare digneris.

LIII. (XLV)

TRAIANVS PLINIO S.

Optime feciſti, Secunde cariſſime, duodena iſta Byzantiis, quae ad ſalutandum me in legatum impendebantur, remittendo. Fungetur his partibus, etſi ſolum eorum pſephiſma per te miſſum fuerit. Ignoſcet illis et Moeſiae praeſes, ſi minus illum ſumtuoſe coluerint.

LII, 2 *legatum — retinendum*) Fuit Plinio hic etiam cum Cicerone aemulatio, quem tales provincialium legationes impediiſſe, ex fam. 3, 8. apparet. *G.*
3 *annua*) Non erat, cur I. A. Erneſtio ſuſpectum videretur. Addidit Plinius, ut Traianus certo ſciret, illam ſummam ſingulis annis expenſam eſſe. *S.*

LIII *Fungetur*) Praeſtat Iuntinae *fungentur*, quod Gierigius adſcivit. *S.*

LIV. (XLVI)

Diplomata quamdiu valeant, doceri cupit.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Diplomata, Domine, quorum dies praeterita, an omnino obſervari, et quamdiu velis, rogo ſcribas, meque haeſitatione liberes. Vereor enim, ne in alterutram partem ignorantia lapſus, aut illicita confirmem, aut neceſſaria impediam.

LV. (XLVII)

TRAIANVS PLINIO S.

Diplomata, quorum praeteritus eſt dies, in uſu eſſe non debent. Ideo inter prima iniungo mihi, ut per omnes provincias ante mittam nova diplomata, quam deſiderari poſſint.

LVI. (XLVIII)

An Apameorum rationes, quod putabant contra privilegia eſſe, inſpiciendae ſint, conſulit.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Quum vellem Apameae, Domine, cognoſcere publicos debitores, et reditum, et impendia; reſponſum eſt mihi, cupere quidem univerſos, ut a me rationes coloniae legerentur; nunquam tamen eſſe lectas ab ullo proconſulum; habuiſſe privilegium et vetuſtiſſimum morem, arbitrio ſuo rempublicam adminiſtrare. Exegi, ut, quae dice- 2
bant, quaeque recitabant, libello complecteren-

LIV *Diplomata)* Vid. ad 10, 14. G.

LVI, 1 *habuiſſe privilegium)* Poterat aliquis ſuſpicari, poſt *habuiſſe* pronomen *ſe* excidiſſe. Sed ſic etiam *te* omittit Traianus mox 57, 2. *ut ſciant, hoc — eſſe facturum.* G.

tur: quem tibi, qualem acceperam, misi, quamvis intelligerem, pleraque ex illo ad id, de quo
3 quaeritur, non pertinere. Te rogo, ut mihi praecipere digneris, quid me putes observare debere. Vereor enim, ne aut excessisse, aut non implesse officii mei partes videar.

LVII. (XLIX)

TRAIANVS PLINIO S.

Libellus Apameorum, quem epistolae tuae iunxeras, remisit mihi necessitatem perpendendi, qualia essent, propter quae videri volunt eos, qui pro consulibus hanc provinciam obtinuerunt, abstinuisse inspectione rationum suarum, quum ipsum te, ut
2 *eas inspiceres, non recusaverint. Remuneranda est igitur probitas eorum: ut iam nunc sciant, hoc, quod inspecturus es, ex mea voluntate, salvis, quae habent, privilegiis, esse facturum.*

LVIII. (L)

Consulit, an aedes Matris Magnae transferri possit.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Ante adventum meum, Domine, Nicomedenses priori foro novum adiicere coeperunt, cuius in angulo est aedes vetustissima Matris Magnae, aut reficienda, aut transferenda: ob hoc praecipue, quod est multo depressior opere eo, quod nunc

2 *ex illo*) Valde suspectum fuit I. A. Ernestio. Poterat abesse: nec tamen ideo arbitrer delendum esse. *S.*

LVII, 1 *videri*) Non deleverim. Consulto addidit Traianus, quod res ei admodum dubia videretur. *S.*

ipsum te) iusti tam amantem. Noli igitur *ipsum* tentare. Ceterum notanda constructio: *quum ipsum te, ut eas inspiceres, non recusaverint.* S.

LVIII, 1 *opere eo*) Ipsum puto forum intelligi. *G.*

maxime surgit. Ego, quum quaererem, num esset aliqua lex dicta templo, cognovi alium hic, alium apud nos esse morem dedicationis. Dispice ergo, Domine, an putes aedem, cui nulla lex dicta est, salva religione posse transferri: alioqui commodissimum est, si religio non impedit.

LIX. (LI)

TRAIANVS PLINIO S.

Potes, mi Secunde carissime, sine solicitudine religionis, si loci positio videtur hoc desiderare, aedem Matris Deum transferre in eam, quae est accommodatior: nec te moveat, quod lex dedicationis nulla reperitur, quum solum peregrinae civitatis capax non sit dedicationis, quae fit nostro iure.

LX. (LIII)

Diem imperii solemniter celebratum esse nuntiat.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Diem, Domine, quo servasti imperium, dum suscipis, quanta mereris laetitia, celebravimus,

nunc maxime) Cortius et Gierigius *cum maxime*. quod et ipse praeferam. Sed vide I. A. Ernest. ad h. l., qui etiam docet, cur Secundus forum *opus* dixerit. *S.*

2 *salva religione*) Nam Romanis moribus *evocatione* Deorum, et *exauguratione* opus erat. Notum est ex Liv. 1, 55. et 5, 54. ut Terminus et Iuventas evocari se non passi sint, cum Capitolium cedere Iovi iuberentur. De Veiis et illorum Iunone Liv. 3, 21. et 22. Locus classicus Macrob. Sat. 3, 9. quem olim laudavimus ad Plin. 28, 2. s. 4. ubi etiam citavimus ill. Bergeri dissertationem de evocatione Deorum ex oppidis obsessis 1714. Vitebergae habitam. De evocandis sacris ad Ulpian. l. 9. §. 2. *ff.* de rer. divis. et qualit. exstat praeclara Henr. Cocceii disputatio habita 1711. *G.*

LX Similis argumenti est ep. 103. *G.*

servasti imperium) Paneg. 5, 6. *Obstinatum tibi non suscipere imperium, nisi servandum fuisset.* *G.*

precati deos, ut te generi humano, cuius tutela et ſecuritas ſaluti tuae inniſa eſt, incolumem florentemque praeſtarent. Praeiimus, et commilitonibus ius iurandum more ſolemni praeſtantibus, et provincialibus, qui eadem certarunt pietate, iurantibus.

LXI. (LIV)

TRAIANVS PLINIO S.

Quanta religione ac laetitia commilitones cum provincialibus, te praeeunte, diem imperii mei celebraverint, libenter, mi Secunde cariſſime, cognovi ex literis tuis.

LXII. (LV)

De uſu publicae pecuniae conſulit.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Pecuniae publicae, Domine, providentia tua et miniſterio noſtro etiam exactae ſunt et exiguntur: quae vereor ne otioſae iaceant. Nam et praediorum comparandorum aut nulla aut rariſſima occaſio eſt: nec inveniuntur, qui velint debere, reipublicae praeſertim, [duodenis] aſſibus, quanti

Praeiimus) *Praeivit* nempe Plinius verba iurisiurandi, quae ſequerentur milites et provinciales. *Ceterum non praetereunda lectio, quae ex margine Caſauboni et Minois laudatur, *more ſolemni, eadem provincialibus pietate certatim iurantibus*. Praeclare ſane, ſi ex libro antiquo: haberetque hanc ſententiam, ius iurandum exactum ſolum a militibus; provincialium vero circumſtantem coronam ſua ſponte ipſam quoque eadem ſe religione obſtrinxiſſe: eo fere modo, quo Cicerone iurante, ſervatam a ſe rempublicam, populus, vere illum iuraſſe, iuravit, quod ipſe narrat Fam. 5, 2. *G.*

LXII, 1 *debere, reipublicae*) Quae paratiſſimam habet facultatem exigendi debita, et non facile, niſi pignoribus datis, dat mutuum: quae hodieque *montium pietatis et Lombardicarum*, quas vocant, eſt ratio. *G.*

Interpunge: *qui velint debere reipublicae, praeſertim* etc. *S.*

duodenis aſſibus) *Si vera eſt lectio, ſignificat, *duodenis* in ſingulos annos *aſſibus* de centum uſurae nomine ſolvendis, debere homines rei publicae nolle. Sed cum menſtruae tantum uſurae

a privatis mutuantur. Diſpice ergo, Domine, numquid minuendam uſuram, ac per hoc idoneos debitores invitandos, putes; et, ſi ne ſic quidem reperiuntur, distribuendum inter decuriones pecuniam, ita ut recte reipublicae caveant: quod, quamquam invitis et recuſantibus, minus acerbum erit, leviore uſura conſtituta.

LXIII. (LVI)

TRAIANVS PLINIO S.

Et ipſe non aliud remedium diſpicio, mi Secunde cariſſime, quam ut quantitas uſurarum minuatur, quo facilius pecuniae publicae collocentur. Modum eius ex copia eorum, qui mutuabuntur, tu conſtitues. Invitos ad accipiendum compellere, quod fortaſſis ipſis otioſum futurum ſit, non eſt ex iuſtitia noſtrorum temporum.

ſoleant commemorari, non annuae; cum inſolens formula ſit, *debere duodenis aſſibus:* olim viſum eſt Salmaſio et Gronovio, pro *duodenis* legendum *uſuris.* Neque dubium eſt, *uſuras aſſes,* in menſes nempe, efficere *duodenos aſſes annuos.* Sed illud tamen praeſtare nemo, arbitror, poteſt, Plinii aetate non paullatim rationem illam uſurarum menſtruam ad annos integros revocari coeptam: et aeque conciſum eſt loquendi genus Cic. Fam. 5, 6. *Omnino ſemiſſibus* (uſuris mutuandae pecuniae) *magna copia eſt.* Igitur ἐπέχειν licebit. Si quid omnino mutandum, illud maxime probem, *duodenis* plane omitti, ut gloſſema alicuius, qui metueret, ne parum aperta eſſet oratio. Funccius ad LL. XII. tab. p. 172. ait, duodenos aſſes ſemiunciales = ſemiſſibus illis antiquis. Aſtute! quaſi alius as intelligi poſſet in uſura, alius in ſorte: aut quaſi omnino as hic pretii, non proportionis nomen eſſet. *G.*

Mihi, ut I. A. Erneſtio, totum illud *duodenis aſſibus* ſpurium videtur. *S.*

2 *distribuendum — pecuniam)* Sic ſolere Gerundio adiungi caſum verbi, notum eſt, et, ut alia taceamus, pluſculis Varronis exemplis in Lex. ruſtico noſtro demonſtratum. *Nempe ſequimur lectionem ex antiquis libris revocatam a Cl. Longolio. *G.*

LXIII *Modum — ex copia)* Nihil in univerſum conſtituit de modo uſurarum, ſemiſſesne exigendae ſint an quincunces etc. ſed illum iubet conſtitui e *copia,* prout offerretur facultas ſive copia hominum idoneorum, qui velint et poſſint plus minus dare. Sic optime Gronovius. *G.*

LXIV. (LVII)

De relegatis Imperatorem conſulit.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Summas, Domine, gratias ago, quod inter ma-
ximas occupationes iis, de quibus te conſului,
me quoque regere dignatus es: quod nunc quo-
2 que facias rogo. Adiit enim me quidam, indica-
vitque, adverſarios ſuos a Servilio Calvo, clariſſi-
mo viro, in triennium relegatos, in provincia
morari: illi contra, ab eodem ſe reſtitutos adfir-
maverunt, edictumque recitaverunt: qua cauſſa
neceſſarium credidi, rem integram ad te referre.
3 Nam ſicut mandatis tuis cautum eſt, ne reſtituam
ab alio aut a me relegatos; ita de iis, quos alius
relegaverit, et reſtituerit, nihil comprehenſum eſt.
Ideo tu, Domine, conſulendus fuiſti, quid ob-
ſervare me velles, tam, Hercule, de his, quam
de illis, qui in perpetuum relegati, nec reſtituti,
4 in provincia deprehenduntur. Nam haec quoque
ſpecies incidit in cognitionem meam. Eſt enim
adductus ad me in perpetuum relegatus a Iulio
Baſſo proconſule. Ego, quia ſciebam acta Baſſi
reſciſſa, datumque a ſenatu ius omnibus, de qui-
bus ille aliquid conſtituiſſet, ex integro agendi
dumtaxat per biennium, interrogavi hunc, quem
relegaverat, an adiiſſet, docuiſſetque proconſulem:

LXIV, 1 *quod — dignatus es)* *Qui eſſe aiunt in libris: ſed ſic commodius reſpondeat deinde *ſis* pro eo, quod conſtanter legitur, *es*. G.

iis) Deſideres *in iis*. Monuerunt iam I. A. Erneſtius et Gierigius. S.

3 *relegaverit, et reſtituerit)* Praeſtat cum Cortiana et Gierigiana legere: *et relegaverit, et reſtituerit*. S.

Hercule) Quomodo huic voci ſuus hic locus ſit, Gierigius ſatis ſe videre negat. At ſimiliter Plinius 6, 19, 6. *Proinde, ſi poenitet te Italicorum praediorum, hoc vendendi tempus, tam Hercule, quam in provinciis comparandi.* S.

de his) *Ita frequenter *his* et *iis* miſcent librarii, ut non multum auctoritate opus ſit, ſi alterum pro altero velis reponere. Et ſunt tamen hic, qui *his*, non *iis*, agnoſcunt. G.

4 *docuiſſetque proconſulem)* Succeſſorem Baſſi. *Docere* hic

negavit. Per quod effectum eft, ut te confule- 5
rem, reddendum eum poenae fuae, an gravius
aliquid, et quid potiffimum conftituendum puta-
res et in hunc, et in eos, fi qui forte in fimili
conditione invenirentur. Decretum Calvi et edi-
ctum, item decretum Baffi his literis fubieci.

LXV. (LVIII)

TRAIANVS PLINIO S.

*Quid in perfonam eorum ftatuendum fit, qui a
Publio Servilio Calvo proconfule in triennium re-
legati, et mox eiusdem edicto reftituti in provin-
cia remanferunt, proxime tibi refcribam, quum
cauffas huius facti a Calvo requifiero. Qui a Iulio* 2
*Baffo in perpetuum relegatus eft, quum per bien-
nium agendi facultatem habuerit, fi exiftimabat fe
iniuria relegatum, neque id fecerit, atque in pro-
vincia morari perfeveraverit, vinctus mitti ad
praefectos praetorii mei debet. Neque enim fuffi-
cit, eum poenae fuae reftitui, quam contumacia
elufit.*

LXVI.

De Archippo philofopho, in metallum damnato, confulit.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Quum citárem iudices, Domine, conventum in-

eam fere vim habet, quam in illa formula, qua litigator patronum *cauffam docet*. *G.*

5 reddendum eum) *Sic recte ex optimis libris reftitutum, omiffa τῇ *an* ante *reddendum*: quae particula etiam expungenda, monente Cortio, fuerat fupra 6, 16, 15. ubi dormitavimus. *G.*

LXV, 2 *quam — elufit*) Similis plane ratio mox 66, 2. *reddendum poenae, quam evafiffet.* *Errorem operarum puto, quod libri quidam habent *quem*. *G.*

LXVI, 1 *citarem iudices*) citare, *namentlich aufrufen*. Plin. 9, 13, 17. *Haec illi, quo quisque ordine citabantur.* ubi vid. Buchner. it. Clav. Cicer. v. citare. *S.*

conventum) Iudiciorum habendorum cauffa. Cic. Verr. II. *Nam fcitote effe oppidum in Sicilia nullum ex iis oppidis, in quibus confiftere Praetores, et conventum agere folent* etc.

choaturus, Flavius Archippus vacationem petere
2 coepit, ut philoſophus. Fuerunt qui dicerent,
non modo liberandum eum iudicandi neceſſitate,
ſed omnino tollendum de iudicum numero, red-
dendumque poenae, quam fractis vinculis evaſiſſet.
3 Recitata eſt ſententia Velii Paulli proconſulis, qua
probatur Archippus crimine falſi damnatus in me-
tallum: ille nihil proferebat, quo reſtitutum ſe
doceret. Allegabat tamen pro reſtitutione et li-
bellum a ſe Domitiano datum, et epiſtolas eius
ad honorem ſuum pertinentes, et decretum Pru-
ſenſium. Addebat his et literas tuas ſcriptas ſibi:
addebat et patris tui edictum, et epiſtolam, qui-
4 bus confirmaſſet beneficia a Domitiano data. Ita-
que, quamvis eidem talia crimina applicarentur,
nihil decernendum putavi, donec te conſulerem
de eo, quod mihi conſtitutione tua dignum vide-
batur. Ea, quae ſunt utrimque recitata, his lite-
ris ſubieci.

EPISTOLA DOMITIANI AD TERENTIVM MAXIMVM.

5 *Flavius Archippus philoſophus impetravit a me,
ut agrum ei DC circa Pruſiadem, patriam ſuam,
emi iuberem, cuius reditu ſuos alere poſſet. Quod
ei praeſtari volo: ſummam expenſam liberalitati
meae feres.*

Haec res occaſionem dedit, ut poſt in *conventus* dividerentur Provinciae, dictos ab iis urbibus, in quas convenire iuris dicendi vel impetrandi cauſſa vicini cogebantur. Sic Hiſpaniam dividit avunculus Plinii noſtri, et v. g. 3, 1. ſ. 3. de Baetica, *Iuridici*, inquit, *conventus ei quatuor, Gaditanus, Cordubenſis* etc. *G.*

vacationem) Ut excuſationem a tutelis, ſic ab aliis muneribus vacationem habebant Philoſophi. Vid. l. 6. §. 5. ſqq. π. de excuſationibus. Sic l. 18. §. ult. π. de muner. et honor. *philoſophi* quoque in iis referuntur, *qui civilium munerum vacationem habent.* Sed add. l. 8. §. 4. π. de vacat. et excuſ. muner. *G.*

3 *probatur)* Al. *probabatur*, quod praeferendum. *S.*

5 *agrum ei DC)* *Sexcentorum millium* i. e. vicies mille imperialium. De *Pruſiade* nihil conficit Cellarius: non improbabile tamen, eandem eſſe, quae deinde ep. 85, 1. *Pruſa ad Olympum* dicitur. *G.*

expenſam liberalitati) Noſtris

EIVSDEM AD L. APPIVM MAXIMVM.

Archippum philosophum, bonum virum, et 6
professioni suae, etiam maioribus respondentem, commendatum habeas velim, mi Maxime, et plenam ei humanitatem tuam praestes in iis, quae verecunde a te desideraverit.

EDICTVM DIVI NERVAE.

QVAEDAM SINE DVBIO, QVIRITES, IPSA FELICITAS 7
TEMPORVM EDICIT, NEC SPECTANDVS EST IN IIS BONVS PRINCEPS, QVIBVS ILLVM INTELLIGI SATIS EST, QVVM HOC SIBI QVISQVE CIVIVM MEORVM SPONDERE POSSIT, ME SECVRITATEM OMNIVM QVIETI MEAE PRAETVLISSE, VT ET LIBENTER NOVA BENEFICIA CONFERREM, ET ANTE ME CONCESSA SERVAREM. NE 8
TAMEN ALIQVAM GAVDIIS PVBLICIS ADFERAT HAESITATIONEM VEL EORVM QVI IMPETRAVERVNT DIFFIDENTIA, VEL EIVS MEMORIA QVI PRAESTITIT, NECESSARIVM PARITER CREDIDI AC LAETVM, OBVIAM DVBITANTIBVS INDVLGENTIAM MEAM MITTERE. NOLO 9
EXISTIMET QVISQVAM, QVAE ALIO PRINCIPE VEL PRIVATIM VEL PVBLICE CONSEQVVTVS, IDEO SALTEM

moribus diceret, *in rationibus scribes sub capite munerum. G.*

6 *maioribus respondentem)* Vel antiquis philosophis; vel parentibus et maioribus proprie dictis. *Elegans suspicio Rittershusii *moribus:* pulchrum *philosophus moribus respondens professioni.* Sed nihil certi. *G.*

Cum *maioribus* opponatur *philosophiae professioni*, intelligi oportet, non *maiores*, sed *maiora*. Ea autem sunt munera publica. Archippum in iudicibus fuisse, supra legimus. *S.*

7 *spectandus)* Forte *exspect.* Video hoc placere etiam Vonckio Obss. misc. c. 15. p. 91. *G.*

quum hoc sibi quisque) *Io. de Tridino cum edit. princ. *Cum hoc sibi civium meorum spondere possit vel non admonita persuasio.* Non fit mihi verisimile, talem mutationem a librariis profectam: sed cum excidissent verba, *vel non admonita persuasio*; inseruisse aliquem pronomen *quisque*. Sic statim iidem libri, *tu tot nova benef. conferre e. a. m. c. servare*, quae bene cohaerent superioribus, modo pro *tu* ponamus fuisse *tū* s. *tum*. *G.*

omnium) Gesneriana *omnem*, negligentiā, puto, operarum. *S.*

9 *quae alio principe)* *In antiquis libris est *quod*, per numeri enallagen, sive synesin. Et *fecero*, quod inclusimus, exsulat. *G.*

A ME RESCINDI, VT POTIVS MIHI DEBEAT, SI ILLA RATA ET CERTA [FECERO]: NEC GRATVLATIO VLLIVS INSTAVRATIS EGET PRECIBVS, [ET QVI NON HABENT, ME,] QVEM FORTVNA IMPERII VVLTV MELIORE RESPEXIT. ME NOVIS BENEFICIIS VACARE PATIANTVR: ET EA DEMVM SCIANT ROGANDA ESSE, QVAE NON HABENT.

EPISTOLA EIVSDEM AD TVLLIVM IVSTVM.

Quum rerum omnium ordinatio, quae prioribus temporibus inchoatae consummatae sunt, observanda sit, tum epistolis etiam Domitiani standum est.

LXVII. (LX)

Archippi et accusatricis libellos mittit principi.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Flavius Archippus per salutem tuam aeternitatemque petit a me, ut libellum, quem mihi dedit, mitterem tibi. Quod ego sic roganti prae-

ut — debeat) vid. Vonck. l. c. *G.*

Nec gratulatio) Ita hic locus ordinandus interpretandusque videtur: Neque novis atque ad me allegatis precibus opus est, ut gratulari plenum beneficium eiusque fructum liceat ei, quem *fortuna* superioris *imperii* s. superiorum imperatorum aliquis *meliore* placidoque *vultu respexit.* *Nimirum omissis recentiorum interpolationibus, quas uncinis interim cohibuimus, simpliciter revocandum, et ita, ut fecimus, interpungendam censemus primae editionis et Io. de Tridino lectionem. Corrumpendi huius loci ea videtur fuisse occasio, quod putaret aliquis, a *fortuna imperii* non posse *respici*, nisi ipsum Imperatorem. Quin *fortuna imperii* est maiestas Imperatoris, seu ipse Imperator, in quantum tribuit beneficia, quae nemo nisi Imperator tribuere potest. *G.*

Vid. I. A. Ernestius ad h. l. *S.*

quae non habent) Videtur Titi exemplum spectasse Divus Nerva, de quo Sueton. c. 8. *Quum ex instituto Tiberii omnes dehinc Caesares beneficia, a superioribus concessa principibus, aliter rata non haberent, quam si eadem iisdem et ipsi dedissent, primus praeterita omnia uno confirmavit edicto, nec a se peti passus est.* *G.*

ſtandum putavi; ita tamen, ut miſſurum me, notum accuſatrici eius facerem, a qua et ipſa acceptum libellum his epiſtolis iunxi, quo facilius, velut audita utraque parte, diſpiceres, quid ſtatuendum putares.

LXVIII. (LXI)

TRAIANVS PLINIO S.

Potuit quidem ignoraſſe Domitianus, in quo ſtatu eſſet Archippus, quum tam multa ad honorem eius pertinentia ſcriberet; ſed meae naturae accommodatius eſt credere, etiam ſtatui eius ſubventum interventu principis: praeſertim quum etiam ſtatuarum ei honor toties decretus ſit ab iis, qui ignorabant, quid de illo Paullus proconſul pronuntiaſſet. Quae tamen, mi Secunde cariſſime, non eo pertinent, ut, ſi quid illi novi criminis obiiciatur, minus de eo audiendum putes. Libellos Furiae Primae accuſatricis, item ipſius Archippi, quos alteri epiſtolae tuae iunxeras, legi.

LXIX.

Rurſus de lacu Nicomedenſium cum mari committendo ſcribit, ſeu reſpondet ad epiſt. LI.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Tu quidem, Domine, providentiſſime vereris, ne commiſſus flumini, atque ita mari, lacus effluat: ſed ego in re praeſenti inveniſſe videor, quemad-

LXVIII *ſtatui eius ſubventum*) Ne haberetur amplius pro *ſervo poenae*, quales ſunt damnati ad metalla l. 8. §. 4. et 12. ff. de poenis. Vid. 10, 66, 5. G.

ſtatuarum) An huc pertinet titulus Ο ΔΗΜΟΣ ΑΡΧΙΠΠΟΝ ΔΙΩΝΟΣ. G.

qui ignorabant) Senſum loci poſcere *qui non ignorabant*, bene vidit I. A. Erneſtius. Agitur enim de decreto Pruſenſium, quos proconſulis ſententia latere non potuit. S.

2 modum huic periculo occurrerem. Poteſt enim
lacus foſſa usque ad flumen adduci, nec tamen in
flumen emitti, ſed relicto quaſi margine contineri
pariter et dirimi: ſic conſequemur, ut nec vici-
no videatur flumini miſtus, et ſit perinde ac ſi
miſceatur. Erit enim facile per illam breviſſimam
terram, quae interiacebit, advecta foſſa onera
3 transponere in flumen. Quod ita fiet, ſi neceſſi-
tas coget; et, ſpero, non coget. Eſt enim et lacus
ipſe ſatis altus, et nunc in contrariam partem flu-
men emittit; quod interclusum inde, et quo vo-
lumus averſum, ſine ullo detrimento, lacui tan-
tum aquae, quantum nunc portat, adfundet.
Praeterea per id ſpatium, per quod foſſa facienda
eſt, incidunt rivi: qui ſi diligenter colligantur,
4 augebunt illud, quod lacus dederit. Enimvero
ſi placeat foſſam longius ducere, et arctius preſ-
ſam mari aequare, nec in flumen, ſed in ipſum
mare emittere, repercuſſus maris ſervabit et re-
primet quidquid e lacu veniet. Quorum ſi nihil
nobis loci natura praeſtaret, expeditum tamen
5 erat, cataractis aquae curſum temperare. Verum
et haec et alia multo ſagacius conquiret explora-
bitque librator, quem plane, Domine, debes
mittere, ut polliceris. Eſt enim res digna et ma-
gnitudine tua et cura. Ego interim Calpurnio
Macro, clariſſimo viro, auctore te, ſcripſi, ut li-
bratorem quam maxime idoneum mitteret.

LXX. (LXIII)

TRAIANVS PLINIO S.

Manifeſtum eſt, mi Secunde cariſſime, nec pru-

LXIX, 4 *arctius preſſam)* Arctior facienda eſt foſſa, ut non ita multa aqua, ſatis tamen alta fieri poſſit ad accipiendas naves. *Premere foſſam* pro fodere e Frontini ſtrateg. 1, 5, 8. notum. *Deprimere puteum*, vel certe *depreſſos puteos* dixit noſtri avunculus 37, 2. ſ. 9. it. 37, 9. ſ. 45. *Depreſſuros foſſam* Tac. A. 15. 42, 3. G.

repercuſſus maris) Hoc ea conditione fiet, ſi eodem fere libramento et faſtigio ſit utraque

dentiam nec diligentiam tibi defuiſſe circa iſtum lacum, quum tam multa proviſa habeas, per quae nec periclitetur exhauriri, et magis in uſus nobis futurus ſit. Elige igitur id, quod praecipue res ipſa ſuaſerit. Calpurnium Macrum credo ſacturum, ut te libratore inſtruat: neque enim provinciae iſtae his artificibus carent.

LXXI. (LXVI)

De libere natis, expoſitis, et in ſervitute educatis, quaerit.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Magna, Domine, et ad totam provinciam pertinens quaeſtio eſt de conditione et alimentis eorum, quos vocant θρεπτούς. In qua ego, auditis conſtitutionibus principum, quia nihil inveniebam aut proprium, aut univerſale, quod ad Bithynos ferretur, conſulendum te exiſtimavi, quid obſervari velles. Neque enim putavi, poſſe me in eo, quod auctoritatem tuam poſceret, exemplis eſſe contentum. Recitabatur autem apud me 3 edictum, quod dicebatur divi Auguſti, ad Anniam pertinens: recitatae et epiſtolae divi Veſpaſiani ad Lacedaemonios et divi Titi ad eosdem, dein ad Achaeos: et Domitiani ad Avidium Nigrinum et Armenium Brocchum, proconſules, item ad Lacedaemonios: quae ideo tibi non miſi, quia

aqua. Alioquin enim colligetur quidem circa oſtium, non retro agetur ſupra libram maris. Neque vero illa ignoravit Plinius. Sed cavendum nobis, ne ignoraſſe putetur. *G.*

LXX *Elige igitur)* * Sic legendum, non *elice*, vel contra omnes libros recte vidit poſt Gruterum Rittershuſius. *Elicere* verbum bonum eſt et Plinianum, ſed hic ἀπροσδιόνυσον. *G.*

LXXI, 1 θρεπτούς) Qui ſint θρεπτοὶ, q. d. *nutriti*, ſatis indicat Imperator reſponſione ſua. Qui ἐκθέτους legunt, i. e. *expoſitos*, idem genus dicunt, alio ſub reſpectu. Ceterum totum hoc argumentum elegantia qua ſolet tractavit, et ipſum Traianum iura docuit, vir ſummus Cornelius Bynkershoek de iure occidendi liberos c. 9. p. 213. ſqq. *G.*

et parum emendata, et quaedam non certae fidei videbantur, et quia vera et emendata in fcriniis tuis effe credebam.

LXXII. (LXVII)

TRAIANVS PLINIO S.

Quaeftio ifta, quae pertinet ad eos, qui liberi nati, expofiti, deinde fublati a quibusdam, et in fervitute educati funt, faepe tractata eft: nec quidquam invenitur in commentariis eorum principum, qui ante me fuerunt, quod ad omnes pro-
2 *vincias fit conftitutum. Epiftolae fane funt Domitiani ad Avidium Nigrinum et Armenium Brocchum, quae fortaffe debeant obfervari: fed inter eas provincias, de quibus refcripfit, non eft Bithynia: et ideo nec adfertionem denegandam iis, qui ex eiusmodi cauffa in libertatem vindicabuntur, puto, neque ipfam libertatem redimendam pretio alimentorum.*

LXXIII. (LXIX)

An reliquias mortuorum transferre liceat, Traianum, tanquam P. M. confulit.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Petentibus quibusdam, ut fibi reliquias fuorum, aut propter iniuriam vetuftatis, aut propter fluminis incurfum, aliaque his fimilia quaecunque, fecundum exemplum proconfulum, transferre per-

LXXIII *reliquias*) Ut fupra 6, 10, 3. Iam laudati hic funt Kirchmannus de fun. 3, 25. ubi de translatione reliquiarum agit, ut et Guther. de iur. man. 3, 23. ac de iure Pontif. 3, 9. Et eft in Codice Iuftinianeo legi 1. de religiof. praefcriptum lemma, *de translatione reliquiarum*, quam adfcribemus, cum apprime huc faciat. Refcribit autem Imp. Antoninus A. Doritae, *Si vi fluminis reliquiae filii tui continguntur, vel alia iufta et neceffaria cauffa intervenit: exiftimatione rectoris provinciae transferre eas in alium locum poteris.* G.

mitterem, quia sciebam in urbe nostra ex eiusmodi caussis collegium pontificum adiri solere, te, Domine, maximum pontificem, consulendum putavi, quid observare me velis.

LXXIV. (LXX)

TRAIANVS PLINIO S.

Durum est iniungere necessitatem provincialibus pontificum adeundorum, si reliquias suorum propter aliquas iustas caussas transferre ex loco in alium locum velint. Sequenda ergo potius tibi exempla sunt eorum, qui isti provinciae praefuerunt, et ex caussa cuique ita aut permittendum, aut negandum.

LXXV. (LXXI)

Locum idoneum ostendit, ubi balineum, ab Imperatore Prusensibus concessum, possit exstrui.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Quaerenti mihi, Domine, Prusae ubi posset ba-
lineum, quod indulsisti, fieri, placuit locus, in
quo fuit aliquando domus, ut audio, pulchra,
nunc deformis ruinis. Per hoc enim conseque-
mur, ut foedissima facies civitatis ornetur, atque
etiam, ut ipsa civitas amplietur, nec ulla aedifi-
cia tollantur, sed quae sunt vetustate sublapsa,
reparentur in melius. Est autem huius domus 2
conditio talis. Legaverat eam Claudius Polyae-

maximum pontificem) Huius ergo muneris ratione rescripsit, quod modo vidimus, Antoninus; sed Christiani etiam Imperatores Valentinianus, Theodosius et Arcadius l. 14. C. de religiosis. *G.*

LXXIV *Durum est*) Volebat Labeo, narrante Ulpiano l. 8. π. de religios. *exspectandum vel permissum Pontificiale, seu iussum Principis.* G.

LXXV, 1 *Prusae*) Caret hoc vocabulo Cortiana. Male. *S.*

quod indulsisti) Supra ep. 35. *G.*

nus Claudio Caesari, iusseratque in peristylio templum ei fieri, reliqua ex domo locari, ex quo reditum aliquamdiu civitas percepit: deinde paullatim partim spoliata, partim neglecta, cum peristylio domus tota collapsa est: ac iam paene nihil ex ea, nisi solum superest: quod tu, Domine, sive donaveris civitati, sive venire iusseris, propter opportunitatem loci pro summo munere accipiet.
3 Ego, si permiseris, cogito in area vacua balineum collocare; eum autem locum, in quo aedificia fuerunt, exhedra et porticibus amplecti, atque tibi consecrare, cuius beneficio elegans
4 opus dignumque nomine tuo fiet. Exemplar testamenti, quamquam mendosum, misi tibi; ex quo cognosces, multa Polyaenum in eiusdem domus ornatum reliquisse, quae, ut domus ipsa, perierunt, a me tamen, in quantum potuerit, requirentur.

LXXVI. (LXXII)

TRAIANVS PLINIO S.

Possumus apud Prusenses area ista cum domo collapsa, quam vacare scribis, ad exstructionem balinei uti. Illud tamen parum expressisti, an aedes in peristylio Claudio facta esset. Nam si

2 *in peristylio)* Loco undique columnarum ordinibus consepto, quibus tectum impositum, sub quo et libero aëre frui, et a radiis solaribus, pluviisque, tuti esse possent, qui exerceri sub illis, aut inambulare, aut spectare denique alios, vellent. Monendi subinde his de rebus nostri homines, cum, ob diversam et caeli nostri et vitae rationem, in magnis etiam urbibus nihil tale exstet hodie. Vid. not. prox. *G.*

3 *exhedra)* Unice huc facit Vitruv. 5, 11. ubi de palaestrarum aedificationibus, *Constituuntur in tribus porticibus exhedrae spatiosae, habentes sedes, in quibus Philosophi, Rhetores, reliquique qui studiis delectantur, sedentes disputare possint. In palaestris peristylia quadrata sive oblonga ita sunt facienda, uti duorum stadiorum habeant ambulationis circuitionem* etc. Ostendit Baldus de verb. Vitruv. signific. *exhedras* (ipse mavult *exedras*) alias fuisse tectas, alias subdivales etc. *G.*

LXXVI *Nam si facta aedes esset)* Al. *Nam si facta est.* quod unice verum. *esset* ferri nequit. *S.*

facta aedes esset, licet collapsa sit, religio eius occupavit solum.

LXXVII. (LXXIII)

Consulit de liberis agnoscendis et natalibus restituendis.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Postulantibus quibusdam, ut de agnoscendis liberis restituendisque natalibus et secundum epistolam Domitiani scriptam Minucio Rufo, et secundum exempla proconsulum, ipse cognoscerem, respexi ad SC. pertinens ad eadem genera caussarum, quod de his tantum provinciis loquitur, quibus proconsules praesunt: ideoque rem integram distuli, dum tu, Domine, praeceperis, quid observare me velis.

LXXVIII. (LXXIV)

TRAIANVS PLINIO S.

Si mihi SC. miseris, quod haesitationem tibi fecit, aestimabo, an debeas cognoscere de agnoscendis liberis, et natalibus suis restituendis.

occupavit solum) Ut adeo consecrari Traiano non possit ante, quam exaugurata sit. Vid. ad 58, 2. *G.*

LXXVII *restituendis natalibus)* Ut pro ingenuis habeantur Imperatoris beneficio, qui servi nati sunt. Libertinis hoc praesertim dabatur, consentiente tamen patrono. Tota res tractatur peculiari titulo π. de natalibus restituendis. *G.*

quibus proconsules) Recte utitur hoc loco exquisitae diligentiae scriptor Massonus ad An. Plinii XLI. §. 5. p. 70. ut ostendat, Plinium non fuisse Proconsulem, a Senatu missum, sed Legatum Caesaris pro Praetore: de qua provinciarum, et qui illis praeessent, differentia pluscula ibi monet, quae addi possunt Ill. Spanhemii observationibus Diss. XIII, 2. p. 587. sqq. immortalis operis, ubi p. 592. speciatim de Bithynia agitur. *G.*

LXXIX. (LXXVI)

Ex Largi hereditate utrum opera sibi fieri, an ludos institui Traianus malit, rogatur.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Iulius, Domine, Largus, ex Ponto, nondum mihi visus, ac ne auditus quidem, sed iudicio tuo credens, dispensationem quandam mihi erga te
2 pietatis suae ministeriumque mandavit. Rogavit enim testamento, ut hereditatem suam adirem, cerneremque: ac deinde, perceptis quinquaginta millibus nummum, reliquum omne Heracleotarum et Tianorum civitatibus redderem, ita ut esset arbitrii mei, utrum opera facienda, quae honori tuo consecrarentur, putarem, an instituendos quinquennales agonas, qui Traiani appellen-

LXXIX, 1 *iudicio tuo credens)* Virum bonum putans, cui tu provinciam mandasses. *G.*

2 *perceptis quinquaginta millibus)* Hanc summam $3333\frac{1}{3}$ imperialium honorarium quasi legat Plinio, et praemium laboris sui in exsequendo, ut hodie loquimur, testamento. *Praeceptis* mallent hic viri docti: nec dubium, quin huc conveniat optime, cum non noster solum eo verbo supra usus sit 5, 7, 1: sed praesertim cum sic loquantur ICti, ubi ad SCtum Trebellianum disputant, v. g. l. 1. §. 16. h. tit. *Si heres praecepto fundo rogatus sit hereditatem restituere.* l. 27. §. 14. *Si praeceptis quibusdam rebus heres rogatus sit restituere hereditatem.* Add. l. 63. §. 3. it. l. 125. de Legatis I. etc. Verum cum neque hoc dubium sit, *percipi* etiam *legata*, quorsum, praeter leges aliquot, laudat Sueton. Aug. 101. et Tib. 15. Longolius: optimum fuerit, quod et ille suadet, nihil mutare. *G.*

reliquum — redderem) Tanquam sortem, de cuius reditu ludos celebrarent: vel cuius partem in aedificia impenderent, partem in foenere collocatam servarent ad tutelam, sive sarta tecta eorum operum. *G.*

Heracleotarum) Nimirum *Heracleam* etiam ad Pontum Euxinum in Bithynia fuisse, vel hoc ex loco disceremus, si aliunde notum non esset. *G.*

quinquennales agonas) Ad Olympiorum imitationem passim institutos ludos similes sive certamina, satis constat. Sic *Neapoli quinquennale certamen gymnicum honori* Augusti *institutum*, ap. Sueton. c. 98. *Romae primus omnium more Graeco instituit* Nero, teste eodem c. 12. Domitianus quoque *Capitolino Iovi sacrum* ibid. c. 4. ubi multa viri docti. *Gymnicum agona apud Viennenses ex cuiusdam testamento celebratum* habemus supra 5, 22, 1. *G.*

appellentur) Al. *appellarentur*, quod verum. Mox *debeam* displicet I. A. Ernestio, corrigenti *deberem.* Non puto necessarium esse. *S.*

tur. Quod in notitiam tuam perferendum exiſtimavi, ob hoc maxime, ut diſpiceres, quid eligere debeam.

LXXX. (LXXVII)

TRAIANVS PLINIO S.

Iulius Largus fidem tuam, quaſi te bene noſſet, elegit. Quid ergo potiſſimum ad perpetuitatem memoriae eius faciat, ſecundum cuiusque loci conditionem ipſe diſpice, et quod optimum exiſtimaveris, ſequere.

LXXXI. (LXXVIII)

Iuliopolitanis centurionem legionarium mitti cupit.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Providentiſſime, Domine, feciſti, quod praecepiſti Calpurnio Macro, clariſſimo viro, ut legionarium centurionem Byzantium mitteret. Diſpice, 2
an etiam Iuliopolitanis ſimili ratione conſulendum putes: quorum civitas, cum ſit perexigua, onera maxima ſuſtinet, tantoque graviores iniurias, quanto eſt infirmior, patitur. Quidquid autem 3
Iuliopolitanis praeſtiteris, id etiam toti provinciae proderit. Sunt enim in capite Bithyniae, plurimisque per eam commeantibus tranſitum praebent.

LXXXII. (LXXIX)

TRAIANVS PLINIO S.

Ea conditio eſt civitatis Byzantiorum, confluente undique in eam commeantium turba, ut, ſecun-

LXXX *fidem tuam)* Eſt enim *fideicommiſſum* illud Largi, de quo epiſtola ſuperior agit. *G.*

LXXXI, 3 *in capite Bithyniae)* In extremo fine verſus Paphlagoniam, ut *capita pontis* dicuntur extrema. *G.*

dum consuetudinem praecedentium temporum,
honoribus eius praesidio centurionis legionarii
consulendum habuerimus: si Iuliopolitanis succur-
rendum eodem modo putaverimus, onerabimus
2 *nos exemplo. Plures enim tanto magis eadem re-*
quirent, quanto infirmiores erunt. Tibi eam fidu-
ciam diligentiae habeo, ut credam, te omni ra-
3 *tione id acturum, ne sint obnoxii iniuriis. Si qui*
autem se contra disciplinam meam gesserint, sta-
tim coërceantur: aut, si plus admiserint, quam
ut in re praesenti satis puniantur: si milites erunt,
legatis eorum, quae deprehenderis, notum facies:
aut, si in urbem versus venturi erunt, mihi scribes.

LXXXIII. (LXXX)

De annali Bithynis data lege disquirit.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Cautum est, Domine, Pompeia lege, quae Bithynis data est, ne quis capiat magistratum, neve sit in senatu minor annorum XXX; eadem lege

LXXXII, 1 *si Iuliopolitanis)* Quod *si* abest a quibusdam libris, tribuendum videtur mori vetusto scribendi uno tenore, *habuerimuS Iuliopolitanis*, ubi duae literae *S* et *I* excidere facile potuerunt. *G.*

3 *satis puniantur)* Provinciales expositi iniuriis non tenuissimorum, sed eorum praesertim civium Romanorum, atque militum, quos vel potentia sua, vel gratia, vel potestas denique, insolentiores facit. Hi non semper *coërceri statim* possunt, non satis a Praeside provinciae *in re praesenti puniri*, cum sua illos dignitas, iusque ipsum adeo Quiritium, tueatur. Sic 10, 97, 4. Christianos, *qui cives Romani erant, adnotat in urbem remittendos.* De his itaque constituit Traianus. *Recipimus nempe nos etiam lectionem antiquam, pro vulgata, *quam ut in re praesenti sit satis, puniantur.* *G.*

in urbem versus) Apertum hoc pleonasmi illius, quo ad *versus* adiicitur praepositio, exemplum. In quibusdam *versus* participium potius est, ut in illo Sall. Catil. 56, 4. *Modo in Galliam versus castra movere:* et Sulpic. ad Cic. fam. 4, 12. *Supra Maleas in Italiam versus navigaturus erat.* *G.*

LXXXIII, 1 *Pompeia lege)* Quam Pompeius M. devicto a se Mithridate, et illius regno in provinciae formam redacto, auctoritate Populi Rom. Bithyniae, cui Pontum adiiceret, dedit. Mentio eius fit ep. 113. et 115. *G.*

comprehenſum eſt, ut, qui ceperint magiſtratum,
ſint in ſenatu. Sequutum eſt dein edictum divi 2
Auguſti, quo permiſit minores magiſtratus ab an-
nis duobus et viginti capere. Quaeritur ergo, 3
an qui minor XXX annorum geſſit magiſtratus,
poſſit a cenſoribus in ſenatum legi: et, ſi poteſt,
an ii quoque, qui non geſſerint, poſſint per ean-
dem interpretationem ab ea aetate ſenatores legi,
a qua illis magiſtratum gerere permiſſum eſt.
Quod alioqui factitatum adhuc, et eſſe neceſſa-
rium dicitur, quia ſit aliquanto melius, honeſto-
rum hominum liberos, quam e plebe in curiam
admitti. Ego a deſtinatis cenſoribus, quid ſenti- 4
rem, interrogatus, eos quidem, qui minores XXX
annis geſſiſſent magiſtratum, putabam poſſe in ſe-
natum et ſecundum edictum Auguſti, et ſecun-
dum legem Pompeiam, legi; quoniam Auguſtus
gerere magiſtratus minoribus annis XXX permi-
ſiſſet; lex ſenatorem eſſe voluiſſet, qui geſſiſſet
magiſtratum: de his autem, qui non geſſiſſent, 5
quamvis eſſent aetatis eiusdem, cuius illi, quibus
gerere permiſſum eſt, haeſitabam. Per quod ef-
fectum eſt, ut te, Domine, conſulerem, quid
obſervari velles. Capita legis, tum edictum Au-
guſti, literis ſubieci.

LXXXIV. (LXXXI)

TRAIANUS PLINIO S.

Interpretationi tuae, mi Secunde cariſſime, idem

2 *minores*) Non eſſe iungendum cum voce *magiſtratus*, qui eſt Catanaei error, docent ea quae poſt ſequuntur: *quoniam Auguſtus gerere magiſtratus minoribus annis XXX permiſiſſet.* Senſus foret magis perſpicuus, ſi legeretur hoc ordine verborum: *quo permiſit minores ab annis duobus et viginti magiſtratus capere. S.*

3 *an ii quoque*) Damus lectionem ex libris antiquis nuper reſtitutam; vulgatum erat, *An ex iis quoque, qui non geſſerint, poſſit quis — ſenator legi.* Ad ſententiam nihil refert. *G.*

LXXXIV *Interpretationi tuae — idem exiſtimo*) Hellenismus non ſolis poetis uſitatus. Vid. Heuſinger. ad Vechner. Hellenol. p. 297. *S.*

exiſtimo: hactenus edicto Divi Auguſti novatam eſſe legem Pompeiam, ut magiſtratum quidem capere poſſint ii, qui non minores duorum et viginti annorum eſſent; et qui accepiſſent, in ſenatum cuiusque civitatis pervenirent. Ceterum, non capto magiſtratu, eos, qui minores XXX annorum ſint, quia magiſtratum capere poſſint, in curiam etiam loci cuiusque non exiſtimo legi poſſe.

LXXXV. (LXXXII)

Libellum ſupplicem Dionis, cui controverſia cum Archippo de opere publico erat, imperatori mittit.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Quum Pruſae ad Olympum, Domine, publicis negotiis intra hoſpitium, eodem die exiturus, vacarem, Aſclepiades magiſtratus indicavit, appellatum me a Claudio Eumolpo, quum Cocceianus Dion in bule adſignari civitati opus, cuius curam egerat, vellet: tum Eumolpus adſiſtens Flavio Archippo dixit, exigendam eſſe a Dione rationem operis, antequam reipublicae traderetur, quod
2 aliter feciſſet ac debuiſſet. Adiecit etiam, eſſe in eodem opere poſitam tuam ſtatuam, et corpora ſepultorum, uxoris Dionis, et filii: poſtulavitque,
3 ut cognoſcerem pro tribunali. Quod quum ego me protinus facturum dilaturumque profectionem

capere poſſint) Al. *capere poſſent.* Bene. *S.*

Ceterum) i. q. ſed. Vid. Drakenb. ad Liv. 9, 21, 2. *S.*

LXXXV, 1 *Pruſae ad Olympum)* Eſt enim alia quoque *ad Hypium* montem et fluvium. Forte eadem Pruſias, de qua 10, 66, 5. *G.*

Eumolpo) Poſt hanc vocem plene interpungendum. Narratur deinde ipſa ſpecies. Monuit et I. A. Erneſtius. *S.*

2 *in eodem opere)* Male ominatum, et maieſtatis crimini adfine, videri volebant accuſatores factum Dionis, qui ſtatuam Imperatoris vicinis funeribus funeſtaſſet. Si enim maieſtas eſt ſervum punire apud ſtatuam, aut ventrem ibi laxare, quid ni cadaver eo inferre? *G.*

dixissem; ut longiorem diem ad instruendam
caussam darem, utque in alia civitate cognoscerem,
petiit. Ego me auditurum Niceae, respon- 4
di: ubi quum sedissem cogniturus, idem Eumolpus,
tanquam adhuc parum instructus, dilationem
petere coepit: contra Dion, ut audiretur, exigere.
Dicta sunt utrimque multa, etiam de 5
caussa. Ego quum dandam dilationem et consulendum
existimarem in re ad exemplum pertinenti,
dixi utrique parti, ut postulationum suarum
libellos darent. Volebam enim te ipsorum
potissimum verbis ea, quae erant proposita, cognoscere.
Et Dion quidem se daturum dixit: et
Eumolpus respondit, complexurum se libello,
quae reipublicae peteret. Ceterum, quod ad se- 6
pultos pertinet, non accusatorem se, sed advocatum
Flavii Archippi, cuius mandata pertulisset.
Archippus, cui Eumolpus, sicut Prusae, adsistebat,
dixit se libellum daturum. Ita nec Eumolpus,
nec Archippus, quam plurimis diebus exspectati,
adhuc mihi libellos dederunt: Dion dedit,
quem huic epistolae iunxi. Ipse in re prae- 7
senti fui, et vidi tuam quoque statuam in bibliotheca
positam: id autem, in quo dicuntur sepulti
filius et uxor Dionis, in area collocatum, quae
porticibus includitur. Te, Domine, rogo, ut me 8
in hoc praecipue genere cognitionis regere digneris,
quum alioqui magna sit exspectatio; ut ne-

3 *ad instruendam caussam)* Opportune iam laudata est l. 1. π. de fide instrum. *Instrumentorum nomine ea omnia accipienda sunt, quibus caussa instrui potest: et ideo tam testimonia, quam personae instrumentorum loco habentur.* G.

4 *contra Dion)* Dio Chrysostomus hic est, quod probat ex illius Oratt. 40. 45. 46. et 47. Vales. ad Exc. Dionis p. 8. n. 23. Reim. G.

5 *et consulendum)* Post *et* suspicor *te* excidisse. Respondet Traianus: *de quo me consulendum existimasti.* S.

et Eumolpus) Hoc *et* abesse mallem. S.

6 *quod ad sepultos* etc.) Praeferrem: *quod ad sepultos pertineret, non accusatorem se esse, sed* etc. S.

Ita) deinde. Hoc sensu et alibi legitur, miror que, Gierigio suspectum videri potuisse. S.

ceſſe ſit, in ea re, quae et in confeſſum venit, et exemplis defenditur, deliberare.

LXXXVI. (LXXXIII)

TRAIANVS PLINIO S.

Potuiſti non haerere, mi Secunde cariſſime, circa id, de quo me conſulendum exiſtimaſti, quum propoſitum meum optime noſſes, non ex metu nec terrore hominum, aut criminibus maieſtatis,
2 *reverentiam nomini meo adquiri. Omiſſa ergo ea quaeſtione, quam non admitterem, etiamſi exemplis adiuvaretur, ratio totius operis effecti ſub cura tua Cocceiano Dioni excutiatur, cum et utilitas civitatis exigat, nec aut recuſet Dion, aut debeat recuſare.*

LXXXVII. (LXXXIV)

Nicenſium libellum ſupplicem mittit.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Rogatus, Domine, a Nicenſibus publice per ea, quae mihi et ſunt et debent eſſe ſanctiſſima, id eſt, per aeternitatem tuam ſalutemque, ut preces

8 *in confeſſum venit)* Ubi de facto disputari vel diſſimulari non poteſt, quin et certum, et in iudicium delatum ſit: ubi etiam ad aliorum exempla provocatur, ut adeo metus ſit, ne, ſi unum puniamus Dionem, plures eiusdem criminis a delatoribus rei fiant. *G.*

deliberare) *Omittunt hoc verbum quidam. Sed non auſim eos ſequi, cum dura nimis videatur, in fine praeſertim, ellipſis. *G.*

LXXXVI, 2 *Dioni excutiatur)* Non hoc vult, puto, *a Dione ratio excutiatur*, ut, *audita tibi putarem* h. e. *a te:* ſed excuti ſub Plinii cura rationem Dionis, in ipſius gratiam, ideo certe, ut deinde adſignari opus reipublicae poſſet. Haec aperta, niſi forte velis aliquem, qui debet reipublicae, ipſum ſuas rationes excutere, non excutiendas dare aliis. Neque conſtructio habet difficultatem. Quidni enim diceret Dion: *Excutite mihi rationem meam?* *Quidam libri *Cocceiani Dionis*, quod dubitationem non haberet, ſed obſcuriusculum ſit propter alteros genitivos *totius operis effecti*. *G.*

ſuas ad te perferrem, fas non putavi negare: acceptumque ab his libellum, huic epiſtolae iunxi.

LXXXVIII.

TRAIANVS PLINIO S.

Nicenſibus, qui inteſtatorum civium ſuorum conceſſam vindicationem bonorum a divo Auguſto adfirmant, debebis vacare, contractis omnibus perſonis ad idem negotium pertinentibus, adhibitis Virdio Gemellino, et Epimacho, liberto meo, procuratoribus, ut, aeſtimatis etiam iis, quae contra dicuntur, quod optimum credideritis, ſtatuatis.

LXXXIX.

Traiano natalem diem gratulatur.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Opto, Domine, et hunc natalem, et plurimos alios, quam feliciſſimos agas: aeternaque laude florentem virtutis tuae gloriam, incolumis et fortis, aliis ſuper alia operibus augeas.

XC.

TRAIANVS PLINIO S.

Agnoſco vota tua, mi Secunde cariſſime, quibus precaris, ut plurimos et feliciſſimos natales florente ſtatu reipublicae noſtrae agam.

XCI.

De aqua in Sinopenſem coloniam perducenda conſulit.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Sinopenſes, Domine, aqua deficiuntur; quae videtur et bona et copioſa ab ſextodecimo millia-

LXXXVII *his)* Videtur ſcribendum *iis*. Perpetua horum pronominum confuſio. *S.*

rio posse perduci. Est tamen statim ab capite paullo amplius mille passibus locus suspectus et mollis; quem ego interim explorari modico impendio iussi, an recipere et sustinere opus possit.
2 Pecunia, curantibus nobis, contracta non deerit, si tu, Domine, hoc genus operis et salubritati et amoenitati valde sitientis coloniae indulseris.

XCII.

TRAIANVS PLINIO S.

Ut coepisti, Secunde carissime, explora diligenter, an locus ille, quem suspectum habes, sustinere opus aquae ductus possit. Neque enim dubitandum puto, quin aqua perducenda sit in coloniam Sinopensem, si modo et viribus suis ipsa id adsequi potest, quum plurimum ea res et salubritati et voluptati eius collatura sit.

XCIII.

Libellum Amisenorum mittit Traiano.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Amisenorum civitas et libera et foederata beneficio indulgentiae tuae legibus suis utitur. In hac datum mihi publice libellum, ad eranos

XCI, 1 *recipere — opus*) Aquae ductum, quae quantae molis fuerint opera, totis libris explicatum a Fabretto, et docet cum suo Frontino Polenus. *G.*

XCIII *ad eranos*) Ne de convivantium ex symbolis conventibus, qui et ipsi sunt *erant*, intelligamus, obstat Traiani responsio. Intelligitur ergo illa collatio, qua necessitatibus egentium subveniebatur: cuius rei caussa quaedam etiam collegia fuisse, et statos conventus, leges item et iudicia, (ut habent hodie *die Feuercassen, Wittwencassen*) satis apparet ex his, quae Is. Casaubonus cum ad Athenaeum pluribus locis observavit, tum disputavit copiose ad Theophrasti characterem *αὐθαδείας* p. m. 250. sqq. ubi neque hunc locum praetermittit. Ceterum hanc tanquam *ἑταιρίαν* et sodalitatem Romanis suspectam et vetitam fuisse, vel hoc ipso loco discimus. Vid. supra ep. 43, 1. et infra ep. 97, 7. *G.*

pertinentem, his literis subieci, ut tu, Domine, dispiceres, quid et quatenus aut permittendum aut prohibendum putares.

XCIV.

TRAIANVS PLINIO S.

Amisenos, quorum libellum epistolae tuae iunxeras, si legibus istorum, quibus de officio foederis utuntur, concessum est eranos habere, possumus, quo minus habeant, non impedire, eo facilius, si tali collatione, non ad turbas et illicitos coetus, [sed] ad sustinendam tenuiorum inopiam utuntur. In ceteris civitatibus, quae nostro iure obstrictae sunt, res huiusmodi prohibenda est.

XCV.

Suetonio ius trium liberorum a principe petit.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Suetonium Tranquillum, probissimum, honestissimum, eruditissimum virum, et mores eius sequutus et studia, iampridem, Domine, in contubernium adsumsi, tantoque magis diligere coepi, quanto hunc propius inspexi. Huic ius trium 2 liberorum necessarium faciunt duae caussae. Nam et iudicia amicorum promeretur, et parum felix matrimonium expertus est: impetrandumque a bonitate tua per nos habet, quod illi fortunae

XCIV *possumus —— non impedire*) i. e. possumus, ut habeant, concedere. Traianus supra ep. 86. *Potuisti non haerere.* Moneo, ne quis cum Gierigio locum de mendo suspectum habeat. *S.*

XCV, 2 *ius trium liberorum*) Vid. ad 10, 2. ubi pro se petit. it. ad 7, 16, 2. G.

iudicia amicorum) Qui heredem illum scribunt. Prodest autem in primis ius illud in adeundis hereditatibus, v. g. Paull. Rec. Sent. 4, 9. *Latina ingenua, ius Quiritium consecuta, si ter pepererit, ad legitimam filii hereditatem admittitur. G.*

3 malignitas denegavit. Scio, Domine, quantum beneficium petam. Sed peto a te, cuius in omnibus desideriis meis plenissimam indulgentiam experior. Potes autem colligere, quantopere cupiam, quod non rogarem absens, si mediocriter cuperem.

XCVI.

TRAIANVS PLINIO S.

Quam parce haec beneficia tribuam, utique, mi Secunde carissime, haeret tibi, quum etiam in senatu adfirmare soleam, non excessisse me numerum, quem apud amplissimum ordinem suffecturum mihi professus sum: tuo tamen desiderio subscripsi; et [ut scias] dedisse me ius trium liberorum Suetonio Tranquillo ea conditione, qua adsuevi, referri in commentarios meos iussi.

XCVII.

De Christianorum rebus accurate perscribit.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Solemne est mihi, Domine, omnia, de quibus dubito, ad te referre. Quis enim potest melius

3 *Sed peto)* *Sic ex editione Io. de Tridino et Iuntae reposuit Longolius. *Quod peto*, reliqui. *G.*

XCVI *suffecturum mihi)* Cum enim per illam fictionem iuris vis ipsa legum tam necessariarum, quibus incitarentur homines, ut prolem vellent tollere, imminueretur: boni imperatores parcissimi erant merito in eo iure tribuendo. Itaque professus erat Traianus, se ultra certum numerum civium eo beneficio non esse adfecturum. Haec etiam caussa est, cur referri in commentarios suos iubet, si quid cui tribuit. *G.*

[ut scias]) Possunt haec verba abesse, et absunt a bonis libris: sed cum in simillima re occurrant deinde ep. 106, non ausim delere. *G.*

XCVII, 1 *Solemne)* Certatim hanc epistolam commentariis iustis illustrarunt viri docti, quos magno numero laudat Fabricius B. L. 2, 22. p 478 Ceterorum observatis usus, multa de suo penu praeclara addidit ill. Boehmerus in dissertationibus iuris eccles. antiqui ad has epistolas

vel cunctationem meam regere, vel ignorantiam inſtruere? Cognitionibus de Chriſtianis interfui nunquam: ideo neſcio, quid et quatenus aut puniri ſoleat, aut quaeri. Nec mediocriter haeſita- 2
vi, ſitne aliquod discrimen aetatum, an quamlibet teneri nihil a robuſtioribus differant; deturne poenitentiae venia, an ei, qui omnino Chriſtianus fuit, deſiſſe non proſit; nomen ipſum, etiamſi flagitiis careat, an flagitia cohaerentia nomini, puniantur. Interim in iis, qui ad me tanquam Chriſtiani deferebantur, hunc ſum ſequutus modum. Interrogavi ipſos, an eſſent Chriſtiani: 3
confitentes iterum ac tertio interrogavi, ſupplicium minatus: perſeverantes duci iuſſi. Neque enim dubitabam, qualecunque eſſet, quod faterentur, pervicaciam certe, et inflexibilem obſtinationem debere puniri. Fuerunt alii ſimilis 4
amentiae: quos, quia cives Romani erant, adnotavi in urbem remittendos. Mox ipſo tractatu, ut fieri ſolet, diffundente ſe crimine, plures ſpecies inciderunt. Propoſitus eſt libellus ſine aucto- 5
re, multorum nomina continens, qui negarent ſe

Lipſ. 1711. 8. editas. Nos inſtituto noſtro hic egrediendi cauſſam habemus nullam. Illud modo monemus, laudari hanc epiſtolam, et hoc reſcriptum Traiani, iam a Tertulliano apolog. c. 2. his verbis, *Plinius Secundus cum provinciam regeret, damnatis quibusdam Chriſtianis, quibusdam gradu pulſis, ipſa tamen multitudine perturbatus, quid de cetero ageret, conſuluit Traianum tunc Imperatorem* (ſic leg. vid. pro *tunc Trai. Imp.*) *allegans praeter obſtinationem non ſacrificandi, nihil aliud ſe de ſacramentis eorum comperiſſe, quam coetus antelucanos ad canendum Chriſto ut Deo, et ad confoederandam diſciplinam; homicidium, fraudem, perfidiam, et cetera ſcelera prohibentes* (forte leg. *prohibentem*, nempe *diſciplinam*). *Tunc Traianus reſcripſit, hoc genus conquirendos quidem non eſſe, oblatos vero puniri oportere.* cf. le Moyne ad V. S. p. 142. ſqq. Euſeb. Chron. p. 209. Scal. it. Heum. de perſec. Chriſtianor. Pliniana in diſſertt. Syllog. p. 1. *G.*

3 *ſupplicium minatus*) ut ap. Prud. tum alias, tum in Eulal. Periſt. 3, 114. ſqq. *G.*

pervicaciam) Longol. *pertinaciam.* Certe pertinacia ſemper vitioſa, ſi audias Non. 5, 40. *G.*

4 *quia cives Romani erant*) In quos animadverti non temere in provincia poſſet. vid. ad 10, 82, 3. *G.*

esse Christianos, aut fuisse, quum, praeeunte me, deos appellarent, et imagini tuae, quam propter hoc iusseram cum simulacris numinum adferri, thure ac vino supplicarent, praeterea maledicerent Christo: quorum nihil cogi posse dicuntur, qui sunt revera Christiani. Ergo dimittendos
6 putavi. Alii ab indice nominati, esse se Christianos dixerunt, et mox negaverunt: fuisse quidem, sed desisse; quidam ante triennium, quidam ante plures annos, non nemo etiam ante viginti quoque. Omnes et imaginem tuam, deorumque simulacra venerati sunt: ii et Christo
7 maledixerunt. Adfirmabant autem, hanc fuisse summam vel culpae suae, vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire: carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum invicem: seque

5 *quum, praeeunte me* etc.) Interpunctionem huius loci, quae I. A. Ernestio placuit, si mecum amplecteris, dele post *ergo*, quod in multis libris deest, videturque demum in textum immigrasse, cum vulgaris interpungendi ratio probari coepta esset. *S.*

imagini tuae) Igitur in provincia eum honorem Imperatori habuit Plinius, quem non admissum Romae ab eo praedicat Paneg. 52, 5. *Non apud genium tuum bonitati tuae gratias agi, sed apud numen Iovis optimi maximi pateris.* Vid. Minuc. Felix 29, 6. et ibi viri docti. *G.*

Ergo dimittendos) Minuc. Fel. 28, 5. *Si quis infirmior, malo pressus et victus, Christianum se negasset, favebamus ei,* (loquitur de statu suo ante susceptam religionem Christianam) *quasi eierato nomine, iam omnia facta sua illa negatione purgasset.* *G.*

6 *fuisse)* Voss. *Alii fuisse* aut *Vel fuisse.* *G.*

etiam — quoque) Vid. Cortius ad 5, 6, 21. *S.*

7 *stato die)* Sabbathi eo tempore in Bithynia, quod probabile facit Boehmerus Diss. 1. *G.*

carmenque) Non omnino metro adstrictum, sed formulam conceptorum verborum etc. vid. Misc. Lips. 5. 3. 7. Hymnophilus aliquis hanc sententiam, quae et Moshemii est, refellere conatur: et movit fere Moshemium, de rebus Christianorum ante Constantinum p. 148. sqq. ubi ceteroquin mea laudat. *G.*

Christo, quasi Deo) Si vim habere debeat hoc argumentum pro fide Ante-Nicaena contra Arianos; ponendum est, Christianos ipsos Deum vocasse Christum, non adiecisse hoc *quasi Deo* Plinium. *Dei* enim appellatio multo, quod constat, apud gentiles patet latius, et longe humilioris fastigii naturas comprehendit. *G.*

dicere secum invicem) dicere una, idque ἀμοιβαίως. Offenderunt haec, nescio qua ex caussa, Gierigium. *S.*

ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent: quibus peractis morem ſibi diſcedendi fuiſſe, rurſusque coëundi ad capiendum cibum, promiſcuum tamen, et innoxium: quod ipſum facere deſiſſe poſt edictum meum, quo ſecundum mandata tua hetaerias eſſe vetueram. Quo magis 8
neceſſarium credidi, ex duabus ancillis, quae miniſtrae dicebantur, quid eſſet veri, et per tormenta quaerere. Sed nihil aliud inveni, quam ſuperſtitionem pravam et immodicam, ideoque,

ſacramento) Cum mature *ſacramenti* voce uterentur de ritibus ſuis et dogmatis Chriſtiani, quae diligenter occultarent; ea porro vox, in quantum ad militare ius iurandum refertur, ad coniurationem trahi ab ignaria poſſet; cum porro de ſanguine Chriſti Dei et hominis inter ſacramenta adhibito aliquid tamen emanaret: mirum non eſt profecto, illis in mentem veniſſe aliquem Catilinam, de quo Salluſtius c. 22. *Cum ad ius iurandum populares ſceleris ſui adigeret, humani corporis ſanguinem, vino permixtum, in pateris circumtuliſſe; inde cum poſt exſecrationem omnes deguſtaviſſent, ſicuti in ſolemnibus ſacris fieri conſuevit* etc. mirum non eſt, in Thyeſtearum illos epularum ſuſpicionem vocatos eſſe. His ſuſpicionibus opponitur deinde *cibus promiſcuus et innoxius*, quem merito ad *Agapas* Chriſtianorum viri docti referunt. *Coena noſtra*, inquit Tertull. apol. c. 39. *de nomine rationem ſui oſtendit: id vocatur, quod dilectio penes Graecos eſt* etc. Vid. quos hic laudat doctiſſimus Havercampus. Ceterum de vocibus *ſacramenti* et *coniurandi* vid. Liv. 22, 38. *Nam ad eam diem nihil praeter ſacramentum fuerat; at ubi ad decuriatum aut centuriatum conveniſſent, ſua voluntate ipſi inter ſe equites decuriati, centuriati pedites coniurabant, ſeſe fugae atque formidinis ergo non abituros etc. Id ex voluntario inter ipſos foedere a tribunis ad legitimam iuris iurandi adactionem translatum.* G.

promiſcuum tamen, et innoxium) Interpretor cum Gierigio *cibum promiſcuum*, non peculiarem aliquem, ſed communem hominibus, panem, olera, carnes animalium: *innoxium*, probro carentem. Aliter, ſed vix recte, opinor, Leſſingius *in Sämmtlichen Schriften* T. XVII. pag. 259. S.

hetaerias) Vid. ſupra ad 10, 43. et ex ICtorum libris Bynkersh. Obſervatt. 1, 16. et de religione peregrina diſſ. 2. p. 255. ſqq. Bacchanalia ſua recordabantur Romani. His ſimile quiddam metuebant. G.

8 *ancillis*) Heum. Syll. Diſſ. T. I. p. 133. mutat in *aniculis*. Sed *ancillas* tormenta arguunt. G.

miniſtrae) Diaconiſſae veteris eccleſiae. Cum alioqui non liceret ſervos interrogare in caput domini; haec lex in hac quidem cauſſa non valuit. G.

dilata cognitione, ad conſulendum te decurri.
9 Viſa eſt enim mihi res digna conſultatione, maxime
propter periclitantium numerum. Multi
enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque
ſexus etiam, vocantur in periculum, et vocabuntur.
Neque enim civitates tantum, ſed vicos
etiam atque agros ſuperſtitionis iſtius contagio
pervagata eſt: quae videtur ſiſti et corrigi poſſe.
10 Certe ſatis conſtat, prope iam deſolata templa
coepiſſe celebrari, et ſacra ſolemnia diu intermiſſa
repeti, paſſimque venire victimas, quarum
adhuc rariſſimus emtor inveniebatur. Ex quo facile
eſt opinari, quae turba hominum emendari
poſſit, ſi fiat poenitentiae locus.

XCVIII.

TRAIANVS PLINIO S.

*Actum, quem debuiſti, mi Secunde, in excutiendis
cauſſis eorum, qui Chriſtiani ad te delati fuerant,
ſequutus es. Neque enim in univerſum
aliquid, quod quaſi certam formam habeat, con-*
2 *ſtitui poteſt. Conquirendi non ſunt: ſi deferantur
et arguantur, puniendi ſunt: ita tamen, ut, qui
negaverit ſe Chriſtianum eſſe, idque re ipſa manifeſtum
fecerit, id eſt, ſupplicando diis noſtris,
quamvis ſuſpectus in praeteritum fuerit, veniam
ex poenitentia impetret. Sine auctore vero propoſiti
libelli, nullo crimine locum habere debent.
Nam et peſſimi exempli, nec noſtri ſeculi eſt.*

XCVIII, 2 *Conquirendi*) Nempe hoc dat innocentiae, ne ſua ſponte in illos, ut in latrones, fures, ſacrilegos, quaeratur; neque indicare cogantur conſcios: hoc ſtatuit in pertinaciam, quam imputat iis, et legum contemtum, ut accuſati, et confeſſi, damnentur. Quanto haec moderatiora illo ſacrae Inquiſitionis iudicio! *G.*

XCIX.

Quaerit de contegenda Amaſtrianorum peſtifera aqua.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Amaſtrianorum civitas, Domine, et elegans et ornata, habet inter praecipua opera pulcherrimam, eandemque longiſſimam, plateam: cuius a latere per ſpatium omne porrigitur nomine quidem flumen, re vero cloaca foediſſima: quae ſicut turpis et immundiſſima adſpectu, ita peſtilens eſt odore teterrimo. Quibus ex cauſſis, non minus 2
ſalubritatis quam decoris intereſt, eam contegi: quod fiet, ſi permiſeris, curantibus nobis, ne deſit quoque pecunia operi tam magno, quam neceſſario.

C.

TRAIANVS PLINIO S.

Rationis eſt, mi Secunde cariſſime, contegi aquam iſtam, quae per civitatem Amaſtrianorum fluit, ſi intecta ſalubritati obeſt. Pecunia ne huic operi deſit, curaturum te ſecundum diligentiam tuam, certum habeo.

CI.

Vota pro ſalute Traiani et ſoluta et nova nuncupata eſſe nuntiat.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Vota, Domine, priorum annorum nuncupata alacres laetique perſolvimus, novaque rurſus, curante commilitonum et provincialium pietate, ſuſcepimus: precati deos, ut te remque publicam florentem et incolumem ea benignitate ſervarent, quam

CI *Vota — nuncupata*) Forte natali imperii, ut ſupra ep. 60. it. 103. et 104. G. *curante — pietate*) Melius extra comparationem eſt, quod Cellarius ſuſpicabatur, *certante*, ut 10, 60. *certarunt pietate*. G.

ſuper magnas plurimasque virtutes, praecipue ſanctitate conſequi, deorum honore meruiſti.

CII.

TRAIANVS PLINIO S.

Solviſſe vota diis immortalibus, te praeeunte, pro mea incolumitate, commilitones cum provincialibus laetiſſimo conſenſu, in futurumque nuncupaſſe, libenter, mi Secunde cariſſime, cognovi literis tuis.

CIII.

Diem imperii ſuſcepti anniverſario ritu celebratum eſſe annuntiat.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Diem, in quem tutela generis humani feliciſſima ſucceſſione translata eſt, debita religione celebravimus, commendantes diis, imperii tui auctoribus, et vota publica et gaudia.

CIV.

TRAIANVS PLINIO S.

Diem imperii mei debita laetitia et religione a commilitonibus et provincialibus, praeeunte te, celebratum, libenter, mi Secunde cariſſime, cognovi literis tuis.

CV.

Ius Quiritium pro tribus libertis petit.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Valerius, Domine, Paullinus, excepto uno, ius

deorum honore) *Videtur excidiſſe ante *deorum* coniunctio *et*. De hac pietate Traiani erga deos Paneg. c. 52. *G.*

CIII *Diem, in quem*) *Valde obſcure locutus eſt Plinius, ſi ita locutus eſt. Gronovius ſuſpicatur, *Diem, quo in te*. *G.*

Latinorum suorum mihi reliquit: ex quibus rogo tribus interim ius Quiritium des. Vereor enim, ne sit inmodicum, pro omnibus pariter invocare indulgentiam tuam; qua debeo tanto modestius uti, quanto pleniorem experior. Sunt autem, pro quibus peto, C. Valerius Aestiaeus, C. Valerius Dionysius, C. Valerius Aper.

CVI.

TRAIANVS PLINIO S.

Quum honestissime iis, qui apud fidem tuam a Valerio Paullino depositi sunt, consultum velis mature per me; iis interim, quibus nunc petisti, ut scias dedisse me ius Quiritium, referri in commentarios meos iussi, idem facturus in ceteris, pro quibus petieris.

CVII.

Centurionis, filiae civitatem petentis, libellum mittit.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Rogatus, Domine, a P. Accio Aquila, centurione cohortis sextae equestris, ut mitterem tibi libellum, per quem indulgentiam pro statu filiae suae implorat, durum putavi negare, quum scirem, quantam soleres militum precibus patientiam humanitatemque praestare.

CV *Latinorum suorum*) Libertorum, qui ius Latii modo consecuti fuerant, a quo gradus adhuc superest ad ipsum plenum ius civitatis Quiritium. Vid. ad 10. 4, 2. *G.*

C. Valerius) Observa obiter, Libertos omnes habere nomen Domini, adiunctumque cognominis instar nomen servitutis. *G.*

CVI *mature*) *'Matura* ex libris antiquis Longolius, ut sit vox hortantis Imperatoris, quo *maturet* Plinius, h. e. festinet prospicere libertis. Ceterum vid. ep. 96. *G.*

CVII *cohortis — equestris*) Novum hoc. Olim *cohortes* modo peditum: equitum *turmae*. *G.*

Vid. I. A. Ernest. ad h. l. *S.*

pro statu filiae) Quam ex responsione Traiani, civitatem ei dantis, intelligimus ante susceptam, quam pater civis fieret, vel ex non-cive etc. *G.*

CVIII.

TRAIANVS PLINIO S.

Libellum P. Accii Aquilae, centurionis cohortis ſextae equeſtris, quem mihi miſiſti, legi: cuius precibus motus dedi filiae eius civitatem Romanam. Libellum reſcripti, quem illi redderes, miſi tibi.

CIX.

De protopraxia civitatium conſulit.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Quid habere iuris velis et Bithynas et Ponticas civitates in exigendis pecuniis, quae illis vel ex locationibus, vel ex venditionibus aliisve cauſſis debeantur, rogo, Domine, reſcribas. Ego inveni, a pleriſque pro conſulibus conceſſam eis proto-
2 praxian, eamque pro lege valuiſſe. Exiſtimo tamen tua providentia conſtituendum aliquid et ſanciendum, per quod utilitatibus eorum in perpetuum conſulatur. Nam quae ſunt ab aliis inſtituta, ſint licet ſapienter indulta, brevia tamen et infirma ſunt, niſi illis tua contingat auctoritas.

CX.

TRAIANVS PLINIO S.

Quo iure uti debeant Bithynae vel Ponticae civitates in iis pecuniis, quae ex quaque cauſſa reipublicae debebuntur, ex lege cuiusque animadvertendum eſt. Nam ſive habent privilegium, quo ceteris creditoribus anteponantur, cuſtodiendum eſt; ſive non habent, in iniuriam privatorum id dari a me non oportebit.

CIX *protopraxian)* Ius primae exactionis, quod ſatis explicat reſponſio Traiani. G.

CXI.

De Amisenis, pecuniam Pisoni olim donatam repetentibus, Traianum consulit.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Ecdicus, Domine, Amisenorum civitatis petebat apud me ab Iulio Pisone denariorum circiter XL millia, donata ei publice ante XX annos et bule et ecclesia consentiente: nitebaturque mandatis tuis, quibus eiusmodi donationes vetantur. Piso contra, plurima se in rempublicam contulisse, ac prope totas facultates erogasse, dicebat. Addebat etiam temporis spatium, postulabatque, ne id, quod pro multis et olim accepisset, cum eversione reliquae dignitatis reddere cogeretur. Quibus ex caussis integram cognitionem differendam existimavi, ut te, Domine, consulerem, quid sequendum putares.

CXII.

TRAIANVS PLINIO S.

Sicut largitiones ex publico fieri mandata prohibent, ita, ne multorum securitas subruatur, factas ante aliquantum temporis retractari atque in irritum vindicari non oportet. Quidquid ergo ex hac caussa actum ante viginti annos erit, omittamus. Non minus enim hominibus cuiusque loci, quam pecuniae publicae consultum volo.

CXI, 1 *Ecdicus) Defensores civitatum* tales vocantur in iure. Est titulus Codicis 1, 55. et C. Theod. 1, 10. de defensoribus civitatum. De iisdem Iustiniani novella 15. ubi Gr. *περὶ τῶν ἐκδίκων*. De ipsorum officio vel ex hoc ipso loco apparet. G.

bule et ecclesia) Romae esset *Senatus Populusque*. G.

nitebaturque) Libri antiqui *utebatur*, eadem sententia. G.

CXIII.

An in senatum lecti pro introitu aliquid inferre debeant, quaerit.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Lex Pompeia, Domine, qua Bithyni et Pontici
utuntur, eos, qui in bulen a censoribus leguntur,
dare pecuniam non iubet: sed ii, quos indulgentia
tua quibusdam civitatibus super legitimum numerum
merum adiicere permisit, et singula millia dena-
2 riorum et bina intulerunt. Anicius deinde Maximus
ximus proconsul eos etiam, qui a censoribus legerentur,
gerentur, dumtaxat in paucissimis civitatibus, aliud
3 aliis, iussit inferre. Superest ergo, ut ipse dispicias,
cias, an in omnibus civitatibus certum aliquid
omnes, qui deinde buleutae leguntur, debeant pro
introitu dare. Nam quod in perpetuum mansurum
rum est, a te constitui decet, cuius factis dictisque
que debetur aeternitas.

CXIV.

TRAIANVS PLINIO S.

Honorarium decurionatus omnes, qui in quaque civitate Bithyniae decuriones fiunt, inferre debeant necne, in universum ad me non potest statui. Id ergo quod semper tutissimum est, sequendam cuiusque civitatis legem, puto, scilicet adversus

CXIII, 1 *Lex Pompeia*) Vid. 10, 83. et 115. De ipsa hac quaestione aliquid supra 10, 48. 5. G.

2 *aliud aliis*) Intellige, *in civitatibus*, ratione habita facultatum nempe. G.

3 *leguntur*) Scripsitne *legentur?* S.

CXIV *Id ergo quod* etc.) Durius videtur I. A. Ernestio: mihi non item. *Id quod* saepissime ita dicitur, ut *id* abundet. Vid. Drakenb. ad Liv. 6, 17, 6. S.

scilicet adversus eos) Locus obscurus, si quis alius Plinii, quem ita interea interpretandum putabam, dum quis meliorem vel lectionem proferat, vel interpretationem. Sequendam legem putat Imperator non universim, sed *adversus eos, qui inviti fiunt decuriones*, et tamen excusari non possunt: qui enim petunt honorem, illi pro se infe-

eos, qui inviti fiunt decuriones. Exiſtimo id acturos, ut erogatio ceteris praeferatur.

CXV.

Decuriones alienae civitatis an eiici ſenatu poſſint, quaerit.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Lege, Domine, Pompeia permiſſum Bithynicis civitatibus adſcribere ſibi, quos vellent cives, dum civitatis non ſint alienae, ſed ſuarum quisque civitatium, quae ſunt in Bithynia. Eadem lege ſancitur, quibus de cauſſis ſenatu a cenſoribus eiiciantur: inter quas nihil de cive alieno cavetur. Inde me quidam ex cenſoribus conſulendum pu- 2
taverunt, an eiicere deberent eum, qui eſſet alterius civitatis. Ego, quia lex, ſicut adſcribi 3
civem alienum vetabat, ita eiici e ſenatu ob hanc cauſſam non iubebat: praeterea quia ab aliquibus adſirmabatur mihi, in omni civitate plurimos eſſe buleutas ex aliis civitatibus, futurumque, ut multi homines multaeque civitates concuterentur ea parte legis, quae iampridem conſenſu quodam exolevillet; neceſſarium exiſtimavi conſulere te, quid ſervandum putares. Capita legis his literis ſubieci.

rent, ut lege non opus ſit. Subiungit, *exiſtimo id acturos* cenſores, qui ius legendorum decurionum ſ. buleutarum habent, *ut erogatio*, h. e. is, qui erogare aliquid in honorarium pro introitu poteſt et vult, *ceteris, invitis, praeferatur*, nec adeo ſaepe opus ſit coactione. G.

Suſpicor legendum: *Ceteros exiſtimo id acturos, ut erogatio praeferatur.* S.

CXV, 1 *Lege — Pompeia)* Vid. 10, 83. et 113. G.

vellent) Corrigendum *velint.* Monuit etiam I. A. Erneſtius. S.

ſenatu a cenſoribus) *Vulg. *e ſenatu a cenſoribus.* Veteres editiones, quas ſequitur Longolius, *ſenatu cenſoribus.* Utramque praepoſitionem abeſſe in tali conſtructione poſſe, dubium non eſt. Sed eadem in formula ita parcum fuiſſe Traiani quaeſtorem, vel ſcribam, non putabam. Itaque bonis libris ἕτερον μὲν ἔδωκα ἑκὼν, ἕτερον δ' ἀνένευσα. Vid. 1, 7, 1. G.

CXVI.

TRAIANVS PLINIO S.

Merito haesisti, Secunde carissime, quid a te rescribi oporteret censoribus consulentibus, an legerent in senatum aliarum civitatium, eiusdem tamen provinciae, cives. Nam et legis auctoritas, et longa consuetudo usurpata contra legem, in diversum movere te potuit. Mihi hoc temperamentum eius placuit, ut ex praeterito nihil novaremus, sed manerent, quamvis contra legem, adsciti quarumcunque civitatium cives, in futurum autem lex Pompeia observaretur: cuius vim si retro quoque velimus custodire, multa necesse est perturbari.

CXVII.

Veretur, ne ex invitatione ad solemne officium factiones oriantur.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Qui virilem togam sumunt, vel nuptias faciunt, vel ineunt magistratum, vel opus publicum dedicant, solent totam bulen, atque etiam e plebe non exiguum numerum vocare, binosque denarios vel singulos dare: quod an celebrandum, et qua-
2 tenus, putes, rogo scribas. Ipse enim, sicut arbitror, [non imprudenter,] praesertim ex solenni-

CXVII, 1 *virilem togam*) De quo officio 1, 9, 2. De virili toga pariter ac nuptiis Apuleius apol. p. 416. Scipionis Gent. *Quippe ita placuerat, in suburbana villa potius ut coniungeremur, ne cives denuo ad sportulas convolarent: cum haud pridem Pudentilla de suo quinquaginta millia nummum in populum expunxisset ea die, qua Pontianus* (filius Pudentillae, privignus Apuleii maior natu) *uxorem duxit, et hic puerulus* (contemtim sic appellat filium Pudentillae, suum autem privignum minorem) *toga est involutus.* Plura ad h. l. Scipio Gentilis. *G.*

2 [*non imprudenter,*]) *Haec verba cum nullo idoneo auctore in recentiores editiones adiuncta sint, (forte ex coniectura alicuius, qui fulcire sententiam, per importunum illud *iussi* laborantem, vellet) merito uncis coërcita sunt. Forte etiam *arbitror* huc redigendum sit: [*arbitror non im-*

bus cauffis concedendum [iuffi] invitationes; ita vereor, ne ii, qui mille homines, interdum etiam plures, vocant, modum excedere, et in fpeciem dianomes incidere videantur.

CXVIII.

TRAIANVS PLINIO S.

Merito vereris, ne in fpeciem dianomes incidat invitatio, quae et in numero modum excedit, et quafi per corpora, non viritim fingulos ex notitia, ad folemnes fportulas contrahit. Sed ego ideo prudentiam tuam elegi, ut formandis iftius provinciae moribus ipfe moderareris, et ea confituas, quae ad perpetuam eius provinciae quietem effent profutura.

prudenter]. Sed illo *iuffi* quid faciamus? Profecto non cohaerent, *Sicut arbitror concedendum iuffi; ita vereor*. Nempe aut legendum cum Scheffero, *concedendum ius invitationis*; aut ex Iuntina *concedendum ipfis* (nempe *qui virilem togam fumunt*, et reliquis) *invitationes*; aut inveniendum ex ingenio, eruendumve ex libris, aliquid melius. *G.*

Veriffime Schefferus, parum felix ceteroqui criticus, *concedendum ius invitationis. Iuffi* natum ex repetitione duarum literarum fefe excipientium. Tam uber tamque cognitus hic fons errorum, ut mirer, aliam Gierigio rationem placere potuiffe. *S.*

dianomes) Διανομῆς, *divifionis* pecuniarum vel cuiuscunque rei, quae ad *ambitus* crimen Romae pertinet. Docent hoc veteres gloffae, ubi διανομὴ χρυσίου, itemque διανομὴ ἀργύρου, redditur *fportula*, qua voce in refponfione Traianus utitur, διανομὴ κρέως *vifceratio*. Hinc *divifores* fordidum, fi non infame nomen Romae, v. g. Cic. prooem. act. in Verr. c. 8. Pro licita per teftamentum largitione ponuntur *divifiones* l. 23. π. de annuis leg. *Divifio civium et epulum* eadem ratione iunguntur l. 123. de Legatis 1. *Manemus ergo in Cafauboni emendatione, qui pro *diamones* ita reftituit. *Diamoeries*, quod libri antiqui hic habent, qui tamen in refponfione Traiani *diamones* agnofcunt, ex διαμοιρίας corruptum, quod eundem fenfum habere poteft: fed nefcio, an habeat auctorem alium. *G.*

CXVIII *moderareris — confituas — effent)* Scribendum, aut *modereris* et *fint*, aut *conftitueres*. *S.*

CXIX.

Doceri desiderat, a quo die incipiant iselastica praemia victoribus dari.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Athletae, Domine, ea, quae pro iselasticis certaminibus constituisti, deberi sibi putant statim ex eo die, quo sunt coronati. Nihil enim referre, quando sint patriam invecti, sed quando certamine vicerint, ex quo invehi possint. Ego contra [scribo] iselastici nomine [itaque eorum] vehementer addubitem, an sit potius id tempus, quo εἰσ-
2 ήλασαν, intuendum. Iidem obsonia petunt pro eo agone, qui a te iselasticus factus est, quamvis vicerint ante, quam fieret. Aiunt enim congruens esse, sicut non datur sibi pro his certaminibus, quae esse iselastica, postquam vicerunt, desierunt,

CXIX, 1 *pro iselasticis)* Quorum victoribus licet εἰσελαύνειν, solemni pompa in urbem invehi. Locus classicus Vitruv. 9. pr. *Nobilibus athletis, qui Olympia, Pythia, Isthmia, Nemea, vicissent, Graecorum maiores ita magnos honores constituerunt, uti non modo in conventu stantes cum palma et corona ferant laudes; sed etiam quum revertuntur in suas civitates cum victoria, triumphantes quadrigis in moenia et in patrias invehantur, e reque publica, perpetua vita constitutis vectigalibus fruantur.* Haec sufficiunt intelligendis his epistolis. Plura desiderantem iuvabunt Turneb. 1, 19. et 27, 5. et in primis Petr. Faber Agonist. 2, 10. et 17. pluresque hic laudati Longolio. *G.*

scribo iselastici) 'Locus corruptus, si quid video, cuius sententiam non obscuram arbitror; quibus verbis conceptus fuerit, non dixerim. Verbum *scribo* non esse sanum, confirmare prope ausim. Sententia autem haec est: Ne sentiam cum athletis, ipso nomine *iselastici* moveor, quod facit, ut dubitem, *an sit potius* etc. Si verba, quae ideo inclusimus, interim praetermittas, sententia, quam dixi, exorietur. Et video iam sic in mentem venisse Grutero, *Ego contra iselasticorum nomine vehementer addubitem.* Non dissimulo, ipsam etiam formulam, *vehementer addubitem*, mihi initio suspectam fuisse; cum *addubitare* bona aetate significet *aliquantum dubitare;* sed video, sic etiam positum 2, 19, 1.' Itaque patior illud locum suum tenere; neque tamen imitari audeam. *G.*

2 *obsonia)* Non praefracte negaverim Graeca notione ὀψώνια hic forte sumi, pro stipendio: sed notandum tamen, *annonam* et *cibos* etiam illis publice datos, quod docuit Faber Agonist. 2, 17. *G.*

iselasticus factus est) Cui tu tribuisti eosdem honores, immunitates, praemia, quae habent ii, qui olim hoc nomine appellati sunt. *G.*

ita pro iis dari, quae esse coeperunt. Hic quo- 3
que non mediocriter haereo, ne cuiusquam retro
habeatur ratio, dandumque, quod tunc, quum
vincerent, non debebatur. Rogo ergo, ut dubi-
tationem meam regere, id est, beneficia tua inter-
pretari ipse digneris.

CXX.

TRAIANVS PLINIO S.

Iselasticum tunc primum mihi videtur incipere deberi, quum quis in civitatem suam ipse εἰσήλασεν. Obsonia eorum certaminum, quae iselastica esse placuit mihi, [si] ante iselastica non fuerunt, retro non debentur. Nec proficere pro desiderio athletarum potest, tam eorum, quae postea iselastica lege constitui, quam, quum vincerent, esse desierunt. Mutata enim conditione certaminum, nihilominus, quae ante perceperant, non revocantur.

CXXI.

Excusat se, quod uxorem diplomate adiuverit.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Usque in hoc tempus, Domine, neque cuiquam diplomata commodavi, neque in rem ullam, nisi

3 *ne cuiusquam)* De ratione, qua *ne*, dubitandi vel interrogandi adeo particula, praeponitur, diximus in Lex. Rei rust. et ad Quintil. 1, 5, 38. *G.*

CXX *[si] ante iselastica)* *Importuna videtur conditionalis particula, qua deleta vel cum *quae* permutata, facilis erit sententia. *G.*

Vid. I. A. Ernestium ad h. l. *S.*

tam eorum, quae) *Haec esse corruptissima video, medelam non video. Sententia interim pellucet. Reiicit Imperator rationem athletarum, vel convertit potius, et ostendit, esse ἀντιστρέφουσαν. Illi dixerant, aequum esse, ut acciperent praemia eorum certaminum, quibus post victoriam demum suam proposita essent praemia; cum desinant dari quorundam certaminum, quae tum darentur, cum vincerent. At respondet Imperator, si retro valere velint legem, quae decernat praemia nova; etiam retro valere debere eam, quae auferat vetera. Si posterius non placeat, si reddere nolint praemia iam percepta eorum certaminum, pro quibus nihil amplius datur; etiam non postulare debere praemia, quae tum, cum vincerent, nondum fuerant constituta. Lacunam igitur hic esse sentio, quibus proprie verbis sit explenda, hariolari nolo. *G.*

CXXI, 1 *diplomata)* Vid. supra ep. 14. *G.*

tuam, misi: quam perpetuam servationem meam
2 quaedam necessitas rupit. Uxori enim meae, audita morte avi, volenti ad amitam suam excurrere, usum eorum negare durum putavi, quum talis officii gratia in celeritate consisteret, sciremque, te rationem itineris probaturum, cuius caussa erat pietas. Haec scripsi, quia mihi parum gratus tibi fore videbar, si dissimulassem inter alia beneficia hoc unum, quod me debere sciebam indulgentiae tuae, quod fiducia eius, quasi consulto te, non dubitavi facere; quem si consuluissem, sero fecissem.

CXXII.

TRAIANVS PLINIO S.

Merito habuisti, Secunde carissime, fiduciam animi mei. Nec dubitandum fuisset, si exspectasses, donec me consuleres, an iter uxoris tuae diplomatibus, quae officio tuo dedi, adiuvandum esset, usum eorum intentioni non profuisse, quum apud amitam suam uxor tua deberet etiam celeritate gratiam adventus sui augere.

2 *debere sciebam)* *Sciebam omittit prima editio, legitque pro *unum*, *uno*: nullo sensu idoneo. Sed erit sensus Plinio dignus, si ita legas, *Si dissimulassem, inter alia beneficia hoc* q u o q u e *me debere indulgentiae tuae, quod fiducia eius* etc. Id ipsum est beneficium Caesaris, quod Plinius audet, fiducia illius indulgentiae, inconsulto illo uti ipsius beneficio. G.

CXXII *profuisse)* Vid. I. A. Ernestium ad h. l. S.

C. PLINII CAECILII

SECVNDI

PANEGYRICVS

tuam, misi: quam perpetuam servationem meam
2 quaedam necessitas rupit. Uxori enim meae, audita morte avi, volenti ad amitam suam excurrere, usum eorum negare durum putavi, quum talis officii gratia in celeritate consisteret, sciremque, te rationem itineris probaturum, cuius caussa erat pietas. Haec scripsi, quia mihi parum gratus tibi fore videbar, si dissimulassem inter alia beneficia hoc unum, quod me debere sciebam indulgentiae tuae, quod fiducia eius, quasi consulto te, non dubitavi facere; quem si consuluissem, sero fecissem.

CXXII.

TRAIANVS PLINIO S.

Merito habuisti, Secunde carissime, fiduciam animi mei. Nec dubitandum fuisset, si exspectasses, donec me consuleres, an iter uxoris tuae diplomatibus, quae officio tuo dedi, adiuvandum esset, usum eorum intentioni non profuisse, quum apud amitam suam uxor tua deberet etiam celeritate gratiam adventus sui augere.

2 *debere sciebam)* *Sciebam omittit prima editio, legitque pro *unum*, *uno*: nullo sensu idoneo. Sed erit sensus Plinio dignus, si ita legas, *Si dissimulassem, inter alia beneficia hoc quoque me debere indulgentiae tuae, quod fiducia eius* etc. Id ipsum est beneficium Caesaris, quod Plinius audet, fiducia illius indulgentiae, inconsulto illo uti ipsius beneficio. *G.*

CXXII *profuisse)* Vid. I. A. Ernestium ad h. l. *S.*

C. PLINII CAECILII
SECVNDI
PANEGYRICVS

C. PLINII SECVNDI

P A N E G Y R I C V S

Bene ac sapienter, Patres Conscripti, maiores in-
stituerunt, ut rerum agendarum, ita dicendi ini-
tium a precationibus capere: quod nihil rite, ni-
hilque providenter homines, sine deorum immor-
talium ope, consilio, honore, auspicarentur. Qui 2
mos cui potius, quam consuli? aut quando
magis usurpandus colendusque est, quam quum
imperio senatus, auctoritate reipublicae, ad agen-
das Optimo Principi gratias excitamur? Quod 3
enim praestabilius est, aut pulchrius munus deo-

Panegyricus) Nescio an hoc nomen ipse actioni suae ac libro posuerit Plinius. Certe non colligas ex Ep. 3, 18. quae epistola praefationis instar ad hunc librum est, et ante eum legenda. *G.*

I, 1 *nihil rite, nihilque providenter)* Praestat membranarum lectio, a Longolio ad Plin. ep. p. 754. laudata: *nihil rite, nihil providenter. S.*

2 *imperio — auctoritate)* Discedit a veteribus formulis, in quibus non temere *imperare* dicitur *Senatus:* sed *placet Senatui, Senatus fit auctor* etc. Vid. Brisson. de form. tum alias, tum praesertim 2, 109. p. 201. Conr. infra 78, 1. Nimirum partim blanditur Senatui, partim, quod toto hoc libello agit, auctoritatem huius Ordinis it amplificatum: ut mirari subest interdum aequitatem animi in Traiano maiorem fere, quam temere a principe exspectes, qui vel probaverit ista, vel tulerit, vel contemserit. *G.*

ad agendas — gratias) Habemus eius rei exemplum etiam Ep. 2, 1, 5. Iam observatum aliis, non huc trahendum esse Dionem L. 60. p. 672. D. ubi vetuit lege Claudius, *τοὺς αἱρετοὺς (ἄρχοντας) μηδεμίαν οἱ χάριν ἐν τῷ συνεδρίῳ γινώσκειν.* Est enim ibi de provincialibus magistratibus sermo. *G.*

rum, quam castus et sanctus, et diis simillimus
4 princeps? Ac si adhuc dubium fuisset, forte casuque rectores terris, an aliquo numine darentur:
Principem tamen nostrum liqueret divinitus con-
5 stitutum. Non enim occulta potestate fatorum, sed ab Iove ipso coram ac palam repertus est, electus quippe inter aras et altaria, eodemque loci, quem deus ille tam manifestus ac praesens,
6 quam caelum ac sidera insedit. Quo magis aptum piumque est, te, Iupiter optime maxime, antea conditorem, nunc conservatorem imperii nostri, precari, ut mihi digna consule, digna senatu, digna principe contingat oratio: utque omnibus, quae dicentur a me, libertas, fides, veritas con-

3 *diis simillimus*) Stoicae virtutis apex, deo similem esse. Ita statim ex eadem philosophia casum excludit, commendat providentiam. *G.*

Non opus erat in his ad Stoicam philosophiam confugere. Exaggerabant laudem virtutum, qui *diis similem* aliquem dicebant, ut apud Vellei. 2, 130. 5. *Livia per omnia diis quam hominibus similior.* *E.*

5 *repertus est, electus*) *Reperire*, ut *invenire*, non semper ad casum, sed interdum ad quaerendi effectum pertinere, notum est. Nostri in tali re, *ausfündig machen.* *Vulgo legitur, *repertus, electus est quippe,* quod inconcinnitatis aliquid habere, aures sentiunt. Retinuit tamen Arntzenius. Liber Schwarzii cum *est* omittat, suspicandi occasionem viro clarissimo dedit, legendum, ut dedimus. Possis etiam propius ad codicis fidem legere, *repertus est, lectus.* Verbum *est* prima sua litera scriptum, evanido, qui imponi solet, apice, adhaesit ad sequens vocabulum tanto facilius, cum *electus* optime huc conveniat, et sit usitatius. *G.*

inter aras et altaria) In Capitolio. Ponamus, quia ad illustrandum non hunc tantum locum, sed bonam partem panegyrici pertinent, verba Dionis L. 68. e Xiphilino p. 770. E. Ὁ Νερούας διὰ τὸ γῆρας καταφρονούμενος ἀνέβη τε ἐς τὸ Καπιτώλιον καὶ ἔφη γεγωνήσας· (magno clamore) Ἀγαθῇ τύχῃ τῆς τε βουλῆς καὶ τοῦ δήμου τῶν Ῥωμαίων, καὶ ἐμοῦ αὐτοῦ, Μάρκον Οὔλπιον Νερούαν Τραϊανὸν ποιοῦμαι. (i. e. εἰσποιοῦμαι, adopto) Καὶ μετὰ ταῦτα ἐν τῷ συνεδρίῳ Καίσαρά τε αὐτὸν ἀπέδειξε κ. τ. λ. *G.*

6 *conservatorem*) *Iovis Conservatoris* titulus exstat nummis Domitiani et Diocletiani. Illustravit etiam Iustus Rycquius de Capitolio c. 20. p. 204. Add. Reines. 1, 254. et 2, 77. Plures sunt apud Gruterum. *G.*

fides) Intelligit, puto, *fidem*, qua Caesari et reip. obstrictus sit, quaeque *libertati* et *veritati* quasi innexa est: nam de altera fide, quam sibi haberi optat, deinde dicit, cum *speciem adulationis* deprecatur. *G.*

Non opus est cum Gesnero haec ita distinguere, ut *fides* intelligatur, qua Caesari et reipublicae obstrictus sit. Saepe *fides*

ſtet: tantumque a ſpecie adulationis abſit gratiarum actio mea, quantum abeſt a neceſſitate.

II. Equidem non Conſuli modo, ſed omnibus civibus enitendum reor, ne quid de Principe noſtro ita dicant, ut idem illud de alio dici
potuiſſe videatur. Quare abeant ac recedant vo- 2
ces illae, quas metus exprimebat: nihil, quale ante, dicamus; nihil enim, quale antea, patimur: nec eadem de principe palam, quae prius, praedicemus; neque enim eadem ſecreto loqui-
mur, quae prius. Diſcernatur orationibus noſtris 3
diverſitas temporum, et ex ipſo genere gratiarum agendarum intelligatur, cui, quando ſint actae. Nusquam ut deo, nusquam ut numini blandiamur: non enim de tyranno, ſed de cive; non
de domino, ſed de parente loquimur. Unum 4
ille ſe ex nobis, et hoc magis excellit atque eminet, quod unum ex nobis putat; nec minus hominem ſe, quam hominibus praeeſſe meminit.
Intelligamus ergo bona noſtra, dignosque nos illis 5

et *veritas* ut effectus et cauſſa iunguntur. Niſi melius ſit *fidem* pro ſimplicitate atque integritate accipere, e qua veritas conſequitur. Precatur Plinius, ut ſibi contingat, libere et ex animi ſententia et vere dicere. *E.*

a neceſſitate) quod, etiamſi gratiarum actio intermiſſa fuiſſet, tamen ei a Traiano nihil fuiſſet timendum. Ergo etiam in hoc ab aequitate et clementia Traianum laudat. *E.*

Sic et Gierigius. Sed falluntur viri doctiſſimi. *A neceſſitate*, ſubaudi *adulationis*. *S.*

II, 1 *Equidem — — videatur)* I. A. Erneſtii criſin de hoc loco, qui mihi ſaniſſimus videtur, vehementer miror. *S.*

2 *loquimur, quae prius)* Paullo concinniorem ſententiam e libris MS. et editis Gierigius reddidit *neque enim eadem ſecreto, quae prius, loquimur. E.*

Al. *neque enim eadem, quae prius, ſecreto loquimur.* quod magis etiam placet. *S.*

5 *dignosque nos illis*) *Si facilem et ſui ſimilem hic quoque Plinium eſſe volumus, ſic, ut Lipſio ſuadente dedimus, legendum puto. Sive enim ita intelligas, *probemus nos dignos uſu Traiani*, (quod defendit Schwarzius) duriuſculum eſt; ſive, *probemus nos dignos illius*, nempe Traiani, Graeciſmus eſt, poëtis dignior, de quo Drakenb. ad Sil. 11, 331. et 12, 81. *Illis* placuiſſe etiam Perizonio, docet Arntzenius, qui ex ILLIVSV h. e. *illi uſu* ortam putat lectionem *illius uſu*. Putat itaque *dignos* cum dativo conſtrui. *G.* Add. Gesneri ad I. A. Erneſtium epiſtola.

usu probemus, atque identidem cogitemus, quam
sit indignum, si maius principibus praestemus ob-
sequium, qui servitute civium, quam qui libertate
6 laetantur. Et populus quidem Romanus dilectum
Principum servat, quantoque paullo ante concen-
tu formosum alium, hunc fortissimum personat;
quibusque aliquando clamoribus gestum alterius
et vocem, huius pietatem, abstinentiam, man-
7 suetudinem laudat. Quid nos ipsi? divinitatem
Principis nostri, an humanitatem, temperantiam,
facilitatem, ut amor et gaudium tulit, celebrare
universi solemus? Iam quid tam civile, tam se-
natorium, quam illud additum a nobis OPTIMI
cognomen? quod peculiare huius et proprium
8 arrogantia priorum principum fecit. Enim vero
quam commune, quam ex aequo, quod FELICES
NOS, FELICEM ILLVM praedicamus? alternisque vo-
tis, HAEC FACIAT, HAEC AVDIAT, quasi non dictu-

6 *formosum)* Domitianum *pulchrum et decentem* vocat, et plura ea de re commemorat Sueton. c. 18. Pulchritudiuis caussa etiam Apollinis nomen et insiguia ipse et Nero affectabant, qui *formosus* est: ad Neronem etiam pertinet *gestus et vox* laudata, cuius insaniae plura specimina dat Suetonius a cap. inde 20. *G.*

7 *OPTIMI cognomen)* Quod sexcenti nummi et inscriptiones servant. Vid. 88, 6. *G.*

8 *commune)* *Commune* est, h. e. principem *communem*, *civilem* et *humanum* indicat etc. Serv. ad Aen. 8, 275. *Alii* communem deum *(dictum volunt) humanum*, *beneficum*, *φιλάνθρωπον*, *unde et* communes homines *dicimus*. *G.*

Simplicius tamen est et aptius, illa *quam commune, quam ex aequo*, ita iungere, ut communis et aequalis praedicantium vox intelligatur. Mox eodem sensu *alterna vota* dicit. *E.*

Mihi vero *commune* et *ex aequo* idem fere videtur, quod Plinius antea *civile* dixit. Civilitatis quidem Traiani signum erat, quod Romani non solum Imperatorem, sed se quoque felices praedicarent. *S.*

haec faciat) *Haec* opera, digna optimo principe, semper *faciat* Traianus! *haec* nomina, hos titulos, has laudes, semper *audiat!* *G.*

Rectius, puto, Gierigius haec ita supplevit: mox dicimus, *haec*, quibus adhuc indigemus, *faciat!* mox, *haec*, quae ipsi ex animo apprecamur, *audiat!* Nisi forte ultima haec melius sic suppleantur: *haec*, quae reprehendimus, vel conquerimur, *audiat!* Certi enim sumus, eum ne reprehensionibus quidem nostris aut querimoniis irasci, sed indulgentissime eas audire, et iis, si fieri possit, mederi. *E.*

Ego Gesneri rationem, in qua nihil duri video, sequar. Appa-

ri, nisi fecerit, comprecamur? Ad quas ille voces lacrymis etiam ac multo pudore suffunditur. Agnoscit enim sentitque, sibi, non principi, dici.

III. Igitur quod temperamentum omnes in
illo subito pietatis calore servavimus, hoc singuli
quoque meditatique teneamus; sciamusque, nullum
esse neque sincerius, neque acceptius genus
gratiarum, quam quod illas acclamationes aemu-
letur, quae fingendi non habent tempus. Quan- 2
tum ad me pertinet, laborabo, ut orationem
meam ad modestiam Principis moderationemque
submittam, nec minus considerabo, quid aures
eius pati possint, quam quid virtutibus debeatur.
Magna et inusitata Principis gloria, cui gratias 3
acturus, non tam vereor, ne me in laudibus suis
parcum, quam ne nimium putet. Haec me cu- 4
ra, haec difficultas sola circumstat: nam merenti
gratias agere, facile est, Patres Conscripti. Non
enim periculum est, ne, quum loquar de humanitate,
exprobrari sibi superbiam credat; quum
de frugalitate, luxuriam; quum de clementia, crudelitatem;
quum de liberalitate, avaritiam; quum
de benignitate, livorem; quum de continentia,
libidinem; quum de labore, inertiam; quum de
fortitudine, timorem. Ac ne illud quidem vere- 5
or, ne gratus ingratusve videar, prout satis aut
parum dixero. Animadverto enim, etiam deos
ipsos, non tam accuratis adorantium precibus,

ret enim, Plinium loqui de iis, quae Traianus olim sit auditurus, si civium exspectationi satisfecerit. *S.*

suffunditur) De pudore proprie dicitur: non item de lacrymis. Sic autem saepissime utriusque linguae scriptores unum pluribus nominibus verbum iungunt, cuius significatio non omnibus illis nominibus ad amussim congruit. *S.*

III, 1 *quae fingendi — tempus)* quae tam celeriter prorumpunt, ut verum pectoris sensum efferant, non fictum ex adulatione. *E.*

3 *Magna et inusitata Principis gloria)* Epiphonema, cuius sensus tam patet, ut satis mirari nequeam, Gierigium hic interpretando labi potuisse. *S.*

5 *accuratis)* cum cura et arte quadam conceptis et concin-

quam innocentia et ſanctitate laetari; gratioremque exiſtimari, qui delubris eorum puram caſtamque mentem, quam qui meditatum carmen intulerit.

IV. Sed parendum eſt Senatusconſulto, quo
ex utilitate publica placuit, ut Conſulis voce, ſub
titulo gratiarum agendarum, boni principes, quae
facerent, recognoſcerent; mali, quae facere de-
2 berent. Id nunc eo magis ſolemne ac neceſſa-
rium eſt, quod parens noſter privatas gratiarum
actiones cohibet et comprimit: interceſſurus etiam
publicis, ſi permitteret ſibi vetare, quod Senatus
3 iuberet. Utrumque, Caeſar Auguſte, moderate,
et quod alibi tibi gratias agi non ſinis, et quod
hic ſinis. Non enim a te ipſo tibi honor iſte,
ſed agentibus habetur. Cedis affectibus noſtris,
nec nobis munera tua praedicare, ſed audire tibi
neceſſe eſt.

4 Saepe ego mecum, P. C. tacitus agitavi,
qualem quantumque eſſe oporteret, cuius ditione

natis. Nempe pietas non verba, ſed ſenſus curat. Itaque mox *meditatum carmen* opponitur. *E.*

meditatum carmen) Formulam verbis conceptis. Collegit in hoc etiam genere plurima Briſſon. de form. 1, 103. ſqq. Huc pertinent Hymni Homerici, odae quaedam Horatii et Catulli. *G.*

IV, 1 *quo — placuit*) Gierigius e libris MS. et editis multis edidit *quod — placuit*, hoc ſenſu: parendum eſt noto illi SCto, quod utilitatis publicae cauſſa (Senatui) placuit ſ. factum eſt, hoc conſilio, ut Conſulis voce etc. *E.*

Praetulit eandem lectionem Geſnerus in epiſtola ad I. A. Erneſtium. *S.*

2 *interceſſurus — vetare)* Tribuniciae poteſtatis verba, commode hic adhibita, cum eam habuerit etiam Imperator. *G.*

3 *ſed agentibus habetur)* Cum permittis tibi gratias agi publice, ea in re non tibi habes honorem, ſed nobis, qui agimus. *Plana ſententia, ſed quam obſcuraverat inculcata temere *ab*, cum legeretur: *Non enim a te ipſo tibi honor iſte, ſed ab agentibus habetur.* Eiecimus itaque praepoſitionem Schwarziani libri auctoritate. Idem vir doctiſſimus malit, *non enim a te ipſi tibi*, non *ipſo:* recte ſane: et erit plenior oppoſitio. *G.*

His equidem acquieſcam. Plura molitur I. A. Erneſtius: dubito, an iure. *S.*

4 *Saepe ego)* Hic proprie ipſa tractatio incipit, et agmen quoddam laudum proponitur, quas deinde per partes perſequitur. *G.*

nutuque maria terrae, pax bella, regerentur: quum interea fingenti formantique mihi principem, quem aequata diis immortalibus poteſtas deceret, nunquam voto ſaltem concipere ſuccurrit ſimilem huic, quem videmus. Enituit aliquis in bello, ſed ob- 5
ſolevit in pace: alium toga, ſed non et arma honeſtarunt: reverentiam ille terrore, alius amorem humilitate captavit: ille quaeſitam domi gloriam in publico, hic in publico partam domi perdidit. Poſtremo adhuc nemo exſtitit, cuius virtutes nullo vitiorum confinio laederentur. At Prin- 6
cipi noſtro quanta concordia, quantusque concentus omnium laudum, omnisque gloriae contigit! Ut nihil ſeveritati eius hilaritate, nihil gravitati ſimplicitate, nihil maieſtati humanitate detrahitur! Iam firmitas, iam proceritas corpo- 7
ris, iam honor capitis, et dignitas oris, ad hoc aetatis indeflexa maturitas, nec ſine quodam munere deum feſtinatis ſenectutis inſignibus ad

maria terrae) Aſyndeton, quod genua praeſertim in oppoſitis locum habet, ut *ruta caeſa, ſarta tecta*. Vid. quae dedimus ad Caton. 14, 4. *G.*

5 *Enituit aliquis*) Iucundum erit videre antrorſum Homerum Il. ν, 730. ſq. ab altera parte vero Claudianum Stilicon. 1, 25. ſqq. *G.*

amorem humilitate) Ut *gravitatis*, qua alias paratur reverentia, exceſſus *terror* eſt, ſic *humanitatis*, comitatis, benignitatisque, *humilitas*. Recte igitur poſt alios e ſuo codice vindicavit *humilitatem* Schwarzius, quam male hic *humanitas* pepulerat. *G.*

6 *gravitati ſimplicitate*) Difficile in primis harum rerum temperamentum: quod qui graves volunt eſſe ac videri, ſaepe in affectationem et quaeſitum *compoſitumque* quendam rigorem incidunt, *ſimplicitati* illi et ἀφελείᾳ contrarium, quae nihil fictum, nihil adſcitum habet, ſed candide omnia, et excuſſis quaſi omnibus cordis receſſibus atque plicis, adminiſtrat. *G.*

7 *ad hoc — maturitas*) *Ad hoc aetatis* tempus provecta, ſed nondum tamen *deflexa maturitas*, nondum minui atque decreſcere incipiens. Prope ἀκμὴν et ſummum vigorem eſt aetas (quartum et quadrageſimum annum tum agebat Traianus) nondum tamen declinare coepit, ut ſol, cum primum ſolſtitialem terminum attigit, deflectit. *G.*

Recte omnia Gesnerus, niſi quod *ad hoc* nunc eſt, praeterea, ut centies apud Plinium. cf. Epiſt. 1, 10. 6. *E.*

ad hoc) Arntzenius interpretatur *ad haec, praeterea*. *G.*

Malim *ad haec*. *S.*

feſtinatis — inſignibus) Claudian. Nupt. Honor. 324. *vultus-*

augendam maieſtatem ornata caeſaries, nonne
longe lateque principem oſtentant?

V. Talem eſſe oportuit, quem non bella
civilia, nec armis oppreſſa respublica, ſed pax,
et adoptio, et tandem exorata terris numina,
2 dediſſent. An fas erat, nihil differre inter impe-
ratorem, quem homines, et quem dii feciſſent?
quorum quidem in te, Caeſar Auguſte, iudicium
et favor, tunc ſtatim, quum ad exercitum profi-
ciſcereris, et quidem inuſitato indicio enituit.
3 Nam ceteros principes aut largus cruor hoſtia-
rum, aut ſiniſter volatus avium conſulentibus
nuntiavit: tibi aſcendenti de more Capitolium,
quamquam non id agentium civium clamor, ut
4 iam principi, obcurrit. Siquidem omnis turba,
quae limen inſederat, ad ingreſſum tuum foribus
recluſis, illa quidem, ut tunc arbitrabatur, deum;
ceterum, ut docuit eventus, te conſalutavit impe-

que auctura verendos Canities feſtina venit. G.

longe lateque) Non refero ad *principem* haec adverbia, ſed ad *oſtentant*. Narrat e Dione l. 68. Xiphilinus p. 785. D. in expeditione contra Agarenos magno in periculo fuiſſe Traianum: Καὶ αὐτὸς βραχυτάτου ἐδέησε τρωθῆναι, καίπερ τὴν βασιλικὴν στολὴν ἀποθέμενος, ἵνα μὴ γνωρισθῇ, τῆς δὲ πολιᾶς αὐτοῦ τὸ γαῦρον καὶ τὸ σεμνοπρεπὲς τοῦ προσώπου ἰδόντες, ὑπετόπησάν τε εἶναι, ὃς ἦν, καὶ ἐπετόξευσαν αὐτῷ κ. τ. λ. Viderat locum Lipſius. *G.*

V, 2 *indicio enituit)* *Iudicio* typorum Cuſpiniani errori videtur deberi: plane omittitur in Schwarziano. *Enotuit*, quod eſt in quibusdam libris, et ipſum Plinianum eſt 2, 10, 3. Ceterum Erneſti meus legi volebat *eminuit*. *G.*

Vid. I. A. Erneſtius ad h. l. *S.*

3 *ſiniſter volatus)* Cic. de divin. 2, 39. *Nobis ſiniſtra videntur, Graiis et Barbaris dextra meliora.* Vid. Daviſ. *G.*

non id agentium) Ea enim ominis ratio eſt, *ſi quis aliquid ex ſua re atque ex ſuo ſermone dixerit, et eius verbum aliquod apte ceciderit ad id, quod ages aut cogitabis*, ut ridens, vere tamen, quod exempla declarant, oſtendit Cic. Divin. 2, 40. Eſt omnino ſtultitiae humanae hic exemplum. Ille apud Phaedrum 5, 7. tibicen, qui *Princeps* ſuo nomine diceretur, irriſus eſt, cum *Principi*, id eſt, Imperatori dictum carmen ad ſe raperet: et Conſulem Romanum in concilio terrarum orbis graviſſimo non pudet, perſuadere velle Traiano ad ipſum pertinuiſſe verba, quibus *Iovem Imperatorem* ſalutabat populus. *Iovis Imperatoris* mentio Cic. in Verr. 4, 58; origo Liv. 6, 29. Diſſenſum quendam utriusque tollere hic ſtudet Lipſius. *G.*

ratorem. Nec aliter a cunctis omen acceptum 5
eſt. Nam ipſe intelligere nolebas: recuſabas
enim imperare; recuſabas, quod bene erat im-
peraturi. Igitur cogendus fuiſti. Cogi porro non 6
poteras, niſi periculo patriae, et nutatione rei-
publicae. Obſtinatum enim tibi non ſuſcipere
imperium, niſi ſervandum fuiſſet. Quare ego il- 7
lum ipſum furorem motumque caſtrenſem reor
exſtitiſſe, quia magna vi magnoque terrore mo-
deſtia tua vincenda erat. Ac ſicut maris coelique 8
temperiem turbines tempeſtatesque commendant;
ita ad augendam pacis tuae gratiam illum tumul-
tum praeceſſiſſe crediderim. Habet has vices 9
conditio mortalium, ut adverſa ex ſecundis, ex
adverſis ſecunda naſcantur. Occultat utrorumque
ſemina deus, et plerumque bonorum malorumque
cauſſae ſub diverſa ſpecie latent.

VI. Magnum quidem illud ſeculo dedecus, magnum reipublicae vulnus impreſſum eſt. Im-

5 *quod bene erat imperaturi*) Qui intelligeret, quantum onus eſſet imperium, qui illud non negligere vellet, ſed ex dignitate gerere. Similia de Theodoſio Pacatus c. 10. ſq. Vid. 86, 2. *G.*

6 *nutatione reipublicae*) *Sic omnino legendum ex libris Grutero inſpectis. *Mutatione* non convenit: neque enim mutata eſt respublica, ſed *nutavit* in contemta Nervae auctoritate, ruinam minata eſt, ut *nutantia templa* infra 51, 1. Conf. 6, 3. *ruens ſuper imperatorem imperium.* *G.*

niſi ſervandum fuiſſet) niſi ſervandum habuiſſes; niſi nutatio reipublicae ſervatorem popoſciſſet. Neſcio, cur *fuiſſet* I. A. Erneſtio et Gierigio diſplicuerit. *S.*

8 *praeceſſiſſe*) Codex Voſſ. *praeſaeviiſſe*, quod iure praetulit Arntzenius. *S.*

9 *naſcantur*) Avunculus noſtri 7, 40. ſ. 41. eundem locum tractat: *Quid? quod iſte calculi candore illo laudatus dies originem mali habuit. Quam multos accepta afflixere imperia! quam multos bona perdidere, et ultimis merſere ſupplicis!* *Malui itaque ſervare *naſcantur*, quam *noſcantur* e libris quibusdam reponere: cum apertum ſit, non de cognitione hic agi, ſed de ipſa origine ſecundorum ex adverſis, et contra; ſeu, ut ipſe ait, de *cauſſis bonorum malorumque, ſub diverſa ſpecie latentibus.* *G.*

Mihi quoque *naſcantur* unice verum videtur. De ſeminibus ac cauſſis agitur, non de modo, quo ſecunda adverſaque noſcantur. Ceterum mira Gierigii ratio, ambas lectiones in ipſo verborum contextu lectori proponentis. *S.*

perator, et parens generis humani, obſeſſus, captus, incluſus: ablata mitiſſimo ſeni ſervandorum hominum poteſtas; ereptumque principi illud in prin-
2 cipatu beatiſſimum, quod nihil cogitur. Si tamen haec ſola erat ratio, quae te publicae ſalutis gubernaculis admoveret; prope eſt ut exclamem, tanti fuiſſe. Corrupta eſt diſciplina caſtrorum, ut tu corrector emendatorque contingeres: inductum peſſimum exemplum, ut optimum opponeretur: poſtremo coactus princeps, quos nollet, occidere, ut daret principem, qui cogi non poſ-
3 ſet. Olim tu quidem adoptari merebare; ſed neſciſſemus, quantum tibi deberet imperium, ſi ante adoptatus eſſes. Exſpectatum eſt tempus, in quo liqueret, non tam accepiſſe te beneficium, quam dediſſe. Confugit in ſinum tuum concuſſa reſpublica, ruensque imperium ſuper imperato-

VI, 1 *Imperator — poteſtas*) Narrat Xiphilinus e Dionis L. 68. p. 770. D. Αἰλιανὸς ὁ Κασπέριος — *τοὺς στρατιώτας ἐστασίασε κατ' αὐτοῦ παρασκευάσας ἐξαιτῆσαί τινας, ὥστε θανατωθῆναι. πρὸς οὓς ὁ Νερούας τοσοῦτον ἀντέσχεν, ὥστε καὶ τὴν κλεῖν ἀπογυμνῶσαι, καὶ τὴν σφαγὴν αὐτοῦ προδεῖξαι. οὐ μήν τι καὶ ἤνυσεν, ἀλλ' ἀνῃρέθησαν, οὓς ὁ Αἰλιανὸς ἐβουλήθη.* Hinc ſtatim fecit Nerva, quod referebamus ad 1, 5. G.

2 *haec ſola — ratio*) Antiquum eſt ergo, permiſſa a providentia mala dicere ob eam cauſſam, quod bona quaedam exſiſtere aliter non poſſunt. G.

tanti fuiſſe) Exiguum fuit incommodum illud, et contemtus Nervae oblatus, ſi compararetur cum bonis ex imperio Traiani, quod peperit iſte tumultus, conſequutis. Igitur *tanti* fuit; aequum pretium fuit tantorum bonorum, contemtus Nervae. Contulit hunc locum Grotius cum Lucani illo 1, 37. *Scelera ipſa nefasque Hac mercede placent.* Plura e Graecis hic dedit Lipſius. Quin ſic quoque cecinit eccleſia in Sequentia ad primam miſſam in nocte nativit. Domini, *O culpa nimium beata, qua redemta eſt natura* etc. Neſcio, quam bene. G.

Corrupta eſt etc.) Ad ſolum illum motum caſtrenſem referam, non omnino ad diſciplinae corruptionem ſub prioribus principibus. S.

ut tu — contingeres) Qui eruerit hinc canonem Grammaticum, *ut* interdum etiam referri ad eventum, non ad conſilium, id enim eſt, non *τελικῶς* poni, ſed *ἐκβατικῶς*: poterit illo in magis ſeriis rebus non nunquam uti. Ceterum *corrector emendatorque* fuit Traianus ipſorum etiam in Nervam admiſſorum, explevitque verſiculum Il. α, 42. quem ſua manu ei ſcripſerat ſenex, *Τίσειαν Δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσιν*, ut oſtendit e Dione Xiphilinus l. c. p. 771. C. G.

quos nollet) Non damnarim hanc lectionem. Sed tamen magis placet, quod eſt in MS. Schwarzius et al. *nolebat*. G.

rem imperatoris tibi voce delatum eſt. Implora- 4
tus adoptione, et accitus es, ut olim duces ma-
gni a peregrinis externisque bellis ad opem pa-
triae ferendam revocari ſolebant. Ita filius ac
parens uno eodemque momento rem maximam
invicem praeſtitiſtis: ille tibi imperium dedit,
tu illi reddidiſti. Solus ergo ad hoc aevi pro
munere tanto paria accipiendo feciſti, immo ul-
tro dantem obligaſti: communicato enim impe-
rio, ſolicitior tu, ille ſecurior factus eſt.

VII. O novum atque inauditum ad princi-
patum iter! Non te propria cupiditas, proprius
metus; ſed aliena utilitas, alienus timor princi-
pem fecit. Videaris licet quod eſt ampliſſimum 2
conſequutus inter homines; felicius tamen erat
illud, quod reliquiſti: ſub bono principe priva-
tus eſſe deſiiſti. Aſſumtus es in laborum cura- 3
rumque conſortium, nec te laeta et proſpera ſta-
tionis iſtius, ſed aſpera et dura ad capeſſendam
eam compulerunt. Suſcepiſti imperium, poſtquam
alium ſuſcepti poenitebat. Nulla adoptati cum 4
eo, qui adoptabat, cognatio, nulla neceſſitudo;
niſi quod uterque optimus erat, dignusque alter
eligi, alter eligere. Itaque adoptatus es, non, ut
prius alius atque alius, in gratiam uxoris. Ad-
ſcivit enim te filium, non vitricus, ſed princeps,
eodemque animo divus Nerva pater tuus factus

4 *ad hoc aevi)* 'Firmat hanc lectionem e ſuo et Gudii libro Schwarzius. Al. *adhuc, qui. G.*

ultro dantem obligaſti) Male iungunt quidam *ultro* cum *dantem*, quod ad *obligaſti* referendum eſt. *Ultro obligaſti*, prior illi beneficium praeſtitiſti: eam enim vim eſſe huius adverbii, ut non tam ad liberam voluntatem, quam ad praeventionem quandam et occupationem pertineat, exempla illa docent, quibus neſcio quae aliae ſignificationes in Lexicis tribuuntur, quod oſtendimus in novo, quem molimur, Linguae Latinae theſauro. 'Sed nec damnaverim *ultra*, quod habent quidam: ut corrigat illud *paria feciſti. Ultra*, i. e. amplius tu illum, quam ille te, obligaſti. Sed *ultro* etiam eſſe *inſuper* ſtudet oſtendere Arntzenius. *G.*

VII, 4 *non vitricus)* Ut Tiberium Auguſtus, Claudius Neronem. *G.*

est, quo erat omnium. Nec decet aliter filium
5 assumi, si assumatur a principe. An Senatum
Populumque Romanum, exercitus, provincias, socios,
transmissurus uni, successorem e sinu uxoris
accipias? summaeque potestatis heredem tantum
intra domum tuam quaeras? non per totam
civitatem circumferas oculos? et hunc tibi proximum,
hunc coniunctissimum existimes, quem
optimum, quem diis simillimum inveneris? Im-
6 peraturus omnibus, eligi debet ex omnibus. Non
enim servulis tuis dominum, ut possis esse contentus
quasi necessario herede, sed principem civibus
daturus es imperator. Superbum istud et
regium, nisi adoptes eum, quem constet impera-
7 turum fuisse, etiamsi non adoptasses. Fecit hoc
Nerva, nihil interesse arbitratus, genueris an
elegeris, si perinde sine iudicio adoptentur liberi,
ac nascuntur: nisi tamen quod aequiore animo
ferunt homines, quem princeps parum feliciter
genuit, quam quem male elegit.

VIII. Sedulo ergo vitavit hunc casum, nec iudicia hominum, sed deorum etiam in consilium assumsit. Itaque non tua in cubiculo, sed in templo; nec ante genialem torum, sed ante pul-

5 *Senatum Populumque*) 'Sic optimi quique libri. Alii, *Senatus Populique*, quod pro ratione illius temporis falsum erat. *Senatus* ipse *Populusque Rom.* in tutela tum et potestate Principis erant. *G.*

intra domum tuam) Galba Pisonem adoptans Tac. H. 1, 15, 3. *Augustus in domo successorem quaesivit; ego in re publica.* Totam illam orationem contulisse cum hac Panegyrici parte iuverit. *G.*

6 *imperaturum fuisse*) Eligendum nempe propter virtutem ab omnibus, qui salvam esse cuperent rempublicam. *G.*

7 *nisi tamen quod*) Immo *nisi quod tamen*, ut Schwarzius et Gierigius ediderunt. vid. ad Epist. 6, 21, 6. — *Nascuntur.* Al. *nascantur*, quod praeterendum. *S.*

VIII, 1 *nec iudicia*) 'Huic lectioni non favet modo Gud. 2. apud Schwarz. sed etiam qui *iudicio* legunt corrupte. Al. *indicium*. *G.*

tua) Arntzen. *tui*. quod placet I. A. Ernestio. Praeterea malim: *Itaque tui non in cubiculo* etc. *S.*

genialem torum) Apposite ad *pulvinar* Iovis: ut enim *focus* privatus unusquisque *ara genii*, ita lectus, coniugalis praesertim, *genii pulvinar*. *Arae mensa-*

vinar, Iovis optimi maximi, adoptio peracta eſt: qua tandem non ſervitus noſtra, ſed libertas, et ſalus, et ſecuritas fundabatur. Sibi enim dii 2
gloriam illam vindicaverunt: horum opus, horum illud imperium; Nerva tantum miniſter fuit. Utique qui adoptaret tam paruit, quam tu, qui adoptabaris. Allata erat ex Pannonia laurea, id 3
agentibus diis, ut invicti imperatoris exortum victoriae inſigne decoraret. Hanc Imperator Nerva in gremio Iovis collocarat: quum repente ſolito maior et auguſtior, advocata hominum concione deorumque, te filium ſibi, hoc eſt, unicum auxilium feſſis rebus aſſumſit. Inde quaſi depoſito 4
imperio, qua ſecuritate, qua gloria laetus (nam

rum rationem habent; *lectorum*, qui etiam *tricliniares* ſunt, *pulvinaria*. Hioc *lectiſternia*, epulae quaſi ſolemoiores Deorum, etc. *G.*

2 *Utique*) *Sic omnioo legendum, vidit Schwarzius: cuius codex, ut et margo Guiliāni, *utque* hic habent. Cum literas *er* ſic ſignare ſoleant librarii, ut apicem apoſtrophi inſtar ad literam praecedeutem adiiciant; apparet, quomodo *i* litera obſcure ſcripta vel plane omitti, vel in *er* mutari potuerit. Ceterum malit vir doctiſſimus, *qui adoptabat;* cum ſequatur, *qui adoptabaris.* Cogitabam, an forte fuerit *quum.* Vocabula monoſyllaba, quorum principium eſt *q*, omnibus modis miſceri et confundi in libris antiquis, non ignorant, qui eos tractarunt. Ingenioſe Heumannus mens, *teque cum adoptaret. G.*

Bene Gierigius ita edidit: *Uterque, tam qui adoptabat, tum paruit, quam tu, qui adoptabaris. E.*

Vid. I. A. Erneſtius, cui accedo. *S.*

3 *ex Pannonia laurea*) Non a Traiano (ut ſcriptor multis ſeculis poſterior Cedrenus narrat) quod hic non taciturus erat Plinius; et diſerte Xiphilinus e Dione L. 68. p. 770. E. ubi de hac re, *ἦγχε δὲ τῆς Γερμανίας ἐκεῖνος.* Add. mox 9, 2. Quae contra hanc ſententiam monuit Dodwellus Prael. Cambd. 6. p. 273. ſqq. non potuerunt ab ea dimovere Maſſonum in vita Plinii ad A. C. 99. §. 3. De *literis laureatis*, e provincia mitti ſolitis, exſtat elegans diſſertatio Io. Guil. Bergeri. Repetit de hac lauro 16, 1. *G.*

ſolito maior) Quem ſolicitudo atque metus contraxerant ante et depreſſerant, eum gaudium de conſilio ſuo, et certa ſpes boni eventus, iam erigebat. Nota vis utriusque commotionis: nota Sixti V. hiſtoria, inventis Petri clavibus ſe erigentis. *G.*

Haec Gesnerus *φυσικῶς.* Sed maius quiddam cogitavit Plinius, ipſius numinis quandam quaſi *ἐπίπνοιαν* agooſcens. Virgilius Aen. 1, 588. ſſ. *Reſtitit Aeneas, claraque in luce refulſit, Os humerosque deo ſimilis* etc. ubi v. Heynium. Eodem ſpectat *deorum concio*, quod Gierigius, ni fallor, minus recte interpretatur. Splendidiſſimus hic locus. *S.*

4 *qua gloria*) *Gloriam* hic intelligo non alienam praedica-

quantulum refert, deponas, an partiaris imperium? nisi quod difficilius hoc est) non secus ac praesenti tibi innixus, tuis humeris se patriamque sustentans, tua iuventa, tuo robore invaluit!
5 Statim consedit omnis tumultus. Non adoptionis opus istud fuit, sed adoptati: atque adeo temere fecerat Nerva, si adoptasset alium. Oblitine sumus, ut nuper post adoptionem non desierit seditio, sed coeperit? Irritamentum istud irarum,
6 et fax tumultus fuisset, nisi incidisset in te. An dubium est, ut dare posset imperium imperator, qui reverentiam amiserat, auctoritate eius effectum esse, cui dabatur? Simul filius, simul Caesar, mox Imperator, et consors Tribuniciae potestatis, et omnia pariter, et statim factus es: quae proxime parens verus tantum in alterum filium contulit.

IX. Magnum hoc tuae moderationis indicium, quod non solum successor imperii, sed particeps etiam sociusque placuisti. Nam successor, etiamsi nolis, habendus est: non est haben-

tionem, sed iudicium de suo facto praeclarum, verbo, *gloriationem*, sed honestam, et potius in vultu alacri et sereno, conscientiae indice, quam invidiosa sui iactatione positam. *G.*

nam — hoc est) *Mihi non est dubium, hanc parenthesin culpa librarii, qui eam praeterviderat, versu uno serius, quam oportebat, collocatam, revocari debere, ponique post verba, *quasi deposito imperio.* *G.*

Nisi verba sic ordinanda: *Inde qua securitate, qua gloria laetus, quasi deposito imperio* etc. Fervidum dicentis ingenium naturalem cogitationum ordinem turbare posse, fateor: sed quem nos legimus Plinii panegyricum, non in Senatu recitatus, sed per otium elaboratus, adque omnes bene scribendi regulas diligentissime exactus est. *S.*

5 *post adoptionem)* Pisonis a Galba factam Tac. H. 1, 15. sqq. *G.*

6 *Simul filius* etc.) Vid. I. A. Ernestium ad h. l. *S.*

parens verus) Vespasianus in Titum; non item in Domitianum. *G.*

IX, 1 *non est habendus)* *Omittit hoc *est* liber Schwarzianus: qui recte etiam suffragatur lectioni optimorum, quam damus; cum alii legant, *habendus es: non es habendus.* *G.*

Hi nempe non videbant, Plinium nunc universe loqui. Ceterum bene notavit Gierigius, hanc sententiam incommode hic adhibitam esse; sermonem enim esse de successore, quem Imperator ipse sua sponte sibi eligat. *E.*

dus focius, nisi velis. Credentne posteri, Patri- 2
cio et Consulari, et Triumphali patre genitum,
quum fortissimum, amplissimum, amantissimum
sui exercitum regeret, Imperatorem non ab exer-
citu factum? eidem, quum Germaniae praeside-
ret, Germanici nomen hine missum? nihil ipsum,
ut Imperator fieret, agitasse? nihil fecisse, nisi
quod meruit, et paruit? Paruisti enim, Caesar, 3
et ad principatum obsequio pervenisti: nihilque
magis a te subiecti animo factum est, quam quod
imperare coepisti. Iam Caesar, iam Imperator,
iam Germanicus, absens et ignarus, et post tan-
ta nomina, quantum ad te pertinet, privatus.
Magnum videretur, si dicerem, Nescisti te Impe- 4
ratorem futurum: eras Imperator, et esse te ne-
sciebas. Ut vero ad te fortunae tuae nuntius

Non assentior. Haec enim sententia argumentum tenet, quo evincatur, Traianum Nervae etiam participem imperii sociumque placuisse. *S.*

2 *Patricio)* Non sensu antiquo; qui neque Italus, aut iuris adeo Italici esset: sed *patricius* fuit Traianus pater ex eo genere, qui suppleti sunt ab Imperatoribus, quale quid constat de Iulio Caes. e Sueton. c. 41; de Claudio ex Tac. A. 11, 25. nempe *in numerum patriciorum adscivit vetustissimum quemque e Senatu, aut quibus clari parentes fuerant*; quis autem consule clarior? de Vespasiano denique ex eiusd. Taciti Agric. 9. Huius conditionis fuisse videtur *Titianus, C. Maesi Titiani et Fontelae Frontinae Consularium filius, PATRICIVS*, cui ob *honorem togae virilis* monumentum posuit *Clodius Rufus* apud Reines. 6, 62. De *Patriciis* a Constantino M. institutis πάντα περὶ πάντων Iac. Gothofr. ad C. Th. 6, 6. de COSS. praefectis etc. *G.* Add. Gesneri ad I. A. Ernestium epistola.

Consulari, Triumphali) Consulatus mentio in fastis nulla: triumphum Parthicum i. e. ornamenta triumphalia memorat etiam 14, 1. *G.*

4 *Magnum videretur* etc.) Similis forma orationis deinde 31, 5. *G.*

Addidit haec Plinius, ut ostenderet, quam longe Traianus ab omni ambitione affectandique imperii studio afuisset. Qui pro lusu frigido ineptoque habent, vereor ne iusto severius indicent. Dandum in his oratori aliquid licentiae, nec ad vivum talia resecanda. *S.*

eras Imperator) Velim admoneat in hoc loco magister tirones, quam facile sit captandis antithesibus et acuminibus in ineptias incidere. Traianus, priusquam ei ex Roma nuntiabatur, non poterat scire, se Imperatorem factum: post nuntium autem non poterat nescire, neque nesciebat. Talia, si e superficie spectes, splendent: si, quem sensum habeant, examines, mirifice frigent. *E.*

venit, malebas quidem hoc esse, quod fueras,
sed non erat liberum. Annon obsequereris Prin-
5 cipi civis, legatus Imperatori, filius patri? Ubi
deinde disciplina, ubi mos a maioribus traditus,
quodcunque Imperator munus iniungeret, aequo
animo paratoque subeundi? Quid enim, si pro-
vincias ex provinciis, ex bellis bella mandaret?
Eodem illum uti iure posse putes, quum ad im-
perium revocet, quo sit usus, quum ad exercitum
miserit; nihilque interesse, ire legatum, an redire
Principem iubeat, nisi quod maior sit obsequii
gloria in eo, quod quis minus velit.

X. Augebat auctoritatem iubentis in sum-
mum discrimen auctoritas eius adducta: utque
magis parendum imperanti putares, efficiebatur
2 eo, quod ab aliis minus parebatur. Ad hoc
audiebas Senatus Populique consensum. Non unius
Nervae iudicium illud, illa electio fuit. Nam qui
ubique sunt homines, hoc idem votis expetebant;
ille tantum iure Principis occupavit, primusque
fecit, quod omnes facturi erant. Nec Hercule
tantopere cunctis factum placeret, nisi placuisset,
3 antequam fieret. At quo, dii boni, temperamento
mento potestatem tuam fortunamque moderatus
es? Imperator tu titulis, et imaginibus, et signis:

5 ad imperium revocet) Non, denuo vocet ad imperium, quod, vel quale iam habuisti; sed, retro vocet Romam ad suscipiendum Populi Romani imperium. * Sed quantumvis probabilis sit haec interpretatio, tamen non diffiteor, mihi magis placere Baudianam coniecturam, *ad imperium te vocet.* Sic etiam tueri licebat, *Eodem illo uti iure* etc. Sed potior tamen Lipsiana emendatio a Cuspiniano iam prodita, *illum.* G.

Cave Baudianam coniecturam probes. Vulgatam lectionem satis tuentur sequentia, *redire Principem. Mittere* et *revocare* sibi opponuntur, ut *ire* et *redire.* S.

X, *2 iure Principis)* Suavitas quaedam est in hoc loco, quam capias, si cogites, *principem* ordinis proprie nomen esse, ut, *princeps Horatius ibat.* G.

3 titulis, et imaginibus) *Titulos* intelligo inscriptionum publicarum in statuis, clupeis, et aliis monumentis: *imagines* non tantum illas nobilitatis indices, privatas; sed eas, quae in castris, *cum signis* et *in signis* militaribus colebantur, de quibus, ipsisque adeo *signis* Lipsius

ceterum modeſtia, labore, vigilantia, dux, et le-
gatus, et miles, quum iam tua vexilla, tuas aqui-
las magno gradu anteires: neque aliud tibi ex
illa adoptione, quam filii pietatem, filii obſe-
quium aſſereres, longamque huic nomini aetatem,
longam gloriam precarere. Iam te providentia 4
deorum primum in locum provexerat; tu adhuc
in ſecundo reſiſtere, atque etiam ſeneſcere opta-
bas: privatus tibi videbaris, quamdiu Imperator
et alius eſſet. Audita ſunt vota tua, ſed in quan-
tum optimo illi et ſanctiſſimo ſeni utile fuit, quem
dii coelo vindicaverunt, ne quid poſt illud divi-
num et immortale factum, mortale faceret. De- 5
beri quippe maximo operi hanc venerationem, ut
noviſſimum eſſet, auctoremque eius ſtatim con-
ſecrandum, ut quandoque inter poſteros quaere-
retur, an illud iam deus feciſſet. Ita ille nullo 6
magis nomine publicus parens, quam quia tuus.
Ingens gloria, ingensque fama, quum abunde
expertus eſſet, quam bene humeris tuis ſederet
imperium, tibi terras, te terris reliquit; eo ipſo
carus omnibus ac deſiderandus, quod proſpexerat,
ne deſideraretur.

XI. Quem tu lacrymis primum, ita ut filium decuit, mox templis honeſtaſti, non imitatus illos, qui hoc idem, ſed alia mente, fecerunt. Di-

de re milit. 4, 5. Ideo ait, *iam tua vexilla, tuas aquilas.* Vid. 59, 8. *G.*

longamque — — precarere) optans, ut diu tibi contingeret, filii nomen gerere, et obſequii gloria frui. *E.*

4 *vota tua*) Cum optares, non cum Nerva imperare. *G.*

Gierigius intelligit *vota*, quae fecerat omnino pro ſalute Nervae. Has preces audiverunt dii ita, ut Nervam coelo vindicarent, h. e. ſummam ei dederunt ſalutem. *E.*

Refero ad ſuperiora, *in ſecundo loco reſiſtere.* quod item Gesnero placuit. *S.*

5 *ut quandoque* etc.) Acumen frigidiſſimum in his reperiſſe Gierigius ſibi videtur. Dubito, an ſimiliter ſtatuerint Romani: his autem, non nobis, Plinius hunc librum ſcripſit. *S.*

6 *ingens — ſama)* Virgilius Aen. 11, 124. *O ſama ingens. S.*

ipſo) Gesneriana per operarum, ni fallor, negligentiam *ipſe. S.*

XI, 1 *fecerunt)* Optime habet. Sic ſtatim ſequitur *dicavit. S.*

cavit caelo Tiberius Augustum; sed ut maiestatis crimen induceret: Claudium Nero; sed ut irrideret: Vespasianum Titus, Domitianus Titum; sed
2 ille, ut dei filius, hic, ut frater videretur. Tu sideribus patrem intulisti, non ad metum civium, non in contumeliam numinum, non in honorem
3 tuum; sed quia deum credis. Minus est hoc, quum sit ab his, qui et sese deos putant. Sed licet illum aris, pulvinaribus, flamine colas; non alio magis tamen deum et facis et probas, quam quod ipse talis es. In principe enim, qui electo successore fato concessit, una eademque certissima

maiestatis crimen) Hoc est, ut tanto facilius maiestatis, quos vellet, damnaret. Tanto enim vehementius puniuntur, qui imperatoris vel vivi vel mortui maiestatem minuunt, quod religionem etiam deorum violasse censentur. Hinc *maiestatis crimen* ἀσεβείας nomine passim adpellat Dio, tum in ipso Tiberio, v. g. L. 57. p. 607. E. tum alias. Et notum illud, *Impie locutus parmularius* ex Sueton. Domit. 10. Add. infra 33, 3. et 4. Respondent igitur his verbis, ordine nihil immutato, ista, *non ad metum civium.* * Neque tamen non fateor, me ab altera quoque huius loci lectione solicitari, *maiestatis numen induceret.* Tiberius etiam apud Tacitum A. 1, 73. rescripsit Consulibus: *Non ideo decretum patri suo caelum, ut in perniciem civium is honor verteretur.* Quid si dedit Plinius, una litera minus, *ut maiestati numen induceret,* h. e. *ut maiestati* imperatorum *induceret* velum, vestemque venerabilem, *numen* divinum, eoque obtentu tanto acerbius eam posset vindicare. Et video etiam Heumanno placuisse *ut maiestati suae numen induceret.* Sed *crimen* firmat Schwarzianus, et Arntzenius. Ernesti autem meus legi vult: *nomen maiestatis induceret:* ut est ap. Cic. Fam. 1, 6. *nomen fictae religionis inductum.* G.

, ut irrideret) Quid Nero de Claudii ἀποθεώσει sentiret, pulchre expressum est in praeceptoris ipsius ludo, s. ἀποκολοκυνθώσει. G.

Cf. Tacit. Ann. 13, 2. et Sueton. Ner. 33. *E.*

2 *sideribus — intulisti)* Antiquissima illa ἀποθεώσεως ratio: hinc stella in nummis consecrationis signum: hinc *sideribus recepta* in nummis Faustina etc. Vid. 89, 2. G.

3 *qui et sese deos)* Horum enim interest, quam sanctissime coli, quos ipsi in deorum numerum retulere. *Interest,* inquam, ea ratione, ut deinde 63, 2. *Imperatoris maxime interest, non peierari;* ut de Augusto Seneca Consol. ad Marciam c. 15. *Tulit fortiter* (domestica funera), *tamquam eius iam res ageretur, cuius cum maxime intererat, de diis neminem queri.* Similis Augustus, similes Titus ac Domitianus illi homini, qui asper semper Senatus obtrectator et obiurgator, cum ipse paullo post allectus esset, *Non putaram,* inquit, *ita praeclarum nos Senatum habere.* G.

pulvinaribus) Vid. ad 8, 1. G.

divinitatis fides eſt, bonus ſucceſſor. Num ergo 4
tibi ex immortalitate patris aliquid arrogantiae accesſit? num hos proximos divinitate parentum deſides ac ſuperbos potius, quam illos veteres et antiquos aemularis? qui hoc ipſum imperium peperere, quod modo hoſtes invaſerant contemſerantque; cuius pulſi fugatique non aliud maius
habebatur indicium, quam ſi triumpharetur. Er- 5
go ſuſtulerant animos, et iugum excuſſerant: nec iam nobiscum de ſua libertate, ſed de noſtra ſervitute, certabant: ac ne inducias quidem, niſi aequis conditionibus inibant, legesque ut acciperent, dabant.

bonus ſucceſſor) Qui vita et actionibus teſiatur, divino ſe conſilio electum, primum et capitale novi dei munus etc. *G.*

4 *cuius pulſi fugatique) Cuius imperii Romani pulſi ab hoſtibus ſuis fugatique non aliud maius certiusque habebatur indicium*, apud prudentes viros et ſagaciores, *quam ſi* Romae ab Imperatoribus *triumpharetur*, triumphus ageretur. De falſis Imperatorum priorum et *inimicis* (vid. mox 16, 3.) triumphis res nota. De Caio e Sueton. 47; de Domitiano e Tac. Agric. 39, ubi plura viri docti. Locus claſſicus ſervatus in excerptis Dionis e Theodoſio L. 57. p. 761. ſq. * Nimirum ſervo antiquam Aldi et ceterorum lectionem, ad quam quo ſaepius redeo, tanto minus ea mihi videtur vitioſa. Quid enim eſt, quod concoquere non poſſunt viri docti? *pulſum et fugatum dici imperium?* at ſerium *contemni, invadi:* quae profecto ipſa quoque non ad imperium, in quantum incorporalis res eſt, ſed ad homines, ad duces, ad exercitus, pertinent. Itaque poenitet fere, quod in ſuperioris editionis contextum recepi ſupplementum e veſtigiis vitiatorum et mutilorum ſine dubio codicum, ingenioſe exſculptum a Io. Frid. Gronovio obſſ. 4, 16. et Cel. Schwarzio, qui poſt *contemſerantque* inſerunt, *quoniam imperabat is:* non displiceret haec lectio, ſi in bono et integro hac ipſa parte codice eam invenirem: praeferre illam liquidae, ut mihi videtur, et dignae Plinio ſententiae non poſſum. Sed vid. Cel. Erneſti in Actis Erud. ad an. 1740. p. 56. *G.*

Gierigius tamen ſic edidit: *quoniam imperator is, cuius pulſi — — quam ſi triumpharet. E.*

Add. Gesnerus in epiſtola ad I. A. Erneſtium, ipſeque Erneſtius. *S.*

ſi triumpharetur) * Sic Ald. et alii: *quod* alii, eadem ſententia. *G.*

5 *niſi aequis conditionibus)* Id vero ipſum iniquum videbatur Romanis rerum dominis, in quos diceres, quod Agrippinae obiecit Tiberius, Sueton. 53. *Si non dominaris, filiola, iniuriam te accipere existimas:* vel ut eſt apud Tac. An. 4, 52. *ideo laedi, quia non regnaret. G.*

legesque ut acciperent, dabant) Hae ſunt aequae illae conditiones. Cave igitur cum Liplio *niſi* expungas. *S.*

XII. At nunc rediit omnibus terror et metus, et votum imperata faciendi. Vident enim Romanum ducem, unum ex illis veteribus et priscis; quibus imperatorium nomen addebant contecti caedibus campi et infecta victoriis ma-
2 ria. Accipimus obſides ergo, non emimus: nec ingentibus damnis immenſisque muneribus paciſcimur, ut vicerimus. Rogant, ſupplicant; largimur, negamus, utrumque ex imperii maieſtate: agunt gratias, qui impetraverunt; non audent
3 queri, quibus negatum eſt. An audeant, qui ſciant, te adſediſſe ferociſſimis populis eo ipſo tempore, quod amiciſſimum illis, difficillimum nobis: quum Danubius ripas gelu iungit, duratusque glacie ingentia tergo bella transportat: quum ferae gentes non telis magis, quam ſuo
4 caelo, ſuo ſidere armantur? Sed ubi in proximo tu, non ſecus ac ſi mutatae temporum vices eſ-

XII, 1 *imperatorium nomen)* Tralaticium eſt *Imperatoris* nomen tributum, ſi quis certum numerum hoſtium cecidiſſet; numerum ipſum memoriae proditum non eſſe. *G.*

victoriis) Parum hic placet. Praeferrem *cruoribus*. Dicemusne, pluralem *cruores* librarios adeo offendiſſe, ut languidum illud vixque aptum huic loco *victoriis* ſubſtituerent? *S.*

2 *non emimus*) Tac. Agric. 39. *Emtis per commercia, quorum habitus et crines in captivorum ſpeciem formarentur.* *G.*

Taciti ille locus huc non ſpectat. *S.*

ingentibus damnis) Quae deſcribit copioſe Dio, loco a Theodoſio ſervato L. 67. p. 762. ubi emtam damnis et muneribus a Decebalo pacem enarrat. **Damnis* plerique, alii *donis*: ſed *dona* quomodo hic a *muneribus* differant, non apparet: *damna* hic eſſe reſpectu donantis, quae *munera* accipientis, facile intelligas. Neque tamen non luculenter oſtendit Schwarzius, *dona* et *munera* ſaepe, et quaſi ſolemniter iungi. Itaque praeferrem *donis*, niſi adcederet illud, quod maiorem vim indignitatemque *damna* habere videntur. Movit hoc ipſum, etiam Arntzenium. *G.*

3 *adſediſſe) Praeſidere, obſidere, inſidere,* et *inſidias ſacere, conſidere* etc. militaria verba, quae ad conſtantem praeſentiam et firmitatem quandam referuntur. Ita hic *adſidere*, h. e. caſtra habere. *G.*

tergo bella) Sic poëtae praeſertim. Claudianus de B. Get. 337. de Rheno et Iſtro, *Ambo habiles remis, ambo glacialia ſecti Terga rotis.* Vix eloquentiores ſunt Graeci Italique homines, quam in deſcribendis fluviis *glacie*, tanquam ponte, *iunctis*. Vid. v. g. Ovid. Triſt. 5, 10, ubi omnia. *G.*

ſent, illi quidem latibulis ſuis clauſi tenebantur; noſtra agmina percurſare ripas, et aliena occaſione, ſi permitteres, uti, ultroque hiemem ſuam barbaris inferre, gaudebant.

XIII. Haec tibi apud hoſtes veneratio. Quid
apud milites? quam admirationem, quemadmo-
dum comparaſti? quum tecum inediam, tecum
ferrent ſitim; quum in illa meditatione campeſtri
militaribus turmis imperatorium pulverem ſudo-
remque miſceres, nihil a ceteris, niſi robore ac
praeſtantia differens; quum libero Marte, nunc
cominus tela vibrares, nunc vibrata ſuſciperes,
alacer virtute militum et laetus, quoties aut caſſi-
di tuae, aut clypeo gravior ictus incideret; (lau- 2
dabas quippe ferientes, hortabariſque, ut aude-
rent:, et audebant iam:) quum ſpectator modera-
torque ineuntium certamina virorum, arma com-
poneres, tela tentares, ac ſi quod durius acci-
pienti videretur, ipſe vibrares. Quid quum ſola- 3
tium feſſis, aegris opem ferres? Non tibi moris
tua inire tentoria, niſi commilitonum ante luſtraſ-
ſes; nec requiem corpori, niſi poſt omnes, dare.
Hac mihi admiratione dignus imperator non vi- 4
deretur, ſi inter Fabricios, et Scipiones, et Ca-
millos talis eſſet. Tunc enim illum imitationis
ardor, ſemperque melior aliquis accenderet. Poſt- 5
quam vero ſtudium armorum a manibus ad ocu-
los, ad voluptatem a labore translatum eſt; poſt-

4 *aliena occaſione*) Qua nempe adhuc non Romani, ſed barbari ſoli uſi ſunt. Eadem ratione dicit *hiemem ſuam* h. e. ipſis ſolis adhuc commodam. *G.*

XIII, 1 *libero Marte*) Ut *aequo Marte*. Liberum erat ei, adverſus quem pugnabat in illa meditatione campeſtri Traianus, repugnare, ultro ferire, deiicere, ſi poſſet, gradu etc. *G.*

cominus vibrares) Vid. I. A. Erneſtius. *Cominus* corruptum puto. Legam *eminus*. Ultima vocis praegreſſae adhaerens ſequenti videtur *cominus* peperiſſe. *S.*

2 *arma componeres*) Ut eſſent aequalia utriusque partis. *G.*

5 *ad oculos*) Ad ſpectacula gladiatorum publica et privata. Similis querela iam Varronis R. R. 2. pr. 3. *Manus movere maluerunt in theatro ac circo, quam in ſegetibus ac vinetis.* *G.*

quam exercitationibus nostris non veteranorum aliquis, cui decus muralis aut civica, sed Graeculus magister assistit: quam magnum est, unum ex omnibus patrio more, patria virtute laetari, et sine aemulo, ac sine exemplo secum certare, secum contendere, ac sicut imperat solus, solum ita esse, qui debeat imperare!

XIV. Nonne incunabula haec tibi, Caesar, et rudimenta, quum puer admodum Parthica lauro gloriam patris augeres, nomenque Germanici

Graeculus magister) Palaestrites in Gymnasiis, aliptes, res Graeca: unde Sen. de brevit. vitae c. 12. *ne Romana quidem, sed Graeca vitia* vocat, *sedere in ceromate* etc. *G.*

patrio more) De patria Traiani hic erudite et suo more Lipsius disputat, dissidentesque inter se scriptorum locos conciliare studet. Ad hunc quidem Plinii locum parum refert, sine Romae natus Traianus an in Hispania. Romanus enim mos illi patrius, ex quo civis Romanus fuit, magis etiam, ex quo Nervae filius. *G.*

XIV, 1 *Parthica lauro*) Memoria omnis huius victoriae, partorumque ea triumphalium ornamentorum, alia intercidit. Triumphum proprie dictum non est ut intelligamus, rem, quam Imperatores sibi vindicaverant, a quo tempore Agrippa sibi debitum intermisit A. U. C. 740. Vid. Dion. L. 54. p. 538. D. Cogitabam, an ad illustrandam hanc victoriam aliquid valeat nummus Antiochensium apud Spanh. diss. 11. p. 329. percussus ἐπὶ Τραϊανοῦ, qua ratione Praesides Provinciae notari in huius urbis nummis solent. Et ait vir illustrissimus *sub Nerone cusum*, cuius ultimo anno, circa 14 suae aetatis, et confinia adeo pueritiae, versatus filius Traianus esse debet. Praeses Syriae Pater vero contra Parthos rem per filium gerere potuit. Optime ista. Sed de Neronis temporibus scrupulum epocha literis E K R expressa iniicit. Si ponamus, ultimam R quocunque errore positam pro P Graeca, orietur numerus 125. Est autem in huius aetatis nummis epocha a foedere cum Iulio Caesare et M. Antonio ducta, cuius annus 125 convenit cum A. U. 831 et Consulatu nono Vespasiani patris, quo tempore Traianus noster pueritiae antiquae illius tempora iam excesserit. Sed nihil impedit victoriam Parthicam ponere hoc nummo aliquot annis priorem: meruisse ea Traianum patrem, ut continuaretur illi provincia; meruisse hic *triumphalia* ornamenta, a quibus *triumphalis* vocatur deinde 16, 1. Add. 89, 3. vid. Bach. vit. Trai. p. 19. Sunt res illorum temporum obscurae atque impeditae, in quibus hallucinari neque magnis viris, et hoc agentibus, turpe fuerit. Quid vero si *parta lauro* legatur? *G.*

nomenque — quum) Sed vid. c. 15, 1. unde apparet, haec omnia ad rudimenta referri ante tribunatum. Igitur vel ante *nomenque*, quod placet Schwarzio, vel ante *quum*, quod mihi videtur, aliquid excidit, quia puerilia rudimenta Traiani cum virtute virili coniungebantur. *G.*

iam tum mercrere, quum ferociam ſuperbiamque
barbarorum ex proximo auditus magno terrore
cohiberes, Rhenumque et Euphratem admirationis
tuae ſocietate coniungeres? quum orbem terra-
rum non pedibus magis, quam laudibus peragra-
res? apud eos ſemper maior et clarior, quibus
poſtea contigiſſes. Et nec dum imperator, nec
dum dei filius eras. Germaniam quidem cum 2
plurimae gentes, ac prope infinita vaſtitas inter-
iacentis ſoli, tum Pyrenaeus, Alpes, immenſique
alii montes, niſi his comparentur, muniunt diri-
muntque. Per hoc omne ſpatium quum legiones 3
duceres, ſeu potius (tanta velocitas erat) raperes:
non vehiculum unquam, non equum reſpexiſti.
Levis hic, non ſubſidium itineris, ſed decus, et

ſuperbiamque barbarorum) Germanos facile eſt intelligere ex ipſo, quod modo poſuit, *Germanici* nomine. *Genus hoc victoriae* pulcherrimum vocat etiam noſter ep. 2, 7, 2. ubi quis *ferociſſimam gentem, oſtentato bello, terrore perdomuit.* Ad illud *ex proximo* conf. 12, 3. et 16, 2. ubi de Germanis ſermo eſt. *Recepi emendationem Cl. Schwarzii, quod non tantum, ut eſt ſane, ingeniola videretur, ſed prope neceſſaria. Quid enim *Parthorum* (quos habent libri, quantum conſtat, omnes) *ferocia* ad titulum Germanici? aut quid facilius, quam ſomniculoſum, licet antiquiſſimum, et ſac Plinii ipſius librarium *Parthos* hic inculcaſſe, cum *Parthicae lauri* modo mentio praeceſſerit? *G.*

admirationis tuae ſocietate) *Etiam hanc lectionem, quam e ſuo et aliis libris protulit Schwarzius, illi alteri, *admirationis tuae fama*, longe praeferendam iudico. *G.*

Senſus: non minus ad Rhenum quam ad Euphratem admirationem tui excitares. *S.*

2 *Germaniam quidem)* *Recepimus hic quoque emendationem Cl. Schwarzii ingenio debitam, ut blandiſſimam, cum *quidem* ita corripi in codicibus antiquis ſoleat, ut facile in *que* transire potuerit. Neque vero non optime convenit lectio Baunii, modo non eſſet paullo audacior, *Hiſpaniam Germaniamque.* Vid. not. prox. *G.*

Baunii coniecturam adſcivit Gierigius. Veram et ipſe puto, ſic tamen ut maſim hoc verborum ordine: *Germaniam Hiſpaniamque.* *S.*

Pyrenaeus) Non opus eſſe puto, ut ad Pyrenaeum, Alpium Tridentinarum partem, *den Brenner*, confugiamus: quem ceteroquin ex Guntheri Ligur. 2, 69. adſtruit Arntzenius: *Ut Pyrenaeum vero ſit nomine totum, Totius partes ſint Appenninus et Alpes.* Ab Hiſpania vocatum ad haec Germaniae bella eſſe Traianum, e ſ. 5. clariſſimum eſt. *G.*

3 *non vehiculum)* Xiphilinus e Dione L. 68. p. 781. D. Ἐβάδιζεν ἀεὶ μετὰ παντὸς τοῦ ϛρατοῦ πεζῇ, διεκόσμει τε αὐτοὺς διὰ πάσαν τὴν πορείαν — τούς τε ποταμοὺς — πεζῇ διέβαινε. *G.*

cum ceteris ſubſequebatur: ut cuius nullus tibi
uſus, niſi quum die ſtativorum proximum campum
4 alacritate, diſcurſu, pulvere attolleres. Initium
laboris mirer, an finem? Multum eſt, quod perſeveraſti;
plus tamen, quod non timuiſti, ne
5 perſeverare non poſſes. Nec dubito, quin ille,
qui te inter illa Germaniae bella ab Hiſpania usque,
ut validiſſimum praeſidium, exciverat, iners
ipſe alienisque virtutibus tunc quoque invidus
imperator, quum ope earum indigeret, tantam
admirationem tui non ſine quodam timore conceperit,
quantam ille genitus Iove poſt ſaevos labores
duraque imperia regi ſuo indomitus ſemper
indefeſſusque referebat; quum aliis ſuper alias
expeditionibus munere alio dignus invenireris.

XV. Tribunus vero disiunctiſſimas terras,
teneris adhuc annis, viri firmitate luſtraſti: iam
tunc praemonente Fortuna, ut diu penitus per-
2 diſceres, quae mox praecipere deberes. Neque
enim proſpexiſſe caſtra, brevemque militiam quaſi
transiſſe contentus, ita egiſti tribunum, ut eſſe
ſtatim dux poſſes, nihilque diſcendum haberes

5 *ille genitus Iove*) De Hercule, et imperatis illi ab Euryſtheo laboribus, ſermonem eſſe, vix admonendus erit quisquam. *G.*

munera alio) Vid. I. A. Erneſtius ad h. l. Praeferrem: *quum aliis ſuper alias expeditionibus, munere alio atque alio dignus invenireris. S.*

XV, 1 *Fortuna*) Populi Romani Fortunam puto intelligi. *Pro *praemonente* malit Lipſius *praemuniente*, vel *praemoliente*. Sed hoc ipſo *praemunit* et *praemolita eſt*, quod rebus ipſis et actu eum *praemonuit*. *G.*

2 *proſpexiſſe caſtra*) eminus atque e longinquo caſtra vidiſſe. Haec eſt prima formulae illius notio, ut recte iudicavit Schwarzius; ſed ea non ad timiditatem notandam, verum potius ad levem artis militaris ſcientiam pertinet. Variate mox idem Plinius *brevem militiam transiſſe* dicit, h. e. obiter, et *ὡς ἐν παρόδῳ* cognoſcere rem militarem. Quae huic levitati contraria ſunt, inde a §. 3. per partes ſingulas exponuntur. *E.*

ut eſſe ſtatim) Inniti quaſi et inſiſtere oportet non in *dux*, ſed in *eſſe*. Non hoc vult Plinius, Traianum, a quo tempore tribunus fuerit, ſtatim potuiſſe *ducem* eſſe: ſed hoc, ita diu perſtitiſſe in tribunatu, ad quem teneris iam annis pervenerat, ut deinde dux factus, ſtatim *eſſet* dux, non nomine modo et ſpecie, ſed re et factis. Nempe *decem ſtipendia*, de quibus ſtatim, in tribunatu meruit, non univerſim in militia. *G.*

tempore docendi. Cognovisti per stipendia decem 3
mores gentium, regionum situs, opportunitates
locorum; et diversam aquarum coelique temperiem, ut patrios fontes patriumque sidus, ferre
consuevisti. Quoties equos, quoties emerita arma mutasti! Veniet ergo tempus, quo posteri 4
visere, visendum tradere minoribus suis gestient,
quis sudores tuos hauserit campus, quae refectiones tuas arbores, quae somnum saxa praetexerint,
quod denique tectum magnus hospes impleveris:
ut tunc ipsi tibi ingentium ducum sacra vestigia,
iisdem in locis, monstrabantur. Verum haec 5
olim: in praesentia quidem, quisquis paullo vetustior miles, hic te commilitone censetur. Quotus enim quisque, cuius tu non ante commilito, quam imperator? Inde est, quod prope omnes nomine appellas; quod singulorum fortia facta commemoras: nec habent adnumeranda tibi pro republica vulnera, quibus statim laudator et testis contigisti.

XVI. Sed magis praedicanda moderatio tua, quod innutritus bellicis laudibus pacem amas: nec quia vel pater tibi triumphalis, vel adoptionis tuae die dicata Capitolino Iovi laurus, idcir-

4 *minoribus suis*) *Suis* si abesset, non desiderarem: nolim tamen negare, a Plinio profectum esse. Mox I. A. Ernestius probabiliter corrigit *qui sudores*. *S.*

praetexerint) Obtexerint significare potest vi verbi. * Sed non dissimulo, *praetexuerint* multo mihi elegantius et magis Plinianum videri, cum *praetego* vix auctorem habeat: *praetexendi* haec solemnis et consueta sit notio. *G.*

Praetego Forcellinus interque nostrates Scheller. satis tuentur. *S.*

impleveris) Imitatur hunc locum, quod solet, Sidon. Apollin. 3, 2. pr. *Salutat te populus Arvernus, cuius parva tuguria magnus hospes implesti*: sed corrumpit, adiecto *parva*. Quid enim *magno* hospite opus erat ad implenda *parva tuguria?* Multo commodius ii, quos laudat ad l. c. Savaro. Conf. noster Ep. 7, 24, 9. et infra P. 50, 6. *G.*

Fundus sententiae apud Virgilium. Vid. I. A. Ernestius ad h. l. *S.*

5 *te commilitone censetur*) Eo melior miles habetur, quod tuo in commilitio fuit. *G.*

XVI, 1 *pater — triumphalis*) Vid. ad 14, 1. de *lauro Parthica*. *G.*

dicata — laurus) Vid. ad 8, 3. *G.*

co ex occasione omni quaeris triumphos. Non
2 times bella, nec provocas. Magnum est, Imperator
Auguste, magnum est stare in Danubii ripa, si transcas, certum triumphi; nec decertare cupere cum recusantibus: quorum alterum fortitudine, alterum
3 moderatione efficitur. Nam ut ipse nolis pugnare, moderatio; fortitudo tua praestat, ut neque hostes tui velint. Accipiet ergo aliquando Capitolium non mimicos currus, nec falsae simulacra victoriae; sed imperatorem veram ac solidam gloriam reportantem, pacem, tranquillitatem, et tam confessa hostium obsequia, ut vincendus nemo fue-
4 rit. Pulchrius hoc omnibus triumphis. Neque enim unquam, nisi ex contemtu imperii nostri
5 factum est, ut vinceremus. Quod si quis barbarus rex eo insolentiae furorisque processerit, ut iram tuam indignationemque mereatur: nae ille, sive interfuso mari, seu fluminibus immensis, seu praecipiti monte defenditur, omnia haec tam prona, tamque cedentia virtutibus tuis sentiet, ut subsedisse montes, flumina exaruisse, interceptum mare, illatasque sibi non esse classes nostras, sed terras ipsas arbitretur.

3 *mimicos currus)* Fictos, simulatos, cum fabula tantum triumphi agitur, et quasi comoedia, non triumphus verus. Conf. Ep. 7, 29, 3. et Symm. 6, 79. *mimica usus est techna.* De re ipsa dictum est ad 11, 4. *Nempe recipienda tandem fuit felix Livineii et Rittershusii coniectura, qui *inimicos*, quod erat in quibusdam MStis, rectius emendarunt, quam ii, qui *inanes* substituere. Favet insuper Schwarzii liber, qui *iniquos* prae se fert. G.

imperatorem) *Pulchre quidam libri, *imperatore — reportante*: qua ratione longum Polyptoton interpellatur. G.

Tuetur nostram lectionem I. A. Ernestius. *S.*

4 *Neque enim — vinceremus)* Nisi hostes contemsissent imperium nostrum, semper mansissent pacati, nec nos unquam habuissemus caussam eos vincendi. Hunc sensum recte dedit Gierigius. *E.*

5 *illatasque — terras ipsas)* Haec si omisisset Plinius, tumoris et inepti frigoris culpa caruisset. Verba, si propius inspexeris, ne sensum quidem habent. *E.*

Sic et Gierigius: vereor, ne iusto severius. Certe haec e praecedentibus sic apta nexaque sunt, ut, si ea omiseris, aliquid ad sensum loci explendum deesse videatur. *S.*

XVII. Videor iam cernere non ſpoliis pro-
vinciarum, et extorto ſociis auro, ſed hoſtilibus
armis, captorumque regum catenis triumphum
gravem. Videor ingentia ducum nomina, nec
indecora nominibus corpora noſcitare. Videor 2
intueri immanibus auſis barbarorum onuſta fer-
cula, et ſua quemque facta vinctis manibus ſe-
quentem: mox ipſum te ſublimem, inſtantemque
curru domitarum gentium tergo; ante currum
autem clypeos, quos ipſe perfoderis. Nec tibi 3
optima defuerint, ſi quis regum venire in manus
audeat, nec non modo telorum tuorum, ſed etiam
oculorum minarumque coniectum toto campo,
totoque exercitu oppoſito, perhorreſcat. Merui- 4
ſti proxima moderatione, ut, quandocunque te
vel inferre, vel propulſare bellum coëgerit impe-
rii dignitas, non ideo viciſſe videaris, ut trium-
phares, ſed triumphare, quia viceris.

XVIII. Aliud ex alio mihi occurrit. Quam
ſpecioſum eſt enim, quod diſciplinam caſtrorum
lapſam exſtinctamque refoviſti, depulſo prioris
ſeculi malo, inertia et contumacia et dedignatio-
ne parendi? Tutum eſt reverentiam, tutum cari- 2
tatem mereri: nec ducum quisquam, aut non amari

XVII, 1 *nomina — noſcitare)* Praeferuntur ſcilicet tituli et nomina hominum, urbium etc. Qui notabilem et inſignem virum videt, *noſcitat*, ſcire cupit, nomen: qui nomen ſ. titulum legit, *noſcitat*, noſſe ſtudet, virum: et videt, reſpondere corpus famae de eo ſparſae, ſtatuam robori praedicato etc. Cui haec Pliniana triumphi deſcriptio praeciſa nimis fuerit; ille conferat Ovidianam Triſt. 4, 2. itemque ex Ponto 2, 1. et commentarium non deſiderabit. *G.*
Noſcitare hic i. q. cognoſcere. Sequunt id cetera verba, *cernere*, *intueri*. Vid. ad Epiſt. 6, 14. *S.*

2 *ſua quemque facta)* Schwarzius coniecturam Baudii firmat MS. et legit *fata ſequentem*, nempe deflectentem de via ſacra in carcerem. *G.*
Praefero *facta*. Modo dixerat *auſa*. *S.*

3 *optima)* ſc. ſpolia, noto ſenſu, quae dux duci detrahit. Hinc ſequentia: *ſi quis regum* etc. *E.*
nec non modo) Vid. Gesneri ad I. A. Erneſtium epiſtola, ipſeque Erneſtius ad h. l. quos equidem nolim cum Gierigio deſerere. *S.*

4 *quandocunque)* Arntzen. *quandoque*. Vid. Gesneri ad I. A. Erneſtium epiſtola. *S.*

XVIII, 2 *non amari)* Miſſ-

a militibus, aut amari timet: et inde offenſae
gratiaeque pariter ſecuri, inſtant operibus, adſunt
exercitationibus, arma, moenia, viros aptant.
3 Quippe non is princeps, qui ſibi imminere, ſibi
intendi putet, quod in hoſtes paretur: quae per-
ſuaſio fuit illorum, qui hoſtilia quum facerent,
timebant. Iidem ergo torpere militaria ſtudia,
nec animos modo, ſed et corpora ipſa langueſce-
re, gladios etiam incuria hebetari retundique gau-
4 debant. Duces porro noſtri, non tam regum ex-
terorum, quam ſuorum principum inſidias, nec
tam hoſtium, quam commilitonum manus ferrum-
que metuebant.

XIX. Eſt haec natura ſideribus, ut parva
et exilia validiorum exortus obſcuret: ſimiliter Im-
peratoris adventu Legatorum dignitas inumbratur.
2 Tu tamen maior omnibus quidem eras, ſed ſine
ullius deminutione maior: eandem auctoritatem
praeſente te quisque, quam abſente, retinebat:
quin etiam plerisque ex eo reverentia acceſſerat,
3 quod tu quoque illos reverebare. Itaque perin-
de ſummis atque infimis carus, ſic imperatorem
commilitonemque miſcueras, ut ſtudium omnium
laboremque, et tanquam exactor intenderes, et
4 tanquam particeps ſociusque relevares. Felices
illos, quorum fides et induſtria non per internun-

ris illis Domitiani temporibus periculoſum erat duci, *non amari a militibus*; ſic enim facile delatori invenire crimen: ſed *amari* quoque; cum ſuſpicio eſſet, illum aliquid moliri etc. *G.*

moenia) Caſtrorum atque urbium. Vel generaliter *moenia* accipiamus *munia*, a quibus *munifices* dicuntur, oppoſiti immunibus. Nempe *moenia* ſtruere inter *munia* praecipuum eſt; atque eadem plane vox, a qua *muniri* caſtra, viae, urbes, dicuntur. *G.*

3 *qui hoſtilia* etc.) Cod. *qui hoſtilia quum facerent, hoſtilia timebant.* quod praeferam, ut ſonantius auresque magis implens. *S.*

Iidem ergo torpere) 'Quantivis pretii emendatio Cl. Schwarzii libro debetur. *Eodem ergo tempore* vel *eodem torpore* al. *G.*

XIX, 1 *Legatorum)* Cum de bello adhuc ſermo ſit, *Legatos* non modo *Caeſaris* et *Conſulares* intelligam, qui provincias aliena auctoritate regerent; ſed militares, qui vel exercitui vel legioni praeeſſent. *G.*

tios et interpretes, ſed ab ipſo te, nec auribus tuis, ſed oculis probabantur! Conſecuti ſunt, ut abſens quoque de abſentibus, nemini magis, quam tibi crederes.

XX. Iam te civium deſideria revocabant, amoremque caſtrorum ſuperabat caritas patriae. Iter inde placidum ac modeſtum, ut plane a pace redeuntis. Nec vero ego in laudibus tuis ponam, 2
quod adventum tuum non pater quisquam, non maritus expavit. Affectata aliis caſtitas, tibi ingenita et innata, interque ea, quae imputare non poſſis. Nullus in exigendis vehiculis tumultus, 3
nullum circa hoſpitia faſtidium; annona, quae ceteris; ad hoc, comitatus accinctus, et parens: diceres magnum aliquem ducem, ac te potiſſimum, ad exercitus ire: adeo nihil, aut certe parum intererat inter Imperatorem factum, et brevi futurum. Quam diſſimilis nuper alterius principis transitus? 4
ſi tamen transitus ille, non populatio fuit, cum abactus hoſpitum exerceret, omniaque dextra laevaque perusta et attrita, ut ſi vis aliqua, vel ipſi illi barbari, quos fugiebat, inciderent. Per-

4 *probabantur)* *Sic legendum. Sic eſt v. g. in edit. Salmur. Lipſii. Al. *probantur* lapſu nimis facili. Praeteritum tempus praeceſſiſſe, indicio apertiſſimo eſt verbum *crederes*. G.

XX, 2 *caſtitas)* In tantum caſtum fuiſſe Traianum, ut ab iniuria abstineret, fatetur etiam Dio p. 772. C. ἐν τοῖς παιδικοῖς οὐδένα ἐλύπησεν. Praeceſſit περὶ τὰ μειράκια ἐσπουδάκει. G.

3 *ad exercitus ire)* Ubi futuri cogitatio, apparatus neceſſarii, homines etiam non nimis temperantes continere et moderatos facere poſſunt. *Brevi futurus Imperator*, qui mox rebus bene gerendis nomen hoc conſequetur. G.

4 *ſi tamen transitus ille)* Addidi *transitus*, quod in Gesnerianâ deerat. Vid. I. A. Erneſtium ad h. l. S.

abactus hoſpitum) Nomen neſcio an alias legatur. *Abigendi* verbum, a quo *abigei* et *abactores* dicuntur, ad pecorum plurium, totiusque adeo gregis, furtum pertinere, notum eſt. Videtur itaque *abactus* dicere illam *vehiculationum* et *angariarum* exactionem intemperantem, qua greges iumentorum abigerentur hoſpitibus. Sic reſpondeant haec verba illis, *Nullus in exigendis vehiculis tumultus*. G.

Haec Gierigium moverunt, ut locum corruptum, et ita reſtituendum exiſtimaret: *cum abacta hoſpitum iumenta cerneres*. Mihi ne haec quidem ſatisfaciunt: et illud *cerneres* cum ſequenti *fugiebat* non convenit. E.

suadendum provinciis erat, illud iter Domitiani
5 fuisse, non principis. Itaque non tam pro tua
gloria, quam pro utilitate communi, edicto sub-
iecisti, quid in utrumque vestrum esset impen-
sum. Assuescat imperator cum imperio calculum
ponere: sic exeat, sic redeat, tanquam rationem
redditurus; edicat, quid absumserit. Ita fiet, ut
6 non absumat, quod pudeat dicere. Praeterea fu-
turi principes, velint nolint, sciant: tanti tuum
constat: propositisque duobus exemplis memine-
rint, perinde coniecturam de moribus suis homi-
nes esse facturos, prout hoc vel illud elegerint.

XXI. Nonne his tot tantisque meritis no-
vos aliquos honores, novos titulos merebare? At
tu etiam nomen patris patriae recusabas. Quam
longa nobis cum modestia tua pugna? quam tar-
2 de vicimus? Nomen illud, quod alii primo sta-
tim principatus die, ut Imperatoris et Caesaris,
receperunt, tu usque eo distulisti, donec tu quo-
que, beneficiorum tuorum parcissimus aestimator,
3 iam te mereri fatereris. Itaque soli omnium con-
tigit tibi, ut pater patriae esses, ante quam fie-
res; eras enim in animis, in iudiciis nostris:
nec publicae pietatis intererat, quid vocarere;
nisi quod ingrata sibi videbatur, si te Imperato-
rem potius vocaret et Caesarem, quum patrem
4 experiretur. Quod quidem nomen qua benigni-
tate, qua indulgentia exerces! ut cum civibus

XXI, 1 *nomen patris patriae)* * Prima vox abest in Codice Guelferbyt. teste Cortio ad Epist. 3, 9, 12. et abesse sane, h. e. e superioribus intelligi commode potest. *G.*

2 *alii primo — die)* Sub illa aliorum appellatione Augustum, Tiberium, Neronem, non posse comprehendi, e Suetonio apertum, Tacitoque: adeoque laborat certe illud, *soli omnium contigit tibi.* Sed plane falsus est Plinius, si vera sunt, quae leguntur ap. Capitolin. de Pertinace c. 5. Primus *sane* omnium *ea die, qua Augustus est appellatus, etiam patris patriae nomen recepit.* Malim ego erroris postulare Capitolinum. ' Σοφὸν Φάρμακον Lipsii, probatum Casaubono, series orationis apud Capitolinum vix recipit, quod Gruterus et Salmasius observarunt. *G.*

tuis, quasi cum liberis parens, vivis! ut reversus Imperator, qui privatus exieras, agnoscis, agnosceris! Eosdem nos, eundem te putas: par omnibus, et hoc tantum ceteris maior, quo melior.

XXII. Ac primum, qui dies ille, quo exspectatus desideratusque urbem ingressus es! Iam hoc ipsum, quod ingressus es, quam mirum laetumque! Nam priores invehi et importari solebant: non dico quadriiugo curru, et albentibus equis, sed humeris hominum, quod arrogantius erat. Tu sola corporis proceritate elatior aliis 2
et excellior, non de patientia nostra quendam triumphum, sed de superbia principum egisti. Ergo non aetas quemquam, non valetudo, non sexus retardavit, quo minus oculos insolito spectaculo impleret. Te parvuli noscere, ostentare 3
iuvenes, mirari senes; aegri quoque, neglecto medentium imperio, ad conspectum tui, quasi ad salutem sanitatemque prorepere. Inde alii, se satis vixisse te viso, te recepto; alii, nunc magis esse vivendum, praedicabant. Feminas etiam tunc foecunditatis suae maxima voluptas subiit, quum

4 *agnoscis, agnosceris)* Gierigius *agnosceris* delevit, et propter varietatem quandam Codd. qui alterutram vocem omittunt, et propter sensum, a quo tamen aberrasse mihi videtur. Plinius hoc vult: tu *reversus Imperator*, tamen nos *agnoscis*, h. e. non minus benevole et comiter nos tractas, quam antea, cum privatus eras: et a nobis rursus *agnosceris*, h. e. suscepta dignitas adeo non mutavit animum et mores tuos, ut etiamnum eundem te privatum, qualis exieras, agnoscamus. Sed dum haec Plinius ita voluit eloqui, ut nec sine acumine brevitas esset, contortior atque obscurior oratio facta est. Idem fere praedicat Cap. 24. *Manet imperatori, quae prior* etc. *E.*

quo melior) Immo *quod melior.* Vid. I. A. Ernestium ad h. l. *S.*

XXII, 1 *importari)* Sueton. Domit. 19. *Laboris impatiens per urbem pedibus non temere ambulavit — lectica assidue vectus est.* Conferri iubet merito Lipsius Pacati paneg. in Theodos. 21, 4. *Lecticis thensisque subvecti, et densissima circum supraque cooperti virorum armorumque testudine, sensim atque ad numerum movebantur. G.*

quod arrogantius erat) Haec glossa videbatur Grutero et Hearnio. *G.*

cernerent, cui principi cives, cui imperatori mili-
4 tes peperissent. Videres referta tecta ac laborantia, ac ne eum quidem vacantem locum, qui non nisi suspensum et instabile vestigium caperet; oppletas undique vias, angustumque tramitem relictum tibi; alacrem hinc atque inde populum, ubique
5 par gaudium paremque clamorem. Tam aequalis ab omnibus ex adventu tuo laetitia percepta est, quam omnibus venisti: quae tamen ipsa cum ingressu tuo crevit, ac prope in singulos gradus adaucta est.

XXIII. Gratum erat cunctis, quod senatum osculo exciperes, ut dimissus osculo fueras; gratum, quod equestris ordinis decora honore nominum sine monitore signares; gratum, quod tantum non ultro clientibus salutatis quasdam fa-
2 miliaritatis notas adderes. Gratius tamen, quod sensim et placide, et quantum respectantium turba pateretur, incederes; quod occursantium populus te quoque, te immo maxime, adstaret; quod primo statim die latus tuum crederes omni-
3 bus. Neque enim stipatus satellitum manu, sed circumfusus undique nunc senatus, nunc equestris ordinis flore, prout alterutrum frequentiae genus inva-

4 *laborantia)* Ita onerata, ut pandi, et minari ruinam viderentur. *G.*

suspensum — vestigium) Eleganter, de loco, quo quis nititur, ita angusto, ut non totam pedis plantam, sed ut digitos solos, vel calcem etc. capiat. *G.*

Assentior I. A. Ernestio, minutius hoc esse arbitranti, quam pro cetera descriptionis magnificentia. *S.*

5 *quam)* i. e. *quam aequalis.* Non audio hîc I. A. Ernestium. *S.*

XXIII, 1 *osculo)* In quo superbi principes. De Caligula Dio l. 59. p. 661. A. Ἐφίλει ὀλιγίστοις. τοῖς γὰρ πλείστοις καὶ τῶν συμβουλευτῶν ἢ τὴν χεῖρα ἢ τὸν πόδα προσκυνεῖν ὤρεγε κ. τ. λ. Fuit itaque vetustus Romae mos pedem osculandum praebere. Vid. de Caio etiam Sen. de benef. 2. 12. et Lips. Elect. 2, 6. extr. Add. Sueton. c. 56. Ac de Domitiano c. 12. *G.*

honore nominum) Praenominis praesertim, quo *gaudent molles auriculae*, ad quam rem opus habent alii *monitore* s. nomenclatore. *G.*

2 *respectantium)* simpliciter *spectantium.* Sic et alibi. *S.*

adstaret) Leg. de coniectura Schwarzii *artaret* vel *arctaret.* *G.*

Recepit *artaret* Gierigius. Vid. tamen I. A. Ernestius ad h. l. *S.*

luiſſet, ſilentes quietosque lictores tuos ſubſequebare: nam milites nihil a plebe habitu, tranquillitate,
modeſtia, differebant. Ubi vero coepiſti Capito- 4
lium adſcendere, quam laeta omnibus adoptionis
tuae recordatio! quam peculiare gaudium eorum,
qui te primi eodem loco ſalutaverant Imperatorem! Quin etiam deum ipſum tunc praecipuam
voluptatem operis ſui percepiſſe crediderim! Ut 5
quidem iisdem veſtigiis inſtitiſti, quibus parens
tuus ingens illud deorum prolaturus arcanum,
quae circumſtantium gaudia! quam recens clamor! quam ſimilis illi dies, qui hunc genuit
diem! ut plena altaribus, auguſta victimis cuncta! ut in unius ſalutem collata omnium vota!
quum ſibi ſe ac liberis ſuis intelligerent precari,
quae pro te precarentur. Inde tu in Palatium 6
quidem, ſed eo vultu, ſed ea moderatione, ut
ſi privatam domum peteres: ceteri ad penates ſuos quisque, iteraturus gaudii ſidem, ubi nulla neceſſitas gaudendi eſt.

XXIV. Oneraſſet alium eiusmodi introitus; tu quotidie admirabilior et melior, talis denique,

4 *deum ipſum tunc praec. vol. op. ſui)* vid. Schwarz. i. e. Nervam, quem tu deum, ut ille te Imperatorem, ſilium etc. fecit. *G.*

Immo Iupiter Capitolinus eſt, ut bene Gierigius. Vid. I. A. Erneſtius. *S.*

5 *iisdem veſtigiis)* Vid. ad Ep. 6, 7, 1. *G.*

prolaturus arcanum) Nerva dicitur, declaraturus populo arcanam deorum voluntatem, quam ſecutus Traianum adoptaverit. Cf. Cap. 1, 5. *E.*

auguſta victimis cuncta) Arntzenius *anguſta victimis cuncta* e MS. Guelf. et not. Heinſii; nec damnare auſim. Laudare poterat infra 52, 7. Etiam Schwarzius recepit. *G.*

Ad meum ſenſum *anguſta* longe praeſtat, inprimis cum *plena altaribus* praeceſſerit. Ferrem: *ut auguſta altaribus, plena victimis cuncta!* *S.*

6 *gaudii ſidem)* Ἓν διὰ δυοῖν, gaudium fidele, ſincerum, minime ſictum: ut Horat. Od. 3, 16, 30. *Segetis certa ſides meae,* ſeges certa, quae ſpem non fallit. *G.*

Senſus: iterum gaviſurus ibi, ubi nemo gauderet, niſi gaudium ſincerum eſſet. *S.*

XXIV, 1 *Oneraſſet)* Difficile ei fuiſſet ita ſe gerere, ut reliqua vita tali initio reſponderet. Sic Cic. ad Curionem 2, 4. *Eſt tibi gravis adverſaria conſtituta — exſpectatio, quam tu — vinces.* Conſ. 73, 6. *G.*

quales alii principes futuros se tantum pollicentur." Solum ergo te commendat augetque temporis spatium. Iunxisti enim ac miscuisti res diversissimas, securitatem olim imperantis, et inci-
2 pientis pudorem. Non tu civium amplexus ad pedes tuos deprimis, nec osculum manu reddis. Manet Imperatori, quae prior oris humanitas, dexterae verecundia. Incedebas pedibus; incedis: laetabaris labore; laetaris. Eadem, quae omnia illa circa te, nihil in ipso te Fortuna mu-
3 tavit. Liberum est, ingrediente per publicum principe, subsistere, occurrere, comitari, praeterire: ambulas inter nos, non quasi contingas;

2 *ad pedes tuos)* Vid. ad 23, 1. *G.*

osculum manu) *Malim, *osculo manum. Osculum* h. e. os ad blanditias conformatum *offertur; huic redditur manus.* Sed potest tamen *reddis* intelligi, pensas, rependis. *G.*

oris humanitas) Ut ad osculum admittas amicos eosdem, quos ante imperium. Opponitur *dexterae verecundia*, quam scilicet non ita facile, sed cum pudore quodam, prensantibus praebes, quasi malles os offerre. Contra Domitianus ap. Sueton. 12. *Caenidi — osculum, ut adsueverat, offerenti, manum praebuit.* *Admisi nomen, quod post alios etiam habet liber Schwarzii. *G.*

Eadem, quae) *Sic puto legendum pro vulgata, *Eademque omnia illa circa te: nihil ipso te* etc. Atque illud *que* encliticon in *quae* mutare nulla, puto, invidia est: *tu* ante *ipso* iam est in Boxhorniana, et placuit viris doctis. Forte magis placebit aliis Gruteri coniectura, *Eademque quae omnia, nihil ipsum te F. m.* aut Cel. Schwarzii, *nihil ipsa te* etc. Mihi videbatur plus dici, si ponas *nihil in ipso te Fortuna mutavit.* Opponuntur *circa te* et *in te.* Laudavit Schwarzius opportune praefationem maioris Plinii, qui ad Titum, *Nequidquam,* inquit, *mutavit in te fortunae amplitudo, nisi ut prodesse tantumdem posses, ut velles.* Pro *ut* malim *ac*, vel *et*, quod est in Elzevir. Ceterum in illo Arntzenius etiam *eademque* legit, praecedente interpunctione minori; et nostram notam non satis integre retulit. *G.*

Gierigius, Schwarzium secutus, edidit: *eademque omnia illa circa te,* hoc sensu: eadem illa modestiae signa, de quibus modo dixi, manent circa te, adeo ut nec ipsa te Fortuna mutet. *E.*

Conf. I. A. Ernestius ad h. l. *S.*

3 *non quasi contingas)* Donat. ad Ter. Andr. 4, 2, 15. *Quod vix evenit, contigisse dicitur. Contingunt* nempe, quae fato quodam, et divina benevolentia hominibus eveniunt, quae proinde imputari ipsis a deo possunt. Sic ap. Martialem 12, 6. *Contigit Ausoniae procerum mitissimus aulae Nerva.* Sic apud ipsum nostrum c. 14, 1. *Apud eos semper maior et clarior, quibus postea contigisses*, h. e. ad quos felici fato, et gratulan-

et copiam tui, non ut imputes, facis. Haeret la-
teri tuo, quisquis accessit, finemque sermoni suus
cuique pudor, non tua superbia, facit. Regi- 4
mur quidem a te, et subiecti tibi, sed quemad-
modum legibus, sumus. Nam et illae cupiditates
nostras libidinesque moderantur, nobiscum tamen
et inter nos versantur. Emines, excellis, ut ho-
nor, ut potestas, quae super homines quidem,
hominum sunt tamen. Ante te principes, fastidio 5
nostri, et quodam aequalitatis metu, usum pe-
dum amiserant. Illos ergo humeri cervicesque
servorum super ora nostra; te fama, te gloria, te
civium pietas, te libertas super ipsos principes
vehunt; te ad sidera tollit humus ita communis,
et confusa principis vestigia.

XXV. Nec vereor, P. C., ne longior vi-
dear, quum sit maxime optandum, ut ea, pro
quibus aguntur principi gratiae, multa sint: quae
quidem reverentius fuerit integra illibataque co-
gitationibus vestris reservari, quam carptim bre-
viterque perstringi; quia fere sequitur, ut illa
quidem, de quibus taceas, tanta, quanta sunt,
esse videantur. Nisi vero leviter attingi placet, 2

tes sibi tuam praesentiam, venisses. Sic 32, 2. *Postquam contigit princeps.* Sic observavit ad Quintil. decl. 10, 2. p. 213. Burmannus, de rebus laetis, quae spem fere superant, adhiberi hoc verbum. *Quae cum ita sint, frustra tentatum hunc locum aio; nec posse quidquam immutari, ut non gratiae, et naturali quam habet Veneri aliquid decedat; recteque defensum contra interpretationem Baunii a Fabricio Bibl. Lat. T. 2. p. 774. itemque Arntzen. ad h. l. *G.*

Ex his a Gesnero adnotatis tamen non intelligitur verborum sensus is, quem Gierigius recte expressit: dum ambulas inter nos, non putas conspectum tui Romanis pro magna felicitate habendum. Manifeste Plinius negat Traianum vanitate aut arrogantia permoveri, ut in publicum prodeat, et se conspiciendum praebeat. Sed iterum affectata brevitas est, qua illa *contingere* et *imputare* ad hunc sensum adhibet. *E.*

5 *ita)* Gierigius *ista*, quod item Ernestius editurus erat. „Sic „reposui, inquit, quod iam in „Add. probaverat Gesnerus, et „Gierigius etiam edidit, pro vulg. „*ita.*" *Ita* tuetur I. A. Ernestius, quem vide. *S.*

XXV, 1 *esse videantur)* *Potest videri hic aliquid intercidisse. Praecesserunt duo membra: prius, *integra illibataque cogita-*

locupletatas tribus, datumque congiarium populo,
et datum totum, quum donativi partem milites
accepissent. An mediocris animi est, his potius
repraesentare, quibus magis negari potest? quamquam in hac quoque diversitate aequalitatis ratio
servata est. Aequati sunt enim populo milites,
eo quod partem, sed priores; populus militibus,
3 quod posterior, sed totum statim accepit. Enimvero qua benignitate divisum est! quantae curae tibi fuit, ne quis expers liberalitatis tuae fieret! Datum est his, qui post edictum tuum in
locum erasorum subditi fuerant: aequatique sunt
ceteris illi etiam, quibus non erat promissum.
4 Negotiis aliquis, valetudine alius, hic mari, ille
fluminibus distinebatur: exspectatum est provisumque, ne quis aeger, ne quis occupatus,
ne quis denique longe fuisset: veniret quisque, quum vellet: veniret quisque, quum posset.
5 Magnificum, Caesar, et tuum, disiunctissimas
terras munificentiae ingenio velut admovere, immensaque spatia liberalitate contrahere: intercedere casibus, occursare fortunae, atque

tionibus reservari, alterum. *carptim breviterque perstringi.* Infert deinde, *Quia fere sequitur, ut illa QVIDEM, de quibus taceas — videantur.* Quis hic non exspectat simile quiddam his, *ea autem, quae breviter perstringuntur, dictis non maiora putentur* etc. Sed refellit haec Schwarzius: non male. *G.*

2 *quibus magis negari potest*) Plebi inermi: hanc enim *populi* nomine, quod alias saepe fit, intelligit: militum metui poterat, si superiora exempla videres, seditio. *G.*

3 *in locum erasorum*) Qui tabulis congiarii iam confectis moriuntur, demigrant, cives esse desinunt, ii eraduntur. Pro his insertos et *subditos* alios non reiicit Traianus, mitior hac in re et benignior ipso Augusto, qui *quum proposito congiario multos* (ob id ipsum eo potissimum tempore et ut ad patronos aliquid e publica liberalitate rediret, vid. Casaub.) *manu missos, insertosque civium numero comperisset, negavit accepturos, quibus promissum non esset* Sueton. 42. Traianus certe dat his etiam, *quibus non erat promissum. G.*

4 *ne quis — — fuisset*) i. e. ne quis sentiret, se aegrum, aut occupatum, aut longe fuisse. ut mox: *omni ope adniti, ne quis — — hominem magis sentiret se fuisse, quam civem. S.*

5 *munificentiae ingenio*) Ingeniosa et arte adiuta magnificentia. Sic nempe 49, 7. *exquisita ingenia coenarum* dixit. *G.*

omni ope aduiti, ne quis e plebe Romana, dante congiarium te, hominem magis sentiret se fuisse, quam civem.

XXVI. Adventante congiarii die, observare
principis egressum in publicum, insidere vias
examina infantium, futurusque populus solebat.
Labor parentibus erat, ostentare parvulos, impositosque cervicibus adulantia verba blandasque
voces edocere: reddebant illi, quae monebantur. Ac plerique irritis precibus surdas principis 2
aures adstrepebant; ignarique quid rogassent, quid
non impetrassent, donec plane scirent, differebantur. Tu ne rogari quidem sustinuisti, et 3
quamquam laetissimum oculis tuis esset, conspectu Romanae sobolis impleri, omnes tamen, antequam te viderent adirentve, recipi, incidi iussisti:
ut iam inde ab infantia parentem publicum munere educationis experirentur; crescerent de tuo,
qui crescerent tibi, alimentisque tuis ad stipendia tua pervenirent, tantumque omnes uni tibi,
quantum parentibus suis quisque, deberent. Re- 4
cte, Caesar, quod spem Romani nominis sumtibus tuis suscipis. Nullum est enim magno principe, immortalitatemque merituro, impendii genus
dignius, quam quod erogatur in posteros. Locu- 5
pletes ad tollendos liberos ingentia praemia, et

XXVI, 1 *Adventante*) Inferendumne post hoc participium *antea?* Certe haec particula, quam ad sensum loci explendum desideres, facillime potuit excidere. *S.*

2 *Ac plerique*) *Malim *At* mutatione, quae in scriptura Longobardica vix sentiatur. Adversativae particulae hic locum esse, apparet. Atque etiam sic dedit Schwarzius. *G.*

3 *incidi*) in tabulas, in tesseras frumentarias. Sen. de benef. 4, 28. *Frumentum publicum — accipiunt sine delectu morum, quisquis incisus est.* *Sic recte Gronovius ex MSS. apud Pinc. et Grut. Al. *Quisquis civis est. G.*

alimentisque tuis) Iungit hoc toto capite, propter similitudinem muneris, cum congiario *alimenta ingenuorum*, de quibus accuratius mox dicet capite proximo. Exstat multa eius rei in nummis memoria, quam suo more persequutus est Ezech. Spanhemius diss. 13. p. 542. sq. *G.*

5 *praemia — poenae*) De quibus ICti, cum de iure trium

pares poenae, cohortantur; pauperibus educandis
6 una ratio est, bonus princeps. Hic fiducia sui
procreatos nisi larga manu fovet, auget, amplectitur, occasum imperii, occasum reipublicae accelerat, frustraque proceres, plebe neglecta, ut defectum corpore caput nutaturumque instabili
7 pondere, tuetur. Facile est coniectare, quod perceperis gaudium, quum te parentum, liberorum, senum, infantium, puerorum clamor exciperet. Haec prima parvulorum civium vox aures tuas imbuit, quibus tu daturus alimenta, hoc maximum praestitisti, ne rogarent. Super omnia est tamen, quod talis es, ut sub te liberos tollere libeat et expediat.

XXVII. Nemo jam parens filio, nisi fragilitatis humanae vices horret; nec inter insanabiles morbos principis ira numeratur. Magnum quidem est educandi incitamentum, tollere liberos in spem alimentorum, in spem congiariorum; maius tamen, in spem libertatis, in spem secu-
2 ritatis. Atque adeo nihil largiatur princeps, dum nihil auferat; non alat, dum non occidat: nec deerunt, qui filios concupiscant. Contra, largiatur et auferat; alat et occidat: nae ille iam brevi tempore effecerit, ut omnes non posterorum mo-

liberorum agunt. Vid. ad Epist. 7, 16, 2. G.

educandis) Al. *educandi.* quod unice verum. S.

6 *frustraque proceres)* *Sic Schwarzii liber. Al. *Princeps.* G.

7 *Super omnia)* Diligenter monendi sumus, illam in capita, quae vocamus, divisionem non esse a vetustis auctoribus, ne imperite divellantur, quae sunt coniunctissima. Ut hic ultima verba transitum continent, suavem sane et elegantem, ad ea, quae sequuntur: quae arctissime nisi iungas, gratia omnis perit. G.

Novum ab his verbis caput Ernestius exorsurus erat, notaque Gesneri deleta hanc appositurus: „Verba *Super — expediat*, cum, Gesnero etiam monente, antea male avulsa ab hoc capite [XXVII.], cum quo arcte cohaerent, ad antecedens referrentur, non dubitavi ea cum Gierigio in hunc locum suum reponere." S.

XXVII, 2 *nae ille iam)* *Dedi lectionem Gruteri. Al. etiam Arntzenius, qui nec meminit Gruterianae lectionis: *nae ille in tam brevi tempore.* G.

Tam h. l. absurdum dicit I. A. Ernestius. Cautior Bremius, qui ad Cicer. de Finib. init. tuetur. S.

dò, ſed ſui parentumque poeniteat. Quocirca 3
nihil magis in tua tota liberalitate laudaverim,
quam quod congiarium das de tuo, alimenta de
tuo: neque a te liberi civium, ut ferarum catuli,
ſanguine et caedibus nutriuntur: quodque gratiſ- 4
ſimum eſt accipientibus, ſciunt dari ſibi, quod
nemini eſt ereptum, locupletatisque tam multis,
pauperiorem eſſe factum principem tantum: quam-
quam nec hunc quidem. Nam cuius eſt, quid-
quid eſt omnium, tantum ipſe, quantum omnes,
habet.

XXVIII. Alio me vocat numeroſa gloria
tua: alio autem? quaſi vero iam ſatis venera-
tus miratusque ſim, quod tantam pecuniam pro-
fudiſti, non ut flagitii tibi conſcius ab inſectatio-
ne eius averteres famam; nec ut triſtes hominum
moeſtosque ſermones laetiore materia detineres.
Nullam congiario culpam, nullam alimentis cru- 2
delitatem redemiſti, nec tibi bene faciendi fuit
cauſſa, ut, quae male feceras, impune feciſſes.
Amor impendio iſto, non venia quaeſita eſt; po-
pulusque Romanus obligatus a tribunali tuo, non
exoratus receſſit. Obtuliſti enim congiarium gau- 3
dentibus gaudens, ſecurusque ſecuris: quodque
antea principes ad odium ſui leniendum tumenti-
bus plebis animis obiectabant, id tu tam inno-
cens populo dediſti, quam populus accepit.
Paullo minus, P. C., quinque millia ingenuorum 4

4 *nec hunc quidem)* *Mollius ad aures accidit *ne hunc quidem.* G.

Immo ſic ſcribendum. Vid. I. A. Erneſtius ad h. l. S.

XXVIII, 1 *non ut flagitii)* Sunt alias non magni faciendae eiusmodi laudes, in quibus ipſe qui laudatur ſibi dicere cogitur illud, *Vitavi denique culpam, Non laudem merui.* Sed maior puriorque ſcilicet laus ſit, a qua removeri ea poſſunt, quae aliorum laudes foedarunt. G.

laetiore materia) Quam comparare ſolent dolio, quale balaenis obiicere nautae dicuntur, ut, dum illud ſibi ludibrium habent, navem mittant. G.

3 *tumentibus plebis animis)* Sic Graeci οἰδεῖν etc. Pauſan. VIII. cap. 28. ὁ δὲ, ἅτε οἰδοῦντος αὐτῷ τοῦ θυμοῦ, παίει κ. τ. λ. S.

obiectabant) Ut cani irato bo-

fuerunt, quae liberalitas principis nostri conquisivit, invenit, adscivit. Hi subsidium bellorum, ornamentum pacis, publicis sumtibus aluntur, patriamque non ut patriam tantum, verum ut al-
5 tricem amare condiscunt. Ex his castra, ex his tribus replebuntur; ex his quandoque nascentur,
6 quibus alimentis opus non sit. Dent tibi, Caesar, aetatem dii, quam mereris, serventque animum, quem dederunt: et quanto maiorem infantium tur-
7 bam iterum atque iterum videbis incidi! Augetur enim quotidie et crescit: non quia cariores parentibus liberi; sed quia principi cives. Dabis congiaria, si voles; praestabis alimenta, si voles: illi tamen propter te nascuntur.

XXIX. Instar ego perpetui congiarii reor affluentiam annonae. Huius aliquando cura Pompeio non minus addidit gloriae, quam pulsus ambitus campo, exactus hostis mari, oriens tri-
2 umphis occidensque lustratus. Nec vero ille civilius, quam parens noster, auctoritate, consilio, fide reclusit vias, portus patefecit, itinera terris, litoribus mare, litora mari reddidit, diversasque gentes ita commercio miscuit, ut, quod genitum esset usquam, id apud omnes natum esse videre-

lum, ne latret, v. g. Phaedr. 1, 23. *G.*

6 *videbis incidi)* *Elegans etiam quorundam librorum lectio *iubebis incidi.* *G.*

7 *propter te)* Fiducia benignitatis tuae, et felicis imperii: licet congiarium aut alimenta non sperent. *G.*

XXIX, 1 *Pompeio)* Eo ipso tempore, quo de exilio rediit Cicero, cuius in sententiam SCtum factum est de omni potestate rei frumentariae per totum orbem terrarum in quinquennium Pompeio mandanda. Vid. Cic. ad Att. 4, 1. Idem Pompeius in tertio suo Consulatu severiores contra ambitum leges pertulit, quem proinde *campo* Martio, in quo comitia, *pepulit.* *G.*

2 *civilius)* Ipse interpretatur Secundus, non armis, non opprimenda libertate, sed *auctoritate, consilio, fide,* rem gessisse. Nempe *civiliter* agit, qui aequalitatem civium tuetur, tyrannidem non affectat. Hoc monendum fuit propter eos, qui nimis vage interpretantur *civilius, ad maiorem utilitatem reipublicae.* *G.*

litoribus mare) Ut solvere auderent homines; *litora mari,* ut appellere possent, sine metu piratarum, vel alterius iniuriae: qua ratione commeatus et annonae vilitas restituta. *G.*

tur. Nonne cernere datur, ut fine ullius iniuria 3
omnis ufibus noftris annus exuberet? Quippe
non, ut ex hoftico raptae perituraeque in horreis
meffes, nequidquam quiritantibus fociis auferun-
tur. Devehunt ipfi, quod terra genuit, quod 4
fidus aluit, quod annus tulit: nec novis indictio-
nibus preffi ad vetera tributa deficiunt. Emit 5
fifcus, quidquid videtur emere. Inde copiae, in-
de annona, de qua inter licentem vendentemque
conveniat: inde hic fatietas, nec fames usquam.

XXX. Aegyptus alendis augendisque femi-
nibus ita gloriata eft, ut nihil imbribus caeloque
deberet: fiquidem proprio femper amne perfufa,
nec alio genere aquarum folita pinguefcere, quam
quas ipfe devexerat, tantis fegetibus induebatur,
ut cum feraciffimis terris, quafi nunquam ceffura,
certaret. Haec inopina ficcitate usque ad iniu- 2
riam fterilitatis exaruit: quia piger Nilus cun-
ctanter alveo fefe ac languide extulerat, ingenti-
bus quidem tunc quoque ille, fluminibus tamen,
conferendus. Hinc pars magna terrarum mergi 3
repararique palanti amne confueta, alto pulvere

3 *quiritantibus*) Vid. ad ep. 6, 20, 14. *S.*

4 *indictionibus*) penfionibus f. tributis extraordinariis, quae faepe ex improvifo et ex arbitrio ab imperatoribus indicebantur. *E.*

5 *videtur emere*). Sub fpecie emtionis quam iniufte actum nonnunquam cum aratoribus, vel fola Ciceronis frumentaria f. in Verrem L. 3. ubi Apronii facinora enarrantur, docuerit. Ceterum protulit Schwarzius e Gudii libro hanc lectionem, *finit fifcus, quidquid videtur e re, emere:* fententia et ipfa bona. *G.*

Ceterum loci fenfus: Olim fifcus tantum videbatur emere, revera non emebat, fed fociis, fub fpeciofo emtionis praetextu, auferebat: nunc, quae fpecies videatur emtionis, fi priora tempora cogites, vera emtio eft. Aliter Gierigius, quem Plinii acumen, opinor, fefellit. *S.*

XXX, 1 *ipfe*) Praeftat *ipfa*, ficque iam alii coniecerunt. *S.*

2 *fluminibus tamen*) Nomen *fluminibus* duplicem quafi perfonam habet: *ingentibus fluminibus conferendus* Nilus tum erat; *fed fluminibus tamen*, non mari, ut alias. Ita mox 31, 2. *Quod victorem quidem populum* (pafceret), *pafceret tamen.* Add. 31, 5. *Et nos Aegypto poffe, et nobis Aegytum c a r e r e non poffe.* Adde finem cap. in verbo *fluxit.* it. 37, 6. in *bonis.* it. 38, 2. *hereditate. G.*

3 *mergi repararique palanti*) Dum *mergitur* terra *amne palanti* f. vaganti, eadem *repara-*

incanduit. Frustra tunc Aegyptus nubila optavit, caelumque respexit, quum ipse foecunditatis parens contractior et exilior, iisdem ubertatem eius anni angustiis, quibus abundantiam suam, cohibuisset.
4 Neque enim solum vagus ille, cum expanditur, amnis intra usurpata semper collium substiterat atque haeserat; sed supino etiam ac detinenti solo, non placido se mollique lapsu

tur, succum et vires quasi recipit. * Nondum innotuit mihi liber, qui hanc lectionem habeat; sed divisi sunt codices inter *palanti*, et *repararique*: interim nequo dum poenitet eius, quod in priore editione usu mihi venit, de quo ita tum ad Cl. Schwarzium scribebam: Dum dubito, dum calamus ipse inter duas lectiones fluctuat, ponendumne sit, *mergi palanti amne*, quod adhuc obtinuit, an illud ex MSS. *mergi repararique?* utrumque exiisse prelis video, et neutrum ne nunc quidem vel damnare audeo vel probare. Certe *palans amnis* mihi imagine non inamoena blandiebatur, h. e. ripas suas, et quasi castra, hinc inde egressus, et prout fors vel impetus tulit, hic longius et densior, hic rarior et brevius commoratus. Quid? si utrumque est a Plinio, et error noster suam huic loco faciem, ut Nealcis furor desperatam in equo spumam, reddidit? *G.*

incanduit) incaluit, exarsit. Nempe hunc ardorem continuum *altus pulvis* sequebatur, et ipse fervens. *E.*

4 *cum expanditur*) * Vulg. *vagus ille expanditor amnis:* quasi substantivum nomen sit *expanditor*. Lectionem nostram debemus his, quae e bonis libris notavit Schwarzius, in quibus *expandebatur*, vel *expanditur*: cui verbo *si* vel *cum* praeponendum, iam iudicarunt viri docti. *G.*

Forcellinus: *vagus ille et expanditor amnis*, hac addita explicatione: i. e. qui se extra alveum suum expandit et effundit. *S.*

intra usurpata — collium) Observanda vis vocis *intra*. Substitit *intra* colles usurpatos, non adscendit, quo solebat: non superavit colles, unde deinde per plana camporum diffunderetur. *G.*

supino ac detinenti solo) Humili, ubi alias morari aqua solet. Nempe ut *altum* et *profundum*, relatae ad terminum, haec, unde despicitur, illa, quo suspicitur, appellationes, usurpantur mutatis non nunquam vicibus: sic *supinum*, quod proprie *devexo* opponitur, (vid. Frontin. de Aquaed. art. 36. p. 103. Pole.) interdum non refertur ad adscensum, ut plerumque, sed ad descensum; ita ut humile potius, quam altum, notet. Liv. 7, 24. *Egistis praecipites supina valle*, i. e. adverso monte subire ad vos ausos deturbastis. Sic avunculus nostri L. 23. princ. *Tellure supina quae proveniunt*, frumenta, flores, herbas, opponit *Pomonae*, h. e. arborum fructibus, iisque, quae vocat *pendentia*. *G.*

Pro *detinenti*, quod non satis commodum sensum habet, Arntzen. e MS. dedit *clementi* h. e. sensim et tarde se supra planitiem extollente. Hoc et Gesnerus [in epist. ad I. A. Ernestium] probaverat. *E.*

Ceterum *solum supinum* compares cum Graecorum γῆ ὑπτίᾳ.

refugum abstulerat, et nec dum satis humentes
terras addiderat arentibus. Igitur inundatione, 5
id est, ubertate, regio fraudata, sic opem Caesa-
ris invocavit, ut solet amnem suum: nec longius
illi adversorum fuit spatium, quam dum nuntiat.
Tam velox, Caesar, potentia tua est, tamque in
omnia pariter intenta bonitas et accincta, ut tri-
stius aliquid seculo tuo passis, ad remedium sa-
lutemque sufficiat, ut scias.

XXXI. Omnibus equidem gentibus fertiles
annos gratasque terras precor: crediderim tamen
per hunc Aegypti statum tuas Fortunam vires ex-
periri, tuamque vigilantiam spectari voluisse.
Nam quum omnia ubique secunda merearis: non-
ne manifestum est, si quid adversi cadat, tuis
laudibus, tuisque virtutibus materiem campum-
que prosterni, quum secunda felices, adversa
magnos probent? Percrebuerat antiquitus, ur- 2
bem nostram nisi opibus Aegypti ali sustentarique
non posse. Superbiebat ventosa et insolens na-

Appianus de Bello Mithrid. XLII. ἐν ᾧ σφίσι μὲν ὕπτιον καὶ εὐπετὲς ἐς δίωξιν καὶ ἀναχώρησιν ἦν πεδίον ubi κρημνοὶ opponuntur πεδίῳ ὑπτίῳ, ut hic *colles solo supino*. *S.*

refugum) * *Refusum* liber Schwarzii. Sed *refugum* videtur ad celeritatem refluentis aquae pertinere, et exprobrationem quandam continere Nili. *G.*

nec dum satis humentes) *Semimadidam* terram in primis abominantur agricolae. v. Colum. 2, 4. 5. *G.*

XXXI, 1 *spectari)* * Libri, puto, omnes *exspectare*: nisi quod Cuspin. *ostentare*, sententia magnifica Illud *ex* praefixum librariis illius aetatis deberi, credibile est, quae *especе*, *esprit*, *espée*, *espejo* formavit e *specie*, *spiritu*, *spada*, *speculo* etc. *x* enim et *s* perpetuo fere miscentur. Hinc *spectare* malit Cel. Schwarzius, me non invito, nisi quod sic ab *experiri* distinguere vix possum. Itaque nihil dum melius puto, quam cum Baunio legere *spectari*. Add. ad 33, 3. et 35, 3. ad quem posteriorem locum vid. Schwarzius. it. Drakenb. ad Liv. 6, 33, 1. Ceterum *spectare* vult etiam Arntzenius. *G.*

Expectare, quod Gierigius edidit, etiam multum languere mihi h. l. videtur prae *spectari*, quod commendatur sequentibus: *tuis laudibus, tuisque virtutibus materiem campumque prosterni*. Iam enim virtutes late longeque *spectari* possunt. *E.*

Mihi quidem *spectare* verum videtur. *S.*

prosterni) Praestat Arntzenii *praesterni*, probatum item Gesnero in epist. ad I. A. Ernestium. *S.*

tio, quod victorem quidem populum, pasceret tamen; quodque in suo flumine, in suis navibus
3 vel abundantia nostra, vel fames esset. Refudimus Nilo suas copias: recepit frumenta, quae miserat, deportatasque messes revexit. Discat igitur Aegyptus, credatque experimento, non alimenta se nobis, sed tributa praestare: sciat, se
4 non esse P. R. necessariam, et tamen serviat. Post haec, si volet, Nilus amet alveum suum, et fluminis modum servet: nihil hoc ad urbem, ac ne ad Aegyptum quidem, nisi ut inde navigia inania et vacua et similia redeuntibus, hinc plena et onusta et qualia solent venire, mittantur; conversoque munere maris, hinc potius venti ferentes
5 et brevis cursus optentur. Mirum, Caesar, videretur, si desidem Aegyptum cessantemque Nilum non sensisset urbis annona: quae tuis opibus, tua

2 *pasceret tamen)* Vid. ad 30, 4. *fluminibus tamen.* *G.*

in suis navibus) Classe illa Alexandrina, de qua plena manu ad hunc locum Cl. Schwarzius. *Nempe *navibus* legendum, non *manibus*, pulchre monuere viri docti. Sic dedit etiam Arntzenius. Quod autem huius classis opportunitate usum Paullum Apostolum, assentiuntur Hasaeo viri celeberrimi, reprehendere non ausim equidem, cum faveat Act. 27, 6. et 38: interim scrupulum mihi movent CCLXXVI homines in una navi frumentaria. Verum tollit eum scrupulum Luciani navis σιταγωγὸς Aegyptia, in qua τὸ τῶν ναυτῶν πλῆθος στρατοπέδῳ ἄν τις εἰκάσειεν. p. 494, 1. *G.*

3 *Refudimus Nilo)* Bona fide, Secunde, nonne istuc etiam ventosulum est? Quid refudistis igitur? Unius anni annonam, pro tot et perpetuis Aegypti classibus. Sed redit ad modestiam, quamquam et istam subdolam, deinde c. 32, 3. et 4. *G.*

Ventosus sane locus, adeoque insolens, ut alii haud pauci in hoc libro. Nolim tamen hoc nomine Plinium durius increpare, cui, ut oratori, aliquid licentiae concedendum. Alia lex orationis eiusque de genere ἐγκωμιαστικῷ, alia historiae. *S.*

4 *venti ferentes)* Virgil. Aen. 3, 473. *fieret vento mora ne qua ferenti* Graecorum ἄνεμος φορός. vid. Wesseling. ad Diod. Sic. T. 1. p. 685. *S.*

5 *Mirum — videretur)* Conf. supra 9, 4. it. 31, 6. Argumentatur ita: Mira et laudibus nostris digna fuisset providentia tua, si sterilitatem Aegypti, emansionem (sit venia verbo) classis Alexandrinae, non sensisset annona urbis; si non aucta esset inde illius caritas: quae annona contra ea, per tuam providentiam, instar vasis pleni redundavit et superfluxit usque in Aegyptum. Satis erat Romam carere posse Aegypto: eidem de suo impertiit. *G.*

cura usque illuc redundavit, ut simul probaretur, et nos Aegypto posse, et nobis Aegyptum carere non posse. Actum erat de foecundissima gente, si libera fuisset:, pudebat sterilitatis insolitae, nec minus erubescebat fame, quam torquebatur; quum pariter a te necessitatibus eius pudorique subventum est. Stupebant agricolae plena horrea, quae non ipsi refersissent, quibusque de campis illa subvecta messis, quave in Aegypti parte alius amnis. Ita beneficio tuo, nec maligna tellus, et obsequens Nilus. Aegypto quidem saepe, sed gloriae nostrae nunquam largior fluxit.

XXXII. Quam nunc iuvat provincias omnes in fidem nostram ditionemque venisse, postquam contigit princeps, qui terrarum foecunditatem nunc huc, nunc illuc, ut tempus et necessitas posceret, transferret referretque! qui diremtam mari gentem, ut partem aliquam populi plebisque Romanae, aleret ac tueretur! Et caelo qui-

6 *si libera fuisset)* si non subiecta fuisset imperio Rom. adeoque providentia et cura optimi imperatoris caruisset. *E.*

quibusque de campis) Repetendum est *stupebant*, h. e. cum stupore mirabantur, et nesciebant, *quibus d. c.* etc. *E.*

alius amnis) Qui fertilitatem induxisset. Miram suavitatem habet hic locus ex observato ἤθει. Aegyptii non a pluviis, sed ab amne exspectant humorem satis; unam modo fertilitatis caussam norunt. * Haec venustas perierit, si tibi persuaderi a Lipsio patiare, legendum potius *alius annus*, i. e. proventus, messis. Et persuaderi sibi passus est, in paritate prope auctorum Arntzenius. *G.*

obsequens Nilus) In tantum certe, ut allatum classe frumentum adverso amne ad ioteriora Aegypti perferatur. Interpunctionem post *Nilus* sustulit Schwarzius. *G.*

Schwarzium secutus est Gierigius, qui edidit: *et obsequens Nilus Aegypto quidem saepe* etc. hoc sensu: beneficio tuo primum non maligna tellus fuit, deinde Nilus *obsequens*, votis notis se quasi accommodans, Aegypto quidem etc. — Non damno: tamen nescio quomodo ista oratio abrupta, quam interpunctio efficit, magis Pliniana videtur. *E.*

Probo Gesneri interpunctionem. Tum malim voce repetita: *Nilus Aegypto quidem* etc. *S.*

Aegypto quidem saepe) Prozeugma, ut vocant Grammatici. *Aegypto saepe largior fluxit Nilus*, et foecunditatem illi conciliavit: *sed gloriae* etc. Refert ad hanc gloriam Lipsius nummum Traiani, in cuius aversa Nili consueta effigies, cum nomine addito, et inscriptione S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. *G.*

dem nunquam benignitas tanta, ut omnes ſimul terras ubertet foveatque: hic omnibus pariter, ſi non ſterilitatem, at mala ſterilitatis exturbat: hic, ſi non foecunditatem, at bona foecunditatis importat: hic alternis commeatibus orientem occidentemque connectit, ut, quae ubique feruntur, quaeque expetuntur, omnes gentes invicem capiant, et diſcant, quanto libertati diſcordi ſervientibus ſit utilius, unum eſſe, cui ſerviant.
3 Quippe diſcretis quidem bonis omnium, ſua cuiusque ad ſingulos mala; ſociatis autem atque permixtis, ſingulorum mala ad neminem, ad omnes omnium bona pertinent. Sed ſive terris divinitas

XXXII, 2 *ubertet)* *Sic Gudius e MS. quod probat Schwarzius. Al. cum Arntzenio *uberet.* Sententia eadem. *Ubertat* legitur conſtanter apud imitatorem noſtri Eumenium pro Flavienſ. ſ. 7, 9, 6. *G.*

alternis commeatibus) Id eſt, mutuis, ubi alteri ſufficiunt, quae deſunt aliis. *Nimis manifeſtum eſt, et monuit Lipſius, ſic legendum, pro *aeternis*, quod libros, in quantum Schwarzio innotuere, omnes obſedit, ac tuetur Arntzenius, quam bene, ipſe viderit. Retinet illuſtratque Schwarzius. *G.*

Hunc ſecutus etiam Gierigius *aeternis* edidit. At enimvero ipſe Plinius prodidit, ſe *alternis* ſcripſiſſe. Nam quae ſequuntur: *ut, quae ubique feruntur, quaeque expetuntur, omnes gentes invicem capiant:* et mox, *quippe diſcretis quidem bonis omnium, ſua cuiusque ad ſingulos mala; ſociatis autem atque permixtis*, etc. haec, inquam, illos tantum *alternos* commeatus, non *aeternos*, explicant. *E.*

feruntur, quaeque) Feruntur, proferuntur a terra, vel ultro, vel cum culta eſt. **Seruntur* eſt e coniectura Lipſii. Alii plures apud Schwarzium ſic: *ut, quae ferunt, quaeque expetunt opes gentes, diſcant invicem capiant quanto.* Priora certe verba commode ſe habent. *G.*

Vid. I. A. Erneſtius ad h. l. *S.*

libertati discordi) Propter *libertatem discordem*, quae non accommodet ſe voluntati cuiusquam, ſed ſuas ſibi *res* habeat, ſuam ſibi rationem ſequatur, omnia facientibus. Hoc enim eſſe v. c. *ſervire gloriae*, gloriae cauſſa omnia facere, ſatis apertum. *Veniam ergo mihi dabunt aequi aeſtimatores unius apicis immutati, poſito *libertati* pro *libertate*, quod librarius aliquis, credo, poſuit, cum iungendum comparativo *utilius* videretur. Vid. tamen, quomodo vulgatum tueatur Perizonius et Schwarzius. *G.*

3 *ad neminem — pertinent)* Cave haec verbotenus intelligas. Bene Gierigius docuit ad h. l. e ſtudio concinnae antitheſeos hyperbolice dicta eſſe pro, minus urgent ſingulos, quia levantur auxilio ſociorum, qui in ſocietatem malorum veniunt, et ſua bona communicant cum caeteris. *E.*

omnium bona) Arntzenius *omnia b.* ex MSS. *G.*

terris divinitas) Divinitatem illam *terrarum*, illos *omnium genios* figuris humanis, illam

quaedam, five aliquis amnibus genius; et folum illud et flumen ipfum precor, ut hac principis benignitate contentum, molli gremio femina recondat, multiplicata reftituat. Non equidem re- 4
pofcimus foenus: putet tamen effe folvendum, fallacemque unius anni fidem, omnibus annis, omnibusque poftea feculis tanto magis, quia non exigimus, excufet.

XXXIII. Satisfactum qua civium, qua fociorum utilitatibus. Vifum eft fpectaculum inde non enerve, nec fluxum, nec quod animos virorum molliret et frangeret, fed quod ad pulchra vulnera contemtumque mortis accenderet: quum in fervorum etiam noxiorumque corporibus amor laudis et cupido victoriae cerneretur. Quam de- 2
inde in edendo liberalitatem, quam iuftitiam exhibuit, omni affectione aut intactus, aut maior! Impetratum eft, quod poftulabatur: oblatum, quod non poftulabatur. Inftitit ultro, et, ut concupifceremus, admonuit: ac fic quoque plura inopinata, plura fubita. Iam quam libera fpectan- 3
tium ftudia, quam fecurus favor! Nemini impictas, ut folebat, obiecta, quod odiffet gladia-

mulierum ftolatarum, turritas coronas geftantium, hos fenum gigantiformium etc. paffim in nummis et alias repraefentari, notum eft. Vid. de Africa Epift. 7, 27, 2. *G.*

4 *fallacemque — fidem — excufet)* fterilitatem unius anni omnium annorum fequentium proventu compenfet. Exquifitus verbi *excufare* ufus. Attulerunt interpretes exempla Claud. 26, 562. *armis excufate nefas.* Stat. Theb. 6, 44. *Lacrymis excufant crimen obortis.* *E.*

XXXIII, 1 *fpectaculum)* ludi, quos in principio imperii edere folebant imperatores, a Traiano quoque editi. *E.*

nec fluxum) Vid. Arntzen. ad Aurel. Victor. p. 146. *S.*

pulchra vulnera) quae pro patria fortiter pugnantes accipiunt. — De *amore laudis* in fervis etiam et noxiis confpicuo cf. Cic. Tufc. 2, 17. *E.*

2 *in edendo liberalitatem)* Conf. 6, 34, 2. *G.*

intactus — maior) *intactus*, liber omnino, indole et natura: *maior*, eo animo et confilio, ut affectiones comprimere et vincere poffit. *E.*

3 *impietas — obiecta)* Ut Domitianus tefte Sueton. 10. *Patrem familias, quod Thracem mirmilloni* (quicum pugnabat) *parem, munerario* (Domitiano editori, cuius adverfus favor illum premebat) *imparem dixerat, detractum e fpectaculis in arenam canibus obiecit, cum hoc*

torem: nemo e ſpectatore ſpectaculum factus, 4 miſeras voluptates unco et ignibus expiavit. Demens ille, verique honoris ignarus, qui crimina maieſtatis in arena colligebat, ac ſe deſpici et contemni, niſi etiam gladiatores eius veneraremur, ſibi maledici in illis, ſuam divinitatem, ſuum numen violari, interpretabatur; quum ſe idem quod deos, idem gladiatores quod ſe putabat.

XXXIV. At tu, Caeſar, quam pulchrum ſpectaculum pro illo nobis exſecrabili reddidiſti! Vidimus delatorum iudicium, quaſi graſſatorum, quaſi latronum. Non ſolitudinem illi, non iter, ſed templum, ſed forum inſederant: nulla iam teſtamenta ſecura, nullius ſtatus certus: non or-
2 bitas, non liberi proderant. Auxerat hoc malum principum avaritia. Advertiſti oculos, atque ut ante caſtris, ita poſtea pacem foro reddidiſti: exſcidiſti inteſtinum malum: et provida ſeveritate caviſti, ne fundata legibus civitas everſa legibus

titulo, Impie locutus parmularius. De *impietatis* illa notione pro crimine maieſtatis dictum ad 11, 1. Ceterum hic civis, ut et ille Eſius Proculus a Caligula detractus Sueton. 35. (cf. c. 31.) *e ſpectatore* factus eſt ſpectaculum. * Recepimus enim Schwarzianam lectionem, quam is e codicis ſui his verbis exſculpſit, *Nemo exſpectator exſpectaculum factus.* Vid. ad 31, 1. *G.*

unco et ignibus) *Unco*, quo iniecto traherentur per arenam: *ignibus*, quibus in *tunica* illa *moleſta* urerentur homines, de qua Iuven. 8, 235. Utrumque ſupplicium coniungere videtur idem 1, 155. *Taeda lucebis in illa, Qua ſtantes ardent, qui fixo gutture fumant: Et latum media ſulcum deducis arena.* * Sic legendum illum locum puto. *Lucebit* certe, et *deducet*, non recte intelligo. *G.*

4 *idem quod deos)* ſcil. *putaret.* Pro *quum* Gierigius e libris ſcriptis et editis recepit *cumque. E.*

XXXIV, 1 *delatorum iudicium)* * Sic boni libri complures. Sed nec altera non ſatis magna factio, *delatorum agmen inductum.* Aut *inductum* primo corruptum in *iudicium*, quo facto *agmen* ut ſuperfluum periit: aut, hoc cum exidiſſet, *inductum* in *iudicium* mutatum eſt. Ita recte disputat Schwarzius. Sed Arntzen. *agmen inductum* praefert. *G.*

Praefert item I. A. Erneſtius, expreſſitque Gierigius. Iure, opinor. Cf. §. 3. 4. *S.*

ſtatus certus) Ut ſciret certo ſe liberum, ſe patricium; ſuum ſervum autem non eſſe liberum etc. *G.*

Al. *nullus ſtatus certus.* Noſtram lectionem tuetur I. A. Erneſtius. *S.*

2 *everſa legibus)* Quas perverſo et calumniatorie interpretabantur delatores. *G.*

videretur. Licet ergo cum fortuna, tum liberali- 3
tas tua visenda nobis praebuerit, ut praebuit,
nunc ingentia robora virorum, et pares animos;
nunc immanitatem ferarum, nunc mansuetudinem
incognitam; nunc secretas illas et arcanas, ac sub
te primum communes opes: nihil tamen gratius,
nihil seculo dignius, quam quod contigit desuper
intueri delatorum supina ora, retortasque cervi-
ces. Agnoscebamus et fruebamur, quum velut 4
piaculares publicae solicitudinis victimae, supra
sanguinem noxiorum, ad lenta supplicia gravio-
resque poenas ducerentur. Congesti sunt in na- 5
vigia raptim conquisita, ac tempestatibus dediti.
Abirent, fugerentque vastatas delationibus terras:
ac, si quem fluctus ac procellae scopulis reser-
vassent, hic nuda saxa et inhospitale litus inco-
leret: ageret duram et anxiam vitam, relictaque
post tergum totius generis humani securitate,
moereret.

XXXV. Memoranda facies, delatorum clas-
sis permissa omnibus ventis, coactaque vela tem-
pestatibus pandere, iratosque fluctus sequi, quos-
cunque in scopulos detulissent. Iuvabat, prospe-
ctare statim a portu sparsa navigia, et apud illud
ipsum mare agere principi gratias, qui, clementia
sua salva, ultionem hominum terrarumque diis
maris commendasset. Quantum diversitas tempo- 2

3 *secretas — opes)* Palatinas opes in theatris ac templis publicabat Traianus. Laudatum Lipsio Epigramma Martialis 12, 15. *Quidquid Parrhasia* (Palatina) *nitebat aula, Donatum est oculis* in theatro, *deisque* in templis *nostris.* *G.*

4 *supra sanguinem noxiorum)* Qui in circo depugnare, vel inter se vel cum bestiis, coacti poenae caussa fuerant. Eodem inducti delatores, ut viderent, quid et ipsi commeruissent. Vide laudandum statim ad c. 35, 4. locum Suetonii. *G.*

5 *raptim conquisita)* Pravitatem ac parvitatem sic indicari, lubenter Lipsio adsentior: sed quid si melius ea indicatur voce *consuta?* ut sint *σχεδίαι*, rates temere contextae, quae facile solverentur. vid. de similibus suppliciis Casaub. ad Sueton. Caes. 66. *G.*

scopulis reservassent). Fere probabilius enim erat, eos in mari perire, solutis mox navigiis. *G.*

rum posset, tum maxime cognitum est, quum iisdem, quibus antea cautibus innocentissimus quisque, tunc nocentissimus affigeretur; quumque insulas omnes, quas modo senatorum, iam delatorum turba compleret, quos quidem non in praesens tantum, sed in aeternum repressisti, in illa
3 poenarum indagine inclusos. Ereptum alienas pecunias eunt? perdant, quas habent: expellere penatibus gestiunt? suis exturbentur: neque, ut antea, exsanguem illam et ferream frontem nequidquam convulnerandam praebeant punctis, et notas suas rideant; sed exspectent paria praemio damna, nec maiores spes, quam metus habeant,
4 timeantque, quantum timebantur. Ingenti quidem animo divus Titus securitati nostrae ultionique prospexerat, ideoque numinibus aequatus est: sed quanto tu quandoque dignior caelo, qui tot res illis adiecisti, propter quas illum deum fecimus! Id hoc

XXXV. 2 *tunc nocentissimus)* *MSS. quidam *nunc*, eadem sententia, sed hoc vividius. Sic statim *adfigeretur* praeferendum alteri *affligeretur*: et *in illa poenarum indagine*, pro *mille poenarum*: omnia praesidiis Schwarzianis debentur. *G.*

poenarum indagine) in insula, quam mare, tanquam indago, cingit, ne ex illa aufugere possint. In illa igitur insula poenas luunt. Quis non videat, hoc sensu *poenarum indaginem* durius audaciusque dictam? *E.*

3 *eunt? — gestiunt?)* Addidi signa interrogationis: additurusque erat Ernestius. Sic et Gierigius. *S.*

exsanguem) Ruboris et pudoris expertem; *ferream*, sensus. *G.*

notas suas) K literam Kalumniae notam, e lege Remmia, qua de re viri docti ad Cic. pro Rosc. Am. c. 20. ubi illud Papiniani non omittunt, cum hominem *integrae frontis* opponit damnato calumniae l. 13. π. de testibus. Omnia dedit, puto, nondum enim vidi, Cel. Brenemannus in diss. de Lege Remmia. *G.*

exspectent) *Sic Schwarzius. Al. *spectent*, eadem fere sententia; spectent, considerent suis factum. *G.*

4 *divus Titus)* Sueton. c. 8. *Delatores mandatoresque* (delationum) *in foro flagellis ac fustibus caesos, ac novissime traductos per Amphitheatri arenam, partim subiici in servos, ac venire imperavit, partim in asperrimas insulas avehi.* G.

tot res illis adiecisti) Illis rebus, legibus, institutis. *Nempe *illis* scribendum, Schwarzio auctore, pro *illi*, quod vix commode interpretari quisquam poterit: et infeliciter tentavit Arntzenius; nam *propter quas* non aliorsum quam ad *illis* referri potest. Sic etiam statim ex eiusdem observatis dedimus *postquam — nihil reliquisse.* G.

magis arduum fuit, quod Imperator Nerva, te filio, te fucceffore digniffimus, poftquam magna quaedam edicto Titi adftruxerat, nihil reliquiffe tibi videbatur, qui tam multa excogitafti, ut fi ante te nihil effet inventum. Quae fingula quantum tibi gratiae difpenfata adiecifſent! At tu fimul omnia profudifti; ut fol et dies non parte aliqua, fed ftatim totus, nec uni aut alteri, fed omnibus in commune, profertur.

XXXVI. Quam iuvat cernere aerarium filens et quietum, et quale ante delatores erat! Nunc templum illud, nunc vere aedes, non fpoliarium civium, cruentarumque praedarum faevum receptaculum, ac toto in orbe terrarum adhuc locus unus, in quo, optimo principe, boni malis impares effent. Manet ta- 2

nihil reliquiffe tibi videbatur) Al. *nihil reliquiffe nifi tibi videbatur.* Sed vid. Gesneri epift. ad I. A. Erneftium. *S.*

5 *difpenfata — omnia)* Haec fibi opponuntur. Ergo *difpenfata* funt fingula, quae per partes, fingulatim aguntur. Sequens comparatio rem magis illuftrat. *E.*

Difpenfata, Graecorum τεταμιευμένα. Vid. Wefſeling. ad Diod. Sic. T. 1. p. 257. fq. *S.*

At, — profudifti) * Etiam illud *at*, omiffum a quibusdam, revocavit Schwarzius. *G.*

XXXVI, 1 *vere aedes)* Utrumque iungit, quia *templum* proprie eft illa patens undique columnarum fubftructio; *aedes* autem cavum illud claufum, quod alias *cella* vocatur. * Sequimur Gronovium Obff. 4, 16. p. 255. qui pro vulgato *deus*, (Saturnum item intelligebant,) *aedes* fubftituit. *Deus* tanto minus convenit, quia nihil habet, quod ex adverfo refpondeat. Nihil aliud, nam loci nomina ponere voluit, voluit, Plinius. Et tamen *aedes* Arntzenio difplicet, et, quod hic legit, non probabatur Perizonio. *G.*

fpoliarium) Cum fit locus, ubi gladiatorum veftes et inftrumentum fervaretur in Amphitheatro: apparet ex Sen. epift. 93. extr. etiam *occifos in fpoliario gladiatores*. Et controv. 33. pr. *infantium fpoliarium*, ubi truncarentur, vel debilitarentur. Nec aliter de provid. c. 3. *G.*

Nunc *fpoliarium* fimpliciter eft locus, in quo pecuniae civium, tanquam rapinae et fpolia delatorum, deponuntur. *E.*

ac — locus unus) Aerarium reip. in aede Saturni conftitutum, nunc unus eft locus in orbe terrarum, ubi, optimo licet principe imperante, tamen boni defenfores illius vincuntur a malis et impudentibus hominibus: quia mavult Caefar cauffa cadere aerarium, quam effe, qui de eo vel iniuria queratur. Sic f. 4. *Saepius vincitur fifcus, cuius mala cauffa nunquam eft, nifi fub bono principe. G.*

effent) Scribendum *fint*. Duae ultimae literae vocabuli praegrefſi perperam iteratae. *S.*

2 *Manet tamen)* Qui fub Nerva non manebat. Vox Fron-

rum poſſet, tum maxime cognitum eſt, quum iisdem, quibus antea cautibus innocentiſſimus quisque, tunc nocentiſſimus affigeretur; quumque inſulas omnes, quas modo ſenatorum, iam delatorum turba compleret, quos quidem non in praeſens tantum, ſed in aeternum repreſſiſti, in illa
3 poenarum indagine incluſos. Ereptum alienas pecunias eunt? perdant, quas habent: expellere penatibus geſtiunt? ſuis exturbentur: neque, ut antea, exſanguem illam et ferream frontem necquidquam convulnerandam praebeant punctis, et notas ſuas rideant; ſed exſpectent paria praemio damna, nec maiores ſpes, quam metus habeant,
4 timeantque, quantum timebantur. Ingenti quidem animo divus Titus ſecuritati noſtrae ultionique proſpexerat, ideoque numinibus aequatus eſt: ſed quanto tu quandoque dignior caelo, qui tot res illis adiecisti, propter quas illum deum fecimus! Id hoc

XXXV. 2 *tunc nocentiſſimus)* *MSS. quidam *nunc*, eadem ſententia, ſed hoc ↑ividius. Sic ſtatim *adſigeretur* praeferendum alteri *affligeretur*: et *in illa poenarum indagine*, pro *mille poenarum*: omnia praeſidiis Schwarziaois debentur. *G.*

poenarum indagine) in inſula, quam mare, tanquam indago, cingit, ne ex illa aufugere poſſint. In illa igitur inſula poenas luunt. Quis non videat, hoc ſenſu *poenarum indaginem* durius audaciusque dictam? *E.*

3 *eunt? — geſtiunt?)* Addidi ſigna interrogationis: additurusque erat Erneſtius. Sic et Gierigius. *S.*

exſanguem) Ruboris et pudoris expertem; *ferream*, ſenſus. *G.*

notas ſuas) K literam Kalumniae notam, e lege Remmia, qua de re viri docti ad Cic. pro Roſc. Am. c. 20. ubi illud Papiniani non omittunt, cum hominem *integrae frontis* opponit damnato calumniae l. 13. π. de teſtibus. Omnia dedit, ſed nondum eum vidi, Cel. Brenmannus in diſſ. de Lege Remmia. *G.*

exſpectent) *Sic Schwarzius. Al. *ſpectent*, eadem fere ſententia; ſpectent, conſiderent ante factum. *G.*

4 *divus Titus)* Sueton. c. 8. *Delatores mandatoresque* (delationum) *in foro flagellis ac fuſtibus caeſos, ac noviſſime traductos per Amphitheatri arenam, partim ſubiici in ſervos ac venire imperavit, partim in aſperrimas inſulas avehi.* G.

tot res illis adiecisti) illis rebus, legibus, inſtitutis. *Nempe *illis* ſcribendum, Schwarzio auctore, pro *illi*, quod vix commode interpretari quisquam poterit: et infeliciter tentavit Arntzenius; nam *propter quas* non aliorſum quam ad *illis* referri poteſt. Sic etiam ſtatim ex eiusdem obſervatis dedimus *poſtquam — nihil reliquiſſe.* G.

magis arduum fuit, quod Imperator Nerva, te filio, te successore dignissimus, postquam magna quaedam edicto Titi adstruxerat, nihil reliquisse tibi videbatur, qui tam multa excogitasti, ut si ante te nihil esset inventum. Quae singula quantum tibi gratiae adiecissent! At tu simul omnia profudisti, ut sol et dies, non parte aliqua, sed statim totus, nec uni aut alteri, sed omnibus in commune profertur.

XXXVI. Quam iuvat cernere aerarium silens et quietum, et quale ante delatores erat! Nunc templum illud, nunc vere aedes, non spoliarium civium, cruentarumque praedarum saevum receptaculum, ac toto in orbe terrarum adhuc locus unus, in quo, optimo principe, boni malis impares essent. Manet ta-

nihil reliquisse tibi videbatur) Al. *nihil reliquisse nisi tibi videbatur.* Sed vid. Gesneri epist. ad I. A. Ernestium. *E.*

5 dispensata — omnia) Haec sibi opponuntur. Ergo *dispensata* sunt singula, quae per partes, singulatim aguntur. Sequens comparatio rem magis illustrat. *E.*

Dispensata, Graecorum *[illegible]*. Vid. Wesseling. ad Diod. Sic. T. 1. p. 257. sq. *S.*

At, — profudisti) * Etiam illud *at*, omissum a quibusdam, revocavit Schwarzius. *G.*

XXXVI, 1 *vere aedes)* Utrumque iungit, quia *templum* proprie est illa patens undique columnarum substructio; *aedes* autem avum illud clausum, quod alias *cella* vocatur. * Sequimur Grovium Obss. 4, 16. p. 255. qui ro vulgato *deus*, (Saturnum item intelligebant.) *aedes* substituit. *Deus* tanto minus convenit, quia nihil habet, quod ex adverso respondeat. Nihil aliud, iam loci nomina ponere voluit, Plinius. Et tamen *aedes* Kritzenio displicet, et, quod hic t, non probabatur Perizonio

Spoliarium. Cum sit locus, ubi gladiatorum vestes et instrumentum servarentur in Amphitheatro: [illegible] ex Sen. epist. 93 [illegible] etiam occisos in *spoliario* gladiatores. Ex controv. [illegible] *Spoliarium*, ubi [illegible] [illegible], ut debilitarentur. [illegible] de [illegible] c. 3. *G.*

Nunc *Spoliarium* simpliciter [illegible] locus, in quo pecuniae [illegible] tanquam rapinae et spolia [illegible] norum, deponuntur. *E.* [illegible]

ac — locus unus) [illegible] temp. in aede Saturni [illegible] nunc unus est locus [illegible] rarum, ubi, optimo [illegible] pe imperante, tamen [illegible] lores illius vincuntur [illegible] impudentibus [illegible] mavult Caesar [illegible] rinem, quam esse [illegible] iniuria queratur [illegible] *plus vincitur* [illegible] *la caussa* [illegible] *sub bono* [illegible]

essent) [illegible] ultimae [illegible] perperam [illegible] nomen Ci- [illegible] sacrorum

2 *Ma*[illegible] Nerva [illegible]

men honor legum, nihilque ex publica utilitate
convulsum: nec poena cuiquam remissa, sed ad-
dita est ultio, solumque mutatum, quod iam non
3 delatores, sed leges timentur. At fortasse non
eadem severitate fiscum, qua aerarium, cohibes.
Immo tanto maiore, quanto plus tibi licere de
tuo, quam de publico credis. Dicitur actori,
atque etiam procuratori tuo: *In ius veni; sequere*
4 *ad tribunal.* Nam tribunal quoque excogitatum
principatui est, par ceteris, nisi illud litigatoris
amplitudine metiaris. Sors et urna fisco iudicem
assignat: licet reiicere, licet exclamare: *Hunc
nolo, timidus est, et bona seculi parum intelligit:
illum volo, quia Caesarem fortiter amat.* Eodem
foro utuntur principatus et libertas. Quae prae-
cipua tua gloria est, saepius vincitur fiscus; cu-
ius mala caussa nunquam est, nisi sub bono prin-
5 cipe. Ingens hoc meritum: maius illud, quod
eos procuratores habes, ut plerumque cives tui
non alios iudices malint. Liberum est autem
disceptanti dicere: *Nolo eum eligere.* Neque enim

tonis consulis apud Xiphil. e Dion. L. 68. p. 769. B. *ὡς κακὸν μέν ἐστιν αὐτοκράτορα ἔχειν, ἐφ' οὗ μηδενὶ μηδὲν ἔξεστι ποιεῖν, χεῖρον δὲ, ἐφ' οὗ πᾶσι πάντα.* G.

addita est ultio) In calumniatores ac delatores fisci patronos. G.

3 *actori, atque etiam procuratori)* Vel hinc apparet, maioris dignationis *procuratorem* esse quam *actorem.* Sic et in privatis familiis. Noster ep. 3, 19, 2. in eadem re *procuratorem* unum, plures *actores* commemorat. G.

4 *principatui)* In quo ipse princeps conveniri, et peti ab illo possit. Quod l. 2. de O. I. §. 32. commemoratur, *Praetor, qui inter fiscum et privatos ius diceret,* institutus a Divo Nerva, illud ad Nervam Traianum pertinere suspicatur Schwarzius, id est ad ipsum, in quo versatur hic Plinius, iudicium. *Dedimus coniecturam certissimam Lipsii, pro vulgato, *cruciatu,* quod nihili est, et misere defenditur ab Arntzenio. G.

Quae) Suspicor *quaeque.* Sic et Lipsius. S.

5 *disceptanti)* Quis est ille? arbiterne et iudex, an litigator? De iudice dici hoc verbum, dubium non habet. Ipse noster sic ep. 6, 15, 2. Sed etiam de litigatore Cic. in Verr. 2, 15. *Heraclius cum advocatis adit, et postulat, ut sibi cum Palaestritis — aequo iure disceptare liceat.* Id. pro Corn. Balbo 28. de hoc ipso reo, *Non de aliquo crimine,* inquit, *sed periculo suo de publico iure disceptat.* Hactenus itaque licet etiam sic

ullam neceſſitatem muneribus tuis addis, ut qui ſcias, hanc eſſe beneficiorum principalium ſummam gratiam, ſi illis et non uti licet.

XXXVII. Onera imperii pleraque vectigalia inſtitui, ut pro utilitate communi, ita ſingulorum iniuriis coëgerunt. His Viceſima reperta eſt, tributum tolerabile et facile heredibus dumtaxat extraneis, domeſticis grave. Itaque illis irrogatum eſt, his remiſſum: videlicet, quod manifeſtum erat, quanto cum dolore laturi, ſeu potius non laturi homines eſſent, deſtringi aliquid et abradi bonis, quae ſanguine, gentilitate, ſacrorum

intelligere: Poteſtatem habet litigator dicendi, *nolo eum*, nempe procuratorem Caeſaris, de quo ſermo eſt, *eligere* iudicem cauſſae meae. *Eligendi* verbo in tali re locum eſſe, et Servius docet ad Ecl. 3, 50. *Editicius iudex eſt, quem una pars eligit*: et noſtri avunculus in praefatione, ubi iudicium de ſuis ſcriptis comparat cum lite, ubi dixerat, ſe poſſe cuivis alii dicere, *Quid te iudicem facis? cum hanc operam condicerem, tu non eras in hoc albo*: ſubiungit, *Haec ego mihi patrocinia ademi nuncupatione: quoniam plurimum refert, ſortiatur aliquis iudicem, an eligat.* Et, *ſummum quisque cauſſae ſuae iudicem facit quemcunque, cum eligit.* Neque enim provocare decorum eſt ab eo, quem ipſe elegeris, qui proinde ipſa electione tua ſit ſummus. * Quae verba ſubiiciuntur in omnibus, Harduino teſte, libris, *unde provocatio appellatur*, ea gloſſam puto, ad ea quae parvo intervallo praecedunt adſcripta, *cum Tribunos appellaret*, hoc modo: *Unde provocatio appellatio* ſcil. dicta. *Appellatio* enim recentius. *G.*

ſummam gratiam) Gratia, Venus quaedam, et maxima commendatio accedit beneficio principis, ſi liceat etiam recuſare, et illo non uti. * Servari itaque cupio nomen, quod abeſt in quibusdam libris, et abeſſe poteſt, ut *ſummam* fiat ſubſtantivum: ſed gratiam miram huic loco conciliat. Omiſit etiam Arntzenius cauſſa nulla allegata. *G.*

XXXVII, 1 *Viceſima) Viceſima* pars *hereditatum* ſolvi iuſſa primum ab Auguſto, ita tamen ut proximi quique, et pauperes, immunes eſſent. Omnem huius tributi hiſtoriam, cuius hic magna pars eſt, perſequitur Petr. Burmannus de vectigalibus Pop. Rom. c. 11. Potiora dabit Cel. Schwarzius ad h. l. Locus claſſicus apud Dionem l. 55. p. 565. E. τὴν εἰκοστὴν τῶν κλήρων καὶ τῶν δωρεῶν, ἃς ἂν οἱ τελευτῶντές τισι, πλὴν τῶν πάνυ συγγενῶν καὶ τῶν πενήτων, καταλείπωσι κ. τ. λ. *G.*

His Viceſima etc., h. e. ad haec onera ſuſtinenda. *E.*

2 *ſeu potius non laturi*) * Mallit Schwarzius *ſeu potius quam non laturi*. Sed videtur etiam ἐκ τοῦ κοινοῦ ex *quanto* repeti poſſe. Agnovit hoc ipſe et omiſit. *G.*

gentilitate, ſacror. — ſocietate) Gentiles eiusdem gentis homines, qui proinde idem nomen habent, ut Tullii omnes Cicerones ſunt gentiles. *Sacrorum*

denique ſocietate, meruiſſent, quaeque nunquam
ut aliena et ſperanda, ſed ut ſua ſemperque poſ-
ſeſſa, ac deinceps proximo cuique transmittenda
3 cepiſſent. Haec manſuetudo legis veteribus civi-
bus ſervabatur: novi, ſeu per Latium in civita-
tem, ſeu beneficio principis veniſſent, niſi ſimul
cognationis iura impetraſſent, alieniſſimi habeban-
4 tur, quibus coniunctiſſimi fuerant. Ita maximum
beneficium vertebatur in graviſſimam iniuriam,
civitasque Romana inſtar erat odii, et discordiae,
et orbitatis, quum cariſſima pignora, ſalva ipſo-
5 rum pietate, distraheret. Inveniebantur tamen,
quibus tantus amor nominis noſtri ineſſet, ut Ro-
manam civitatem non Viceſimae modo, verum
etiam affinitatum damno bene compenſari puta-
rent; ſed his maxime debebat gratuita contingere,
6 a quibus tam magno aeſtimabatur. Igitur pater
tuus ſanxit, ut, quod ex matris ad liberos, ex
liberorum bonis perveniſſet ad matrem, etiamſi
cognationum iura non recepiſſent, quum civitatem

ſocietas, quia ſua ſibi ſacra familiae atque gentis propria habebant, quae ed heredes etiam transirent. Vid. de his Guther. de Vet. Iure Pontif. 4, 6. et 7. *G.*

3 *per Latium*) Verbi gratie, qui in civitate Latini iuria magiſtratum geſſiſſent. Appiani locum adſcribamus Civ. 2. p. 443. A. H. Steph. quia de patria Plinii noſtri agit, Πόλιν Νεόκωμον ὁ Καῖσαρ ἐς Λατίου δίκαιον ἐπὶ τῶν Ἄλπεων ᾤκιζε, ὧν ὅσοι κατ' ἔτος ἦρχον, ἐγίγνοντο Ῥωμαίων πολῖται. τόδε γὰρ ἰσχύει τὸ Λάτιον. Reliqua dabunt ICti, v. g. Heinecc. Antiquitt. app. 1, 7. ſqq. Add. 39, 2. *G.*

alieniſſimi habebantur) Quantum ad Viceſimae tributum tractabantur ut alieniſſimi, licet defunctis proximo gradu eſſent coniuncti. *G.*

4 *Ita maximum* etc.) Vid. I. A. Erneſtius ed h. l. *S.*

5 *affinitatum damno*) Cum ille, qui ex peregrino civis Rom. factus eſſet, propter ius connubiorum non poſſet uxorem peregrinem hebere. Ulpianus fragm. 5, 4. *Connubium habent cives Rom. cum civibus Rom. cum Latinis autem et peregrinis ita, SI CONCESSVM SIT.* Sen. de Benef. 4, 35. *Promiſi tibi filiam in matrimonium: poſtea peregrinus apparuiſti: non eſt mihi cum externo connubium.* Vid. Spanh. Orb. Rom. Exerc. 2, 22. et inde Heinecc. Antt. app. 1, 33. ſqq. *G.*

6 *etiamſi cognationum iura*) Hinc intelligitur, quid ſibi velit Ulpianus loco modo laudato, verbis, *ſi conceſſum ſit.* Nempe cum civitate non ſemper dabatur ius cognationum; dabatur tamen, vid. 37, 2. *G.*

adipiscerentur, eius Vicesimam ne darent. Eandem immunitatem in paternis bonis filio tribuit, si modo reductus esset in patris potestatem: ratus, improbe et insolenter ac paene impie his nominibus inseri publicanum, nec sine piaculo quodam sanctissimas necessitudines velut intercedente Vicesima scindi; nullum esse tanti vectigal, quod liberos ac parentes faceret extraneos. 7

XXXVIII. Hactenus ille: parcius fortasse, quam decuit optimum principem, sed non parcius, quam optimum patrem, qui Optimum adoptaturus, hoc quoque parentis indulgentissimi fecit, quod delibasse quaedam, seu potius demonstrasse contentus, largam ac prope intactam benefaciendi materiam filio reservavit. Statim ergo 2
muneri eius liberalitas tua adstruxit, ut, quemadmodum in patris filius, sic in hereditate filii pater esset immunis, nec eodem momento, quo pater esse desisset, hoc quoque amitteret, quod fuisset.
Egregie, Caesar, quod lacrymas parentum vecti- 3

7 *reductus esset)* Ut *recipi, redigi, referri*, sic *reduci* etiam potest aliquis *in fidem*, *in ditionem*, *in numeros*, *in potestatem*, licet nunquam ibi fuerit. Iam ius patriae potestatis est pars iuris Quiritium, quod non continuo habet aliquis, etsi civitatem consecutus sit etc. Igitur si filium immunitate Vicesimae frui velit, curandum est, ut is lege, vel beneficio principis in potestatem suam, non quae iuris gentium est aut naturalis adeo, sed Romanam, *reducatur*, i. e. redigatur. Conf. 38, 7. ubi συνωνύμως: *Si modo filius in potestate patris fuisset.* *Redactus*, quod coniiciunt quidam viri docti, eandem vim habet; sed non est necessarium. *G.*

paene impie) Quia videtur violari necessitudo, quae est inter patrem et filium, si rationibus illorum intersit publicanus, si interroget, Quantum accepisti a patre? Sunt hic quaedam ῥητορικώτερον dicta quam verius: nihil aliud vult, quam indignum esse, si circa liberorum et parentum hereditates lex civilis plus valeat, quam illa naturae coniunctio. *G.*

Publicani vicesimam redimebant, inde *Vicesimarii* dicti. *E.*

XXXVIII, 1 *materiam — reservavit)* Ne plorare cogeretur cum Alexandro puero, sibi a patre nihil, quod agat, relinqui. *G.*

2 *amitteret, quod fuisset)* Ludit Plinius verbis et sententiis. Nempe cum pater vicesimam haereditatis solvere cogitur, habetur instar extranei, et tanquam nunquam pater fuisset. Sic bene Gierigius. *E.*

3 *lacrymas — vectigales)* Tolle figuram, et dicet, Praeter luctum etiam damnum percipere

gales esse non pateris. Bona filii pater sine de-
minutione possideat, nec socium hereditatis acci-
piat, qui non habet luctus: nemo recentem et
attonitam orbitatem ad computationem vocet, co-
4 gatque patrem, quid reliquerit filius, scire. Augeo
P. C. principis munus, quum ostendo, liberalitati
eius inesse rationem. Ambitio enim et iactantia,
et effusio, et quidvis potius, quam liberalitas ex-
5 istimanda est, cui ratio non constat. Dignum er-
go, Imperator, mansuetudine tua, minuere orbi-
tatis iniurias, nec pati quemquam, filio amisso, in-
super affici alio dolore. Sic quoque abunde mi-
sera res est, pater filio solus heres: quid si cohe-
6 redem non a filio accipiat? Adde, quod, quum
divus Nerva sanxisset, ut in paternis bonis liberi
necessitate Vicesimae solverentur, congruens erat,
eandem immunitatem parentes in liberorum bonis
7 obtinere. Cur enim posteris amplior honor, quam
maioribus haberetur? curve non retro quoque
recurreret aequitas eadem? Tu quidem, Caesar,
illam exceptionem removisti, *si modo filius in
potestate patris fuisset:* intuitus, opinor, vim le-
gemque naturae, quae semper in ditione parentum
esse liberos iussit, nec, uti inter pecudes, sic in-

parentes non pateris. Sed illud indignitatem magis movet. Habet hoc Latinus sermo, quod hic praesertim apparet, ut ponendis *abstractis* vel *adiunctis* loco eorum, quae *concreta* vocantur, ea parte res obvertat animo, qua maxime ad eum commovendum valent. Huc pertinent *lacrymae vectigales, orbitas attonita, scire quid reliquerit filius.* G.

qui non habet luctus) Gierigius ex probabili virorum doctorum coniectura *quem n. h. l.* Probavit item I. A. Ernestius. S.

4 *cui ratio non constat)* cuius liberalitas non ex honestis iustisque caussis proficiscitur. Huic et *inest ratio*, cum sit consilio, et honesta ex caussa, cui temeritas opponitur, ut in ambitiosis, prodigis, iactatoribus. E.

5 *coheredem non a filio)* scil. adscriptum, sed iniquitate legis additum, publicanum, qui vicesimam exigat, et in societatem hereditatis veniat. E.

7 *retro — recurreret)* Inepta variatio sententiae praecedentis! Praeter aliquem lusum verborum, et acumen variandi, nihil erat, quod vim aut virtutem adderet sententiae. E.

Non est variatio sententiae prioris, nedum inepta variatio. Quid enim? num aequitas idem quod honor? S.

ter homines poteſtatem et imperium valentioribus dedit.

XXXIX. Nec vero contentus primum cognationis gradum abſtuliſſe Viceſimae, ſecundum quoque exemit, cavitque, ut in ſororis bonis frater, et contra, in fratris ſoror, utque avus, avia, in neptis nepotisque, et invicem illi, ſervarentur immunes. His quoque, quibus per Latium 2
civitas Romana patuiſſet, idem indulſit, omnibusque inter ſe cognationum iura commiſit, ſimul et pariter, et more naturae; quae priores principes a ſingulis rogari geſtiebant, non tam praeſtandi animo, quam negandi. Ex quo intelligi 3
poteſt, quantae benignitatis, quanti ſpiritus fuerit, ſparſas, atque, ut ita dicam, laceras gentilitates colligere atque connectere, et quaſi renaſci iubere; deferre, quod negabatur, atque id praeſtare cunctis, quod ſaepe ſinguli non impetraſſent; poſtremo, ipſum ſibi eripere tot beneficiorum occaſiones, tam numeroſam obligandi imputandique materiam. Indignum credo ei viſum, ab 4
homine peti, quod dii dediſſent. Sorores eſtis et frater, avus et nepotes; quid eſt ergo, cur

XXXIX, 1 *ſecundum — exemit)* eos quoque, qui ſecundo gradu cognati eſſent, viceſima ſolvenda liberavit. Eodem ſenſu *primum gradum abſtulit viceſimae. E.*

2 *per Latium)* Vid. 37, 3. *G.*

3 *quanti ſpiritus)* quantae animi magnitudinis, quae, poſthabita utilitatis ratione, ſolam honeſtatem et iuſtitiam ſequi poſſet. Quod *ſpiritum* addidit Plinius, egregie cavit, ne Traianus ex quadam imbecillitate animi, ut ſaepe fit, benignus videretur. *E.*

4 *Sorores eſtis et frater)* Plures ſorores unius fratris, plures unius avi nepotes. *Itaque non puto opus, ut receptam lectionem mutemus altera quorundam librorum, *fratres, avi. G.*

Nonno autem ſaepe una ſoror plures fratres habere ſolet? Ergo illa Gesneri explicatio non firma eſt. Quamobrem ex Livineii coniectura Gierigius edidit: *Soror eſtis et frater, avus et nepos.* Quae ſequuntur, *vobis eſtis*, hoc ſenſu dicit: vos cognati natura, non opus habetis rogare, ut veſtram cognationem imperator confirmet; veſtro quodam iure, quod natura dedit, cognati, ſorores et fratres, eſtis. Non itaque hic locus coniecturis ſollicitari debebat, ut cum Gierigius edidit: *Quid eſt ergo? cur rogetis, ut ſitis? Princeps vobis eſt is, qui pro cetera* etc. Hoc eſt, mea

rogetis, ut fitis? vobis eftis. Quid? pro cetera fua moderatione non minus invidiofum putat dare
5 hereditatem, quam auferre. Laeti ergo adite honores, capeffite civitatem, neminem hoc neceffitudinis abruptum, velut truncum, amputatumque deftituet: iisdem omnes quibus ante pignoribus,
6 fed honeftiores perfruentur. Ac ne remotus quidem, iamque deficientis affinitatis gradus, a qualibet quantitate Vicefimam inferre cogetur. Statuit enim communis omnium parens fummam, quae publicanum pati poffit.

XL. Carebit onere Vicefimae parva et exilis hereditas: et fi ita gratus heres volet, tota fepulcro, tota funeri ferviet. Nemo obfervator, nemo caftigator adfiftet. Cuicunque modica pecunia ex hereditate alicuius obvenerit, fecurus
2 habeat quietusque poffideat. Ea lex Vicefimae

fententia, ingenium Plinianum, abruptas acutasque fententias fectans, in ordinem cogere. *E.*

Quid? pro cetera) *Sic pulchre liber Schwarzii. Al. *Qui.* *G.*

5 *hoc neceffitudinis abrupt.*) Id eft, abrupta ac fublata per leges neceffitudo. *G.*

Melius, puto, Gierigius locum ita explicuit: *hoc*, quod *neceffitudinis* eft, hoc officium capeffendi remp. *neminem deftituet*, non privabit quenquam cognatis, ut v. c. pater privatus filiis, fimilis fit *trunco abrupto et amputato*, arbori, cuius rami circumcirca recifi funt. — Mox *honeftiores* funt honoratiores, civitatis honore aucti. *E.*

Hoc neceffitudinis, i. q. *haec neceffitudo*. Vid. Schwarz. pag. 495. *S.*

6 *Ac ne remotus*) Hinc novum caput incipiendum erat. Certe cavendum, ne per occafionem huius divifionis divellamus, quae funt coniunctiffima. *G.*

Sic diftincturus erat Erneftius. „Non dubitavi, inquit, ab his verbis, quae vulgari divifione ad Cap. 39. referebantur, novum caput incipere, quod ut fieret, iam Gesnerus monuerat, et optaverat." *S.*

affinitatis) Nedum confanguinitatis; argumentatur enim a minori ad maius. *G.*

inferre) fcil. in aerarium, h. e. folvere. Mox *pati publicanum* concifius dictum pro vulgari, pati exactiones vicefimae per publicanum. *E.*

XL, 1 *caftigator*) Ex illa prima notione verbi, qua *caftigare* eft arctius conftringere, coërcere etc. Si enim de hereditate exigua, quae vix monumento fufficit, Vicefima quoque fit folvenda, coërcendi erunt et vicefima parte minuendi fumtus monumenti. *G.*

Cuicunque modica) *Pulchre codicis fui auctoritate firmat hanc lectionem Schwarzius. Vulgaris lectio, *Cuiuscunque modi ea.* vix eft ut fententiam commodam pariat. *G.*

dicta eſt, ut ad periculum eius perveniri, niſi
opibus, non poſſit. Converſa eſt iniquitas in
gratulationem; iniuria in votum: optat heres, ut
Viceſimam debeat. Additum eſt, ut, qui eius- 3
modi ex cauſſis in diem edicti Viceſimam debe-
rent, nondum tamen intuliſſent, non inferrent.
At in praeteritum ſubvenire ne dii quidem poſ-
ſunt: tu tamen ſubveniſti, caviſtique, ut deſine-
ret quisque debere, quod non eſſet poſtea debi-
turus. Idem effeciſti, ne malos principes habuiſſe- 4
mus; quo ingenio, ſi natura pateretur, quam li-
benter tot ſpoliatis, tot trucidatis ſanguinem et
bona refudiſſes! Vetuiſti exigi, quod deberi 5
non tuo ſeculo coeperat. Alius ut contumacibus
iraſceretur, tarditatemque ſolvendi dupli vel et
quadrupli irrogatione mulctaret: tu nihil referre
iniquitatis exiſtimas, exigas, quod deberi non
oportuerit, an conſtituas, ut debeatur?

XLI. Feres, Caeſar, curam et ſolicitudinem conſularem. Nam mihi cogitanti, eundem te

2 *ut ad periculum — poſſit*) h. e. ut nemo periculo viceſimae ſolvendae obnoxius ſit, niſi qui ex opulenta hereditate dives fiat. *E.*

3 *in praeteritum ſubvenire*) Factum infectum reddere. Licet Romanis hominibus blandiri homini vivo vel mortuo cum iniuria Deorum. Cicero Sullam cum Iove comparat, ut hunc ignorantiae et impotentiae circa opus ſuum accuſet, pro Roſcio Amer. c. 45. In luctu Germanici *lapidata Deorum templa, ſubverſae Deum arae, Lares a quibusdam familiares in publicum abiecti.* Sueton. Calig. 5. vid. deinde ad 80, 6. Sed neceſſe eſt frigidum fieri, quidquid vero nimis adverſum. Quomodo enim *in praeteritum* hic *ſubvenit* Traianus, ut non unusquisque noſtrum, remittendo debito magno parvo, eadem ratione ſubvenire poſſit, nedum ut Deus? Itaque pro meo in Plinium amore auro redemerim, haec ab illo non eſſe ſcripta: multo ſanius infra 80, 2. *infectum reddere, quidquid fieri non oportuerit.* cf. 94, 2. vid. Heraldus ad Arnobium p. 179. ſq. *G.*

4 *ne malos principes habuiſſemus*) Hoc eſt, ne ex illorum dura lege ad tardos in ſolvendo, quod exegerant, aliquid damni perveniret. Suspenſus atque impeditus effectus illorum malitiae etc. Hic etiam verba ſplendidiora quam ſenſus. *G.*

5 *nihil referre iniquitatis*) perinde iniquum eſſe. Ad *iniquitatis* ſubaudi *nomine.* Minus commode hunc locum explicat Perizonius ad Sanct. Minerv. 3, 5, 3. caſtigatus ideo a Bauero p. 581. *S.*

collationes remisisse, donativum reddidisse, con-
giarium obtulisse, delatores abegisse, vectigalia
temperasse, interrogandus videris, satisne compu-
taveris imperii reditus, an tantas vires habeat
frugalitas principis, ut tot impendiis, tot eroga-
2 tionibus sola sufficiat. Nam quid est caussae, cur
aliis quidem, quum omnia raperent, et rapta re-
tinerent, ut si nihil rapuissent, nihil detinuissent,
defuerint omnia? tibi, quum tam multa largiaris, et
3 nihil auferas, omnia supersint? Nunquam prin-
cipibus defuerunt, qui fronte gravi et tristi super-
cilio utilitatibus fisci contumaciter adessent; et
erant principes ipsi sua sponte avidi et rapaces,
et qui magistris non egerent: plura tamen sem-
per a nobis contra nos didicerunt. Sed ad tuas
aures cum ceteris omnibus, tum vel maxime ava-
4 ris adulationibus obstructus est aditus. Silent er-
go et quiescunt, et postquam non est, cui sua-
deatur, qui suadeant, non sunt. Quo evenit, ut

XLI, 1 *collationes)* Praesertim *auri coronarii*, quod ex honore provinciarum voluntario paullatim in tributum abiit. De hoc Lips. de magnit. Rom. 2, 9. Et sunt tituli *de Auro Coronario* in utroque Codice. Imitatus est Traianum Adrianus ap. Spartian. 6. *Aurum coronarium Italiae remisit, in provinciis minuit.* G.

2 *Nam)* Unde pendeat, docet I. A. Ernestius. *S.*

nihil detinuissent) * Constitui lectionem ex sententia Cl. Schwarzii: nisi quod *detinuissent* praetuli alteri *retinuissent*, in paribus fere auctoritatibus: cum in *detinuissent* simul iniuriae quaedam nota impressa sit, qua in priore parte periodi opus non erat, cum adiectum esset *rapta.* G.

Mihi tamen verius videtur *retinuissent*, quia praecellit *retinerent.* Est haec concinnitas Plinii, quam ubique sequitur. — Mox post verba *omnia supersint* Gierigius ex MS. Paris. Venet. Schwarz. et edit. Cuspin. in textum revocavit hoc supplementum: *ut si nihil largiaris et auferas omnia.* Sane hoc additamentum ceteris affectatae concinnitatis notis, quas totum caput habet, bene respondet. *E.*

Placet *retinuissent.* Nec minus probo supplementum illud a Gierigio in ordinem receptum, sic tamen ut verba hoc modo ordinanda putem: *tibi, quum tam multa largiaris, et nihil auferas, ut si nihil largiaris, et auferas omnia, omnia supersint?* Iam apparet, qui factum sit, ut illa verba in aliis libris exciderent. Adde quod ipsa concinnitas videtur hunc ordinem commendare. *S.*

3 *a nobis — didicerunt)* nostris adulationibus ad avaritiam corrupti sunt. Hinc illas mox *avaras* dicit, h. e. quae avaros reddunt eos, quibus adulamur. *E.*

tibi cum plurimum pro tuis, plus tamen pro nostris moribus debeamus.

XLII. Locupletabant et fiscum et aerarium non tam Voconiae et Iuliae leges, quam maiestatis singulare et unicum crimen eorum, qui crimine vacarent. Huius tu metum penitus sustulisti, contentus magnitudine, qua nulli magis caruerunt, quam qui sibi maiestatem vindicabant. Reddita est amicis fides, liberis pietas, obsequium 2
servis: verentur, et parent, et dominos habent. Non enim iam servi nostri principis amici, sed 3
nos sumus: nec pater patriae alienis se mancipiis cariorem, quam civibus suis credit. Omnes accusatore domestico liberasti, unoque salutis publicae signo illud, ut sic dixerim, servile bellum

4 *pro nostris moribus)* tibi debemus hos nostros mores: nam tu tuis moribus nostros correxisti et finxisti. Cf. Cap. 44. et 45. *E.*

XLII, 1 *Voconiae)* *C. Voconius sanxit, ne quis heredem virginem neve mulierem faceret*, Cic. Verr. I, 42. Sed universam huius legis rationem declaravit Perizonius secunda dissertationum, in Triade ab ipso, tum etiam ab Ill. Heineccio edita. *G.*

Iuliae) Praesertim intelligi eam, quam augendae Papiae Poppaeae tulit Augustus, *de maritandis ordinibus*, ex verbis Tac. A. 3, 25. observat Lipsius, *Relatum deinde de moderanda Papia Poppaea, quam senior Augustus post Iulias rogationes incitandis coelibum poenis, et augendo aerario, sanxerat.* Quantum de hac iuris veteris particula meritus nuper sit Ill. Heineccius, nemo ignorat. *G.*

Gierigius tamen mavult intelligi Vicesimariam, s. de vicesima hereditatum, quam Nerva et Traianus temperarunt. *E.*

maiestatis) Vid. ad 11, 1. Plena apud Suetonium et Tacitum omnia. *G.*

magnitudine — maiestatem) Respicit, opinor, ad etymon *maiestatis*, quae *maius* quiddam communi, quae in homines cadit, magnitudine notare videtur. *G.*

2 *Reddita — amicis fides)* Ante enim solicitabantur amici, liberi, servi, praemiis, quae delatoribus indicibusque proposita essent, ut prodere vellent liberam vocem amici, patris, domini etc. *G.*

3 *servi nostri)* * Levissima transpositione ex suo aliisque libris prolata verum et suum huic loco sensum reddidit Schwarzius. Al. *servi principis nostri amici.* *G.*

unoque — signo) una lege reipublicae salutari, qua Traianus insolentiores servorum accusationes coerceret. Difficilius autem dictu est, quare illam legem *signum* dicat. Quae interpretes de signis s. vexillis ad h. l. adferunt, non satis apta videntur. *Signa tollere* obvium et notum est: sed quid est *signo bellum tollere?* Num forte cogitabimus

ſuſtuliſti, in quo non minus ſervis, quam dominis praeſtitiſti. Hos enim ſecuros, illos bonos
4 feciſti. Non vis interea laudari; nec fortaſſe laudanda ſint: grata ſunt tamen recordantibus principem illum in capita dominorum ſervos ſubornantem, monſtrantemque crimina, quae tanquam delata puniret: magnum et inevitabile, ac toties cuique experiendum malum, quoties quisque ſimiles principi ſervos haberet.

XLIII. In eodem genere ponendum eſt, quod teſtamenta noſtra ſecura ſunt: nec unus omnium, nunc quia ſcriptus, nunc quia non ſcriptus, heres es. Non tu falſis, non tu iniquis tabulis advocaris. Nullius ad te iracundia, nullius impietas, nullius furor confugit: nec quia offendit alius, nuncuparis,
2 ſed quia ipſe meruiſti. Scriberis ab amicis, ab ignotis praeteriris: nihilque inter privatum et principem intereſt, niſi quod nunc a pluribus

de *ſigno* ſ. *ſigillo*, quo aliquid, cui imprimitur, confirmatur. Ita bono ſenſu Plinius illam legem diceret *ſignum ſalutis public.* quia illa lege ſalutem publicam Traianus confirmaverit et ſanciverit. At metaphoram male continuavit, qui mox illo tali ſigno *ſervile bellum* ſublatum dicit. Sit ita: non ſatis apte dixerit Plinius. Ipſum illud quod addit *(ut ſic dixerim)* ſuſpectum alicuius negligentiae reddit. Nam et in *ſervili bello* ad vetera et vera bella ſervilia alluſio eſt non ſatis apta huic loco, in quo non niſi de licentia ſervorum in dominos accuſatoria ſermo eſt. *E.*

4 *nec fortaſſe laudanda ſint)* Quam enim laudem meretur, qui latro non eſt, tyrannus, inſidiator, crudelis, non eſt? *G.*

XLIII, 1 *nunc quia ſcriptus)* Amabat Auguſtus in teſtamentis amicorum honorem ſibi haberi; ſed honeſte et liberaliter. vid. Sueton. 66. Alii principes ad avaritiam et crudelitatem teſtamentorum obtentu abuſi, qui reſcinderent ultimas voluntates, in quibus ipſi ſcripti non eſſent, eoque terrore permoverent alios, ut contra animi ſui ſententiam, quo partem certe bonorum ſuis ſervarent, principem adſcriberent. vid. Sueton. Calig. 38. (quo nuper uſi ſumus ad Quintil. 6, 3, 92.) Neron. 32. Domit. 12. Notabile praeſertim Taciti epiphonema Agric. 43. *a bono patre non ſcribi heredem niſi malum principem.* *G.*

non tu — advocaris) tu non adſcriberis iniquis teſtamentis ideo, ut illorum fidem tuo nomine facias. Hanc ſententiam mox variat, *Nullius ad te — confugit* etc. *E.*

iracundia) Ut Iudaei olim ad *Korban*, ut Chriſtiani proh pudor! ad *pias cauſſas* ſaepe confugiunt, ne habeat a ſe poſſeſſa heres naturalis, cui iniquiſſima de cauſſa irati ſunt. *G.*

amaris: nam et plures amas. Tene, Caefar, hunc 3
curfum, et probabitur experimento, fitne feracius
et uberius, non ad laudem modo, fed ad pecu-
niam, principi, fi herede illo mori homines ve-
lint, quam fi cogantur. Donavit pater tuus mul- 4
ta, et ipfe donafti. Cefferit parum gratus: ma-
nent tamen ii, qui bonis eius fruantur, nihilque
ex illis ad te nifi gloria redit. Nam liberalitatem
iucundiorem debitor gratus, clariorem ingratus
facit. Sed quis ante te laudem iftam pecuniae 5
praetulit? quotusquisque principum ne id qui-
dem in patrimoniis noftris fuum duxit, quod effet
de fuo? Nonne ut regum, ita Caefarum munera
illitos cibis hamos, opertos praeda laqueos, aemu-
labantur? quum privatis facultatibus velut hau-
fta et implicata, retro fecum, quidquid attigerant,
referrent.

XLIV. Quam utile eft, ad ufum fecundo-
rum per adverfa veniffe! Vixifti nobiscum, peri-
clitatus es, timuifti, quae tunc erat innocentium
vita. Scis et expertus es, quantopere deteftentur
malos principes etiam, qui malos faciunt. Me-
minifti, quae optare nobiscum, quae fis queri
folitus. Nam privato iudicio principem geris, 2

4 *et ipfe donafti)* I. A. Ernellius, voce repetita: *multa et ipfe donafti.* S.

Cefferit parum gratus) Ille enim obtentus refcindendorum teftamentorum. Vid. quos laudamus ad f. 1. G.

clariorem ingratus) Multa Seneca in fine librorum de beneficiis. Ultimum illud, *Non eft magni animi dare et perdere: hoc eft magni animi, perdere et dare.* G.

5 *munera — hamos)* Vid. Epift. 9, 30, 2. G.

I. A. Ernellius: *inditos cibis hamos.* S.

velut haufta et implicata) Duo participia refpondent nominibus praecedentibus. *Munera* comparata funt *hamis*, itaque *velut hauriuntur* i. e. devorantur; *laqueis*, itaque *implicantur, privatis facultatibus.* 'Primo illud *haufta* in *aucta* corruptum fuit, quod traxit deinde alterum *implicata*, ut *multiplicata* effingerent inde homines. Hic velut fons multiplicis circa hunc locum varietatis, prout alterutrum vel utrumque ex hoc gemino pari verborum adfumtum eft. G.

XLIV, 2 *privato)* Defendit I. A. Erneftius. Malim tamen *privati.* Solius Traiani privati iudicium refpici videtur: nam fequitur, *quam tibi alium precabare.* S.

meliorem immo te praeſtas, quam tibi alium pre-
cabare. Itaque ſic imbuti ſumus, ut, quibus erat
ſumma votorum melior peſſimo princeps, iam
3 non poſſimus niſi optimum ferre. Nemo eſt er-
go tam tui, tam ignarus ſui, ut locum iſtum poſt
te concupiſcat. Facilius eſt, ut eſſe aliquis ſuc-
4 ceſſor tuus poſſit, quam ut velit. Quis enim cu-
rae tuae molem ſponte ſubeat? quis comparari
tibi non reformidet? Expertus et ipſe es, quam
ſit onerosum ſuccedere bono principi, et affere-
5 bas excuſationem adoptanti. An prona parvaque
ſunt ad aemulandum, quod nemo incolumitatem
turpitudine rependit? Salva eſt omnibus vita, et
dignitas vitae: nec iam conſideratus ac ſapiens,
6 qui aetatem in tenebris agit. Eadem quippe ſub
principe virtutibus praemia, quae in libertate:
nec bene facto tantum ex conſcientia merces.
Amas conſtantiam civium, rectosque ac vividos
animos non, ut alii, contundis ac deprimis, ſed
7 foves et attollis. Prodeſt bonos eſſe, quum ſit
ſatis abundeque, ſi non nocet: his honores, his
ſacerdotia, his provincias offers: hi amicitia tua,
hi iudicio florent. Acuuntur iſto integritatis et

4 *adoptanti)* Nervae adoptanti te hanc excuſationem afferebas, nimis difficile eſſe tam bono principi, quam eſſet Nerva, ſuccedere. * *Adoptanti* diſerte prae ſe ferunt Codices MSS. plures. Malit etiam *eam* ex coniectura inſerere Schwarzius h. m. *et eam afferebas excuſationem adoptanti*: quod ad lucem ſententiae facit ſine dubio. Vulgo legitur. *et afferebas excuſationem adoptati.* Sed quae ſit adoptati excuſatio, non intelligo: poteſt enim deprecari. Niſi forte quod melior illius cauſſa eſt, quam ſi quia ſponte, vel vi adeo, ſe ingeſſit. Arntzenius *adoptati* explicat *propter adoptionem*, deficiente parte ſuscipere coactus es onus imperii. Sed non intelligitur tamen, quid hoc faciat ad anteceſſorem bonum? Itaque *adoptanti* magis ſemper placet. *G.*

5 *incolumitatem rependit)* Turpe aliquid committere, v. c. uxore cedere, adulari, delator eſſe, cogitur, ne ſalutem et incolumitatem imperator eripiat. *G.*

6 *rectosque)* Waſſii *erectos* probat I. A. Erneſtius. *S.*

7 *Acuuntur iſto)* * Quantivis pretii emendatio, ingenio Lipſiano debita, quam recipi dignam iudicavit etiam Schwarzius. Editum adhuc: *Acuuntur iſti integritatis et induſtriae pretio: ſimiles et diſſimiles alliciuntur.* Eadem probavit Perizonius. Mavult tamen Arntzenius *βαλανηφαγεῖν.* *G.*

industriae pretio similes, dissimiles alliciuntur:
nam praemia bonorum malorumque bonos ac ma-
los faciunt. Pauci adeo ingenio valent, ut non 8
turpe honestumque, prout bene ac secus cessit,
expetant fugiantve; ceteri, ubi laboris inertiae,
vigilantiae somno, frugalitatis luxuriae merces da-
tur, eadem ista, quibus alios artibus assequutos
vident, consectantur: qualesque sunt illi, tales
esse et videri volunt; et dum volunt, fiunt.

XLV. Et priores quidem principes, exce-
pto patre tuo, praeterea uno aut altero, (et nimis
dixi,) vitiis potius civium, quam virtutibus laeta-
bantur: primum, quod in alio sua quemque na-
tura delectat; deinde, quod patientiores servitu-
tis arbitrabantur, quos non deceret esse nisi ser-
vos. Horum in sinum omnia congerebant: bonos 2
autem otio aut situ abstrusos, et quasi sepultos,
non nisi delationibus et periculis in lucem ac
diem proferebant. Tu amicos ex optimis legis, 3
et hercule aequum est, esse eos carissimos bono
principi, qui invisi malo fuerint. Scis, ut sunt
diversa natura dominatio et principatus, ita non
aliis esse principem gratiorem, quam qui maxime
dominum graventur. Hos ergo provehis, et osten- 4
tas quasi specimen et exemplar, quae tibi secta

8 *adeo ingenio valent)* eas mentis vires habent. Nove dictum I. A. Ernestio videtur. Non puto. *S.*

bene ac secus) Bentleius ad Horat. Serm. 2, 1, 31. *b. aut s.* legi vult. *G.*

Vid. I. A. Ernestius, cui *cesserit* corrigenti non assentior. Saepissime autem particulae *ac* et *aut* confusae. Vid. Drakenb. ad Liv. 21, 53, 5. *S.*

dum volunt, fiunt) Nimirum verum est, quod dicebat apud Xenoph. Memor. 1, 7. Socrates, Οὐκ ἔτι καλλίων ὁδὸς ἐπ' εὐδοξίαν, ἢ δι' ἧς ἄν τις ἀγαθὸς τοῦτο γένοιτο, ὃ καὶ δοκεῖν βούλοιτο. Deinde illud, quod eidem tribuit Cic. de Orat. 1, 47. *Quibus persuasum esset, ut nihil se malint esse, quam bonos viros, iis facilem reliquam esse doctrinam.* Hic est naturalis quoque precum circa virtutem parandam effectus, quem si quis alius, praeclare intellexisse videtur ille noster Arndius. *G.*

XLV, 1 *deceret esse — servos)* Hi sunt illi *servi natura*, qui poenis et metu reguntur etc. *G.*

2 *aut situ)* Malim *ac situ.* Vid. I. A. Ernestius. *S.*

vitae, quod hominum genus placeat: et ideo non censuram adhuc, non praefecturam morum recepisti, quia tibi beneficiis potius, quam remediis ingenia nostra experiri placet. Et alioquin nescio, an plus moribus conferat princeps, qui bonos
5 esse patitur, quam qui cogit. Flexibiles quamcunque in partem ducimur a principe, atque, ut ita dicam, sequaces sumus. Huic enim cari, huic probati esse cupimus; quod frustra speraverint dissimiles: eoque obsequii continuatione pervenimus, ut prope omnes homines unius moribus vivamus. Porro, non tam sinistre constitutum est, ut, qui malum principem possumus, bonum
6 non possimus imitari. Perge modo, Caesar, et vim effectumque censurae, tuum propositum, tui actūs obtinebunt. Nam vita principis censura est, eaque perpetua: ad hanc dirigimur, ad hanc con-

4 *non praefecturam morum*) a Censura, cuius haec alioqui periphrasis est, diversam, qualis Pompeio primum delata videtur viris doctis, cum Tac. Ann. 3, 28. *corrigendis moribus delectus* dicatur. Deinde Iulius Caesar apud Sueton. 76. inter *reliquos honores nimios, ut continuum consulatum, perpetuam dictaturam*, etiam *praefecturam morum recepit*. Eodem teste c. 28. Augustus *morum legumque regimen perpetuum recepit, sine censurae honore*. De hac pariter et censura proprie dicta Imperatorum vid. Ez. Spanh. 10, 10. p. 472. sqq. *G*.

quam qui cogit) Cum enim omne virtutis decus et nobilitas in eo insit, quod libera est, quod cogi non potest: illud ei adimunt principes, et quasi castrant, qui perficere imperio volunt, ut homines boni sint. Simulationem forte effecerint ea via, virtuti plus fere nocent. *G*.

5 *dissimiles*) Cives intellige, *dissimiles* principi, sive bono sive malo, frustra speraverint ei probari. Simile enim simili gaudet. *G*.

Simplicius tamen fuerit *dissimiles* Traiano intelligere, hoc sensu; *quod*, quem Traiani amorem, *frustra speraverint* cives ei dissimiles. *E*.

Sic et Gierigius. Bene, si Plinius de uno Traiano loquitur. Sed mihi sententia videtur generalis: probo igitur rationem Gesneri. *S*.

omnes homines) Gravat orationem additum *homines*. Qui reputaverit, quot locis *omnes* et *homines* librariorum negligentia confusa sint, (vid. Drakenb. ad Liv. 3. 54. 6. Schwarz. Suppl. ad Plin. Paneg. p. 601. b.) ei non improbabile videbitur, *ἀντογραφίαν* hic textum occupasse. *S*.

6 *vita principis*) Huc, ut soles, respexisse videtur Claudian. 4. COS. Honor. 290. *Componitur orbis Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus Humanos edicta valent, ut vita regentis*. *G*.

vertimur: nec tam imperio nobis opus est, quam exemplo. Quippe infidelis recti magister est metus. Melius homines exemplis docentur, quae in primis hoc in se boni habent, quod approbant, quae praecipiunt, fieri posse.

XLVI. Et quis terror valuisset efficere, quod reverentia tui effecit? Obtinuit aliquis, ut spectaculum pantomimorum populus Romanus tolli pateretur; sed non obtinuit, ut vellet. Rogatus 2
es tu, quod cogebat alius, coepitque esse beneficium, quod necessitas fuerat. Neque enim a te minore concentu, ut tolleres pantomimos, quam a patre tuo, ut restitueret, exactum est. Utrum- 3
que recte: nam et restitui oportebat, quos sustulerat malus princeps; et tolli restitutos. In his enim, quae a malis bene fiunt, hic tenendus modus, ut appareat, auctorem displicuisse, non factum. Idem ergo populus ille aliquando sceni- 4
ci imperatoris spectator et applausor, nunc in pantomimis quoque aversatur et damnat effeminatas artes, et indecora seculo studia. Ex quo 5
manifestum est, principum disciplinam capere etiam vulgus: quum rem, si ab uno fiat, severissimam, fecerint omnes. Macte hac gravitatis gloria, Caesar, qua consequutus es, ut, quod antea vis et

quae praecipiunt) * Elegans est coniectura, et Heumanno digna, cum monuit Cl. Schwarzium, legendum esse *praecipiuntur*: et quam facile interceptae duae literulae sunt? Necessariam tamen non puto. Nam ipsa quoque exempla *praecipiunt*, docent, commonstrant, quid fieri debeat non minus, quam quid possit. *G.*

XLVI, 1 *spectaculum pantomimorum)* v. g. a Nerone *pantomimorum factiones cum ipsis simul relegatae* Sueton. 16. Et Domitianus ibid. 7. *interdixit histrionibus scenam.* *G.*

3 *Utrumque recte* etc.) Male haec iudicat Plinius, dum utrumque et Nervam et Traianum laudare vult. Saepe iam alias laudandi propositum veritatem sustulit. *E.*

4 *scenici imperatoris)* Nero-nis. Vid. Sueton. c. 20. sqq. *G.*

applausor) Dubiae vox auctoritatis, cum nec alibi lecta sit, neque hoc loco codices nihil varient. Alii enim *plausor*, quod Gierigius adscivit. *S.*

5 *disciplinam — vulgus)* etiam in vulgo et infimis hominibus hanc mentis et iudicii vim esse, ut vel principis instituta et mores approbare et imitari possint. *E.*

6 imperium, nunc mores vocarentur. Castigaverunt
vitia sua ipsi, qui castigari merebantur: iidemque
emendatores, qui emendandi fuerunt. Itaque nemo
de severitate tua queritur, et liberum est que-
7 ri. Sed quum ita comparatum sit, ut de nullo
minus principe querantur homines, quam de quo
maxime licet; tuo in seculo nihil est, quo non
8 omne hominum genus laetetur et gaudeat. Boni
provehuntur; mali, qui tranquillissimus status ci-
vitatis, nec timent, nec timentur. Mederis erro-
ribus, sed implorantibus: omnibusque, quos bo-
nos facis, hanc adstruis laudem, ne coëgisse
videaris.

XLVII. Quid vitam? quid mores iuventu-
tis? quam principaliter formas! Quem hono-
rem dicendi magistris, quam dignationem sapien-

7 *tuo in seculo)* Nullae iam audiuntur querelae: primo quia queri licet; ob id ipsum enim non queruntur homines: deinde quia tuo seculo nihil est, quo non potius, etiam si quibus queri lubeat, gaudeant. * *Tuo in seculo* in bonis libris esse ostendit Schwarzius, pro eo quod vulgo editur, *tamen in seculo*, vel, quod alii praeferunt, *tum in seculo*. *G.*

8 *sed implorantibus)* Duriuscula loquendi ratio. Neque enim ipsi *errores* implorant, sed *errantes*. * Itaque vehementer placet ingenium Cl. Schwarzii, qui coniicit, *implorantium*. *G.*

Nihil opus est hac coniectura. Sit dura ratio loquendi; obviae in Plinio similes sunt. Attulit Gierigius ex Cap. 3, 1. *acclamationes fingunt*; ex Cap. 43, 6. *gratiarum actiones meminerunt*; ex Cap. 12. *transportat tergo bella*; ex Cap. 41, 4. *silent et quiescunt adulationes*. *E.*

XLVII, 1 *Quid vitam? quid* etc.) Interpunge cum aliis: *Quid? vitam, quid? mores iuventutis quam principaliter formas!* *S.*

dicendi magistris) Aur. Victor Epit. 13, 8. *Eruditissimos, quamvis ipse parcae esset scientiae, moderateque eloquens, diligebat.* Xiphil. ex Dione L. 68. p. 772. C. Παιδείας ἀκριβοῦς, ὅση ἐν λόγοις, οὐ μετέσχε· τό γε μὴν ἔργον αὐτῆς καὶ ἠπίστατο, καὶ ἐποίει. Τὸ ἔργον αὐτῆς non significat moralem philosophiam, quam a Plutarcho didicerit, quod vult hic Lipsius: sed res ipsas, quas docet philosophia. Recte sentiebat, loquebatur, vivebat Traianus, sine literis. Nescio, an aliquis adhibuerit hunc Dionis locum ad illustrandum τὸ ἔργον τοῦ νόμου Rom. 2, 15: apprime huc convenire τὸ ἔργον τῆς παιδείας, pulchre nosse mihi videor. Optimus ipse interpres noster, *Praestas*, ait, *quaecunque praecipiunt*. Ceterum hic respici etiam ad philosophos urbe a Domitiano pulsos, apparet, de qua re Sueton. 10. Itaque cum exsularent ante, sub Traiano *patriam receperunt studia*. *G.*

dignationem) * Reposuit hoc

tiae doctoribus habes! Ut sub te spiritum et
sanguinem et patriam receperunt studia! quae
priorum temporum immanitas exsiliis puniebat,
quum sibi vitiorum omnium conscius princeps
inimicas vitiis artes non odio magis, quam reve-
rentia, relegaret. At tu easdem artes in comple- 2
xu, oculis, auribus habes. Praestas enim, quae-
cunque praecipiunt, tantumque eas diligis, quan-
tum ab illis probaris. An quisquam studia 3
humanitatis professus, non cum omnia tua, tum
vel in primis laudibus ferat admissionum tuarum
facilitatem? Magno quidem animo parens tuus 4
hanc ante vos principes arcem PVBLICARVM AEDIVM
nomine inscripserat; frustra tamen, nisi adoptas-
set, qui habitare, ut in publicis, posset. Quam 5
bene cum titulo isto moribus tuis convenit! quam-
que omnia sic facis, tanquam non alius inscripse-
rit! Quod enim forum, quae templa tam resera-
ta? Non Capitolium, ipsaque illa adoptionis
tuae sedes magis publica, magis omnium. Nullae
obices, nulli contumeliarum gradus: superatisque

nomen ex libris pluribus Cl. Schwarzius pro vulgato *dignitatem*. Conf. 77, 5. *G.*

2 *in complexu — habes*) Haec ex oppositis explicanda. Priores imperatores artes *exsiliis puniebant, relegabant*. Tu eas *in complexu habes*, foves et colis propinquas; *in oculis*, legens, spectans cum delectatione opera artis et literarum; *in auribus*, audiens cum voluptate recitantes, scriptores et poetas. Cf. Aurel. Vict. 13, 8. Iuvenal. Sat. 7, 162. Xiphil. e Dione LXVIII. p. 772. ubi memoratur Traianus poëtas muneribus affecisse. *E.*

3 *admissionum tuarum*) His praeerant in aula, qui inde *Admissionales* vel *ab admissionibus* dicti, de quibus post Lips. ad Tac. A. 6, 9. Guther. de off. Do. Aug. 3, 11, vid. mox ad §. 6. *G.*

4 *arcem Publicarum*) Ante fuit *arx*, i. e. locus munitus, tyrannidis propugnaculum: iam sunt AEDES PVBLICAE non modo eo sensu, de quo argute hic Secundus, sed veteri instituto Augusti, in quibus habitaret *Pontifex Maximus*, quem *in publico habitare* oporteret. Probat e Dione Lipsius, qui v. g. L. 54. p. 541. A. de Augusto, *οὔτ' οἰκίαν τινὰ δημοσίαν ἔλαβεν, ἀλλὰ μέρος τι τῆς ἑαυτοῦ, ὅτι τὸν Ἀρχιερέα ἐν κοινῷ πάντως οἰκεῖν ἐχρῆν, ἐδήμωσε.* *G.*

5 *ipsaque illa — sedes*) templum Iovis Capitolini, pars Capitolii. Itaque perperam Gierigiana, nescio quo auctore: *ipsa illa — sedes*. *S.*

contumeliarum gradus) De admissionibus loquitur. Sen. de Benef. 6, 33. *Non sunt isti ami-*

iam mille liminibus, ultra semper aliqua dura et
6 obstantia. Magna ante te, magna post te, iuxta tamen maxima quies: tantum ubique silentium, tam altus pudor, ut ad parvos penates et larem angustum ex domo principis, modestiae et tranquillitatis exempla referantur.

XLVIII. Ipse autem ut excipis omnes! ut exspectas! ut magnam partem dierum inter tot imperii curas quasi per otium transigis! Itaque non ut alias attoniti, nec ut periculum capitis adituri tarditate, sed securi et hilares, quum
2 commodum est, convenimus. Et admittente principe, interdum est aliquid, quod nos domi quasi magis necessarium teneat: excusati semper tibi, nec unquam excusandi sumus. Scis enim sibi quemque praestare, quod te videat, quod te frequentet: ac tanto liberalius ac diutius voluptatis
3 huius copiam praebes. Nec salutationes tuas fuga et vastitas sequitur. Remoramur, resistimus, ut in communi domo, quam nuper illa immanissima bellua plurimo terrore munierat: quum velut quodam specu inclusa, nunc propinquorum sanguinem lamberet, nunc se ad clarissimorum civium
4 strages caedesque proferret. Obversabantur foribus horror et minae, et par metus admissis et exclusis. Ad haec ipse occursu quoque visuque terribilis: superbia in fronte, ira in oculis, femineus pallor in corpore, in ore impudentia multo

ci — qui in primas et secundas admissiones digeruntur — Est proprium superbiae, magno aestimare introitum ac tactum sui liminis: pro honore dare, ut ostio suo propius assideas, ut gradum prior intra domum ponas, in qua deinceps multa sunt ostia, quae receptos quoque excludunt. Moderatius et verius ista, quam *mille limina,* de quibus statim noster. *G.*

6 *ut ad parvos* etc.) i. e. ut principis domus parvis penatibus larique angusto exemplum sit modestiae et tranquillitatis. *S.*

XLVIII, 1 *tarditate)* per tarditatem, crimine tarditatis. Vid. I. A. Ernestium. *S.*

2 *sibi — praestare)* Non tam tibi habere honorem, quam sibi praestare voluptatem. vid. 58, 1. 68, 5. *G.*

4 *impudentia — rubore suffusa)* *Vultum modestum ruborisque plenum* ei tribuit Sueton. 18. Nempe ille rubor modestiae speciem habebat: erat ita-

rubore ſuffuſa. Non adire quisquam, non alloqui 5
audebat, tenebras ſemper ſecretumque captantem,
nec unquam ex ſolitudine ſua prodeuntem, niſi
ut ſolitudinem faceret.

XLIX. Ille tamen, quibus ſibi parietibus
et muris ſalutem ſuam tueri videbatur, dolum
ſecum et inſidias, et ultorem ſcelerum deum in-
cluſit. Dimovit perfregitque cuſtodias Poena, an-
guſtosque per aditus et obſtructos, non ſecus ac
per apertas fores et invitantia limina irrupit: lon-
geque tunc illi divinitas ſua, longe arcana illa
cubilia ſaevique ſeceſſus, in quos timore, et
ſuperbia, et odio hominum agebatur. Quanto 2
nunc tutior, quanto ſecurior eadem domus, poſt-
quam non crudelitatis, ſed amoris excubiis, non
altitudine et clauſtris, ſed civium celebritate de-
fenditur! Ecquid ergo diſcimus experimento, 3
fidiſſimam eſſe cuſtodiam principis ipſius innocen-
tiam? Haec arx inacceſſa, hoc inexpugnabile
munimentum, munimento non egere. Fruſtra ſe
terrore ſuccinxerit, qui ſeptus caritate non fuerit:
armis enim arma irritantur. Num autem ferias 4

que in Domitiano impudentia, quae pudoris quaſi veſtem induerat. *G.*

XLIX, 1 *Poena*) Hic perſona eſt, ut Cic. in Piſone 37. o *Poena, o Furia ſociorum!* Sic Graeci Ποινὰς vocant. *G.*

divinitas ſua) Cum *Dominum Deumque* Romanorum percuteret Stephanus. Sumſerunt formulam reliqui a Virg. Aen. 12, 52. *Longe illi Dea mater erit:* quod pulchre huc convenit, cum teſte Philoſtrato 8, 35. extr. iacens invocarit καὶ τὴν Ἄρτεμιν ἀρωγὸν, quam matrem ſuam ferebat. *G.*

Ergo ſenſus eſt: nihil ei divinitas ſua, nihil ei ſeceſſus illi et inſidiae proderant. *E.*

2 *poſtquam non*) *Eius,* quod inter haec duo verba inſerunt, Gudiani apud Schwarzium codicis auctoritae omiſi. Sed cum inſerendi cauſſa nulla fuerit, magna omittendi: placet fere magis Lipſii coniectura *herus.* Nempe pe *erus* aliquis ſcripſerat, quod non intellectum ſibi alius mutavit in *eius.* *G.*

altitudine) Neſcio unde ea venerit: *ſolitudine* omnes. *G.*

Gierigius *ſolitudine,* quod etiam oppoſitum, *civium celebritas,* tuetur. Probabatur item Erneſtio. *S.*

3 *Ecquid — — innocentiam?*) Proba Gesneri interpunctio. *Ecquid* i. q. num. vid. Drakenb. ad Liv. 27, 10, 2. *S.*

4 *ferias — partes dierum*) feriis negotiis deſtinatae. Opponuntur *remiſſiones.* *E.*

tantum partes dierum in oculis nostris coetuque
consumis? Num remissionibus tuis eadem fre-
5 quentia, eademque illa socialitas interest? Non
tibi semper in medio cibus, semperque mensa
communis? Non ex convictu nostro mutua vo-
luptas? Non provocas reddisque sermones? Non
ipsum tempus epularum tuarum, quum frugalitas
6 contrahat, extendit humanitas? Non enim ante
medium diem distentus solitaria coena spectator
adnotatorque convivis tuis immines: nec ieiunis
et inanibus plenus ipse et ructans, non tam ap-
ponis, quam obiicis cibos, quos dedigneris at-
tingere, aegreque perpessus superbam illam con-
victus simulationem, rursus te ad clandestinam
7 ganeam occultumque luxum refers. Ergo non
aurum, nec argentum, nec exquisita ingenia coe-
narum, sed suavitatem tuam iucunditatemque mi-
ramur: quibus nulla satietas adest; quando sincera
8 omnia, et vera, et ornata gravitate. Neque enim
aut peregrinae superstitionis mysteria, aut obscena

Sex primae diei horae. Epigr. adesp. CCXLII. Ἓξ ὧραι μόχθοις ἱκανώταται· αἱ δὲ μετ' αὐτὰς Γράμμασι δεικνύμεναι ΖΗΘΙ λέγουσι βροτοῖς. ad q. l. vid. Iacobs., loci Pliniani haud immemor. *S.*

Num remissionibus) Arntzenius *non.* Contra Ald. omnia quae sequuntur membra a *num* incipit, quem sequitur Gruterus, excepto ultimo *Non enim:* ubi Aldus adhuc *num.* *G.*

Add. Gesneri ad I. A. Ernestium epistola ad 56, 2. *Non* placebat et I. A. Ernestio, eratque editurus alter Ernestius. Recepit Gierigius. Laudo. *S.*

5 *in medio cibus)* nunquam solus epularis, sed semper convivas adhibes. *E.*

6 *ante medium diem)* Suet. Domit. 21. *ac lavabat de die prandebatque ad satietatem: ut non temere super coenam, praeter Matianum malum, et modicam in ampulla potiunculam, sumeret.* *G.*

et ructans) * Sic coni. Schwarzius et olim Livin. Casaub. Perizon. Vulg. *eructans*, quod defendit Arntzenius. *G.*

Caeterum bene monuit Gierigius ad h. l. Plinium non satis urbane Traianum cum *ructante* et *distento cibis* Domitiano comparare; nisi forte hoc sit urbane laudare, si alteri dicas: tu non es porcus! *E.*

Verissime, si rem ex nostris moribus aestimes: secus, si ex Romanis. *S.*

7 *ingenia coenarum)* Ingeniosas et arte paratas coenas, ut 25, 5. *ingenium munificentiae.* *G.*

8 *mysteria)* Qualia Deae Phrygiae et Bellonae sacerdotum Gallorum describuntur ab Apuleio libro octavo et noni principio. Nam talia malim intelligere, quam

petulantia, mensis principis oberrat: sed benigna invitatio, et liberales ioci, et studiorum honor. Inde tibi parcus et brevis somnus, nullumque amore nostri angustius tempus, quam quod sine nobis agis.

L. Sed quum rebus tuis ut participes perfruamur: quae habemus ipsi, quam propria, quam nostra sunt! Non enim exturbatis prioribus dominis, omne stagnum, omnem lacum, omnem etiam saltum, immensa possessione circumvenis: nec unius oculis flumina, fontes, maria deserviunt. Est, quod Caesar non suum 2
videat; tandemque imperium principis, quam patrimonium, maius est. Multa enim ex patrimonio refert in imperium, quae priores principes occupabant, non ut ipsi fruerentur, sed ne quis alius. Ergo in vestigia sedesque nobilium immi- 3
grant pares domini, nec iam clarissimorum virorum receptacula habitatore servo teruntur aut foeda vastitate procumbunt. Datur intueri pulcher- 4
rimas aedes, deterso situ auctas ac vigentes. Magnum hoc tuum non erga homines modo, sed

putare, hic forte pungi Christianorum Agapas. *Obscena petulantia* oberrabat in coenis Tiberii, in quibus *nudae puellae ministrabant*, Sueton. 42. *G.*

invitatio) Ad loquendum, edendum, bibendum praesertim; in quo solo intemperantiam aliquam Traiani commemorant historici, sed eandem nemini noxiam. *G.*

L, 1 *circumvenis*) occupas, vindicas tibi possessionem. Verbum *circumvenire* videtur delegisse, ut exprimeret rapacitatem illam, quae partibus non contenta, totas possessiones, quam late patent, occupat. *E.*

2 *imperium — maius*) Haec ita intelligo: Traiano maius et gravius est, imperatorem esse, qui imperii sui viribus cives adiuvet, quam ipsum divitem, et patrimonium habentem, quo solus frueretur, nihil inde civibus impertiens. Nempe in *imperio* est notio patris patriae, qui non sibi, sed civibus vivit et imperat: in *patrimonio* notio privati, qui suas res auget, nihil aliorum curans. Vellem igitur, in aliquo libro legeretur *Principi*, quod illum sensum adiuvat. *E.*

Ernestii interpretationem an multi probaturi sint, vehementer dubito. Mihi, ut Gierigio, unice placet ratio Lipsii, *imperium* intelligentis de terris, quae faciebant imperium Romanum. *S.*

occupabant) I. A. Ernestius suspicatur *occuparant*. Imperfectum melius respondet praecedenti *refert*. *S.*

erga tecta ipsa meritum, sistere ruinas, solitudi-
nem pellere, ingentia opera eodem quo exstructa
sunt animo ab interitu vindicare. Muta quidem
illa et anima carentia; sentire tamen et laetari
videntur, quod niteant, quod frequententur, quod
5 aliquando coeperint esse domini scientis. Circum-
fertur sub nomine Caesaris tabula ingens rerum
venalium; quo sit detestanda avaritia illius, qui
tam multa concupiscebat, quum haberet superva-
cua tam multa. Tunc exitialis erat apud princi-
pem, huic laxior domus, illi amoenior villa.
6 Nunc princeps in haec eadem dominos quaerit,
ipse inducit: ipsos illos magni aliquando impera-

4 *domini scientis*) Eius domini, qui propter mediocrem numerum possessionum suarum, haec etiam sua esse non ignoret, ac proinde curet, sarta tecta servet etc. qui porro sciat, quantum amoenitatis, salis, commoditatis habeant, eoque iis fruatur: quae contra omnia se habebant, cum omnia possidere vellent Imperatores superiores, quos consequens erat neque scire, quid haberent, neque tueri, neque frui. *Hanc lectionem docuit Gron. Observatt. 4, 16. p. 256. at firmat Schwarzius. Alii *domini non servientis*: al. *donum scientis*, quod plane iisdem lineis constat. Maluit hic contra consensum antiquissimorum librorum Arntzenius ponere illud frigidum *domini non servientis*. G.

Hoc ipsum tamen in textum revocavit Gierigius, acute docens, hanc omnem periodum respondere superioribus. Antea illae aedes *situ* squalebant et *procumbebant*; Traianus *detergit situm* et *sistit ruinas*: hinc illae laetantur, quod *niteant*. Antea in iis erat *vastitas*; Traianus *pellit solitudinem*: hinc illae laetantur, quod *frequententur*. Antea *habitatore servo terebantur*; Traianus eas *ab interitu vindicat eodem animo, quo exstructae sunt*, h. e. *immigrare iubet pares dominos*: hinc illae laetantur, quod *aliquando coeperint esse domini* — cuius tandem? profecto *non servientis*. Haec ille. Ego, quamvis Gronovianam illam explicationem duriorem nec satis aptam contextui existimo, non sum tamen ausus vulgarem lectionem deserere. Videtur mihi in *domini scientis* aliquod acumen Plinianum latere, quod vel interpretatione, vel levi lectionis mutatione expediendum sit. Saepe Plinius, ut vel verbo acutus esse possit, summam obscuritatem non respuit. Quid? si *dominum scientem* cogitaverit eum dominum, qui scit, se dominum esse. Etiam hunc sensum commendant multa eorum, quae antea dixerat. Dicit, *priores principes, exturbatis prioribus dominis, omnia occupasse, non ut ipsi fruerentur, sed ne quis alius*. Non ita Traianus. *Quae habemus ipsi*, inquit, *quam propria, quam nostra sunt!* Iam igitur certo scire possumus, nos nostrarum domuum dominos esse. Sed iudicent doctiores. *E.*

5 *quo sit*) Vid. Gesneri ad I. A. Ernestinm epistola. Mihi placet I. Fr. Gronovii et Perizonii coniectura, *quo sit*. S.

toris hortos, illud nunquam niſi Caeſaris ſuburbanum, licemur, emimus, implemus. Tanta benignitas principis, tanta ſecuritas temporum eſt, ut ille nos principalibus rebus exiſtimet dignos, nos non timeamus, quod digni eſſe videmur. Nec vero emendi tantum civibus tuis copiam praebes, ſed amoeniſſima quaeque largiris et donas: ita, inquam, donas, in quae electus, in quae adoptatus es: transfers, quod iudicio accepiſti, ac nihil magis tuum credis, quam quod per amicos habes.

LI. Idem tam parcus in aedificando, quam diligens in tuendo. Itaque non, ut ante, immanium transvectione ſaxorum urbis tecta quatiuntur; ſtant ſecurae domus, nec iam templa nutantia. Satis eſt tibi, nimiumque, quum ſucceſſeris frugaliſſimo principi; mavis recidere aliquid et

6 *implemus*) Digni illo iudicamur, et tales domini, qui *implere* illud poſſint; ut non dicatur, *Heu domus antiqua* etc. Vid. ad 15, 4. et conf. quae iam ſequuntur. *G.*

Mihi tamen potior videtur Lipſii explicatio: *implemus*, ſcil. ſupellectile, ſervis etc. Nam arcte cohaerent haec tria: *liceri, emere, implere*, h. e. domum licitatione emtam iam inhabitare, et implere iis rebus, quae ad habitationem pertinent. Dignitas illa, quam Gesnerus tangit, alio pertinet, et a Plinio ſeparatim commemoratur. *E.*

7 *ita, inquam*) *Placet Lipſii coniectura, *iſta, inquam, donas* etc. *G.*

iudicio) ſcil. amicorum, quorum legata vel dona acceperat. Nempe quae electus et adoptatus Traianus habebat, iure et quadam neceſſitate acceperat; quae autem *per amicos* habebat, horum *iudicio* et voluntate habebat. *E.*

Sic et Gierigius. Ego malim Schwarzii explicationem amplecti, quam item Gesnerus ſecutus videtur. *Iudicio*, ſcil. Nervae. *per amicos*, nam τὰ τῶν φίλων κοινά. *S.*

per amicos habes) Cum, quae amicorum Imperatoris ſunt, ſint etiam ipſius. Sic *frui per alios* 58, 6. *G.*

LI, 1 *parcus in aedificando*) ſcil. *privatim.* Nam paullo poſt eundem Traianum *magnificum in publicum* praedicat. Hac igitur diſtinctione callide laudat principem, cuius ſummum aedificandi ſtudium a nemine ignorabatur. Vid. Gesner. ad ſ. 3. *E.*

Scribendumne, quo magis exſiſtat oppoſitio, *in aedificando tibi?* Alibi quoque *tibi* in libris excidit. Conf. Schwarz. ad 52, 5. 65, 1. *S.*

transvectione ſaxorum) Iuven. 3, 257. *Nam ſi procubuit, qui ſaxa Liguſtica portat Axis, et everſum fudit ſuper agmina montem; Quid ſupereſt de corporibus?* *G.*

2 *mavis recidere*) * Bongar-

amputare ex his, quae princeps tanquam necessaria reliquit. Praeterea pater tuus usibus suis detrahebat, quae fortuna imperii dederat: tu tuis,
3 quod pater. At quam magnificus in publicum es? Hinc porticus, inde delubra occulta celeritate properantur, ut non consummata, sed tantum commutata videantur. Hic immensum latus Circi templorum pulchritudinem provocat, digna populo victore gentium sedes, nec minus ipsa visenda, quam quae ex illa spectabuntur: visenda autem cum cetera specie, tum quod aequatus
4 plebis ac principis locus. Siquidem per omne spatium una facies, omnia continua et paria, nec magis proprius spectandi Caesaris suggestus, quam propria, quae spectet. Licebit ergo civibus tuis invicem contueri: dabitur, non cubiculum prin-

siana et Gronoviana emendatio ex huius Obſervationn. 4, 16. probata Cl. Schwarzio. Vulgo *magis reiicere* aliquid. *G.*

Omnem locum Gierigius ita edidit: *Satis est tibi, nimiumque. Cum succeſſeris frugaliſſimo principi, magnum recidere aliquid* etc. *E.*

Praeterea — — pater) Augent haec laudem Traiani. Nerva detrahebat usibus suis, quae magis reipublicae erant, quam ipsius, certe a republica profecta erant: Traianus, quae tanquam hereditatis iure a patre acceperat. — *Quod pater.* Al. *quae pater.* bene. *S.*

3 *magnificus in publicum)* Laudant uno ore historici. In multitudinem inscriptionum et titulorum illius iocati posteri *herbam parietariam* eum appellarunt. Vid. Aur. Vict. Epit. 41, 13. Ammian. Marcell. 27, 3. p. 523. Gron. In primis multus est Dio a Xiphilino excerptus p. 776. sq. in ponte Danubii describendo. *G.*

nec minus — — spectabuntur) Haud parva illius operis laus, si cogitaveris, quam insane Romani ludos Circenses concupiverint. Hoc autem populi de illis spectaculis, non suum ipsius iudicium, alibi in sinu amici proditum, Secundus hic sequi debuit. *S.*

4 *spectandi Caesaris suggestus)* In quo Caesar spectandus proponeretur. Erat nempe locus cubiculi instar clausus in podio, loco senatorum. Vid. Lips. de amphith. c. 11. ex Sueton. Caes. 76. et Ner. 12. Hic suggestus, hoc cubiculum intercipiebat proximis ab utraque parte spectatoribus prospectum, ne se invicem contueri possent. * Putabam aliquando legendum, *spectanti Caesari.* *G.*

Schwarzius Gesnerianae illi explicationi obiicit, cubantem aut sedentem in cubiculo Principem non potuisse spectari. Itaque *spectanti Caesari* in textum recepit, quem et secutus est Gierigius. *E.*

Corrigendum minimâ mutatione: *spectandi Caesari.* *S.*

cipis, ſed ipſum principem cernere, in publico, in populo ſedentem; populo, cui locorum quinque millia adiecisti. Auxeras enim numerum eius congiarii facilitate, maioremque in poſterum ſuſcipi liberalitatis tuae fide iuſſeras.

LII. Horum unum ſi praeſtitiſſet alius, illi iam dudum radiatum caput, et media inter deos ſedes auro ſtaret aut ebore, auguſtioribusque aris et grandioribus victimis invocaretur. Tu delubra 2
non niſi adoraturus intras, tibi maximus honor excubare pro templis, poſtibusque praetexi. Sic fit, ut dei ſummum inter homines faſtigium ſer-

populo) Legendum puto *in populo*. Ultima litera vocis praecedentis eliſit praepoſitionem. *S.*

quinque millia) * Minutus nimis numerus Lipſio merito videtur, qui oſtendit, cum Iulii Caeſaris aetate CCLX millia ceperit, tempore conditae notitiae imperii cepiſſe millia CCCCLXXXV. Nempe corrector aliquis Plinii hic numerum conformare voluit ad numerum *ingenuorum*, cui alimenta data. Sed circus omnis generis multitudinem debebat capere. *G.*

LII, 1 *illi iam dudum)* Codices *iam dudum illi*. quem verborum ordinem Gierigius iure praetulit. *S.*

radiatum caput) Ad ſolis aut alterius altri effigiem. Videmus in nummis. *G.*

2 *excubare pro templis)* Statuae Traiani, extra cellam templorum poſitae, quaſi excubitores ſunt, honoris Deorum cauſſa ibi collocati. *G.*

Non minus exquiſite *poſtibus praetexi* dicuntur, quae collocantur ante templa vel fores templorum. Sic Senec. Ep. 89. *nullum flumen, cuius non ripas aedificia noſtra praetexant. E.*

ut dei — fervent) Non amplius adducuntur in contemtum dii ſocietate hominum viventium, qua adhuc *ſordebant*, uti mox loquitur; ſed ſervant faſtigium ſuum et ſupremum honorem, quum tu illorum honorem et faſtigium tibi non arroges. *Nempe verbum *ſervent* eas mihi habere videbatur auctoritates, productas a Cl. Schwarzio, quas convellere difficile eſt. *Adeptus* autem, quod habent libri, in *adpetas* mutare videbatur non immodeſtum. Sed cum *dei* pro *dii* vix inveniatur; cum *ſerves* etiam ſit in bonis libris; cum *adeptus ſis* etiam ſignificare poſſit *capeſſieris*; ſeque fere placet Cl. Schwarzii ratio, qui ita legendum exiſtimat. *Sic fit, ut ſummum inter homines faſtigium ſerves. cum deorum ipſe non ſis adeptus*. Explicare poſſis hanc ſententiam Horatii verbis, Od. 3, 6, 5 *Dis te minorem quod geris, imperas* G.

Erneſtius editurus erat; *ut ſummum inter homines faſtigium ſerves*, expunctaque nota Geſneri, appoſiturus hanc: „Sic cum Schwarzio et Gierigio reponere non dubitavi. Geſnerus edideratt *Sic fit, ut dei ſummum inter homines faſtigium ſervent, quum deorum ipſe non appetas*. Et ipſe Geſnerus ibi haec placere fatebatur." De forma *dei* vid. ad ep. 8, 8, 5. *S.*

3 vent, quum deorum ipſe non adpetas. Itaque
tuam ſtatuam in veſtibulo Iovis Optimi Maximi
unam alteramve, et hanc aeream, cernimus. At
paullo ante aditus omnes, omnes gradus, totaque
area hinc auro, hinc argento relucebat, ſeu potius polluebatur: quum inceſti principis ſtatuis
4 permixta deorum ſimulacra ſorderent. Ergo iſtae
quidem aereae et paucae manent, manebuntque,
quam diu templum ipſum: illae autem aureae et
innumerabiles ſtrage et ruina publico gaudio litaverunt. Iuvabat illidere ſolo ſuperbiſſimos vultus,
inſtare ferro, ſaevire ſecuribus, ut ſi ſingulos ictus
5 ſanguis dolorque ſequeretur. Nemo tam temperans gaudii ſeraeque laetitiae, quin inſtar ultionis
videretur, cernere laceros artus, truncata membra; poſtremo truces horrendasque imagines abiectas, excoctasque flammis: ut ex illo terrore et
minis in uſum hominum ac voluptates ignibus
6 mutarentur. Simili reverentia, Caeſar, non apud
Genium tuum bonitati tuae gratias agi, ſed apud
numen Iovis Optimi Maximi patris: illi debere,
quidquid nos tibi debeamus, illius, quod bene

4 *ſtrage et ruina)* Cum ſenatus *clypeos* eius *et imagines coram*, in curia, *detrahi et ibidem ſolo adſligi iuberet: noviſſime eradendos ubique titulos, abolendamque omnem memoriam decerneret* Sueton. 23. ubi notant viri docti hodieque exſtare marmora, in quibus eraſum Domitiani nomen, v. g. Grut. 12, 2. 68, 1. De ſtatuis conflatis e Dione Xiphilinus in principio Nervae, συνεχωνεύθησαν, καὶ ἐξ αὐτῶν μεγάλα χρήματα συνελέγη. De nomine eraſo add. Macrob. Sat. 1, 12. extr. *G.*

Caeterum exquiſita et apta huic omni loco metaphora *ſtatuae ruina p. g. litaverunt*, h. e. deletae ſunt, omnibus civibus hac ſtrage et ruina gaudentibus. *E.*

5 *terrore et minis)* Cum non tantum admonerent homines vivorum exemplorum ſ. archetyporum, ſed etiam criminibus maieſtatis occaſionem dare poſſent. *G.*

Illae truces horrendaeque imagines, quarum ſuperbiſſimi vultus terrebant, et minabantur, in eas formas mutabantur, quae hominibus et utiles et iucundae eſſent; ut in numos, vaſa. *E.*

6 *apud Genium tuum)* Per Genium Principis iurare, illi ſacrificare ſolemne. Vid. Torr. ad Sueton. Calig. 27. qui quosdam ultimo ſupplicio affecit, *quod nunquam per Genium ſuum deieraſſent.* *G.*

illi debere etc.) Al. *illi debere nos, quidquid tibi debeamus.* quod verum. *S.*

facias, muneris esse, qui te dedit. Ante quidem 7
ingentes hostiarum greges per Capitolinum iter,
magna sui parte velut intercepti, devertere via
cogebantur: quum saevissimi domini atrocissima
effigies tanto victimarum cruore coleretur, quantum
ipse humani sanguinis profundebat.

LIII. Omnia, P. C., quae de aliis principibus a me aut dicuntur, aut dicta sunt, eo pertinent, ut ostendam, quam longa consuetudine corruptos depravatosque mores principatus parens noster reformet et corrigat. Et alioquin nihil non
parum grate sine comparatione laudatur. Praeter- 2
ea hoc primum erga optimum Imperatorem piorum civium officium est, insequi dissimiles. Neque enim satis amarint bonos principes, qui malos satis non oderint.
Adiice, quod Imperatoris 3
nostri non aliud amplius ac diffusius meritum est, quam quod insectari malos principes tutum est.
An excidit dolori nostro modo vindicatus Nero? 4
Permitteret, credo, famam vitamque eius carpi, qui mortem ulciscebatur: nec ut in se dicta interpretaretur, quae de simillimo dicerentur.
Quare 5*
ego, Caesar, muneribus tuis omnibus comparo,

7 *devertere via)* Ad statuas Domitiani: in quibus nobilis illa equestris, de qua Statius Silv. 1, 1. verissimo specimine, quousque processerit tum adulatio. *G.*

LIII, 1 *Et alioquin)* *'H *Et* recte reponitur a Cl. Schwarzio. Sic 45, 4. 68, 7. 70, 8. et Ep. 2, 9, 1. Si enim absit, plane alius sensus et contrarius exsistit. *G.*

Sed conf. Add. ad ep. 2, 15, 2. *S.*

parum grate — laudatur) parum placet, parum efficit laudatio sine aliqua comparatione. Haec enim laudes et illustrat, et auget. *E.*

4 *vindicatus Nero)* Cum Domitianus Suetonio teste c. 14. *Epaphroditum a libellis capitali poena condemnaverit, quod, post destitutionem, Nero in adipiscenda morte manu eius adiutus existimabatur.* *G.*

5 *ego, Caesar)* *Importunum *te*, quod editiones adhuc omnes prope foedavit, moniti a Cl. Schwarzio eiicimus. Originem eius arcessendam cum Lipsio putamus e literis *Tr.* h. e. *Traiane*. Alterum *omnibus* (legunt enim, *muneribus omnibus tuis omnibus comparo)* omitti Schwarzianus atque Guelferb. libri, ipsaque adeo sententia, iubent. Vulgatam sic interpretabar, *Te in muneribus omnibus tuis* principibus *omnibus comparo*, *multis* tuis muneribus *antepono*, quod etc. Sed altera lectio haud dubie melior. *G.*

multis antepono, quod licet nobis et in praeteritum de malis Imperatoribus quotidie vindicari, et futuros sub exemplo praemonere, nullum locum, nullum esse tempus, quo funestorum principum manes a posterorum exsecrationibus conquiescant. Quo constantius, P. C., et dolores nostros et gaudia proferamus: laetemur his, quibus fruimur; ingemiscamus illis, quae patiebamur. Simul utrumque faciendum est sub bono principe. Hoc secreta nostra, hoc sermones, hoc ipsae gratiarum actiones agant; meminerintque, sic maxime laudari incolumem Imperatorem, si priores secus meriti reprehendantur. Nam quum de malo principe posteri tacent, manifestum est, eadem facere praesentem.

LIV. Et quis iam locus miserae adulationis manebat ignarus, quum laudes Imperatorum ludis etiam et commissionibus celebrarentur, saltarentur, atque in omne ludibrium effeminatis vocibus, modis, gestibus, frangerentur? Sed illud indignum, quod eodem tempore in senatu et in scena, ab histrione et a consule laudabantur. 2 Tu procul a tui cultu ludicras artes removisti.

6 *incolumem*) vivum. mox *praesentem*. S

LIV, 1 *manebat ignarus*) * Sic legimus hanc ῥῆσιν auctoribus, quos laudat Schwarzius, nisi quod *commissionibus* retinendum putamus, ea ratione, quod melius cum ludis iunguntur, et quod rarior intellectus illius induxisse videtur aliquem correctiorem, ut *comessationibus* substitutum iret. Eidem forte debeotur *pocula*, de quibus statim. Utrumque, *comessationibus* et *pocula* acrius, quam solet, tuetur Schwarzius: pro hac lectione facere videtur hoc, quod statim additur *in senatu et in scena, ab histrione et a consule*, oulla conviviorum mentione facta. add. 23, 6. *G.*

commissionibus) Certamioibus poetarum aut rhetorum. Eadem plane ratione Augustus apud Sueton. 89. *admonebat Praetores, ne paterentur nomen suum commissionibus obsolefieri.* Vid. ibi Casaub. et add. Ep. 7, 24, 6. ubi etiam ad histriones ipsos et pantomimos refertur. *G.*

Vid. I. A. Ernestium ad h. l. qui iure tuetur *commissionibus*. *S.*

2 *Tu procul*) * Liber Schwarzii, *Tu pocula a tui cultu, tu ludicras artes:* ut responderat *comessationibus* vel *comissationibus* potius, quas modo exclusimus. Nempe non puto removisse a sui cultu *pocula* Traianum, qui oon infeolus esset *invitationibus*, vid. 49, 8: neque Augu-

Seria ergo te carmina, honorque aeternus anna-
lium, non haec brevis et pudenda praedicatio
colit: quin etiam tanto maiore confenfu in vene-
rationem tui theatra ipfa confurgent, quanto ma-
gis de te fcenae filebunt. Sed quid ego iftud 3
admiror, quum eos quoque honores, qui tibi a
nobis offeruntur, aut delibare parciffime, aut omni-
no foleas recufare? Nihil ante tam vulgare, tam
parvum in fenatu agebatur, ut non laudibus prin-
cipum immorarentur, quibuscunque cenfendi ne-
ceffitas accidiffet. De ampliando numero gladia- 4
torum, aut de inftituendo collegio fabrorum con-
fulebamur: et quafi prolatis imperii finibus nunc
ingentes arcus, exceffurosque templorum faftigium
titulos, nunc menfes etiam, nec hos fingulos,
nomini Caefarum dicabamus. Patiebantur illi, et,
quafi meruiffent, laetabantur. At nunc quis no- 5
ftrum, tanquam oblitus eius, de quo refertur,
cenfendi officium principis honore confumit?
Tuae moderationis laus haec conftantia noftra:

fto feverior, ad quem Horatius Od. 4, 5. extr. *Longas o utinam — dicimus* UVIDI, *Cum Sol Oceano fubeft. Scenam, hiftrionem, ludicras artes* removet Plinius, non epularum hilaritatem. Nolim ego eripi mihi, meisque fodalibus, libertatem inter fobrias, hilares tamen, et vino non carentes, epulas ufurpandi nomen Regis, in quo plurima Traiani, et quaedam — fed hic nimis anguftus locus eft. *G.*

theatra ipfa) Ut fupra Ep. 3, 18, 9. *Theatra male muficos canere docuerunt. G.*

4 *exceffuros — titulos)* Titulos adeo longos, quos vix capiant *faftigia (frontifpicia* aut *frontones* hodie vocant) locus illis deftinatus et proprius: exemplo eft prima illa in Gruteriano corpore Panthei infcriptio. Quam opus fuerit hac adnotatione, oftendit Arntzenii longa deliratio, qui Perizonii brevem adnotationem eiusdem fententiae non cepit. *G.*

menfes — nomini Caefarum) Quod in *Iulio* et *Augufto* fucceflerat, illud impari fortuna tentatum ab aliis. Caligula *in patris memoriam Septembrem Germanicum appellavit* Sueton. 15. Nero eodem tefte c. 55. *menfem Aprilem Neroneum appellavit.* Domitianus (Sueton. 13.) *Septembrem menfem et Octobrem ex appellationibus fuis Germanicum Domitianumque transnominavit.* Utitur his nominibus Martialis 9, 2. *Sed ubi infauftum vocabulum* (audis Macrob. Sat. 1, 12. extr.) *ex omni aere vel faxo placuit eradi; menfes quoque ufurpatione tyrannicae adpellationis exuti funt. G.*

5 *Tuae moderationis laus)* Quod iam non leves adulatores, fed conftantes et graves fenato-

tibi obſequimur, quod in curiam, non ad certa-
men adulationum, ſed ad uſum munusque iuſti-
tiae convenimus, hanc ſimplicitati tuae veritati-
que gratiam relaturi, ut te, quae vis, velle,
6 quae non vis, nolle credamus. Incipimus inde,
deſinimus ibi, a quo incipi, in quo deſini ſub
alio principe non poſſet. Nam plerosque ex de-
cretis honoribus et alii non receperunt; nemo
ante tantus fuit, ut crederetur noluiſſe decerni.
7 Quod ego titulis omnibus ſpecioſius reor, quan-
do non trabibus aut ſaxis nomen tuum, ſed mo-
numentis aeternae laudis inciditur.

LV. Ibit in ſecula, fuiſſe principem, cui
florenti et incolumi, nunquam niſi modici hono-
2 res, ſaepius nulli decernerentur. Et ſane, ſi ve-
limus cum priorum temporum neceſſitate certare,
vincemur: ingenioſior eſt enim ad excogitandum
ſimulatio veritate, ſervitus libertate, metus amo-
3 re. Simul quum iampridem novitas omnis adula-
tione conſumta ſit, non alius erga te novus ho-
nor ſupereſt, quam ſi aliquando de te tacere au-
4 deamus. Age, ſi quando pietas noſtra ſilentium

res ſumus, ad moderationis tuae laudem pertinet, qua adulationes id genus reſpuis. Adhuc ita lectum, *tuae moderationis haec laus conſtantia noſtra*: quae cum ſana lectio mihi non videretur, auſus ſum ante hos tres annos medicinam nimis, ut nunc videtur, vehementem adhibere. Legebam, *tuae moderationis haec laus, an conſtantiae noſtrae?* quam iuvabat, quod *conſtantiae noſtrae* iam legitur in quibusdam libris. Iam faciliorem longe, et, puto, veram rationem ingreſſus ſum, transpoſitis modo duabus vocibus monoſyllabis; quo quid poteſt eſſe blandius? *G.*

7 *trabibus aut ſaxis)* Non diſtinguit, puto, materiam, quaſi trabes tantum ſint ligneae; ſed *trabes* h. e. epiſtylia tectorum, moles transverſas columnis impoſitas, quae excipiendis inſcriptionibus ac titulis praeſertim aptae ſunt, ab alio genere ſaxorum, in baſibus columnarum, altaribus etc. diſtinguit. Sic Horat. Od. 2, 18, 3. *Trabes Hymettiae* ſunt marmoreae. *Argenteae autem trabes Salamis* Colchorum regis ſunt Plin. 33, 3. ſ. 15. Et Claudianus de nupt. Honorii 88. *trabibus ſmaragdis ſuppoſuit caeſas hyacinthi rupe columnas. G.*

monumentis aeternae laudis) Monumenta aeternae laudis ſunt, quae ingeniis debentur. Unde mox: *Ibit in ſecula* etc. *E.*

LV, 4 *Age, ſi — recuſas)* Locus varie ſollicitatus et editus. Gierigius verba, *quae qualisque — non recuſas*, parentheſi

rupit, et verecundiam tuam vicit, quae qualiaque
decernimus nos, tu non recufas! ut appareat,
non fuperbia et faftidio te ampliffimos honores
repudiare, qui minores non dedigneris. Pulchrius 5
hoc, Caefar, quam fi recufares omnes: nam re-
cufare omnes, ambitionis; moderationis eft, eli-
gere parciffimos. Quo temperamento et nobis et
aerario confulis: nobis quidem, quod omni li-
beras fufpicione; aerario autem, quod fumtibus
eius adhibes modum, ut qui exhauftum non fis
innocentium bonis repleturus. Stant igitur effigies 6
tuae, quales olim ob egregia in rempublicam me-
rita privatis dicabantur. Vifuntur eadem e mate-
ria Caefaris ftatuae, qua Brutorum, qua Camil-
lorum. Nec discrepat cauffa. Illi enim reges 7
hoftemque victorem moenibus depulerunt: hic
regnum ipfum, quaeque alia captivitas gignit,
arcet ac fubmovet; fedemque obtinet principis,
ne fit domino locus. Ac mihi, intuenti fapien- 8
tiam tuam, minus mirum videtur, quod mortales
iftos caducosque titulos, aut depreceris, aut tem-
peres. Scis enim, ubi vera principis, ubi fem-

inclufit, et poft ea afterifcos pofuit, qui fignificent, hic excidiffe fententiam aliquam, unde pendeat *ut appareat.* Gesneriana illa lectio idoneum fenfum reddit. *E.*

5 *omni liberas fufpicione)* Intelligo praefertim *fufpicionem* fenatus de fuperbia Imperatoris, fi is nullum plane honorem reciperet: (vid. mox 59, 1.) neque tamen praefracte excluferim *fufpicionem*, in quam incurrere fenatus poffit, rufticitatis cuiusdam et rigidae pervicaciae, fi plane nullum Imperatori honorem haberet. *Sine dubitatione recipiendum puto fupplementum e Schwarzianis copiis fuppeditatum. Adhuc omnes fic dabant hunc locum: *Quo temperamento et nobis et aerario prodes, quod fumtibus.* Solet Plinius exfequi divifiones a fe propofitas. *G.*

fumtibus — modum) non finis honoribus tuis, v. c. templis, ftatuis, arcubus tibi exftruendis, magnos fumtus ex aerario impendi, quia tu id, cum exhauftum fuerit, non iterum effes innocentium bonis repleturus, ut ceteri imperatores ante te fecerunt. *E.*

7 *quae — captivitas gignit)* fervitutem, ereptiones bonorum, iniufta fupplicia. *Regnum* enim et *dominus* nunc invidiofe, de tyrannide. *E.*

8 *depreceris — temperes)* *Malim, fi per libros liceret, *deprecaris, temperas*; in fententia definita ac certa. *G.*

piterna ſit gloria: ubi ſiut honores, in quos nihil flammis, nihil ſenectúti, nihil ſucceſſoribus liceat.
9 Arcus enim et ſtatuas, aras etiam templaque demolitur et obſcurat oblivio, negligit carpitque poſteritas: contra, contemtor ambitionis, et infinitae poteſtatis domitor ac frenator animus ipſa vetuſtate floreſcit, nec ab ullis magis laudatur, quam quibus minime neceſſe eſt. Praeterea, ut quisquis factus eſt princeps, extemplo fama eius, incertum bona an mala, ceterum aeterna eſt.
10 Non ergo perpetua principi fama quae invitum manet, ſed bona concupiſcenda eſt: ea porro non imaginibus et ſtatuis, ſed virtute ac meritis
11 prorogatur. Quin etiam leviora haec, formam principis figuramque, non aurum melius, vel argentum, quam favor hominum exprimat teneatque. Quod quidem prolixe tibi cumulateque contingit, cuius laetiſſima facies et amabilis vultus in omnium civium ore, oculis, animo ſedet.

LVI. Annotaſſe vos credo, Patres Conſcripti, iamdudum me non eligere, quae referam: propoſitum eſt enim mihi, Principem laudare, non Principis facta. Nam laudabilia multa etiam mali faciunt; ipſe laudari, niſi optimus, non poteſt. Quare non alia maior, Imperator Auguſte, gloria tua, quam quod agentibus tibi gratias ni-
2 hil velandum eſt, nihil omittendum eſt. Quid eſt enim in principatu tuo, quod cuiusquam prae-

ſenectuti) exquiſite pro *vetuſtati*, qua templa, ſtatuae, et ſimilia honorum monumenta deleri ſolent. *E.*

9 *ut quisquis)* Sic omnes recentiores praeter Schwarzium, qui edidit *quisque*, quod Patruo meo probabatur. *Ceterum* h. l. pro tamen. *E.*

Quisque etiam in Arntzeniana. An *ut quis?* *S.*

11 *favor hominum)* Ita fere omnes, quibus *Pulchrorum* quaſi ſolemnis appellatio haeſit, hanc famam, hanc memoriam non imaginibus quibuscunque debent, ſed benevola hominum praedicatione factum eſt, ut in cognomen abiret. *G.*

LVI, 1 *eligere)* praeſtantiſſima quaeque excerpere ex factis Traiani: nam laudo principem, qui totus bonus eſt, cuius omnia facta laudabilia ſunt. *E.*

2 *cuiusquam praedicatio)* *Debeo libris melioribus, a Cl. Schwar-

dicatio vel transſilire, vel praetervehi debeat?
Quod momentum, quod immo temporis punctum,
aut beneficio ſterile, aut vacuum laude? Nonne
omnia eiusmodi, ut is optime te laudaſſe videa-
tur, qui narraverit fideliſſime? Quo fit, ut pro-
pe in immenſum diffundatur oratio mea: et nec-
dum de biennio loquor. Quam multa dixi de 3
moderatione, et quanto plura adhuc reſtant! ut
illud, quod ſecundum conſulatum recepiſti, quia
princeps et pater deferebat. At poſtquam ad te
imperii ſummam, et cum omnium rerum, tum
etiam tui poteſtatem dii transtulerunt; tertium
conſulatum recuſaſti, quum agere tam bonum
conſulem poſſes. Magnum eſt, differre honorem; 4
gloriam, maius. Geſtum conſulatum mirer, an
non receptum? geſtum non in hoc urbis otio,
et intimo ſinu pacis; ſed iuxta barbaras gentes:
ut illi ſolebant, quibus erat moris paludamento
mutare praetextam, ignotasque terras victoria ſe-
qui. Pulchrum imperio, glorioſum tibi, quum 5
te ſocii atque amici, ſua in patria, ſuis in ſedi-

zio laudatis, hanc ſcripturam. Alioqui *cuiusque*, quod habent alii, idem poſſe ſignificare, et *quisque, quandoque*, poni pro *quiscunque, quandocunque*, tralaticium eſt. Vid. v. g. 62, 8. Par fere eſt ratio eius, quod mox pro, *Num omnia eiusmodi*, admiſi *Nonne omnia.* Ipſum enim *num* pro *nonne* poni (ut 74, 4. *Eſtne verum?* pro, *Nonne verum eſt.* ut 88, 4. *Iuſtisne de cauſſis?* ut ſaepe apud alios *An* pro *Anne*) mihi non videtur inauditum; licet non ſtatim ad manus ſit exemplum. [Add. Gesneri ad I. A. Erneſtium epiſtola.] Illi enim, quod ex Cic. pro Ligar. 10. profertur *Igitur num tibi videor, Caeſar, in cauſſa Ligarii occupatus eſſe?* non multum tribuo: cum negationis vim habeat interrogatio. *G.*

Nonne omnia) Arntzen. *non omnia.* Sed *ne* ante vocalem facile inter dictantem et ſcribentem periit. *G.*

3 *quum agere — poſſes*) Nervus ſententiae, quae ſine eo valde langueret, eſt in illo *poſſes*, h. e. cum iam in tua poteſtate et arbitrio eſſet, tertio conſulatu conſulem agere, tamen recuſaſti. Hoc enim ſummae eſt moderationis, honorem et gloriam, qua frui poſſis, ultro recuſare. Hoc ſtatim Plinius addit: *Magnum eſt* etc. *E.*

4 *geſtum non in hoc*) * Sic invenit in bonis libris Schwarzius: al. *geſtus*. *G.*

paludamento mutare praetextam) Statim poſt *praetextam* conſularem ſumtam induere *paludamentum*, Imperatoriam veſtem. *G.*

6 bus adierunt. Decora facies conſulis: multa poſt ſecula tribunal viridi ceſpite exſtructum, nec faſcium tantum, ſed pilorum ſignorumque honore circumdatum. Augebant maieſtatem praeſidentis, diverſi poſtulantium habitus, ac diſſonae voces,
7 raraque ſine interprete oratio. Magnificum eſt civibus iura; quid hoſtibus reddere? ſpecioſum certam fori partem; quid immanes campos ſella curuli victoriſque veſtigio premere? imminere minacibus ripis tutum quietumque; quid ſpernere barbaros fremitus, hoſtilemque terrorem, non armorum magis, quam togarum oſtentatione com-
8 peſcere? Itaque non te apud imagines, ſed ipſum praeſentem audientemque conſalutabant Imperatorem: nomenque, quod alii domitis hoſtibus, tu contemtis merebare.

6 *Decora facies* etc.) Al. *Decora facies! Conſulis multa* etc. Placebat id Erneſtio. „Ita non dubitavi, inquit, cum Schwarzio et Gierigio refingere vulgatam lectionem, quae coniungebat haec: *Decora facies conſulis!* Cauſſas illius mutationis adferunt duas: 1) quia *facies*, forma non conſulis, ſed totius loci deſcribitur; 2) quia non credibile eſt, multa poſt ſecula nullum ducem Rom. e tribunali ceſpititio verba feciſſe; ſed *conſulis* tribunal ex ea materia poſt multa ſecula nemo viderat." *S.*

tribunal viridi ceſpite) Illuſtrat Lipſ. ad Tac. Ann. 1, 18. *G.*

raraque ſine interprete oratio) quodque raro ſine interprete poſtulantium oratio intelligeretur. Aliter Gierigius, Mithridaticâ bonum Imperatorem *πολυγλωττίᾳ* beans. *S.*

7 *certam fori partem*) Ne totum quidem forum: ſic opponitur *campis immanibus* i. e. latiſſimis. Sed libri fere omnes *pacem*: ſic opponetur *campis immanibus* h. e. infeſtis, et hoſte oppletis. Et hoc prope malim. *G.*

Nempe Geſnerus recte vidit, *certam partem* male opponi *immanibus campis*, et illam ſententiam valde languere. Ego puto vitium eſſe in *certam*; deſidero *curtam*, vel ſimilem vocem, quae illi *immanitati* contraria ſit. Nam et illud quaeri poteſt, *immanes campos* utrum ingentes potius, an infeſtos interpretemur: ſi infeſtos, nec *certa* nec *curta* pars fori recte opponitur. *E.*

imminere — ripis) admovere caſtra ripis hoſtilibus, in quibus hoſtes proelia minantur. Quare *ripas* potiſſimum commemoret, e Cap. 16, 2. patebit, ubi *ſtare in Danubii ripa* Traianus praedicatur. Mox *togarum oſtentatio* eſt eius, qui inter negotia civilia verſatur. Nam ſic *toga* ſaepius dicitur. Laudant viri docti Liv. 22, 26. Tac. Ann. 11, 7. et Plin. Epiſt. 1, 22. ubi *in toga negotiisque verſari* iungitur. *E.*

8 *apud imagines*) In ſignis militaribus vulgo imagines Imperatorum: vid. Lipſ. de mil. Rom. 4, 5. ſed etiam ſeparatim *aurea ſtatua in ſuggeſtu et ſella collocata*. vid. Tac. Ann. 15, 29. et H. 1, 36. vid. ſupra 10, 3. *G.*

LVII. Haec laus acti consulatus; illa dilati, quod adhuc initio principatus, ut iam excusatus honoribus et expletus, consulatum recusasti: quem novi Imperatores destinatum aliis, in se transferebant. Fuit etiam, qui in principatus sui fine consulatum, 2 quem dederat ipse, magna ex parte iam gestum, extorqueret et raperet. Hoc ergo honore, quem et incipientes principes et desinentes adeo concupiscunt, ut auferant, tu, otioso ac vacante, privatis cessisti. Invidiosusne erat aut tibi tertius consulatus, aut 3 principi primus? Nam secundum Imperator quidem, sub Imperatore tamen, inisti: nihilque imputari in eo vel honori potest, vel exemplo, nisi obsequium. Ita vero, quae civitas quinquies, 4 atque etiam sexies, consules vidit, non illos, qui exspirante iam libertate per vim ac tumultum creabantur, sed quibus sepositis et absentibus, in rura sua consulatus ferebantur: in hac civitate tertium consulatum princeps generis humani, ut praegravem, recusasti? Tantone Papyriis etiam et Quinctiis moderatior, Augustus, et Caesar, et

LVII, 1 *excusatus*) Al. *exsatiatus*, quod praefert Oudend. ad Sueton. pag. 221. *S.*

novi Imperatores) Refert huc Lipsius Othonem, qui Tacito teste H. 1, 77. *Consul cum Titiano fratre in Kalendas Martias ipse — ceteri consulatus ex destinatione Neronis aut Galbae manserunt.* *G.*

2 *Fuit etiam*) Neronem esse docuit idem Lipsius, de quo Sueton. 43. in ultimis eius commemorandis, *Consules ante tempus privavit honore, atque in utriusque locum solus iniit Consulatum, quasi fatale esset, non posse Gallos debellari, nisi a Consule.* *G.*

otioso ac vacante) qui nondum occupatus esset ab alio et vacaret, quia nullus alius Consul in istum annum designatus esset, hunc honorem tu privatis reliquisti. *E.*

3 *tibi tertius*) Quandoquidem ante adoptionem Consul fuerat, iterum adoptatus quidem, sed sub patre. *G.*

4 *exspirante — libertate*) Ut C. Marius, ut Iulius Caesar. *G.*

Mox *sepositos et absentes* dicit, qui secesserant in villas adeoque absentes erant, ut C. Attilius Regulus, quem, Plinio H. N. 18, 3. referente, *serentem invenerunt honores dati*; et L. Quinct. Cincinnatus, de quo v. Cic. Senect. 16. *E.*

ut praegravem) *Firmat hanc lectionem Schwarzius et Arntzen. Al. *pergravem*. *G.*

Papyriis — et Quinctiis) Illum quinquies, hunc sexies Consulem fuisse, fasti ostendunt. *G.*

Pater patriae? At illos respublica ciebat. Quid? te non eadem respublica? non ſenatus? non conſulatus ipſe? qui ſibi tuis humeris attolli et augeſcere videtur?

LVIII. Non te ad exemplar eius voco, qui
continuis conſulatibus fecerat longum quendam
et ſine diſcrimine annum: his te confero, quos
certum eſt, quoties conſules fuerunt, non ſibi
praeſtitiſſe. Erat in ſenatu ter conſul, quum tu
2 tertium conſulatum recuſabas. Oneroſum neſcio
quid verecundiae tuae conſenſus noſter indixerat,
ut princeps toties conſul eſſes, quoties ſenator
tuus: nimia modeſtia iſtud, etiam privatus, re-
3 cuſaſſes. An conſularis viri triumphaliſque filius,
quum tertio conſul creatur, adſcendit? non de-
bitum hoc illi? non vel ſola generis claritate
4 promeritum? Contigit ergo privatis aperire an-
num, faſtosque reſerare: et hoc quoque redditae
libertatis indicium fuit, quod conſul alius, quam
Caeſar, eſſet. Sic exactis regibus coepit liber
annus: ſic olim ſervitus pulſa, privata faſtis no-
5 mina induxit. Miſeros ambitionis, qui ita conſu-
les ſemper, ut ſemper principes erant! Quam-
quam non ambitio magis, quam livor et maligni-
tas videri poteſt, omnes annos poſſidere, ſum-

LVIII, 1 *continuis conſulatibus)* Domitianus *Conſulatus XVII cepit, quot ante eum nemo: ex quibus ſeptem medios continuavit: omnes autem paene titulo tenus geſſit; nec quemquam ultra Kalendas Maii: plures ad Idus usque Ianuarias.* vid. Auſon. Paneg. c. 11, 4. *G.*

ſibi praeſtitiſſe) Vid. 48, 2. *G.*

ter conſul) De C. Silio Italico ſuſpicatur Lipſius: ſed ſuſpicatur, quia haec pars faſtorum tenebroſa: et non ſatis convenit cum noſtri ep. 3, 7. niſi *in ſenatu* tamen fuiſſe dicamus, qui propter valetudinem *in curiam* non venerit. *G.*

2 *Oneroſum — — tuus)* Haec ἐρωτηματικῶς intelligenda eſſe, pulchre monuit I. A. Erneſtius. *S.*

3 *adſcendit)* augetur dignitate. *E.*

4 *aperire annum)* Kalendis Ianuariis conſulatum gerere, annumque ab eo appellare; deponendo deinde, et mandando ſuffectis. Vid. ad ſ. 1. Hinc intelligimus, quid ſit ſ. 5. *praeceptum et praefloratum decus. G.*

Hoc ſenſu Domitianus omnes conſulatus paene titulo tenus geſſit, nec quenquam ultra Kalendas Maii: plures ad Idus usque Ianuarias. Sueton. 13. *E.*

numque illud purpurae decus non nisi praecerptum praefloratumque transmittere. Tuam vero 6
magnanimitatem, an modestiam, an benignitatem prius mirer? Magnanimitas fuit, expetito semper honore abstinere; modestia, cedere; benignitas, per alios frui.

LIX. Sed iam tempus est, te ipsi consulatui praestare, ut maiorem eum suscipiendo gerendoque augustiorem facias. Nam saepius recusare, ambiguam ac potius illam interpretationem habet, tanquam minorem putes. Tu quidem ut maximum recusasti; sed hoc persuadere nemini poteris, nisi aliquando et non recusaveris. Quum arcus, quum 2
tropaea, quum statuas deprecaris; tribuenda est verecundiae tuae venia; illa enim sane tibi dicantur: nunc vero postulamus, ut futuros principes doceas inertiae renuntiare, paullisper delicias differre, paullisper et saltem ad brevissimum tempus, ex illo felicitatis somno velut excitatos, induere praetextam, quam quum dare possent, oc-

6 *per alios frui)* Sic supra 50, 6. *Habes per amicos. Fruitur* Imperator et gaudet honore amicorum. *G.*

LIX, 1 *Sed iam tempus)* Haec iam ad 60, 3. non ex sua persona dicit, et praesenti tempore, Plinius: sed fingit, quid respubl, quid quisque senator dicere potuerit ante susceptum a Caesare tertium Consulatum; quem haec agente Plinio iam gesserat. *G.*

Te — praestare est, pati ut consulatus tibi iniungatur, consulatum suscipere. *E.*

ipsi consulatui) cum tibi nolis. vid. 58, 1. Al. *ipsum cons.* perperam. *S.*

augustiorem) Possunt haec duo distingui. *Maior* fit consulatus, quem Imperator dignatur suscipere: *augustior* fit, et plus reverentiae accipit, quem Traianus sancte adeo gerit. *Est unius tantum Parisiensis codicis apud Schwarzium lectio: Plinio tamen digna. *G.*

Conf. I. A. Ernestius ad h. l. cuius tamen rationem equidem non sequar. *S.*

saepius recusare) Vid. 55, 5. *G.*

2 *tibi dicantur)* Bene Livineius: „Id est, meritis tuis, non ad exemplum, quod in consulatu capiendo spectent atque imitentur futuri Principes, ut sequitur." *S.*

nunc vero postulamus) *Recte obtemperatum Lipsio a posterioribus, qui monuit non *cum vero* hic legendum; sed *nunc vero*. Schwarzius supplet *c. v. p.* [*ut suscipias gerasque consulatum; postulamus*] *ut* etc. Sed blandior argutiorque medela Lipsiana. *G.*

Conf. I. A. Ernestius ad h. l. *S.*

dare possent, occuparint) Haec tempora si servantur, legendum

cuparint; adſcendere curulem, quam detineant; eſſe
denique, quod concupierunt, nec ideo tantum velle
3 conſules fieri, ut fuerint. Geſſiſti alterum conſula-
tum, ſcio: illum exercitibus, illum provinciis, illum
etiam ceteris gentibus poteris imputare, non pot-
es nobis. Audivimus quidem, te omne munus
conſulis obiiſſe; ſed audivimus. Diceris iuſtiſſi-
mus, humaniſſimus, patientiſſimus fuiſſe; ſed di-
ceris. Aequum eſt aliquando nos iudicio noſtro,
noſtris oculis, non famae ſemper et rumoribus
4 credere. Quousque abſentes de abſente gaude-
bimus? Liceat experiri, an aliquid ſuperbiae tibi
ille ipſe ſecundus conſulatus attulerit. Multum
in commutandis moribus hominum medius annus
5 valet, in principum plus. Didicimus quidem, cui
virtus aliqua contingat, omnes ineſſe: cupimus
tamen experiri, an nunc quoque una eademque res
6 ſit, bonus conſul, et bonus princeps. Nam praeter

videtur, ut Gierigius volebat: *quam ut dare poſſent, occuparint*, ut ſit in his verbis quaedam obiurgatio principum, qui aliquando conſulatum rapuerint, non ut ipſi eo fuogaotur, ſed ut aliis dare poſſint. Sed ne id quidem placet, et iam Schwarzius in illis temporibus haeſit. Totius orationis Plioiauae nexus poſtulat, ut legatur, *quam, quum dare poſſint, occupent*, hoc ſenſu: diſcant ſuo exemplo futuri priocipes, conſulatum, quem aliis dare, ad alios transmittere poſſint, ipſi occupare, h. e. totum et integrum gerere. Huoc ſenſum iam variatis verbis et rebus repetit; diſcant *aſcendere curulem, quam detineant*, h. e. non poſt paucos dies, more ſuperiorum Impp. deferant; *eſſe denique* etc. quae omnia unam eandemque ſententiam variaot. *E.*

Vix haec ſatisfaciunt. In aliis libris non *poſſent* legitur, ſed *poſſint*. Suſpicor igitur ſcribendum eſſe, *quam dare poſſint, quum occuparint*. Supra cap. 10, 2. *ille tantum — occupavit, primusque fecit* etc. H. l. videtur eſſe, priorem induere praetextam. *S.*

3 *ceteris)* Al. *exteris*. quod praeſtat. *S.*

4 *Liceat experiri)* Monebunt magiſtri tirones ſuos, quam inepte Plinius ſe in hoc loco geſſerit. — *Medium annum* mox dicit medium tempus vitae et imperii. *E.*

Non auſim Plinium h. l. ineptiarum arguere. Etſi enim conſulatus ſub Caeſaribus vere σκιᾶς ὄναρ erat, Traiano tamen non poterat non placere orator, qui temporum felicitate ad id quoque uteretur, ut ſui ſeculi conſulem priſcis conſulibus certe tantisper comparare non dubitaret. *S.*

6 *Nam praeter id, quod — tum —)* Notanda conſtructio. Poterat ratione uſitatiori: *Cum enim arduum ſit — —, tum ineſt* etc. *S.*

id, quod est arduum, duas easque summas simul capere potestates, tum inest utrique nonnulla diversitas, quum principem quam simillimum esse privato, consulem quam dissimillimum, deceat.

LX. Atque ego video, proximo anno consulatus recusandi hanc praecipuam fuisse rationem, quod eum absens gerere non poteras: sed iam urbi votisque publicis redditus, quid est, in quo magis sis approbaturus, quae quantaque fuerint, quae desiderabamus? Parum est, ut in curiam venias, nisi et convocas; ut intersis senatui, nisi et praesides; ut censentes audias, nisi et perrogas. Vis illud augustissimum consulum aliquando tribunal maiestati suae reddere? adscende. 2
Vis constare reverentiam magistratibus, legibus auctoritatem, modestiam postulantibus? adi. Quod 3
enim interesset reipublicae, si privatus esses, consulem te haberet tantum, an et senatorem; hoc nunc scito interesse, principem te habeat tantum, an et consulem. His tot tantisque rationibus, 4
quamquam multum reluctata verecundia Principis nostri, tandem tamen cessit. At quemadmodum

principem quam simillimum) *Principem*, qui extra humilitatis metum positus est, *decet* comitate sua *quam simillimum esse privato*: contra *consulem*, vim et auctoritatem sui muneris intelligere, dignamque persona illa gravitatem praestare. *Nimirum recipimus commendatam optimis auctoribus a Schwarzio lectionem. Vulg. *quum principem quam dissimillimum consuli deceat.* G.

Ipsa autem omnis sententia quam arguta, quam parum vera sit, in oculos incurrit. *E.*

LX, 2 *postulantibus)* Iuris sui obtinendi caussa ad consulare tribunal venientibus, ut 56, 6. *Hoc quum non observarent quidam, *petulantibus* temere reposuerunt. Pro *adi*, repoui vult Lipsius, *audi*, ut ad postulantes referatur. *G.*

Conf. I. A. Ernestius ad h. l. *S.*

3 *Quod enim interesset* etc.) Bene docuit ad h. l. Gierigius, hanc similitudinem valde claudicare. Nam 1) consul unius anni comparatur cum principe perpetuo, et senator perpetuus cum consule unius anni: 2) quamdiu senator consulatu fungebatur, non peculiaria senatoris munia obibat: at Traianus princeps tempore consulatus sui duplicem sustinebat personam, suscipiebatque ea, quae alio tempore consulibus relinqueret. *E.*

Duabus vocibus transpositis scribendum videtur: *senatorem te haberet tantum, an et consulem.* *S.*

ceſſit? Non ſe ut privatis, ſed ut privatos pares
5 ſibi faceret. Recepit enim tertium conſulatum,
ut daret. Noverat moderationem hominum, noverat
pudorem, qui non ſuſtinerent tertio conſules
eſſe, niſi cum ter conſule. Bellorum iſtud
ſociis olim, periculorum conſortibus, parce tamen
tribuebatur; quod tu ſingularibus viris, ac de te
quidem bene ac fortiter meritis praeſtitiſti, ſed in
6 toga meritis. Utriusque cura, utriusque vigilantia
obſtrictus es, Caeſar. Sed in principe rarum,
ac prope inſolitum eſt, ut ſe putet obligatum, aut,
ſi putet, amet. Debes ergo, Caeſar, et ſolvis.
Sed quum ter conſules facis, non tibi magnus
7 princeps, ſed non ingratus amicus videris. Quin
etiam perquam modica quaedam civium merita
fortunae tuae viribus in maius extollis. Efficis
enim, ut tantum tibi quisque praeſtitiſſe videatur,
quantum a te recepit. Quid iſti benignitati precer?
niſi ut ſemper obligeris, incertumque facias,
utrum[1] magis expediat civibus tuis debere
tibi, an praeſtitiſſe.

LXI. Equidem illum antiquum ſenatum
contueri videbar, quum ter conſule aſſidente,
tertio conſulem deſignatum rogari ſententiam
2 cernerem. Quanti tunc illi, quantusque tu! Ac-

4 *pares ſibi*) Al. *ſibi pares.* qui verborum ordo praeferendus. Ceterum Traianus privatos ſibi pares fecit, quod collegas adſumeret eos, qui et ipſi iam bis conſules fuiſſent: alioqui ſe privatis aequaſſet. *S.*

5 *ſingularibus viris*) In Faſtis, ut ab Almeloveenio editi ſunt, anno U. C. 852, poſt N. C. 100 Conſules hi adſcripti: *Imp. Ulpius Traianus III, M. Cornelius Fronto III.* Suff. Ex Kal. Mart. *Sextus Pomponius Collega III.* Ex Kal. Sept. *C. Plinius Secundus, Sp. Cornelius Tertullus.* Ex Kal. Nov. *Iulius Ferox, Acatius Nerva.* Haec eſſe ſatis accurata, oſtendit c. 61, 6. unde colligas, Traianum primis duobus menſibus cum Frontone, alteris duobus cum Collega conſulem fuiſſe. *G.*

Conf. I A. Erneſtius ad h. l. *S.*

6 *ſi putet, amet*) Cui enim quis obligatum ſe ſentit, illum ea parte maiorem ſe agnoſcit. Itaque beneficio vinci quidam adeo nolunt, ut etiam oderint bene de ſe meritum. Contra ea Cicero Fam. 5, 7. *Facile patior apud me plus officii reſidere, me officioſiorem fuiſſe.* *G.*

7 *fortunae tuae viribus*) praemiis principalibus, quibus illorum merita ornas. *E.*

cidit quidem; ut corpora quamlibet ardua et excelſa, proceriòribus admota, decreſcant; item, ut altiſſimae civium dignitates collatione faſtigii tui quaſi deprimantur, quantoque propius ad magnitudinem tuam, adſcenderint, tantum etiam a ſua deſcendiſſe videantur. Illos tamen tu, quam- 3
quam non potuiſti tibi aequare, quum velles, adeo in edito collocaſti, ut tantum ſuper ceteròs, quantum infra te cernerentur. Si unius tertium 4
conſulatum eundem in annum, in quem tuum, contuliſſes: ingentis animi ſpecimen haberetur. Ut enim felicitatis eſt, quantum velis, poſſe: ſic magnitudinis, velle, quantum poſſis. Laudandus 5
quidem et ille, qui tertium conſulatum meruit; ſed magis, ſub quo meruit: magnus memorandusque, qui tantum praemium cepit; ſed maior, qui capienti dedit. Quid? quod duos pariter tertio 6
conſulatu collegas tui ſanctitate decoraſti? ut ſit

LXI, 2 *Accidit quidem, ut etc.*) Vid. Gesneri ad I. A. Erneſtium epiſtola, ipſeque I. A. Erneſt. *S.*
tantum) *Sic boni libri apud Schwarzium; ſic ſermonis ratio poſtulat. *Tanto* al. *G.*
4 *Ut enim felicitatis*) Avunculus noſtri in praefat. ad Titum, *Nec quidquam mutavit in te fortunae amplitudo, niſi ut prodeſſe tantumdem poſſes ut* (f. ac) *velles. G.*
5 *ſub quo meruit*) Imperator, non invidens virtuti, non metuens ſibi a virtute honorata, ut ſuperiores, ſed eam provehens. *Praemium capere* non eſt ſimpliciter accipere, ſed accipere dignum et parem. Cic. Fam. 2, 6. *Cum praeſertim confiderem, nullam eſſe gratiam, quam non vel c a p e r e animus meus i n a c c i p i e n d o, vel in remunerando cumulare atque illuſtrare poſſet. G.*
6 *collegas tui ſanctitate*) *Tui ſanctitate* pro *tua*, ut 76, 1. *ſub exemplo tui* i. e. *tuo*. Forte *tui* poſitum tanto magis, ut ſanctitatem *in*telligamus, qua aliis ſanctus eſt Imperator et inviolatus. *Hanc conſtantem librorum lectionem, quam ſervat etiam Arntzenius, utcunque explicari hoc modo poſſe, fateor. Sed non nego, magis mihi placere Lipſii coniecturam, quam in priore editione receperam, quod codicis etiam alicuius praeſidio munitam putarem, *collegii tui ſanctitate*. *Collegium* non modo pro ipſis collegis pluribus ſumi, ſed pro muneris ſocietate, ſatis docet locus Tac. Ann. 3, 31. *Sequitur Tiberii quartus, Druſi ſecundus conſulatus, patris atque filii collegio inſignis. G.*
Illam Lipſii coniecturam in textum recepit Gierigius, itaque edidit: *Quid? quod duos pariter tertio conſulatu, duos collegii tui ſanctitate decoraſti?* laudavitque, ut doceret *collegium* illa aetate etiam pro muneris ſocietate dictum, haec loca, Vellei. 2, 8, 2. et 2, 90, 1. *E.*

nemini dubium, hanc tibi praecipuam caussam
fuisse extendendi consulatus tui, ut duorum con-
sulatus amplecteretur, et collegam te non uni da-
7 ret. Uterque nuper consulatum alterum gesserat
a' patre tuo, id est, quanto minus quam a te?
datum: utriusque adhuc oculis paullo ante dimissi
fasces oberrabant: utriusque solemnis ille licto-
rum et praenuntius clamor auribus insederat; quum
rursus curulis, rursusque purpura: ut olim, quum
hostis in proximo, et in summum discrimen ad-
ducta respublica, expertum honoribus virum po-
sceret, non consulatus hominibus iisdem, sed
8 iidem homines consulatibus reddebantur. Tanta
tibi benefaciendi vis, ut indulgentia tua necessita-
tes aemuletur. Modo praetextas exuerant; resu-
mant: modo lictores abire iusserant; revocent:
modo gratulantes amici recesserant; revertantur.
9 Hominisne istud ingenium est? hominis potestas?
renovare gaudia, redintegrare laetitiam, nullam re-
quiem gratulationibus dare, neque alia repetendis

non uni daret) *Illud *non*, quod male plerique omittunt, recte e pluribus MSS. revocandum ostendit Schwarzius, et probat Arntzenius. *G.*

quanto minus etc.) h. e. fere perinde, quam a te ipso datum, sive, parum abest, quin consulatus ille a te ipso datus videatur. Nempe uterque, (Fronto, et Pomponius, s. Acutius, de quibus Cap. 60, 5.) secundum consulatum gesserant a Nerva ipsis delatum; itaque Traianus, et filius et collega Nervae, merito in societatem paternae laudis veniebat. Hoc certe modo Plinius Traiani beneficium exaggerat. In loco sequenti usque ad l. 9. orationis, hoc est nunc paullo argutius atque obscurius declarat, illos post alterum consulatum statim tertium consecutos esse. *E.*

De formula *quanto minus quam* vid. I. A. Ernestius ad h. l. *S.*

praenuntius clamor) Animadvertentium, quod proprium est in re verbum, et honorem haberi consuli iubentium. *G.*

non consulatus hominibus etc.) Quam arguta haec! Nempe cum *munus homini* datur, fit honoris caussa, ut ille honoretur; cum autem *homo* denuo *muneri* redditur et praeficitur, ideo fit, quod salus publica hunc ipsum hominem flagitat, ut qui solus opem ferre possit. *E.*

8 *indulgentia tua necessitates)* Indulgentia tua, bene merendi de bene meritis cupidius, ea praestat, quae alias imperabant necessitates publicae. *Lectio e Parisiensi codice a Schwarzio restituta. Alii immutant sic, *indulgentiam tuam necessitas aemuletur.* *G.*

9 *nullam requiem gratulationibus)* *Sic ex MSS. Schwarzius. Al. *nullamque requiem gratulationis dare*, quos sequitur Arntzenius. *G.*

consulatibus intervalla permittere, nisi dum finiun-
tur? Facias ista semper, nec unquam in hoc opere 10
aut animus tuus, aut fortuna lassetur. Des quam
plurimis tertios consulatus, et, quum plurimis
tertios consulatus dederis, semper tamen plures,
quibus debeas dare, supersint.

LXII. Omnium quidem beneficiorum, quae
merentibus tribuuntur, non ad ipsos gaudium ma-
gis, quam ad similes redundat: praecipue tamen
ex horum consulatu, non ad partem aliquam se-
natus, sed ad totum senatum tanta laetitia perve-
nit, ut eundem honorem omnes sibi et dedisse et
accepisse videantur. Nempe enim hi sunt, quos 2
senatus, quum publicis sumtibus minuendis opti-
mum quemque praeficeret, elegit, et quidem pri-
mos. Hoc est igitur, hoc est, quod penitus il-
los animo Caesaris insinuavit. An parum saepe 3
experti sumus, hanc esse rerum conditionem, ut
senatus favor apud principem aut prosit, aut no-
ceat? Nonne paullo ante nihil magis exitiale erat,
quam illa principis cogitatio? *Hunc senatus pro-
bat, hic senatui carus est.* Oderat, quos nos
amaremus; sed et nos, quos ille. Nunc inter 4
principem senatumque dignissimi cuiusque caritate
certatur. Demonstramus invicem, credimus invi-
cem, quodque maximum amoris mutui signum
est, eosdem amamus. Proinde, P. C., favete 5

dum finiuntur) Annum tamen, amplius, intercessisse, e fastis apparet. Observavit iam Lipsius, haec oratorie magis, quam vere dici. *G.*

Nempe illae exaggerationes, illi orationis luxuriantis fluxus et anfractus sine illo mendacio locum habere non potuissent. *E.*

LXII, 1 *quam ad similes)* Quos alacres facit nimirum spes similia consequendi, cum videant, non hominibus honores, sed virtuti ac meritis, dari. *G.*

2 *Nempe enim)* Epist. 3, 16, 8. *Nempe enim — daturi estis* etc. *S.*

sumtibus minuendis) Iam a Nerva hoc collegium institutum videtur, recreandae, quae a Domitiano exhausta fuerat, reipublicae caussa. E Dione Xiphilinus L. 68. p. 770. B. Πολλὰς μὲν θυσίας, πολλὰς δὲ ἱπποδρομίας, ἄλλας τε τινὰς θέας, κατέλυσε, συστέλλων ὡς οἷόν τε τὰ δαπανήματα. *Quinque viros minuendis sumtibus indicio senatus constitutos* vocat ipse noster Ep. 2, 1, 9. *G.*

aperte, diligite conſtanter. Non iam diſſimulan-
dus eſt amor, ne noceat; non premendum odium,
ne proſit. Eadem Caeſar, quae ſenatus, probat
improbatque. Vos ille praeſentes, vos etiam ab-
ſentes in conſilio habet. Tertio conſules fecit,
quos vos elegeratis: et fecit hoc ordine, quo
6 electi a vobis erant. Magnus uterque honor ve-
ſter, ſive eosdem maxime diligit, quos ſcit vobis
eſſe cariſſimos; ſive illis neminem praefert, quam-
7 vis aliquem magis amet. Propoſita ſunt ſeniori-
bus praemia, iuvenibus exempla: adeant, frequen-
tent ſecuras tandem ac patentes domos: quisquis
probatos ſenatui viros ſuſpicit, hic maxime prin-
8 cipem promeretur. Sibi enim accreſcere putat,
quod cuique adſtruatur: nullamque in eo gloriam
ponit, quod ſit omnibus maior, niſi maximi fue-
9 rint, quibus maior eſt. Perſta, Caeſar, in iſta
ratione propoſiti, talesque nos crede, qualis fama
cuiusque eſt. Huic aures, huic oculos intende:
ne reſpexeris clandeſtinas exiſtimationes, nulliſque
magis quam audientibus inſidiantes ſuſurros. Me-
lius omnibus, quam ſingulis creditur: ſinguli enim
decipere et decipi poſſunt; nemo omnes, nemi-
nem omnes fefellerunt.

5 *elegeratis*) minuendis ſumtibus publicis. ſ. 2. *S.*

6 *honor veſter — vobis*) Alloquitur adhuc Patres Conſcriptos, iisque ait honori eſſe hanc rationem Imperatoris, ſive ſuo amore eosdem, qui illis cari eſſent, complectatur maxime, atque ideo ornet; ſive alios habeat cariores, et tamen non praeferat his, quos ſenatus probet, cuius adeo iudicio plus quam ſuo tribuat. *Lectionem hic alias fluctuantem damus, qualis e MSS. extra dubitationem a Schwarzio conſtituta eſt. *G.*

Mox tamen Schwarzius *ſuſcipit*, quod et recepit Gierigius, multis ex locis ducens, *ſuſcipere hominem* dici, qui eius exiſtimationem tuetur et vindicat a malevolorum hominum calumniis. *E.*

Probo *ſuſpicit*. Agitur de ſalutationibus et frequentationibus. Quae officia qui alteri praeſtat, eum non ſuscipit, ſed ſuſpicit. *S.*

8 *quibus maior eſt*) Nempe quo quis maioribus praeeſt, eo ipſe maior eſt. *G.*

9 *fama cuiusque*) Publici et conſtantes hominum ſermones: quamquam definire hoc, et oſtendere, ubi ſuſurri deſinant, ubi incipiat fama, difficile: et quoties fama a ſuſurris oritur? Nimirum prudentia hic etiam opus eſt. *G.*

LXIII. Revertor iam ad conſulatum tuum: etſi
ſunt quaedam ad conſulatum quidem pertinentia,
ante conſulatum tamen. In primis quod comitiis
tuis interfuiſti, candidatus, non conſulatus tantum,
ſed immortalitatis, et gloriae, et exempli, quod
ſequerentur boni principes, mali mirarentur. Vidit 2
te populus Romanus in illa vetere poteſtatis ſuae
ſede: perpeſſus es longum illud carmen comitio-
rum, nec iam irridendam moram; conſulque es,
ut unus ex nobis, quos facis conſules. Quotus- 3
quisque principum antecedentium honorem iſtum
aut conſulatui habuit, aut populo? Non alii mar-
cidi ſomno heſternaque coena redundantes, comi-
tiorum ſuorum nuntios operiebantur? Alii ſane
pervigiles et inſomnes, ſed intra cubilia ſua illis
ipſis conſulibus, a quibus conſules renuntiaban-
tur, exſilia et caedem machinabantur. O prava 4
et inſcia verae maieſtatis ambitio, concupiſcere
honorem, quem dedigneris, dedignari, quem con-
cupieris: cumque ex proximis hortis campum
et comitia proſpectes, ſic ab illis abeſſe, tanquam
Danubio Rhenoque dirimare! Averſeris tu honori 5
tuo ſperata ſuffragia, renuntiarique te conſulem
iuſſiſſe contentus, liberae civitatis ne ſimulationem
quidem ſerves? Abſtineas denique comitiis, abs-
truſus atque abditus, quaſi illic tibi non conſu-

LXIII, 2 *in illa vetere — ſede)* in Campo Martio. *E.*

carmen comitiorum) Non preces modo intelligo et Deos rogandi formulas, quas tangit deinde 72, 1. et de quibus copioſe Briſſon. de form. 1, 109: ſed quidquid eſt publicorum et ſolemnium verborum, quibus conſtarent comitia. Quamquam enim tum nullae populi partes in deſignandis conſulibus, quod totum principes invaſerant, tamen ſolemnia quaedam obſervata, vel ex hoc ipſo loco diſcimus. *G.*

Mox *moram* dicit, quam priſcarum ceremoniarum obſervatio faciebat. Haec erat *irridenda* ante Traianum, cum comitia tantum dicis cauſſa haberentur, et iam ante comitia conſtaret, neminem alium, niſi Principem, conſulem fore: nunc autem, ſub Traiano, haec mora non erat irridenda aut inanis. *E.*

5 *Averſeris tu)* Pergit expoſtulare cum malo aliquo principe. *G.*

civitatis — ſimulationem) h. e. ſimulacrum, ſimilitudinem. * *Civitatis* pro *civitati* e MSS. reſtituit Schwarzius. *G.*

6 latus detur, ſed abrogetur imperium? Haec perſuaſio ſuperbiſſimis dominis erat, ut ſibi viderentur principes eſſe deſinere, ſi quid facerent tanquam ſenatores. Plerique tamen non tam ſuper-
7 bia, quam metu quodam ſubmovebantur. An ſtuprorum ſibi inceſtarumque noctium conſcii, auſpicia pollnere, ſacratumque campum nefario auderent contaminare veſtigio? Non adeo deos hominesque contemſerant, ut in illa ſpatioſiſſima ſede hominum deorumque coniectos in ſe oculos
8 ferre ac perpeti poſſent. Tibi contra et moderatio tua ſuaſit, et ſanctitas, ut te et religioni deorum et iudiciis hominum exhiberes.

LXIV. Alii conſulatum ante quam acciperent, tu et dum accipis, meruiſti. Peracta erant ſolennia comitiorum, ſi principem cogitares, iamque ſe omnis turba commoverat, quum tu, mirantibus cunctis, accedis ad conſulis ſellam: adigendum te praebes in verba principibus ignota, niſi quum iurare cogerent alios. Vides, quam neceſſarium fuerit conſulatum non recuſare? Non putaſſemus iſtud facturum te fuiſſe, ſi recuſaſſes.
2 Stupeo, P. C., nec dum ſatis aut oculis meis aut auribus credo: atque identidem me, an audi-

6 *tanquam ſenatores)* Ut venirent ad comitia, iisque vel praeſiderent tanquam conſules, vel praeſentes fieri de ſe ſolemnia paterentur. *G.*

7 *ſacratumque campum)* Marti patri gentis Romuleae, et templis pluribus aliorum quoque deorum ornatum. *G.*

ſpatioſiſſima ſede) Ita nunc campum Martium dixit, ut multitudo deorum et hominum, quorum oculis et iudiciis illi principes expoſiti eſſent, ſignificaretur. Quare hanc lectionem praefero alteri *ſpecioſiſſima*, quam Schwarzius et Arntzenius ediderunt, et ipſe Gesnerus probaverat. Nam hoc epitheton nunc prorſus otioſum foret. Non enim ſpecies aut dignitas loci, ſed multitudo teſtium *metum* illum facit, quo *ſubmoveri* illos ſtuprorum conſcios dixerat. *E.*

Bene Erneſtius. Probaverat autem Gesnerus alteram illam lectionem in epiſtola ad I. A. Erneſtium, cui et ipſi *ſpecioſiſſima* placebat. *S.*

8 *religioni deorum*) Ut in illum te locum conferres, ubi dii religioſe culti poſſunt aut amoris in te ſui, aut averſationis, ſignificationem luculentam edere. *G.*

LXIV, 1 *commoverat*) Ad diſcedendum, quae putaret, transacta iam omnia. *G.*

erim, an viderim, interrogo. Imperator ergo, et
Caesar, et Augustus, Pontifex maximus, stetit
ante gremium consulis? seditque consul principe
ante se stante? et sedit inturbatus, interritus, et
tanquam ita fieri soleret? Quin etiam sedens 3
stanti praeivit iusiurandum, et ille iuravit, ex-
pressit, explanavitque verba, quibus caput suum,
domum suam, si sciens fefellisset, deorum irae
consecraret. Ingens, Caesar, et par gloria tua,
sive fecerint istud postea principes, sive non fece-
rint. Ullane satis praedicatio digna est, idem 4
tertio consulem fecisse, quod primo? idem prin-
cipem, quod privatum? idem Imperatorem, quod
sub Imperatore? Nescio iam, nescio, pulchrius-
ne sit istud, quod praeeunte nullo, an hoc, quod
alio praeeunte iurasti.

2 *Pontifex maximus)* Al. *et Pontifex maximus.* bene. *S.*

3 *stanti praeivit iusiurand.)* Solemne verbum tum aliis scriptoribus, tum nostro praesertim, quod Index docet. *Scilicet adeo mihi liquidae videbantur rationes I. F. Gronovii, quibus Obs. 4, 16. p. 261. sqq. ita hunc locum, uti dedimus, constituit, ut dare locum illis quasi cogerer. Effecit tamen Cl. Schwarzius, uti altera lectio, *sedens praebuit iusiurandum*, tolerabilis videatur. Nimirum *praebere iusiurandum* idem ait significare posse quod *praeire:* cum Cic. Verr. 5, 52. *exempla praebere* dixerit, et Ovid. Art. 1, 112. de tibicine, *praebere modum saltantibus.* Ceterum *sedens praeivit iusiurandum* omissa voce *stanti* dedit Arntzenius. *G.*

sciens fefellisset) Solemnis formula, *Si sciens fallo*, nota omnibus vel ex Cic. fam. 7, 1. *Quare hic etiam positam a Plinio, *scienterque* illud, quod habent plerique libri, librario deberi, post viros summos arbitror. *G.*

Conf. I. A. Ernestius ad h. l. *S.*

4 *tertio consulem — primo)* Non habuit ergo rationem Plinius Varroniani praecepti apud Gell. 10, 1. ex quo *primum, tertium*, dicendum erat. Scilicet dubitabat, quod ibidem docet Gellius, iam Cicero. *Forte Plinius eadem sapientia usus erat, quae ibi commendatur, scripseratque *I*, vel *prim. III*, vel *tert.* ac debetur terminatio addita librariis. *G.*

praeeunte nullo) Captare videtur, quod hoc seculo primum in re seria fieri coepit, acumen in verbo ambiguo: *praeeunte nullo*, sine exemplo: nam Augusti nimis remotum est: *praeeunte alio* h. e. dictante. Erudite Gronovius l. c. duplex significari iusiurandum putat, quorum alterum *praeeunte alio* dedit, sub auspicia muneris, alterum *nullo praeeunte*, cum deponeret. Sed ita priore loco, et obscuriuscule, commemoraret iusiurandum posterius, de quo deinde, c. 65, 2. Gronoviana placent Arntzenio. *G.*

LXV. In rostris quoque simili religione ipse
te legibus subiecisti: legibus, Caesar, quas nemo
principi scripsit. Sed tu nihil amplius vis tibi
licere, quam nobis: sic fit, ut nos tibi plus ve-
limus. Quod ergo nunc primum audio, nunc
primum disco, non est princeps supra leges, sed
leges supra principem: idem Caesari consuli, quod
2 ceteris, non licet. Iurat in legem attendentibus
diis; nam cui magis quam Caesari attendant?
Iurat observantibus his, quibus idem iurandum
est: non ignarus alioqui, nemini religiosius, quod
iuraverit, custodiendum, quam cuius maxime in-
tersit, non peierari. Itaque et abiturus consula-
tu iurasti, te nihil contra leges fecisse. Magnum
hoc erat, quum promitteres; maius, postquam
3 praestitisti. Iam toties procedere in rostra, in-
adscensumque illum superbiae principum locum
terere, hic suscipere, hic ponere magistratus,
quam dignum te, quamque diversum consuetudi-
ne illorum, qui pauculis diebus gestum consula-
tum, immo non gestum, abiiciebant per edictum!
4 Hoc pro concione, pro rostris, pro iure iuran-
do: scilicet ut primis extrema congruerent; utque
hoc solo intelligerentur ipsi consules fuisse, quod
alii non fuissent.

LXVI. Non transsilivi, Patres Conscripti, Principis nostri consulatum; sed eundem in locum

LXV, 1 *In rostris)* In quibus forte denuo populo fidem suam solemniter adstringere solebant, adito magistratu. *G.*

Quod ergo) *Sic legendum pro *ego* docet e MSS. Schwarzius. *G.*

Schwarzius e MSS. edidit *Quid ergo nunc primum audio? nunc primum disco?* Gierigius *Quid ego* etc. Vegetiorem sic esse orationem dicunt. *E.*

2 *in legem)* Opinor legendum *in leges. S.*

cuius maxime interest) Comparare iuvat hoc *interest* cum loco Taciti, quem laudavimus ad 11, 3. *G.*

3 *immo non gestum)* ut in quo nihil memorabile fecerant; *abiiciebant*, edicto declarabant se abire consulatu; sed bene *abiecisse* illos magistratum dixit quem contemnebant, quem non tanti habebant, ut diutius gererent. *E.*

4 *Hoc pro concione)* Hoc solum edictum vicem praestare debebat in illis Imperatoribus omnium reliquorum solemnium. *G.*

LXVI, 1 *Non transsilivi)* Pa-

contuli, quidquid de iure iurando dicendum erat. Neque enim, ut in sterili ieiunaque materia, eandem speciem laudis diducere ac spargere, atque identidem tractare debemus. Illuxerat primus consu- 2
latus tui dies, quo tu curiam ingressus, nunc singulos, nunc universos adhortatus es resumere libertatem, capessere quasi communis imperii curas, invigilare publicis utilitatibus et insurgere. Omnes 3
ante te eadem ista dixerunt, nemini tamen ante te creditum est. Erant sub oculis naufragia multorum, quos insidiosa tranquillitate provectos improvisus turbo perculerat. Quod enim tam infidum mare, quam blanditiae principum illorum, quibus tanta levitas, tanta fraus, ut facilius esset iratos, quam propitios habere? Te vero securi et alacres, quo vocas, sequimur. Iubes esse liberos; 4
erimus. Iubes, quae sentimus, promere in medium; proferemus. Neque enim adhuc ignavia

rat sibi auctor transitum, s. redditum potius ad acta tertii consulatus Traiani hoc modo. Dixi de iureiurando Principis, quo consulatum deposuit, invitante me iureiurando, quo illum susceptt: sed *non* ideo silentio praeterii et *transsilivi* ipsum *consulatum*: quin nunc acta illius percensebo. *G.*

speciem laudis diducere) laudes eiusdem generis diversis locis tractare, cum possint uno loco comprehendi. *E.*

2 *insurgere*) Pulchre hic Lipsius, Animis iterum erectis, quos servitus oppresserat. Puto autem iunctum hoc verbum dativo, *publicis utilitatibus*, et sumi ea metaphora, quae respondeat propriae dictioni, ut illam posuit v. g. Virg. Aen. 5, 189. *nunc nunc insurgite remis. Insurgere remis* est elato corpore impetum capere, ut eo fortius pollis incumbere. *G.*

3 *eadem ista dixerunt*) v. g. Tiberius apud Tac. Ann. 1, 11. sed *plus in oratione tali dignitatis quam fidei erat.* Quam pulchra Neronis oratio apud eund. Ann. 13, 4. Sed *nec defuit fides*: initio nimirum. *G.*

insidiosa) incerta, fallaci; unde mox *infidum mare*, cui blanditias principum comparat. *E.*

facilius esset) Facilius, ad evitandum malum, ad ferendum. Domitiani praesertim nota perfidia. *Erat enim*, teste Sueton. 11, *non solum magnae, sed et callidae inopinataeque saevitiae.* Subiicit exempla. *Non est opus *facilius* cum Lipsio mutare in *felicius*. *G.*

4 *proferemus*) Gierigius e Rittershusii coniectura edidit *promemus*, ut concinnius respondeat antecedenti *promere*. Schwarzius coniecit pro hoc *proferre* legendum. Utrumque, si concinnitatem spectes, verum esse potest; sed tamen incertum, an Plinius ita concinnus nunc esse voluerit. *E.*

*Noli dubitare, legendum esse

quadam et insito torpore cessavimus: terror, et metus, et misera illa ex periculis facta prudentia monebat, ut a republica (erat autem omnino nulla respublica) oculos, aures, animos averteremus.
5 At nunc tua dextera tuisque promissis freti et innixi, obsepta diutina servitute ora reseramus, frenatamque tot malis linguam resolvimus. Vis enim tales esse nos, quales iubes, nihilque exhortationibus tuis fucatum, nihil subdolum denique, quod credentem fallere paret, non sine periculo fallentis. Neque enim unquam deceptus est princeps, nisi qui prius ipse decepit.

LXVII. Equidem hunc parentis publici sensum, cum ex oratione eius, tum pronuntiatione ipsa perspexisse videor. Quae enim illa gravitas sententiarum! quam inaffectata veritas verborum! quae asseveratio in voce! quae affirmatio in vultu! quanta in oculis, habitu, gestu, toto denique
2 corpore fides! Tenebit ergo semper, quod suase-

aut, *promere in medium; promemus*, aut, *proferre in medium; proferemus*. Quis credet, Secundum, talis repetitionis omninoque concinnitatis κατακόρως studiosum, eam hic neglexisse, ubi ipsae aures verbi iterationem poscere videntur? *S.*

facta) Glossatori acceptum refert I. A. Ernest., ut abhorrens a brevitate Plin. bonaeque Latinitati absonum. Non assentior. Quam enim dicat brevitatem vir egregius in panegyrico Plinii, nescio. De Latinitate autem, vide mihi Livium 35, 45, 4. *Adventum eius et maiestatem ad verecundiam faciendam Romanis vim maiorem habituram, quam arma.* *S.*

5 *obsepta*) omnino clausa. Nihil, opinor, caussae erat, cur haec-vox N. Heinsio et I. A. Ernestio corrupta videretur. *S.*

non sine periculo fallentis) Lacinia I. A. Ernestio videtur ab ineptâ manu adsuta, quam resectam velit. Voluit ergo resecta etiam quae sequuntur, *Neque enim — — decepit.* Id ego non imiter. Totus locus genuinus. Iam video, idem sensisse alterum Ernestium. „Patruus meus, inquit, hanc appendiculam, ut ineptam h.). resectam volebat. Quid enim opus erat, inquit, dicere Traiano, Principes, si fallant, non sine periculo suo fallere, et quam absurdum, ei obiter minari! Haec ille. At enimvero ab illa appendicula sequens omnis sententia: *Neque enim unquam — decepit*, pendet, neque haec sine illa stare potest." *S.*

LXVII, 1 *ex oratione*) Sic pro *exhortatione* scribendum suaserat Lipsius: nunc firmatum est libro Schwarzii. *G.*

Mox malim, *tum e pronuntiatione ipsa.* *S.*

2 *quod suaserit*) Schwarzius edidit, *quid suaserit*, e MSS. Tum *tenebit* est, memoria tenebit, non obliviscetur. *E.*

rit: ſcietque nos, quoties libertatem, quam dedit,
experiemur, ſibi parere. Nec verendum eſt, ne 3
incautos putet, ſi fidelitate temporum conſtanter
utamur, quos meminit ſub malo principe aliter
vixiſſe. Nuncupare vota et pro aeternitate imperii,
et pro ſalute civium? immo pro ſalute
principum, ac propter illos pro aeternitate imperii
ſolebamus. Haec pro imperio noſtro, in quae 4
ſint verba ſuſcepta, operae pretium eſt annotare:
SI BENE REMPVBLICAM ET EX VTILITATE OMNIVM
REXERIS. Digna vota, quae ſemper ſuſcipiantur,
ſemperque ſolvantur. Egit cum diis, ipſo te aucto- 5
re, Caeſar, reſpublica, ut te ſoſpitem incolumemque
praeſtarent, ſi tu ceteros praeſtitiſſes: ſi contra,
illi quoque a cuſtodia tui capitis oculos dimoverent,
teque relinquerent votis, quae non
palam ſuſciperentur. Alii ſe ſuperſtites reipubli- 6
cae optabant, faciebantque: tibi ſalus tua inviſa
eſt, ſi non ſit cum reipublicae ſalute coniuncta.
Nihil pro te pateris optari, niſi expediat optantibus:
omnibusque annis in conſilium de te deos
mittis; exigisque, ut ſententiam ſuam mutent, ſi
talis eſſe deſieris, qualis electus es. Sed ingenti 7
conſcientia, Caeſar, paciſceris cum diis, ut te,
ſi mereberis, ſervent: quum ſcias, an merearis,

3 *Nuncupare vota)* Dies ſolemnis huic publicae cerimoniae dictus III. Non. Ian. Vid. de tota re copioſe Lipſ. ad Tac. Ann. 16, 22. ſ. Exc. B. et Caſaub. ad Spartian. Adrian. c. 24. p. 205. Hack. De memoria eorum in nummis Spanh. diſſ. 13. p. 525. *G.*

et pro ſalute civium?) Puto per interrogationem prolata haec verba, quaſi dicat: *Solebamus vota nuncupare* primo *pro aeternitate imperii*, an exſpectas, qui legis, *et pro ſalute civium?* Sic non opus coniectura eorum, qui pro *civium* reponi volunt *principum*. Immo aliter ſe res habet: *pro ſalute principum, et propter illos* demum *pro aeternitate imperii*, quaſi non ipſi propter imperium eſſent, ſed imperium propter ipſos. *G.*

4 *pro imperio noſtro)* Pro Traiani noſtri imperio. *Neque tamen diſſimulo, me multo malle, *pro Imperatore noſtro*: ad hunc enim pertinet formula, *Si bene — rexeris.* Et quam facilis hic error? Aliquis per compendium ſcripſit *Imp.* ultimas literas infeliciter alter ſupplevit. Vid. de iſta confuſione, quos laudat Arntzenius ad 82, 3. *G.*

5 *sui capitis)* *Sic pro *corporis* MSS. plures apud Schwarz. *G.*

7 *ſi mereberis)* Ex lege lati-

8 neminem magis, quam deos ſcire. Nonne vobis, P. C., haec diebus ac noctibus agitare ſecum videtur? Ego quidem in me, ſi omnium utilitas ita poſceret, etiam Praefecti manum armavi: ſed ne deorum quidem aut iram, aut negligentiam deprecor: quaeſo immo et obteſtor, ne unquam pro me vota reſpublica invita ſuſcipiat; aut, ſi ſusceperit invita, ne debeat.

LXVIII. Capis ergo, Caeſar, ſalutis tuae glorioſiſſimum fructum ex conſenſu deorum. Nam quum excipias, ut ITA DEMVM TE DII SERVENT, SI BENE REMPVBLICAM ET EX VTILITATE OMNIVM REXERIS: certus es, te bene rempublicam gerere,
2 quum ſervent. Itaque ſecurus tibi et laetus dies exit, qui principes alios cura et metu diſtinebat: quum ſuſpenſi et attoniti, parumque confiſi pa-

nitatis debebat eſſe *ſi merearis*, et ſic habent editt. Gryph. et Sichard. Aliae *ſi mereris*. Sed vulg. omnes MSS. tenere Schwarzius affirmat. *E.*

Vid. I. A. Erneſtius ad h. l. *S.*

an merearis) Rob. Stephanus theſ. v. *mittere in conſilium* ait, praepoſtere quosdam legere *ne merearis*. Quid ſi haec vera eſt lectio pro *an merearis?* Sed nihil Arntzenius. *G.*

8 *Praefecti manum)* Digniſſimum factum, quod proponamus ipſis verbis, quae habet e Dione Xiphilin. p. 778. A. Ὅτε πρῶτον τῷ μέλλοντι τῶν δορυφόρων ἐπάρξειν τὸ ξίφος, ὃ παραζώννυσθαι αὐτὸν ἐχρῆν, ὤρεξεν, ἐγύμνωσέ τε αὐτὸ, καὶ ἀνατείνας ἔφη, Λαβὲ τοῦτο τὸ ξίφος, ἵνα, ἂν μὲν καλῶς ἄρχω, ὑπὲρ ἐμοῦ, ἂν δὲ κακῶς, κατ' ἐμοῦ χρήσῃ. *Praefectus* igitur, de quo hic ſermo eſt, eſt *Praetoriarum cohortium* ſ. *Praetorii.* *G.*

ne debeat) Vid. I. A. Erneſtius. *S.*

LXVIII, 1 *quum excipias)* Huic verbo locum eſſe, quoties conditio ponitur, aut nominatim aliquid cavetur, alias oſtendimus. Vid. avunculus noſtri 29, 1. ſ. 8. *Quum Graecos Italia pellerent,* (Schwarzius putat excidiſſe *nec*) *excepiſſe medicos*, h. e. nominatim illos incluſiſſe, et, ne quis eximios illos haberet, caviſſe. *G.*

Hanc Gesneri interpretationem Gierigius confirmavit his exemplis, Plin. H. N. 14, 1. 5 *Ut vindemiator auctoratus rogum ac tumulum excipiat.* Senec. Ep. 6. *Si cum hac exceptione ſapientia detur, ut eam incluſam teneam, reiiciam.* *E.*

te bene) Scribendum cum al. *bene te.* Verbum gravius praecedere debet. Mox malim *regere*, ut haec carmini ipſi melius reſpondeant. Saepiſſime commutata a librariis *gerere* et *regere.* vid. Drakenb. ad Liv. 27, 40, 2 ubi de his ipſis formulis, *gerere rempublicam, regere remp.* *S.*

2 *laetus dies)* Ipſe dies votorum III Non. Ian. de quo ad 67, 3. *G.*

exit) Iuvat hic quaſi expiare commiſſum ſuperioris editionis, ubi *erit* irrepſerat, cum dudum *exit* ex optimis libris reſtitutum et a Cl. Schwarzio firmatum ſit. *G.*

tientia nostra, hinc atque inde publicae servitutis
nuntios exspectarent. Ac si forte aliquos flumina, 3
nives, venti praepedissent, statim hoc illud esse
credebant, quod merebantur; nec erat discrimen
ullum pavoris: propterea quod, quum a malo
principe tanquam successor timeatur, quisquis est
dignior, quum sit nemo non dignior, omnes ti-
mentur. Tuam securitatem non mora nuntiorum, 4
non literarum tarditas differt. Scis tibi ubique
iurari, quum ipse iuraveris omnibus. Nemo hoc 5
sibi non praestat. Amamus quidem te, in quan-
tum mereris; istud tamen non tui facimus amore,
sed nostri: nec unquam illucescat dies, quo pro
te nuncupet vota non utilitas nostra, sed fides,
Caesar. Turpis tutela principis, cui potest impu- 6
tari. Queri libet, quod in secreta nostra non in-
quirant principes, nisi quos odimus. Nam si ea- 7
dem cura bonis, quae malis esset, quam ubique
admirationem tui, quod gaudium exsultationem-
que deprehenderes! quos omnium cum coniugi-
bus ac liberis, quos etiam cum domesticis aris
focisque sermones! Scires mollissimis illis auri-
bus parci. Et alioqui, quum sint odium amor-
que contraria, hoc perquam simile habent, quod
ibi intemperantius amamus bonos principes, ubi
liberius malos odimus.

servitutis nuntios) Literas Praesidum de votis solutis et nuncupatis, quales ad ipsum Traianum Plinii 10, 44. quamquam non nuntiae servitutis. *G.*

5 *sibi non praestat*) Vid. 48, 2. *G.*

sed fides) Omoino etiam *fides*, verum non sola. Ita saepe loquimur. *G.*

6 *tutela principis*) h. e. tutela civium, qui amore et obedientia sua principem tuentur. Haec ergo *turpis est, si principi imputari potest*, si cives principi illam tutelam tanquam beneficium collatum adscribere possunt. *E.*

7 *Scires — parci*) Cum audires in privatis nostris sermooibus te tantis laudibus praedicari, iam scires nos te praesente et audiente ab illis laudibus ideo abstinere, quod auribus tuis verecundis parcere velimus. Ex illis laudibus nostris secretis tu tibi silentium nostrum publicum interpretari possis. *E.*

Conf. I. A. Ernestius ad h. l. *S.*

LXIX. Cepisti tamen et affectus nostri et
iudicii experimentum, quantum maximum prae-
sens capere potuisti, illo die, quo solicitudini
pudorique candidatorum ita consuluisti, ne ullius
gaudium alterius tristitia turbaret. Alii cum lae-
titia, alii cum spe recesserunt: multis gratulan-
2 dum, nemo consolandus fuit. Nec ideo segnius
iuvenes nostros exhortatus es, senatum circum-
irent, senatui supplicarent, atque ita a principe
3 sperarent honores, si a senatu petissent. Quo
quidem in loco, si quibus opus exemplo, adie-
cisti, ut te imitarentur. Arduum, Caesar, exem-
plum, et quod imitari non magis quisque candi-
datorum, quam principum possit. Quis enim vel
uno die reverentior senatus candidatus, quam tu,
cum omni vita, tum illo ipso tempore, quo iudi-
4 cas de candidatis? An aliud a te, quam senatus
reverentia obtinuit, ut iuvenibus clarissimae gen-
tis debitum generi honorem, sed antequam debe-
5 retur, offerres? Tandem ergo nobilitas non ob-
scuratur, sed illustratur a principe: tandem illos
ingentium virorum nepotes, illos posteros liberta-
tis, nec terret Caesar, nec pavet: quin immo
festinatis honoribus amplificat atque auget, et
maioribus suis reddit. Si quid usquam stirpis
antiquae, si quid residuae claritatis; hoc ample-
xatur, et resovet, et in usum reipublicae promit.
6 Sunt in honore hominum, et in honore famae

LXIX, 1 *solicitudini pudorique) solicitudini* eorum, qui designationem consulatus exspectabant et sperabant; *pudori* eorum, qui repulsam tulissent. *E.*

2 *senatum circumirent)* Rogandi et prensandi caussa, ut Cic. Att. 14, 21. *Antonium circumire veteranos.* Sic Liv. 1, 47. ubi *circumire* et *prensare* coniunguntur. * Magno MStorum consensu probata vox, et apprime ad h. l. conveniens recte restituta a Schwarzio pro *Consulatum. G.*

4 *senatus reverentia obtinuit)* sola reverentia senatus permotus es, ut iuvenibus honorem offerres, et quidem *antequam deberetur*, h. e. ante annum legibus annalibus constitutum. Quare eos paullo post *festinatos honores* dicit. *E.*

5 *promit)* ex obscuritate protrahit et ad honores promovet. *E.*

6 *in honore famae)* * Elegan-

magna nomina ex tenebris oblivionis, indulgentia Caesaris, cuius est, ut nobiles et conservet, et efficiat.

LXX. Praefuerat provinciae quaestor unus
ex candidatis, inque ea civitatis amplissimae red-
itus egregia constitutione fundaverat. Hoc sena- 2
tui allegandum putasti. Cur enim te principe,
qui generis tui claritatem virtute superasti, dete-
rior esset conditio eorum, qui posteros habere no-
biles mererentur, quam eorum, qui parentes habuis-
sent? O te dignum, qui de magistratibus nostris
semper haec nunties, nec poenis malorum, sed bo-
norum praemiis bonos facias! Accensa est iuventus, 3
erexitque animos ad aemulandum, quod laudari
videbat: nec fuit quisquam, quem non haec cogi-
tatio subiret, quum sciret, quidquid a quoque in
provinciis bene fieret, omnia te scire. Utile est, 4
Caesar, et salutare praesidibus provinciarum, hanc
habere fiduciam: paratum esse sanctitati, indu-
striae suae maximum praemium, iudicium princi-
pis, suffragium principis. Adhuc autem quamli- 5

tius longe nobis quoque, ut iam Lipsio, ad Tac. Hist. 3, 36. videtur, si esset, *in ore famae*. Post verba *indulgentia Caesaris* deesse *extracta* vel simile quid, idem notat Lipsius. Sed potest tamen *ex tenebris* significare post tenebras; et ablativus *indulgentia* ad ipsum *sunt* referri. *G.*

cuius est, ut etc.) Vid. I. A. Ernestius ad h. l. *S.*

LXX, 1 *provinciae quaestor)* Fuerunt etiam *quaestoriae provinciae* s. procurationes per Italiam, de quibus laudati Schwarzio Lips. ad Tac. Ann. 4, 27. et Noris. ad Cenot. Pisan. 1, 36. Nihil tamen impedit, quo minus potuerit etiam quaestorem Plinius intelligere Pro-Consularis vel alterius provinciae, qui vel sub maiore magistratu, vel, commendatam sibi ab eo absente, provinciam dum curat, *reditus amplissimae civitatis fundarit* i. e. constituerit. *G.*

De provincia quaestoria sermonem esse, docent quae postea s. 4. leguntur. Monuit item I. A. Ernestius. *S.*

4 *praesidibus provinciarum)* Solisne *praesidibus?* quin vel maxime provinciis. Nimirum de his deinde s. 8. *Provinciis quoque* etc. *Alias pronum fuerit cum Schwarzio legere *praesides.* *G.*

Aut, quod lenius, corrigere *hanc haerere fiduciam.* „Solent autem *habere* et *haerere* in MStis confundi." Drakenb. ad Liv. 29, 4, 8. Mox legendum cum aliis *sanctitati et industriae.* *S.*

bet sincera rectaque ingenia, etsi non detorquebat, hebetabat tamen misera, sed vera reputatio.
6 Vides enim: si quid bene fecero, nesciet Caesar;
7 aut si scierit, testimonium non reddet. Ita eadem illa seu negligentia, seu malignitas principum, quum male consultis impunitatem, recte factis nullum praemium polliceretur, nec illos a crimine,
8 et hos deterrebat a laude. At nunc, si bene aliquis provinciam rexerit, huic quaesita virtute dignitas offertur. Patet enim omnibus honoris et gloriae campus: ex hoc quisque, quod cupit, petat, et assecutus, sibi debeat. Provinciis quoque in posterum, et iniuriarum metum, et accusandi necessitatem remisisti. Nam si profuerint, quibus gratias egerint, de nullo queri cogentur. Et alioqui liquet, nihil magis prodesse candidato ad sequentes honores, quam peractos. Optime

5 *reputatio)* cogitatio, deliberatio apud animum, cuius sententia statim sequitur: *Vides enim* etc. *E.*

6 *Vides enim*) Incipit hic ἠθοποιΐα magistratus alicuius provincialis, animum suum alloquentis, *Vides enim* etc. * Sed fateor, me nondum concoquere illud *vides enim* posse, et suspicari, primo post nomen *reputatio* positum esse ab aliquo, quin ab ipso forte auctore, *videlicet*: illud deinde ita corruptum. Sed neque sic mihi satisfacio. *G.*

Add. Gesneri ad I. A. Ernestium epistola ipseque I. A. Ernestius ad h. l. *S.*

Schwarzius ita edidit: *Vides enim! si quid bene fecero, scietne Caesar? aut si scierit, testimonium reddet?* Sic et Gierigius, nisi quod pro *scietne*, *sciet* reposuit. Sensus idem est: nam et illae interrogationes nunc negant. *E.*

8 *si profuerint)* *Si* provinciae his, *quibus* bene de se meritis *gratias egerint*, illo ipso suo testimonio apud Imperatorem *profuerint*; incitabuntur ad similem gloriam alii, eaque caussa ita se gerent, ut *de nullo queri cogantur* in posterum provinciae. * Servavi igitur *profuerint*, quod habent antiquae editiones. *Praefuerint* praefert ex MSS. Cl. Schwarzius, quem alioquin in hoc loco constituendo libenter secutus sum. *G.*

Mox: *Efficacissimum pro candidato genus est rogandi, gratias agere. Prodesse candidato* i. q. *efficaciter pro candidato rogare. S.*

liquet) * Verbum loco manco sanando insertum a Lipsio: cui substituere eodem iure licebit *debet*, quod sententiae magis convenire videtur. Nihil audet Arntzenius, qui absurde huc refert infinitivum illum historic. *G.*

Lipsius coniecerat *liquebit*. Hoc expressit Gierigius: *et liquebit, nihil magis* etc. quia Plinius de futuro tempore loquatur, et de vi, quam illud exemplum in posterum sit habiturum. *E.*

magiſtratus magiſtratu, honore honor petitur. Volo ego, qui provinciam rexerit, non tantum 9
codicillos amicorum, nec urbana coniuratione eblanditas preces, ſed decreta coloniarum, decreta civitatum alleget. Bene ſuffragiis conſularium virorum urbes, populi, gentes inſeruntur. Efficaciſſimum pro candidato genus eſt rogandi, gratias agere.

LXXI. Iam quo aſſenſu ſenatus, quo gaudio exceptum eſt, quum candidatis, ut quemque nominaveras, oſculo occurreres! devexus quidem in planum, et quaſi unus ex gratulantibus. Te 2
mirer magis, an improbem illos, qui effecerunt, ut iſtud magnum videretur? quum velut affixi curulibus ſuis manum tantum, et hanc cunctanter et pigre, et imputantibus ſimiles, promerent. Contigit ergo oculis noſtris inſolita facies, prin- 3
cipis aequati candidatis et ſimul ſtantis: contigit

9 *Bene ſuffragiis)* Inter ſuffragia ſenatus, in quo principem locum habent viri conſulares, bene et decore inſeruntur urbes, populi, gentes, ſuum praeſidem laudantes. Fuiſſe autem tum in magiſtratibus eligendis maiores partes ſenatus, nullas, ſi a ſolemnibus quibusdam umbris diſceſſeris, populi, vel ex hoc ipſo libello ſatis conſtat. *Hanc Lipſii coniecturam, probatam Schwarzio, praeferendam ego quoque arbitror lectioni librorum, *Ne* (vel *Nae) — inſerantur*, (quam retinet, ſed dubitanter, Arntzenius) etiamſi *Ne* illud vel *Nae* aſſeverandi ſenſu ſumas. *G.*

LXXI, 1 *devexus in planum)* deſcendens e tribunali ad planum ſolum. Hic ſenſus huic loco aptiſſimus videtur: nam 1) ſic demum recte dici poteſt *oſculo occurrere;* 2) ſic demum memoranda comitas erat Traiani; 3) ſic demum *unus e gratulantibus* dici poterat. *E.*

Omnem de ſenſu loci dubitationem tollit, quod ſequitur: *principis aequati candidatis et ſimul ſtantis. S.*

3 *principis aequati)* *Nihil melius factu occurrebat, quam dare hunc locum, qualem e libris, vitioſis quidem omnibus, ſed tamen concinnavit commode Cl. Schwarzius: a quo varietatem omnem, et rationes lectionis huius licet repetere. *G.*

Gierigius ex illa varietate et veſtigiis MSS. ſic edidit: *Contigit ergo oculis noſtris inſolita ante facies: princeps et candidatus aequati, et ſimul ſtantes! E.*

Add. Gesneri ad I. A. Erneſtium epiſtola. I. Fr. Gronovii coniecturam in diatribe ad Statium expromtam, de qua Schwarzius p. 566. b., probat Cuningamius Animadv. in Horat. Bentl. Cap. XIII. p. 235., addens *et ſimul* ex interpretatione vocabuli *aequitus* in contextum irrepſiſſe ſibi videri. De ἅπαξ λεγομένοις, quale illud amabile ſcilicet *aequitus*, plane aſſentior Schwarzio. *S.*

intueri parem accipientibus, honorem qui dabat.
4 Quod factum tuum a cuncto ſenatu quam vera
acclamatione celebratum eſt, TANTO MAIOR, TANTO AVGVSTIOR! Nam cui nihil ad augendum faſtigium ſupereſt, hic uno modo creſcere poteſt,
ſi ſe ipſe ſubmittat, ſecurus magnitudinis ſuae.
5 Neque enim ab ullo periculo fortuna principum
longius abeſt, quam ab humilitatis. Mihi quidem
non tam humanitas tua, quam intentio eius ad-
6 mirabilis videbatur. Quippe quum orationi oculos, vocem, manum commodares: ut ſi alii eadem
iſta mandaſſes, omnes comitatis numeros obibas.
Atque etiam, quum ſuffragatorum nomina honore,
quo ſolent, exciperentur: tu quoque inter excipientes eras, et ex ore principis ille ſenatorius
7 aſſenſus audiebatur: quodque apud principem
perhibere teſtimonium merentibus gaudebamus,

5 *intentio eius)* Gradus ille ingens diligentiae, quem in ea adhibuiſti; qui etiam inter agendum, occupatis, in oratione de candidatorum commendatione habenda, cum voce etiam oculis et manibus, tamen omnes illas comitatis et humanitatis demonſtrationes ederes; quaſi, mandato alii dicendi officio, nihil aliud iam quam privati gratulatoris officio fungereris: idque usque eo, ut, cum nominatis a te, qui unumquemque candidatum commendaſſent, acclamationis ſolitae honor a ſenatoribus reliquis haberetur, VIR OPTIMVS EST etc. eoque interpellaretur tua actio, ipſe quoque vocis tuae eundem honorem adderes, plauſusque et aſſenſum ſenatorium orationi tuae interſereres. *G.*

Neſcio quo modo haec explicatio Gesneri mihi ad intelligendum hunc locum non ſatisfacit. Haereo in illis verbis: *ut ſi alii eadem iſta mandaſſes*, quae etiamnum non ſatis emendata eſſe arbitror. *E.*

6 *mandaſſes, omnes)* Poſt *mandaſſes* interpungit Schwarzius. Ego puto cohaerere. *G.*

quum ſuffragatorum etc.) I. A. Erneſtius unice probat *quum ſuffragatores nomina — exciperent.* Gierigiana habet: *quum ſuffragatores candidatorum nomina — exciperent.* Idem daturus erat noſter Erneſtius. „Sic, inquit, e Lipſii coniectura cum Schwarzio, quem et Gierigius ſecutus eſt, edere non dubitavi. Gesnerus, nullam varietatis mentionem faciens, ediderat: *quum ſuffragatorum* etc. Verum, ut Gierigius notavit, non ſuffragatorum nomina plauſu excipiebantur, ſed candidatorum. *Suffragatores* autem ſunt ſenatores, qui candidatos illos Principi commendarant." Quid ſi, duabus tranſpoſitis vocibus, refingamus: *quum nomina* (ſcil. candidatorum) *ſuffragatorum honore, quo ſolent, exciperentur. Suffragatorum honor*, i. e. honor a ſuffragatoribus habitus, neminem, opinor, offendet: hoc enim, ut multa alia id genus, utroqueverſum dici potuit. *S.*

perhibebatur a principe. Faciebas ergo, quum diceres, OPTIMOS: nec ipſorum modo vita a te, ſed iudicium ſenatus comprobabatur, ornarique ſe non illos magis, quos laudabas, laetabatur.

LXXII. Nam quod precatus es, ut illa ipſa
ordinatio comitiorum bene ac feliciter eveniret
NOBIS, REI PVBLICAE, TIBI; nonne tale eſt, ut
nos hunc ordinem votorum convertere debeamus?
deos denique obſecrare, ut omnia, quae facis,
quaeque facies, proſpere cedant TIBI, REI PVBLI-
CAE, NOBIS? vel, ſi brevius ſit optandum, ut VNI
TIBI? in quo et res publica et nos ſumus. Fuit 2
tempus, ac nimium diu fuit, quo alia adverſa,
alia ſecunda, principi et nobis: nunc communia
tibi nobiscum tam laeta, quam triſtia: nec magis
ſine te nos eſſe felices, quam tu ſine nobis potes.
An, ſi poſſes, in fine votorum adieciſſes, VT ITA 3
PRECIBVS TVIS DII ANNVERENT, SI IVDICIVM NOSTRVM
MERERI PERSEVERASSES? Adeo nihil tibi amore
civium antiquius, ut ante a nobis, deinde a diis,
atque ita ab illis amari velis, ſi a nobis ameris.
Et ſane priorum principum exitus docuit, ne a 4
diis quidem amari, niſi quos homines ament.
Arduum erat, has precationes tuas laudibus ad-

7 *ornarique ſe)* *Se* eſt ablativus caſus pendens a *magis*. Senatus laetabatur, candidatos, quos laudabat Traianus, *non magis ſe*, vel quam ſe, ornari: h. e. ſe aeque atque illos, illis laudibus, illa iudicii ſui comprobatione ornari. 'Itaque nihil ex recepta lectione iam muto, nec mutavit Arntzenius. Cl. Schwarzius malit, *qui ornari ſe, non illos magis, quos laudabas, laetabatur*. G.

Editurus erat Erneſtius cum Gierigio *ornari qui ſe, non illos magis* etc. inque locum notae Gesneri ſuffecturus hanc: „Etiam ordo et conſtructio orationis flagitare videbatur, ut ita cum Schwarzio poneretur pro vulg. quod Gesnerus ediderat: *ornarique ſe* etc. qui paullo contortius ſtatuebat *ſe* eſſe ablativum caſum pendentem a *magis*, hoc ſenſu: ſenatus laetabatur candidatos, quos laudabat Traianus, *non magis ſe*, vel quam ſe, ornari." S.

LXXII, 1 *quod precatus es)* Precationis eiusmodi formulam ſ. *ſollemnem comitiorum precationem*, ut ibi vocatur, habemus in principio orationis pro Murena. G.

Ordinatio comitiorum eſt creatio magiſtratuum, et omnis celebratio comitiorum. Ita illam tempore Caeſarum dictam oſtendit I. A. Erneſti ad Suet. Veſp. 23. E.

5 aequare: adaequavimus tamen. Qui amoris ardor,
qui ftimuli, quae faces illas nobis acclamationes
fubiecerunt! Non noftri, Caefar, ingenii, fed tuae
virtutis tuorumque meritorum voces fuerunt: quas
nulla unquam adulatio invenit, nullus cuiusquam
6 terror expreffit. Quem fic timuimus, ut haec
fingeremus? quem fic amavimus, ut haec fate-
remur? Nofti neceffitatem fervitutis: quando
7 fimile aliquid audifti, et quando dixifti? Multa
quidem excogitat metus, fed quae appareat quae-
fita ab invitis; aliud folicitudinis, aliud fecuritatis
ingenium eft; alia triftium inventio, alia gauden-
tium; neutrum fimulationes expreflerint. Habent
fua verba miferi, fua verba felices: utque maxi-
me eadem ab utrisque dicantur, aliter dicuntur.

LXXIII. Teftis ipfe es, quae in omnium
ore laetitia. Non amictus cuiquam, non habi-
tus, quem modo extulerat. Inde refultantia vo-
cibus tecta, nihilque tantis clamoribus fatis clau-
2 fum. Quis tunc non e veftigio fuo exfiluit? quis
exfiluiffe fenfit? Multa fecimus fponte, plura

7 *utque maxime)* Licet eadem verba dicantur a felicibus, quae a miferis; tamen *aliter*, alio vultu, fono, fpiritu, dicuntur. *Lipfii coniectura firmata a Schwarzio. Al. *utque iam maxime ab utrisque dicantur*, omiffis reliquis: quae fi plane teftimonio veteris libri careant, (fed habet tamen Cufpinianus) legere forte ita praeftiterit: *ut quum maxime eadem ab utrisque dicantur.* Sic in praecedenti membro in primis elevanda pronuntiando fuerit vox *fua*, i. e. propria, diverfa ab aliis. *G.*

LXXIII, 1 *Non amictus)* Brachiis praa gaudio iactatis toga defluit. *G.*

Aliter Schwarzius, qui docet, Romanos ad affectus fuos oftendendos togas iactare folitos effe, diverfoque earum iactandarum modo diverfoa affectus indicaffe. Magis tamen nunc illa Gesneri explicatio placet. Nam haud dubie maior affectus eft eius, cui exfultanti toga defluit, quam eius, qui hoc agit, ut toga iactanda affectum fuum oftendat et commendat. Caeterum *habitus*, non neceffe eft, ut ab *amictu* fubtiliter diftinguatur. Ineft univerfa notio eius modi, quo quis togam vel amictum geftat, continet, tractat. *E.*

refultantia vocibus tecta) Hypallage, pro *refultantes tectis voces.* Sic Virg. Aen. 5, 150. *Pulfati colles clamore refultant.* Proprie et ordinate avunculus nofter 11, 19. f. 21. Apibus *inimica eft et echo refultante fono.* *G.*

2 *Quis — — fenfit?)* Nimis tenuia haec I. A. Erneftio videntur: mihi non item. — *quis exfiluiffe fenfit?* fcil. *fe*: quod fi defideres, inferendum eft, non poft *exfiluiffe*, fed ante. Sed abeffe poteft. *S.*

inſtinctu quodam et imperio. Nam gaudio quo-
que cogendi vis ineſt. Num ergo modum ei tua 3
ſaltem modeſtia impoſuit? Nam quanto magis a
te reprimebatur, exarſimus, non contumacia, Cae-
ſar. Sed ut in tua poteſtate eſt, an gaudeamus;
ita in quantum, nec in noſtra. Comprobaſti et 4
ipſe acclamationum noſtrarum fidem lacrymarum
tuarum veritate. Vidimus humeſcentes oculos
tuos, demiſſumque gaudio vultum, tantumque
ſanguinis in ore, quantum in animo pudoris.
Atque hoc magis incenſi ſumus, ut precaremur, 5
ne quando tibi non eadem cauſſa lacrymarum, ut-
que nunquam frontem tuam abstergeres. Hoc 6
ipſum templum, has ſedes nobis quaſi reſponſu-
ras interrogemus, viderintne unquam principis

imperio) imperioſa quadam vi gaudii. Nempe *ſponte* ſignificat hic lene quiddam et blandum; *inſtinctus*, *imperium*, vehementiorem motum, et cui reſiſti non poteſt. Hinc ſtatim *cogendi vim* tribuit gaudio. *Itaque non eſt opus, quod aliquando putabam, legere *impetu*: ut *impetus* et *inſtinctus* copulantur Tac. Ann. 14, 16. *G.*

4 *demiſſumque gaudio vultum*) habitus modeſtorum, qui gaudium ſuum demiſſo vultu celare ſtudent, ne videantur aperte laudibus ſuis delectari. *E.*

tantumque — — pudoris) Diſplicent I. A. Erneſtio. quo iure quave de cauſſa, cum ipſe non dixerit, ignoro. *S.*

5 *frontem tuam abstergeres*) Nunquam perfricares frontem, pudorem poneres. Dixit de lacrymis, dixit de pudore: infert de utroque. *Sententia igitur ſatis commoda. Unde verbum *abstergeres*, quod per duo ſecula hic legitur, in MSS. autem non comparet, pedem intulerit, non dixerim. *G.*

Haec eſt vulgata loci lectio, quae unde profecta fuerit, dici non poteſt, cum verbum *abstergeres* nec in MSS. nec editis libris veteribus compareat. Geſnerus *frontem abstergere* cenſebat dictum pro *perfricare frontem*, pudorem ponere. Sed bene monuit Gierigius, hoc ſemper malo ſenſu dici de homine omnis pudoris experte, aut certe, etiamſi in bonam partem dicatur, ineptum eſſe optare, ut Traianus per omnem vitam os tali pudore ſuffuſum gereret. Itaque de ſuo inſeruit *contraheres*, ut optet Plinius, ut Traiani gaudium nulla unquam calamitate interrumpatur. Sententia non abſurda, ſed univerſalior, quam ut huic loco apta eſſe poſſit, in quo aliquam ſententiarum concinnitatem ex *lacrymarum* et *pudoris* mentione deſidero, v. c. *utque nunquam frontem tuam alio ſenſu demittas* [*demitteres*], ſcil. quam gaudii ſenſu. Nam prior ſententia, *ne quando — cauſſa lacrymarum*, reſpondet illis: *vidimus humeſcentes oculos tuos*; haec autem poſterior illis: *demiſſumque gaudio vultum.* Sic omnia concinnius caderent. *E.*

6 *viderintne unquam* etc.) Bona I. A. Erneſtii adnotatio ad h. l. Similiter de multis aliis

lacrymas: at senatus saepe viderunt. Onerasti
futuros principes: sed et posteros nostros. Nam
et hi a principibus suis exigent, ut eadem audi-
re mereantur: et illi, quod non audiant, in-
dignabuntur.

LXXIV. Nihil magis possum proprie dice-
re, quam quod dictum est a cuncto senatu: O TE
FELICEM! Quod quum diceremus, non opes tuas,
sed animum mirabamur. Est enim demum vera
2 felicitas, felicitate dignum videri. Sed cum mul-
ta illo die dicta sunt sapienter et graviter, tum
vel inprimis hoc, CREDE NOBIS, CREDE TIBI. Ma-
gna hoc fiducia nostri, maiore tamen tui diximus.
Alius enim fortasse alium, ipsum se nemo dece-
perit. Introspiciat modo vitam, seque, quid me-
3 reatur, interroget. Proinde dabat vocibus no-
stris fidem apud optimum principem, quod apud
malos detrahebat. Quamvis enim faceremus, quae
amantes solent: illi tamen, non amari se, crede-
4 bant sibi. Super haec precati sumus, ut SIC TE
AMARENT DII, QVEMADMODVM TV NOS. Quis hoc
aut de se, aut principi diceret mediocriter aman-
ti? Pro nobis ipsis quidem haec fuit summa vo-

locis statuendum, ne Plinium, ut fere fit, temere reprehendas. *S.*

Onerasti) Vid. ad 24. 1. *G.*

posteros) non omnino *posteros*, sed *senatores temporum futurorum.* Vid. Perizon. Anim. Histor. p. 254. f. ubi de hoc ipso Plinii loco agit. *S.*

LXXIV, 1 *diceremus)* Bene habet, nec opus cum I. A. Ernestio corrigere *dicebamus*. *S.*

animum mirabamur) Felicitate dignum, felicitatis capacem: huc referuntur proxima, *Est enim -- videri.* *G.*

3 *dabat — fidem)* i. e. faciebat rara significatione: loquitur autem de conscientia principis. Divine Plutarchus de discr. adulat. n. 129. Ἡ οἴκοθεν κρίσις ἀντιμαρτυροῦσα, καὶ μὴ προσδεχομένη τὸν ἔπαινον, ἀπαθής ἐστι, καὶ ἄληπτος, καὶ ὑπὸ τοῦ κολακεύοντος ἀνάλωτος. *G.*

credebant sibi) ita sibi suae indignitatis conscii erant, ut intelligerent, se, quamvis nobis amorem nostrum iis offerentibus, tamen non amari. Sic conscientia *fidem vocibus nostris apud eos detrahebat.* *E.*

4 *Quis hoc — amanti?)* Hoc membrum non loco positum tenebrarum aliquid orationi offudisse puto; reponendum post alteram formulam, *Nos sic amarent Dii, quomodo tu*, scil. nos amas. Nam sic demum recte infertur, *Quis hoc* posterius *de se; aut* utrumque hoc *principi*

torum: ut NOS SIC AMARENT DII, QVOMODO TV. Estne verum, quod inter illa clamavimus, O NOS FELICES! Quid enim felicius nobis, quibus non iam illud optandum est, ut nos diligat princeps, sed dii, quemadmodum princeps? Civitas reli- 5
gionibus dedita, semperque deorum indulgentiam pietate merita, nihil felicitati suae putat adstrui posse, nisi ut dii Caesarem imitentur.

LXXV. Sed quid singula consector et colligo? quasi vero aut oratione complecti, aut memoria consequi possim, quae vos, P. C., ne qua interciperet oblivio, et in publica acta mittenda, et incidenda in aere censuistis. Ante, 2
orationes principum tantum eiusmodi genere monumentorum mandari aeternitati solebant: acclamationes quidem nostrae parietibus curiae claudebantur. Erant enim, quibus nec senatus gloriari, nec princeps possent. Has vero et in vulgus 3

diceret mediocriter amanti? Dicas, quidni? Habeat sibi, si mediocriter amat: sciat ad se non pertinere vota nostra. At periculosum est ita agere cum principe, ut cum mustela in farina latente mus ille apud Phaedrum 4, 1. retorridus, *Sic valeas, ut farina es, quae iaces.* G.

Estne verum) Nonne est verum? Vid. ad 56, 2. G.

5 dii Caesarem imitentur) Haec et similiter absurda quomodo idem Plinius, qui epistolas scripsit, in Panegyrico dicere potuerit, ego vix intelligo. E.

Bona verba quaeso. Miserabiles deos Gierigius dicit, quibus hominum exempla proponenda. Recte. Sed alios non norat pietas Romanorum, quibus hic liber scriptus. S.

LXXV, 1 *in publica acta mittenda)* Ab eo tempore non minima pars historiae Augustae illis in senatu acclamationibus continetur. Vid. v. g. Vopisci Tacitus c. 5. ubi inter illas acclamationes etiam interiectum, *dixerunt decies, dixerunt vicies, dixerunt tricies.* G.

2 *orationes principum)* Adhuc superest, superfuit certe Brissonii aetate, qui eam retulit form. 2, 170. p. 250. Conr. tabulae aeneae bona pars, in qua incisa oratio Claudii Caesaris in senatu: habetur eadem Grut. p. 502. G.

princeps possent) Al. *principes*: al. *posset.* neutrum recte. Offendit usus verbi pluralis numeri cum duobus nominibus numeri singularis, quae duplex *nec* dirimit. Is autem usus non magis vitiosus, quam verbi item pluralis, si duo nomina singularia particulâ *aut* disiunguntur. Livius 5, 8, 13. *pauci reipublicae, huic atque illi, ut quosque studium privatim aut gratia occupaverunt, adsunt.* ubi al. perperam *occupaverat* Cicero de Orat. 2, 4. *Itaque ex-*

exire, et posteris prodi, cum ex utilitate, tum ex dignitate publica fuit. Primum, ut orbis terrarum pietatis nostrae adhiberetur testis et conscius: deinde, ut manifestum esset, audere nos de bonis malisque principibus, non tantum post ipsos iudicare: postremo, ut experimento cognosceretur, et ante nos gratos, sed miseros fuisse; quibus esse nos gratos probare antea non licuit.
4 At qua contentione, quo nisu, quibus clamoribus expostulatum est, ne affectus nostros, ne tua merita supprimeres! denique, ut in posterum ex-
5 emplo provideres! Discant et principes acclamationes veras falsasque discernere, habeantque muneris tui, quod iam decipi non poterunt. Non instruendum illis iter ad bonam famam, sed non deserendum: non submovenda adulatio, sed non reducenda est. Certum est, et quae facere, et
6 quae debeant audire, si faciant. Quid nunc ego super ea, quae sum cum toto senatu precatus, pro senatu precer, nisi ut haereat animo tuo gaudium, quod tunc oculis protulisti? Ames il-

periar equidem illud, ut ne Sulpicius — aut Cotta plus quam ego apud te valere videantur. Haec enim lectio revocanda. male Pearcius invexit *videatur*, quem temere secutus est Ernestius. Sic et in Graeca lingua. Euripides Alcest. 367. sq. Musgr. *καί μ' οὔθ' ὁ Πλούτωνος κύων, Οὔθ' οὑπὶ κώπῃ ψυχοπομπὸς ἂν Χάρων Ἔσχον* — —. ubi cave *ἔσχεν* legendum suspiceris. Lucianus Ver. Hist. 2, 19. T. II. p. 116. *πολλάκις γοῦν ὁ μὲν Ὑάκινθος ἢ ὁ Νάρκισσος ὡμολόγουν.* Eustathius ad Hom. Od. K, 492. pag. 407. 26. Bas. *τοῦτον (Τειρεσίαν) Ζεὺς καὶ Ἥρα διαφερόμενοι κριτὴν εἵλοντο, οἷα πεπειραμένον ἑκατέρας φύσεως, εἰ ἄρα μᾶλλον τὸ ἄῤῥεν ἢ τὸ θῆλυ ἐνεργοῦντα γέγηθεν.* Fallitur Valckenarius *ἐνεργοῦν* corrigens ad Theocr. Decem Eidyllia p. 91. b. De Graecis vid. etiam Porson. ad Euripid. Hecub. 88. ed. sec. *S.*

3 *non tantum post ipsos)* Parum hoc validum: adhuc enim de solo Traiano acclamationes publicatae, bono principe, et ad laudem eius pertinentes. Parum postea quoque ausus est in hoc genere senatus, contra vivos quidem et florentes. *G.*

gratos, sed miseros) Hoc ad principes referri non potest, sed ad alios bene de senatu meritos. Sed tamen fortasse hoc vult: non habuimus occasionem ostendendi nos gratos. *G.*

5 *habeantque muneris tui)* tibi hoc debeant, tibi acceptum ferant. *E.*

6 *oculis protulisti)* ostendisti, declarasti lacrymis. *E.*

Ames — vincas) Cum iucunditate recorderis honoris tibi ha-

lum diem, et tamen vincas: nova merearis, nova audias: eadem enim dici, nisi ob eadem facta, non possunt.

LXXVI. Iam quam antiquum, quam con-
sulare, quod triduum totum senatus sub exemplo
tui sedit, quum interea nihil praeter consulem
ageres! Interrogavit quisque, quod placuit: dis- 2
sentire, discedere, et copiam iudicii sui republi-
cae facere, tutum fuit: consulti omnes, atque
etiam dinumerati sumus: vicitque sententia non
prima, sed melior. At quis antea loqui, quis 3
hiscere audebat, praeter miseros illos, qui primi
interrogabantur? Ceteri quidem defixi et attoniti
ipsam illam mutam ac sedentariam assentiendi
necessitatem, quo cum dolore animi, quo cum
totius corporis horrore perpetiebantur! Unus 4
solusque censebat, quod sequerentur omnes, et
omnes improbarent, in primis ipse, qui censue-
rat. Adeo nulla magis omnibus displicent, quam
quae sic fiunt, tanquam omnibus placeant. For- 5
tasse Imperator in senatu ad reverentiam eius
componebatur: ceterum egressus, statim se reci-
piebat in principem, omniaque consularia officia
abigere, negligere, contemnere solebat. Ille vero 6
ita consul, ut si tantum consul foret: nihil infra
se putabat, nisi quod infra consulem esset. Ac 7
primum, ita domo progrediebatur, ut illum nul-
lus apparatus arrogantiae principalis, nullus prae-
cursorum tumultus detineret. Una erat in limine

biti, et ampliores, si fieri possit, mereare: hoc enim est *vincere illum diem* etc. *G.*

LXXVI, 1 *triduum totum)* In caussa Marii Prisci. vid. Ep. 2, 11, 18. *G.*

sub exemplo tui) Al. *tuo.* quod praetulit Gierigius. Non imiter. *S.*

2 *dinumerati sumus)* numerati, ut intelligeretur, non ad arbitrium Caesaris, sed ex plurimorum sententia caussam iudicari. *E.*

5 *componebatur)* se componebat, simulabat voce, vultu, corporisque habitu reverentiam quandam. *E.*

. *abigere)* immo *abicere*, i. e. *abiicere.* Vidit iam Livineius, qui debebat audiri. *Negligere, contemnere,* post *abigere* misere frigent. *S.*

mora, consultare aves, revererique numinum mo-
8 nitus. Nemo proturbabatur, nemo submoveba-
tur: tanta viatoribus quies, tantus pudor fascibus,
ut plerumque aliena turba subsistere et consulem
9 et principem cogeret. Ipsius quidem officium
tam modicum, tam temperatum, ut antiquus aliquis magnusque consul sub bono principe incedere videretur. Iter illi saepius in forum, frequenter tamen et in campum.

LXXVII. Nam comitia consulum obibat
ipse; tantum ex renuntiatione eorum voluptatis,
2 quantum prius ex destinatione capiebat. Stabant
candidati ante curulem principis, ut ipse ante consulis steterat: adigebanturque in verba, in quae paullo ante ipse iuraverat princeps; qui tantum putat esse in iure iurando, ut illud et ab
3 aliis exigat. Reliqua pars diei tribunali dabatur.
Ibi vero quanta religio aequitatis! quanta legum reverentia! Adibat aliquis ut principem: respon-
4 debat, se consulem esse. Nullius ab eo magistratus ius, nullius auctoritas imminuta est: aucta etiam. Siquidem pleraque ad praetores remittebat: atque ita, ut collegas vocaret. Non quia populare gratumque audientibus, sed quia ita
5 sentiebat. Tantum dignationis in ipso honore
ponebat, ut non amplius esse censeret, quod aliquis collega appellaretur a principe, quam quod praetor esset. Ad haec tam assiduus in tribunali,
6 ut labore refici ac reparari videretur. Quis no-
strum idem curae, idem sudoris sumit? quis adeo
7 expetitis honoribus aut deservit, aut sufficit? Et
sane aequum est, tantum ceteris praestare consulibus ipsum, qui consules facit: quippe etiam

9 *officium tam modicum*) Turba comitantium omnis generis. Sueton. Claud. 2. *Sine solemni officio lectica in Capitolium latus est.* G.

LXXVII, 4 *collegas*) Sic enim antiquitus institutum, ut collegae consulum essent vocarenturque praetores. Vid. Liv. 7, 1. Cic. Att. 9, 9. Locus classicus est Gell. 13, 15. G.

Fortunae videbatur indignum, si posset honores dare, qui gerere non posset. Facturus consules 8
doceat, accepturisque amplissimum honorem persuadeat, scire se, quid sit, quod daturus sit: sic sit, ut illi quoque sciant, quid acceperint.

LXXVIII. Quo iustius senatus, ut susciperes quartum consulatum, et rogavit, et iussit. Imperii hoc verbum, non adulationis esse, obsequio tuo crede: quod non alia in re magis aut senatus exigere a te, aut tu praestare senatui debes. Ut enim ceterorum hominum, ita princi- 2
pum, illorum etiam, qui dii sibi videntur, aevum omne et breve et fragile est. Itaque optimum quemque niti et contendere decet, ut post se quoque reipublicae prosit, moderationis scilicet iustitiaeque monumentis, quae plurima statuere consul potest. Haec nempe intentio tua, ut liber- 3
tatem revoces ac reducas. Quem ergo honorem magis amare, quod nomen usurpare saepius debes, quam quod primum invenit recuperata libertas? Non est minus civile, et principem esse 4
pariter, et consulem, quam tantum consulem. Habe etiam rationem verecundiae collegarum tuo- 5
rum; collegarum inquam: ita enim et ipse loqueris, et nos loqui vis. Onerosa erit modestiae 6

7 *Fortunae videbatur indignum)* Illi *Fortunae Pop. Rom.* gubernatrici magnorum eventuum: verius Providentiae Divinae. * MS. Paris. apud Schwarzium, *fortuna videbatur indignus*: non male, si intelligas *aliquis*. *G.*

LXXVIII, 1 *iussit. Imperii)* Itaque *iubere* libera republica maxime dicebatur populus: senatus tantum *volebat, aequum censebat, arbitrabatur, existimabat, iudicabat, senatui placebat, videbatur.* Vid. Brisson. form. 2, 73. p. 178. Conr. sqq. et add. supra 1, 2. *G.*

obsequio tuo crede) Arguta propter brevitatem forma dicendi. Sensus est: id credere te, ostende obsequio tuo, quo consulatum suscipias. *E.*

2 *plurima)* * Quidam *prima*, h. e. praecipua. *G.*

Praetulit *prima* Gierigius. Non imiter. Unde natum sit, docet Drakenb. ad Liv. 5, 37, 6. *S.*

4 *minus civile)* Aeque indicat animum aequalitatis illius inter cives studiosum et inimicum tyrannidis sive regni, si is, qui primum in republica locum habet, non dedignetur consulatum, quam si illum gerat quivis alius. *G.*

illorum tertii consulatus sui recordatio, donec te consulem videant. Neque enim potest non nimium esse privatis, quod principi satis est. Annuas, Caesar, optantibus, quibusque apud deos adesse consuesti, quorum potens es ipse, votorum compotes facias.

LXXIX. Fortasse sufficiat tibi tertius con-
sulatus: sed nobis tanto minus sufficit. Ille nos
instituit et induxit, ut te iterum iterumque consu-
2 lem habere cupiamus. Remissius istud contende-
remus, si adhuc non sciremus, qualis esses futu-
rus. Tolerabilius fuit, experimentum tui nobis,
3 quam usum negari. Dabiturne rursus videre con-
sulem illum? Audiet et reddet, quas proxime,
voces? praestabitque gaudium, quantum ipse per-
cipiet? Praesidebit laetitiae publicae, auctor eius
et caussa? tentabitque affectus nostros, ut solet,
4 cohibere, nec poterit? Erit pietati senatus cum
modestia principis felix speciosumque certamen,
seu fuerit victa, seu vicerit? Equidem incogni-
tam quandam, proximaque maiorem praesumo
laetitiam. Quis enim est tam imbecilli ingenio,
qui non tanto meliorem consulem speret, quanto
5 saepius fuerit? Alius labores, si non continuo
se desidiae ac voluptati dedisset, otio tamen et
quiete recreasset: hic consularibus curis exsolutus,
principales resumsit; tam diligens temperamenti,
ut nec consulis officium princeps, nec principis
6 consul appeteret. Videmus, ut provinciarum de-
sideriis, ut singularum etiam civitatum precibus
occurrat. Nulla in audiendo difficultas, nulla in

6 *apud deos adesse)* *Sic pro *esse* aliorum e MSS. restituit, et coniecturas aliorum firmavit Schwarzius. Idem etiam observat, esse in bonis libris pro *potens es* brevius *potes*: quod eandem hic vim habet. *G.*

Adscivit hoc Gierigius. Vid. I. A. Ernestium ad h. l. *S.*

Caeterum *alicui apud deos adesse* nunc dixit pro, alterius preces suis adiuvare. *E.*

LXXIX, 6 *in audiendo)* *Lipsius suspicatur *adeundo*; cui respondeat illud, *adeunt statim*: sed nec *audiendo* damnat. *G.*

Audiendo unice verum. Opponitur *in respondendo*. *S.*

respondendo mora: adeunt statim, dimittuntur statim: tandemque principis fores exclusa legationum turba non obsidet.

LXXX. Quid? in omnibus cognitionibus,
quam mitis severitas, quam non dissoluta clementia!
Non locupletando fisco sedes, nec aliud
tibi sententiae tuae pretium, quam bene iudi-
casse. Stant ante te litigatores, non de fortunis 2
suis, sed de tua existimatione soliciti; nec tam
verentur, quid de caussa sua, quam quid de mo-
ribus sentias. O vere principis, atque etiam 3
consulis, reconciliare aemulas civitates, tumentes-
que populos non imperio magis, quam ratione
compescere: intercedere iniquitatibus magistratuum, 4
infectumque reddere, quidquid fieri non oportue-
rit: postremo, velocissimi sideris more, omnia in-
visere, omnia audire, et undecunque invocatum
statim, velut numen, adesse et adsistere! Talia 5
esse crediderim, quae ipse mundi parens temperat
nutu, si quando oculos demisit in terras et facta
mortalium inter divina opera numerare dignatus
est: qua nunc parte curarum liber solutusque, 6

LXXX. 2 *de tua existimatione)* Res ipsa loquitur, non quid alii de Caesare, sed de se quid Caesar existimet, hos litigatores solicitos esse. *G.*

4 *infectum reddere)* Vid. ad 40, 3. *Pro *oportuerit* legendum videtur *oportuerat*. *G.*

Non puto. Est epiphonema generale. *S.*

velocissimi sideris) solis, cuius celeritas saepe celebrata scriptoribus. vid. Cic. Acad. 4, 26. Ad sequentia bene interpretes attulerunt Homer. Il. γ, 277. Sol, *ὃς πάντ᾽ ἐφορᾷς καὶ πάντ᾽ ἐπακούεις.* Plin. H. N. 2, 6. *Sol omnia intuens, omnia etiam exaudiens.* *E.*

invocatum) Difficile est hic statuere, utrum *invocatum* adiective sumere debeamus pro non vocato, an participii more, precibus advocatum. Utrumque pulchrum, et ad hunc locum aptum. *G.*

Miror Gesneri haesitationem. Adiective sumi non posse, clarillime demonstrat additum *undecunque*. *S.*

5 *facta mortalium)* Qualia sunt, quae f. 3. et 4. continentur. *Nondum igitur necessarium puto, *fata*, quamquam e bonis libris, cum Cl. Schwarzio reponere. *G.*

6 *qua nunc parte)* Laudares, Secunde, Traianum tuum, sine deorum iniuria. Sed nimirum iam inoleverat Romae hoc impietatis genus, e quo tempore placuit hominibus Virgilianum, modo verum est, carmen, *Divisum imperium cum Iove Cae-*

caelo tantum vacat, poſtquam te dedit, qui erga omne hominum genus vice ſua fungereris. Fungeris enim, ſufficisque mandanti, quum tibi dies omnis ſumma cum utilitate noſtra, cum tua laude, condatur.

LXXXI. Quod ſi quando cum influentibus negotiis paria feciſti, inſtar refectionis exiſtimas mutationem laboris. Quae enim remiſſio tibi, niſi luſtrare ſaltus, excutere cubilibus feras, ſuperare immenſa montium iuga, et horrentibus ſcopulis gradum inferre, nullius manu, nullius veſtigio adiutum; atque inter haec pia mente adire lucos,
2 et occurſare numinibus? Olim haec experientia iuventutis, haec voluptas erat, his artibus futuri duces imbuebantur: certare cum fugacibus feris curſu, cum audacibus robore, cum callidis aſtu: nec mediocre pacis decus habebatur, ſubmota campis irruptio ferarum, et obſidione quadam
3 liberatus agreſtium labor. Uſurpabant gloriam

ſar habet. Sed hic poëta fuit. conf. ſupra ad 40, 3. et mox Martialis votum ad 94, 2. *Recepimus hic lectionem a Schwarzio erutam e MSS. pro vulgato, *quibus nunc per te liber* etc. *Per te* ſi poſuiſſet Plinius, non ſubiunxiſſet, *poſtquam te dedit.* *G.*

cum tua laude) Al. *ſumma cum tua laude.* bene. *S.*

LXXXI, 1 *cum influentibus negotiis)* Inſtar torrentis, ut Cic. provinc. conſular. c. 13. *C. Marius — influentes in Italiam Gallorum maximas copias repreſſit.* *Non igirur opus eſt, ut de mutatione in *adfluentibus*, vel *inſtantibus*, cogitemus. *G.*

paria feciſti) h. e. negotiis ſatisfeciſti, ut nullum non peractum relinqueretur. *E.*

occurſare numinibus) Non Dianae modo et eius Nymphis, quae faciles deae: vid. Ep. 1, 6, 3. ſed gravioribus etiam, ut *matri magnae* deum, quam *accepimus*, ait Cicero de haruſp. reſp. c. 11. *agros et nemora cum quodam ſtrepitu fremituque peragrare.* *G.*

2 *experientia)* exercitatio et praeparatio quaedam ad munera bellica. Hoc optimum videtur: alii aliter. *E.*

Eſt Graecorum μελέτη. *S.*

obſidione) *Obſidere* non ii modo dicuntur, qui caſtris circum poſitis urbem capere ſtudent; ſed etiam qui inſidiantur ex proximo, et nocendi occaſionibus intenti ſunt. Itaque iungo cum participio *liberatus.* *G.*

agreſtium labor) Sic Myſi legatos apud Herod. 1, 36. ad Croeſum mittunt, contra ὗος μέγιστον χρῆμα, ὃς τὰ ἔργα διαφθείρει. De Perſarum et Cyri venatu res e Cyropaedia notiſſima. Verum Roma libera ea res fere paſtoribus, i. e. ſervis, relinquebatur. Venationes amphitheatri etiam per ſervos fere aut damnatos exerceri ſolitae etc. *G.*

iſtam illi quoque principes, qui obire non poterant: uſurpabant autem, ut domitas fractasque clauſtris feras, ac deinde in ipſorum quidem ludibrium emiſſas, mentita ſagacitate colligerent. Nunc par capiendi quaerendique ſudor, ſummusque et idem gratiſſimus labor, invenire. Enim- 4
vero, ſi quando placuit idem corporis robur in maria proferre, non ille fluitantia vela, aut oculis ſequitur, aut manibus: ſed nunc gubernaculis aſſidet, nunc cum valentiſſimo quoque ſodalium certat frangere fluctus, domitare ventos reluctantes, remisque tranſire obſtantia freta.

LXXXII. Quantum disſimilis illi, qui non Albani lacus otium, Baianique torporem et ſilentium ferre, non pulſum ſaltem fragoremque remorum perpeti poterat, quin ad ſingulos ictus turpi formidine horreſceret. Itaque procul ab omni 2
ſono inconcuſſus ipſe et immotus, religato revinctoque navigio, non ſecus ac piaculum aliquod,

3 *Uſurpabant — poterant)* *Uſurpat gloriam*, qui fraude, malis artibus et ſimulatione illam ſibi tribui affectat: *obit gloriam*, qui eam factis, virtute meretur. Huc ergo et *mentita ſagacitas* pertinet. *E.*

ut) Al. *ita, ut.* bene. *S.*

clauſtris) Arntzenii *clathris* praefert Gesnerus in epiſtola ad I. A. Erneſtium. *S.*

feras — colligerent) Sueton. 19. *ſagittis confectas* narrat a Domitiano: *collectas* i. e captas *mentita ſagacitate*, non narrat. *G.*

Vid. I. A. Erneſtius ad h. l. *S.*

Nunc) In multis libris eſt *Huic*, ſcil. Traiano. *E.*

invenire) Veſtigia perſequi, deprehendere in luſtro, aſſequi fugientem et conſiſtere. *G.*

4 *aut manibus)* Quibus demonſtret, quid agendum ſit. *Lipſius malit *navibus*, deligatis nempe ad aliam. velis vel remis actam, et modo fluitantem motu languido, ne turbet mollis vectoris ſomnum vel delicias miniſterium nauticum, remorum pulſus, ſtridorque rudentum: qua de re ſtatim. *G.*

Obſcurius haec dicta ſunt ob argutam brevitatem. Deſcribitur ignavia eius, qui non ipſe manus admovet operi, ſed otioſus vel ſpectat aliorum labores, *oculis ſequitur vela*, vel inani geſticulatione aliquid agere ſimulat, cum re ipſa nihil agat, *manibus ſequitur. E.*

LXXXII, 1 *disſimilis illi)* Domitiano, de quo vid. Sueton. Cap. 4. et 19. *E.*

2 *piaculum aliquod)* Piacularis hoſtia, quam contingere nemo vult, quae e longinquo proinde trahitur: et in mare denique, ubi poteſt, abiicitur, monſtri inſtar vel prodigioſi partus. Sic 34, 4. *delatores in navigia congeſti piacularibus victimis comparantur. G.*

3 trahebatur. Foeda facies, quum P. R. Imperator alienum curſum, alienumque rectorem, velut capta nave, ſequeretur. Nec deformitate iſta ſal-
4 tem flumina carebant atque amnes. Danubius ac Rhenus tantum illud noſtri dedecoris vehere gaudebant, non minore cum pudore imperii, quod haec Romanae aquilae, Romana ſigna, Romana denique ripa, quam quod hoſtium proſpe-
5 ctarent: hoſtium, quibus moris eſt, eadem illa nunc rigentia gelu flumina, aut campis ſuperflua, nunc liquida ac deferentia, luſtrare navigiis, nan-
6 doque ſuperare. Nec vero laudaverim per ſe magnopere duritiem corporis ac lacertorum: ſed ſi his validior toto corpore animus imperitet, quem non fortunae indulgentiae molliant, non copiae principales ad ſegnitiem luxumque detorqueant; tunc ego, ſeu montibus, ſeu mari exerceatur, et laetum opere corpus, et creſcentia la-
7 boribus membra mirabor. Video enim iam inde antiquitus maritos dearum, ac deorum liberos, nec dignitate nuptiarum * magis quam his artibus

4 *gaudebant)* Inimici nempe amnes, dedecore noſtro laeti, poëtica metonymia pro accolis. Contra puduit Romanos talia fieri in conſpectu hinc hoſtium, hinc ſui exercitus. Genitivus *hoſtium* retro ſpectat ad *ſigna* et *ripam*. * Gudianus liber apud Schwarzium, qui ſupplet ita, *quod hoſtium exercitus proſpectaret*, interpolatus videtur. *G.*

5 *liquida ac deferentia)* *Liquida* opponuntur *rigentibus gelu*; *deferentia* his, quae ſunt *campis ſuperflua*, nec ferendis apta navigiis. *Venti ferentes* ſunt 31, 4. * *Deferentia* i. e. campos, aut *deferventia*, coniecturae non neceſſariae. *G.*

Campis ſuperfuſa cum Schwarzio Gierigius edidit: ita plures libri ſcripti. *E.*

6 *toto corpore)* * Illud *toto* neſcio quam vim, quam elegantiam hic habere poſſit: *tanto* ſi legamus, aliquid dixiſſe Plinium ſe dignum ſentio. *G.*

indulgentiae molliant) *indulgentia molliat* cum Schwarzio ex aliquot ſcriptis libris dedit Gierigius. *E.*

Fallitur Gierigius huius nominis pluralem occurrere negans. Ex Capitolino et Auſonio Forcellinus enotavit. *S.*

7 *nuptiarum)* * Hic deeſſe alterum membrum, reſpondens *deorum liberis*, v. g. *nec generis praeſtantia*, vel tale quiddam, recte ſuſpicatur Lipſius, qui etiam obſervat, quod in pluribus libellis veterum videas, ſub finem ſaepius corruptum aliquid eſſe. Apparet etiam Schwarzianas obſervationes hinc eſſe paullo rariores, non puto quod viri diligentia defecerit, ſed quod ſubſidia librorum. *G.*

inclaruisse. Simul cogito, quum ſiut iſta ludus 8
et avocamentum huius, quae quantaeque ſint illae
feriae et intentae, et a quibus ſe in tale otium
recipit, voluptates. Sunt enim voluptates, quibus
optime de cuiusque gravitate, ſanctitate, tempe-
rantia creditur. Nam quis adeo diſſolutus, cuius 9
non occupationibus aliqua ſpecies ſeveritatis inci-
dat? Otio prodimur. An non plerique princi-
pes hoc idem tempus in aleam, ſtupra, luxum
conferebant? quum feriarum laxamenta curarum,
vitiorum contentione ſupplerent.

LXXXIII. Habet hoc primum magna for-
tuna, quod nihil tectum, nihil occultum eſſe pa-
titur: principum vero non modo domos, ſed cu-
bicula ipſa intimosque ſeceſſus recludit, omniaque
arcana noſcenda famae proponit atque explicat.
Sed tibi, Caeſar, nihil accommodatius fuerit ad
gloriam, quam penitus inſpici. Sunt quidem 2
praeclara, quae in publicum profers; ſed non
minora ea, quae limine tenes. Eſt magnificum,
quod te ab omni contagione vitiorum reprimis

Membrum illud non poſt *nuptiarum* inſerendum, ſed poſt *liberos*, ut chiasmus ſit, a Plinio ſaepe uſurpatus. Duplex *nec* oculos librariorum feſellit. *S.*

8 *voluptates. Sunt enim) Voluptates feriae et intentae* ſunt ipſae occupatiooes Traiaoi, in quantum etiam has lubenter et cum προθυμίᾳ quadam obit. *Interim nimia velim, ut inveniatur liber antiqous, in quo hic ſint *occupationes*. Alind remedium excogitavit Lipſius, ſi ſic legamus: *quae quantaque ſint illa feria et intenta — recipit. Voluptates ſunt enim, voluptates! quibus optime* etc. *G.*

Praefero Lipſii rationem. Hanc etiam Gierigius ex parte ſequitur, ſed ordine alio verborum: *Voluptates enim ſunt.* perperam. vid. Add. ad 1, 8, 2. *S.*

9 *incidat? Otio)* *Quid ſi *inſit? At otio* etc. Certe illud *incidat* mihi hic non ſatisfacit: ſed mea forte culpa. *G.*

Schwarzius et Arntzenius ex aliquot MSS. et edd. dederunt *inſideat*; et ſic Gierigius quoque expreſſit. Tamen mihi *incidat* magis placet. Hoc verbum enim ſubindicat, in hominibus diſſolutis *non ſemper*, ſed *nonnunquam* et *caſu quodam* accidere; ut in occupationibus graves et ſeveri eſſe videaotur. Itaque hominis gravitas non tum, cum occupatus eſt negotiis, ſed potius in otio et io voluptatum uſu aeſtimari debet: *otio prodimur.* Si praeferas *inſideat*, vel *inſit*, illa *raritatis* notio tollitur, et ſententia *diſſolutis* minus apta eſt. *E.*

Conf. I. A. Erneſtius ad h. l. *S.*

3 ac revocas, ſed magnificentius, quod tuos. Quanto enim magis arduum eſt, alios praeſtare, quam ſe: tanto laudabilius, quod, quum ipſe ſis optimus,
4 omnes circa te ſimiles tui effeciſti. Multis illuſtribus dedecori fuit, aut inconſultius uxor aſſumta, aut retenta patientius: ita foris claros domeſtica deſtruebat infamia: et ne maximi cives haberentur, hoc efficiebat, quod mariti minores
5 erant. Tibi uxor in decus et gloriam cedit. Quid enim illa ſanctius? quid antiquius? Nonne, ſi Pontifici Maximo deligenda ſit coniux, aut hanc, aut ſimilem (ubi eſt autem ſimilis?) elegerit?
6 Quam illa nihil ſibi ex fortuna tua, niſi gaudium vindicat! Quam conſtanter, non potentiam tuam, ſed ipſum te reveretur! Idem eſtis invicem, quod fuiſtis: probatis ex aequo: nihilque vobis felicitas addidit, niſi quod ſcire coepiſtis, quam
7 bene uterque veſtrum felicitatem ferat. Eadem quam modica cultu! quam parca comitatu! quam civilis inceſſu! Mariti hoc opus, qui ita imbuit, ita inſtituit: nam uxori ſufficit obſequii gloria.
8 An, quum videat, quam te nullus terror, nulla comitetur ambitio, non et ipſa cum ſilentio incedat? ingredientemque pedibus maritum, in quantum patitur ſexus, imitetur? Decuerit hoc illam, etiamſi diverſa tu facias. Sub hac vero modeſtia viri, quantam debet verecundiam uxor marito! femina ſibi!

LXXXIV. Soror autem tua, ut ſe ſororem eſſe meminit! ut in illa tua ſimplicitas, tua veri-

LXXXIII, 5 *Pontifici Maximo)* Pontifici Maximo ſemel tantum uxorem ducere licebat, ſi credimus Tertull. exhort. ad caſtit. c. 7. de monogam. c. 16. ad uxor. 1, 5. Sic de Diali Flamine Maſurius Sabinus apud Gell. 10, 15 *Uxorem ſi amiſit, flaminio decedit. Matrimonium Flaminis niſi morte dirimi non eſt ius.* His igitur, caſtam et virtutibus omnibus ornatam naſciſci, optabile praeter ceteros erat. *G.*

Vid. I. A. Erneſtius ad h. l. *S.*

6 *probatis ex aequo)* Ante *probatis* Gierigius inſeruit *idem*, quod contextus ei flagitare videbatur. *E.*

Sed ſic *ex aequo* abundat languetque. Melius alii *probati*. *S.*

tas, tuus candor agnoſcitur! ut, ſi quis eam
uxori tuae conferat, dubitare cogatur, utrum ſit
efficacius ad recte vivendum, bene inſtitui, aut
feliciter naſci. Nihil eſt tam pronum ad ſimul- 2
tates, quam aemulatio, in feminis praeſertim: ea
porro maxime naſcitur ex coniunctione, alitur
aequalitate, exardeſcit invidia, cuius finis eſt
odium. Quo quidem admirabilius exiſtimandum 3
eſt, quod mulieribus duabus in una domo, pari-
que fortuna, nullum certamen, nulla contentio eſt.
Suſpiciunt invicem, invicem cedunt: quumque te 4
utraque effuſiſſime diligat, nihil ſua putant inter-
eſſe, utram tu magis ames. Idem utrique propo-
ſitum, idem tenor vitae, nihilque, ex quo ſentias
duas eſſe. Te enim imitari, te ſubſequi ſtudent. 5
Ideo utraque mores eosdem, quia utraque tuos,
habet: inde moderatio, inde etiam perpetua ſe-
curitas. Neque enim unquam periclitabuntur eſſe
privatae, quae non deſierunt. Obtulerat illis ſe- 6
natus cognomen Auguſtarum, quod certatim de-
precatae ſunt, quam diu appellationem patris pa-
triae tu recuſaſſes: ſeu quod plus eſſe in eo iu-
dicabant, ſi uxor et ſoror tua, quam ſi Auguſtae
dicerentur. Sed quaecunque illis ratio tantam 7
modeſtiam ſuaſit; hoc magis dignae ſunt, quae

LXXXIV, 1 *bene inſtitui)* Hoc ad uxorem Traiani refertur, ut *feliciter naſci* ad ſororem. *G.*

aut feliciter naſci) Peccavitne noſter adverſus magiſtri ſui, Fabii, praeceptum? qui 1, 5. 49. *Nam et* an *et* aut *coniunctiones ſunt*, inquit, *male tamen interroges*, Hic aut ille ſit? Vid. ad 10, 48, 2. *Certe omnes libri *aut* hic habent, quos inſpexit Schwarzius. *G.*

Poſtea tamen *an* in uno Cod. Vatic. repertum edidit. *E.*

Idque a Plinio profectum puto. *S.*

5 *non deſierunt)* Nunquam modeſtiam privatarum feminarum exuerunt: itaque etſi redigantur ad privatam conditionem, nihil ipſis aſperum accidat. *G.*

6 *cognomen Auguſtarum)* Videntur tamen poſt recepiſſe, ut apparet ex inſcr. apud Gruterum p. 247, 6. ubi in arcu Traiani VI. illius conſulatu poſito hinc honor habetur PLOTINAE AVG. CONIVGI AVG. hinc DIVAE MARCIANAE AVG. SORORI AVG. Nimirum hic ipſe etiam *pater patriae* appellatur. De nummis videatur Spanh. diſſ. 11. p. 271. et 288. *G.*

ſeu) Alterum *ſeu* in priore membro latet. vid. I. A. Erneſtium. *S.*

in animis nostris et sint et habeantur augustae,
8 quia non vocantur. Quid enim laudabilius feminis, quam si verum honorem non in splendore titulorum, sed in iudiciis hominum reponant, magnisque nominibus pares se faciant, etiam dum recusant?

LXXXV. Iam etiam et in privatorum animis exoleverat priscum mortalium bonum, amicitia, cuius in locum migraverant assentationes, blanditiae, et peior odio amoris simulatio. Etenim in principum domo nomen tantum amicitiae, inane
2 scilicet irrisumque, manebat. Nam quae poterat esse inter eos amicitia, quorum sibi alii domini, alii servi videbantur? Tu hanc pulsam et errantem reduxisti: habes amicos, quia amicus ipse
3 es. Neque enim, ut alia subiectis, ita amor imperatur: neque est ullus affectus tam erectus, et liber, et dominationis impatiens, nec qui magis
4 vices exigat. Potest fortasse princeps inique, potest tamen odio esse nonnullis, etiamsi ipse non
5 oderit: amari, nisi ipse amet, non potest. Diligis ergo, quum diligaris, et in eo, quod utrinque honestissimum est, tota gloria tua est; qui superior factus, descendis in omnia familiaritatis officia, et in amicum ex imperatore submitteris: immo tunc maxime imperator, quum amicum ex
6 imperatore agis. Etenim quum plurimis amicitiis

LXXXV, 1 *Iam etiam et*) Duae particulae ab negligente librario iteratae: quod non vidisse viros doctos mireris. Scribe: *Iam et in privatorum* etc. Hoc *et* respicit sententiam a Plinio non expressam: *In principum animis exolevisse non mirum; etenim in principum domo* etc. *S.*

manebat) In aliis libris scriptis et editis legebatur *remanebat*, quod Gierigius recepit. *E.*

3 *ullus*) Suspicor *ullus alius.* *S.*

5 *utrinque*) Hinc amantibus te, hinc tibi, qui amaris. Sic rescripsimus pro *utrique*, bonis apud Schwarzium auctoribus. *G.*

familiaritatis officia) Xiphilin. e Dion. l. 68. pag. 772. Καὶ γὰρ θήρας καὶ συμποσίων, ἔργων τε καὶ βουλευμάτων, σκωμμάτων δὲ μετεῖχε σφίσι (τοῖς φίλοις) καὶ πολλάκις καὶ τέταρτος ὠχεῖτο (quartus ipse in eodem vehiculo comes vectus est) ἔς τε τὰς οἰκίας αὐτῶν καὶ ἄνευ γε φρουρᾶς ἔστιν ὧν εἰσιὼν εὐθυμεῖτο. Similia Eutrop. 8, 4. *G.*

fortuna principum indigeat, praecipuum eſt prin-
cipis opus, amicos parare. Placeat tibi ſemper 7
haec ſecta, et cum alias virtutes tuas, tum hanc
conſtantiſſime, teneas: nec unquam perſuadeatur,
humile eſſe principi, niſi odiſſe. Iucundiſſimum
eſt in rebus humanis amari, ſed non minus ama-
re: quorum utroque ita frueris, ut, quum ipſe
ardentiſſime diligas, adhuc tamen ardentius dili-
garis. Primum, quia facilius eſt, unum amare, 8
quam multos: deinde, quia tibi amicos tuos ob-
ligandi adeſt facultas tanta, ut nemo poſſit te,
niſi ingratus, non magis amare.

LXXXVI. Operae pretium eſt referre, quod
tormentum tibi iniunxeris, ne quid amico nega-
res. Dimiſiſti optimum virum, tibi cariſſimum,
invitus et triſtis, et quaſi retinere non poſſes.
Quantum amares eum, deſiderio expertus es:
distractus ſeparatusque, dum cedis et vinceris.
Ita, quod fando inauditum, quum princeps et 2
principis amicus diverſa velletis, id potius factum
eſt, quod amicus volebat. O rem memoriae lite-
risque mandandam! Praefectum praetorii non
ex ingerentibus, ſed ex ſubtrahentibus legere:
eundemque otio, quod pertinaciter amet, redde-
re: quumque ſis ipſe diſtentus imperii curis, non
quietis gloriam cuiquam invidere. Intelligimus, 3
Caeſar, quantum tibi pro laborioſa iſta ſtatione

7 *humile — odiſſe*) Cum non oderimus fere niſi unde malum metuimus; metus autem humilem animum arguat etc. *G.*

Immo ſenſus, opinor: amicitiam principem dedecere, decere odium. *S.*

LXXXVI, 1 *tibi cariſſimum*) Al. *sibique cariſſimum.* quod praeferendum. *S.*

2 *ex ingerentibus*) Addendum videtur *ſe*, quod ob ſequens *ſed* facile potuit excidere. *S.*

ex ſubtrahentibus) Vid. 6, 5. *G.*

gloriam) Al. *gloria.* quod vel ſolae aures commendant. vid. ad Epiſt. 1, 10, 12. Ceterum fruſtra tentarunt viri docti lectionem vulgatam. maius quiddam eſt, quiete glorioſa alicui non invidere, quam ſimpliciter quiete. *S.*

3 *laborioſa — exercita*) Bene Heumannus componit cum Cic. pro Milon. 2. *Quid nobis laborioſius, quid magis exercitum dici aut fingi poteſt?* *G.*

et exercita debeamus, quum otium a te, tanquam res optima, et petatur, et detur. Quam ego audio confusionem tuam fuisse, quum digredientem prosequereris! Prosequutus enim nec temperasti tibi, quo minus exeunti in litore amplexus
4 osculum ferres. Stetit Caesar in illa amicitiae specula, precatusque maria, celeremque (si tamen ipse voluisset) recursum, nec sustinuit recedentem non etiam atque etiam votis, lacrymis, sequi.
5 Nam de liberalitate taceo. Quibus enim muneribus aequari haec cura principis, haec patientia potest, qua meruisti, ut ille sibi nimium fortis, ac prope durus videretur? Nec dubito, quin agitaverit secum, an gubernacula retorqueret: et fecisset, nisi quod paene ipso contubernio principis felicius iucundiusque est, desiderare principem
6 desiderantem. Et ille quidem, ut maximo fructu suscepti, ita maioré depositi officii gloria fruitur: tu autem facilitate ista consequutus es, ne quem retinere videaris invitum.

LXXXVII. Civile hoc erat, et parenti publico convenientissimum, nihil cogere, semperque meminisse, nullam tantam potestatem cuiquam

Prosequutus enim) Baunius: *Prosequutus es enim.* bene. *S.*

amplexus osculum) Miras hic locus turbas dedit, quod viri docti *amplexus* pro substantivo haberent. Immo participium est, ad quod subaudi *eum.* Valet enim in Latinam linguam, quod de Graeca pulchre monuit Porsonus ad Euripid. Med. 734. „Graeci scilicet, inquit, cum verba duo, diversos casus regentia, ad idem nomen aeque referuntur, ne nomen aut pronomen minus suaviter repetatur, in utrovis regimine semel ponunt, altero omisso." *S.*

4 *precatusque maria)* Vid. I. A. Ernestium ad h. l. *S.*

5 *desiderare)* *Vide, an non ordinatius fluat oratio sic, *nisi, quod — est, desideraret principem desiderantem.* *G.*

Non tamen opus est quicquam mutare, si modo cum Schwarzio ita explices: *nisi*, h. e. verum ideo non fecit, *quod*, quia, *paene ipso* etc. *E.*

desiderantem) *Hoc verbum e bonis libris revocavit Schwarzius, qui etiam sequentia restituit, sic tamen ut suspicetur legendum, *ut maxima suscepti, ita maiore depositi officii gloria fruitur.* Offendit nempe virum formula *fructu fruitur*: licet non ignoraret Incertum Auctorem Paneg. 8. 5. dixisse, *Quum duplici fructu fruebantur* (matres et virgines, *quum pulcherrimi imperatoris formam viderent, et licentiam non timerent.* *G.*

dari posse, ut non sit gratior potestate libertas. Dignus es, Caesar, qui officia mandes deponere 2 optantibus; qui petentibus vacationem invitus quidem, sed tamen tribuas; qui ab amicis orantibus requiem non te relinqui putes; qui semper invenias, et quos ex otio revoces, et quos otio reddas. Vos quoque, quos parens noster fami- 3 liariter inspicere dignatur, fovete sancte iudicium eius, quod de vobis habet: hic vester labor est. Princeps enim, quum in uno probavit amare se 4 scire, vacat culpa, si alios minus amat. Ipsum quidem quis mediocriter diligat, quum leges amandi non det, sed accipiat? Hic praesens, ille mavult absens amari: uterque ametur, ut mavult; nemo in taedium praesentia, nemo in oblivionem absentia veniat. Tenet quisque locum, quem se- 5 mel meruit; faciliusque est, ut oculis eius vultus absentis, quam ut animo caritas excidat.

LXXXVIII. Plerique principes, quum essent civium domini, libertorum erant servi: horum consiliis, horum nutu regebantur: per hos audiebant, per hos loquebantur: per hos praeturae etiam, et sacerdotia et consulatus, immo et ab his petebantur. Tu libertis tuis summum quidem 2 honorem, sed tamquam libertis habes; abundeque sufficere his credis, si probi et frugi existi-

LXXXVII, 4 *veniat)* Al. *venit.* quod verum. Corrigendum item antea *amatur.* Docet Plinius, quid faciat Traianus legibus amandi obsequium praestans. *S.*

5 semel meruit) *Meruit*, hoc est, consecutus est, non exclusa licet dignitate. * Credo, ad hunc intellectum verbi, consuetum sane Plinio, non attendisse, qui *semper* substituerunt. *Semel* ex MSS. reponit Schwarzius. *G.*

LXXXVIII, 1 *libertorum — servi)* Ut Claudius Narcissi, et Pallantis, de cuius opibus, ne longe abeamus, vid. Ep. 7, 29. et 8, 6. *G.*

Conf. Sueton. Claud. 29. et Galb. 14. *E.*

2 *summum quidem honorem)* *Summum*, si cogitemus te, qui habes; ut paullo post, *honor omnis* illis praestatur. * Et tamen duriusculum est *summum*: itaque fere est, ut malim cum Lipsio *suum*. Sed non addicunt libri. Vid. Schwarzius. *G.*

Vulgata non solicitanda. Summus autem ille honor, libertis habitus a Traiano, fuit, quod probi et frugi existimarentur. *S.*

mentur. Scis enim, praecipuum esse indicium
3 non magni principis magnos libertos. Ac primum
neminem in usu habes, nisi aut tibi, aut patri
tuo, aut optimo cuique dilectum; statimque hos
ipsos quotidie deinde ita formas, ut se non tua
fortuna, sed sua metiantur: et tanto magis digni,
quibus honor omnis praestetur a nobis, quia non
4 est necesse. Iustisne de caussis S. P. Q. R. OPTI-
MI tibi cognomen adiecit? Paratum id quidem,
et in medio positum, novum tamen. Scias ne-
minem ante meruisse, quod non erat excogitan-
5 dum, si quis meruisset. An satius fuit, FELICEM
vocare? quod non moribus, sed fortunae datum
est: satius, MAGNVM? cui plus invidiae, quam
pulchritudinis inest. Adoptavit te optimus prin-
6 ceps in suum, senatus in OPTIMI nomen. Hoc tibi
tam proprium, quam paternum; nec magis defi-
nite distincteque designat, qui TRAIANVM, quam
qui OPTIMVM appellat: ut olim frugalitate Pisones,
sapientia Laelii, pietate Metelli monstrabantur.
Quae simul omnia uno isto nomine continentur.
Nec videri potest optimus, nisi qui est omnibus
[optimis] in sua cuiusque laude praestantior.
7 Merito tibi ergo post ceteras appellationes haec
est addita, ut maior. Minus est enim Imperato-

3 *optimo cuique dilectum)* *Recte, nec sine suffragio MS. *Principum* post *cuique* omitti iubet Schwarzius. Pro *statimque*, quod incommodum sane est, cum *quotidie* ac *deinde* sequantur, Lipsius legendum suspicatur, *dilectum aestimatumque. Hos ipsos.* Cui eatenus subscribo, ut certe *statimque* corruptum ex nomine ad *dilectum* adiuncto arbitrer: fuitne *spectatumque?* G.

4 *Iustisne de caussis)* Vid. ad 56, 2. G.

non erat excogitandum) Non opus erat, ut tamquam novum, quo te afficeremus, honorem excogitaremus. G.

6 *omnibus [optimis])* *Includendum curavi *optimis*, ut nimis luxurians, et forte imprudenter tantum huc relatum ex praecedentibus. G.

Omisit adeo Gierigius. Mihi satis commodum vereque Plinianum videtur. Sensus: non potest optimus videri, nisi qui vincit omnes, qui in sua quisque laude maxime excellunt. Cap. 89, 1. *optimus ipse non timuisti eligere meliorem.* Cap. 92, 4. *meliorem optimo genuit.* Supra Cap. 62, 8. *nullamque in eo gloriam ponit, quod sit omnibus maior, nisi maximi fuerint, quibus maior est.* S.

rem, et Caesarem, et Augustum, quam omnibus
Imperatoribus, et Caesaribus, et Augustis esse
meliorem. Ideoque ille parens hominum deorum- 8
que OPTIMI prius, deinde MAXIMI nomine colitur.
Quo praeclarior laus tua, quem non minus con-
stat optimum esse, quam maximum. Adsequutus 9
es nomen, quod ad alium transire non possit,
nisi ut appareat in bono principe alienum, in
malo falsum: quod licet omnes postea usurpent,
semper tamen agnoscetur ut tuum. Etenim, ut 10
nomine AVGVSTI admonemur eius, cui primum
dicatum est, ita haec OPTIMI appellatio nunquam
memoriae hominum sine te recurret, quotiesque
posteri nostri OPTIMVM aliquem vocare cogentur,
toties recordabuntur, quis meruerit vocari.

LXXXIX. Quanto nunc, dive Nerva, gau-
dio frueris, quum vides et esse OPTIMVM, et dici,
quem tamquam optimum elegisti! quam laetum
tibi, quod comparatus filio tuo vinceris! Neque
enim alio magis approbatur animi tui magnitudo,
quam quod optimus ipse non timuisti eligere me-
liorem. Sed et tu, pater Traiane, (nam tu quo- 2
que, si non sidera, proximam tamen sideribus
obtines sedem) quantam percipis voluptatem,
quum illum tribunum, illum militem tuum, tan-

9 *in bono principe alienum)* Quia alius iam occupavit, ut adeo non iam valeat ad distinctionem: nisi forte placeat *Optimum secundum*, et deinceps, vocare. *G.*

Gierigius explicat *alienum*, ad alium quasi per metaphoram modo translatum, quod in Traiano proprium nomen esset. *E.*

LXXXIX, 1 *non timuisti)* Contra quam Augustus fecisse accusatur apud Tac. Ann. 1, 10. *Quoniam arrogantiam saevitiamque* Tiberii *introspexerit, comparatione deterrima sibi gloriam peperisse. G.*

2 *si non sidera)* Nimirum *sidera* Deorum sedes. In his *quatuordecim* non licet sedere nisi consecratis Augustis. Conf. 11, 2. Sed, si Lucanum audimus, 9, 6. *Quod patet terras inter, lunaeque meatus, Semidei manes habitant.* Laudavit Lipsius: Cellarius autem Manil. 1, 761. et 800. Ceterum non passus est Traianus patrem suum semper exsulare caelo ipso. Exstat enim nummus sexto illius consulatu percussus, in quo DIVI NERVA ET TRAIANVS PAT. adversis vultibus proponuntur. vid. Spanh. diss. 11. p. 328. *G.*

tribunum — militem) De tribunatu Traiani dictum c. 15, 1.

tum imperatorem, tantum principem cernis! cum-
que eo, qui adoptavit, amicissime contendis,
3 pulchrius fuisse genuisse talem, an elegisse! Ma-
cte uterque ingenti in rempublicam merito, cui
hoc tantum boni contulistis! Licet alteri vestrum
filii virtus triumphalia, caelum alteri dederit: non
minor tamen vestra laus, quod ista per filium,
quam si ipsi meruissetis.

XC. Scio, P. C., cum ceteros cives, tum
praecipue consules, oportere sic affici, ut se pu-
blice magis, quam privatim obligatos putent.
2 Ut enim malos principes rectius pulchriusque est
ex communibus iniuriis odisse, quam propriis:
ita boni speciosius amantur ob ea, quae generi
3 humano, quam quae hominibus praestant. Quia
tamen in consuetudinem venit, ut consules, pu-
blica gratiarum actione perlata, suo quoque nomi-
ne, quantum debeant principi, profiteantur: con-
cedite, me non pro me magis munere isto, quam

* Nonne melius erat sic, *illum militem, illum tribunum tuum?* *G.*

Immo Schwarzius alterum ordinem aptiorem consilio oratoris docet. Traianus pater filium miratur e *tribuno*, et e gregario adeo *milite* ad imperatoriam dignitatem evectum. *E.*

an elegisse!) Haec constructio laborare videtur. Nam debebat ita connecti oratio, *pulchrius fuisse genuisse talem, quam elegisse*: vel ita, *pulchriusne fuerit, genuisse talem, an elegisse?* *G.*

Prius daturus erat Ernestius. „Ita, inquit, non dubitavi cum Gierigio ponere pro vulg. *an elegisse*, quae constructio corrupta est. Gesnerus iam monuerat, debere ita connecti orationem: *pulchrius fuisse, genuisse talem, quam elegisse*: vel ita, *pulchriusne fuerit, genuisse talem, an elegisse.* Haec posterior constructio mihi etiam aptior videtur verbo *contendere*, quod sequentem comparationem aliquam postulare videtur." Verissimum hoc. Vitium est, non in *an*, sed in *fuisse*: nisi quid excidisse dicamus. *S.*

3 *triumphalia)* De illa Parthica lauro loquitur, quam declaratum ivimus ad 14, 1. Sed sine dubio etiam *triumphalem statuam* patri posuit, vel positam instauravit: ornamentaque illi triumphalia conservavit. De *caelo Nervae dato* supra c. 11. *G.*

XC, 3 *in consuetudinem venit)* * *In consuetudinem vertit* MSS. et impressi plures apud Schwarzium. Haeret ipse: dubito ego quoque, nisi quod ad *vertit* propendet animus, quia hoc paullo abstrusius, quod proinde librariis minus placuit. *G.*

perlata) Vid. I. A. Ernestius ad h. l. *S.*

pro collega meo, Cornuto Tertullo, C. V., fungi.
Cur enim non pro illo quoque gratias agam, pro 4
quo non minus debeo? praesertim quum indul-
gentissimus imperator in concordia nostra ea prae-
stiterit ambobus, quae si tantum in alterum con-
tulisset, ambos tamen aequaliter obligasset. Utrum- 5
que nostrum ille optimi cuiusque spoliator et car-
nifex stragibus amicorum, et in proximum iacto
fulmine afflaverat. Iisdem enim amicis gloriaba-
mur, eosdem amissos lugebamus: ac sicut nunc
spes gaudiumque, ita tunc communis nobis dolor
et metus erat. Habuerat hunc honorem periculis 6
nostris divus Nerva, ut nos, etsi minus notos,
ut bonos tamen, promovere vellet: quia mutati
seculi signum et hoc esset, quod florerent, quo-
rum praecipuum votum ante fuerat, ut memoriae
principis elaberentur.

XCI. Nondum biennium compleramus in
officio laboriosissimo et maximo, quum tu nobis,
optime principum, fortissime Imperatorum, con-
sulatum obtulisti, ut ad summum honorem gloria
celeritatis accederet. Tantum inter te et illos 2
principes interest, qui beneficiis suis commenda-
tionem ex difficultate captabant, gratioresque ac-
cipientibus honores arbitrabantur, si prius illos
desperatio, et taedium, et similis repulsae mora,

C. V.) h. e. *clarissimo viro*, ne putes illas siglas *consularem virum* significare. Nam Tertullum antea non fuisse consulem, Schwarzius monuit. *E.*

5 *fulmine afflaverat)* Compara Ep. 3, 11, 3. *Tot circa me iactis fulminibus quasi ambustus. G.*

6 *minus notos)* *Notos* non habent, quos Schwarzius adhibuit, libri antiqui. Postulat autem, quod Lipsius monuit, vel hoc vel simile nomen sententia. Schwarzius servat lectionem vulgatam et interpretatur: *etsi minus* promoverit, morte praeventus, *tamen promovere* ad praefecturam aerarii *vellet*. Syllepseos talis exempla Pliniana profert. *G.*

Vid. I. A. Ernestius ad h. l. *S.*

XCI, 1 *in officio laboriosissimo)* Praefectura aerarii. Vid. 5, 15, 5. quae tota epistola de hac necessitudine agit. Add. 10, 20, 1. *G.*

2 *si prius illos)* Intellige *honores*. *Honores* nomen suum fere amittunt, in *notam* et contumeliam mutantur, si differantur per repulsas etc. *G.*

3 in notam quandam pudoremque vertissent. Obstat
verecundia, quo minus percenseamus, quo utrum-
que nostrum testimonio ornaris: ut amore recti,
amore reipublicae, priscis illis consulibus aequa-
4 veris. Merito nec ne, neutram in partem decer-
nere audeamus; quia nec fas est, affirmationi
tuae derogare, et onerosum confiteri, vera esse,
quae de nobis, praesertim tam magnifica, dixisti.
5 Tu tamen dignus es, qui eos consules facias, de
quibus possis ista praedicare. Tribuas veniam,
quod inter haec beneficia tua gratissimum est
nobis, quod nos rursus collegas esse voluisti.
6 Ita caritas mutua, ita congruens tenor vitae, ita
una eademque ratio propositi postulabat: cuius
ea vis, ut morum similitudo concordiae nostrae
gloriam minuat, ac perinde sit mirum, si alter
7 nostrum a collega, ac si a seipso dissentiat. Non
ergo temporarium et subitum est, quod uterque
collegae consulatu, tamquam iterum suo gaudet;
nisi quod tamen, qui rursus consules fiunt, bis
quidem, sed temporibus diversis obligantur: nos
duos consulatus accipimus simul, simul gerimus,
alterque in altero consules, sed iterum et pariter
sumus.

XCII. Illud vero quam insigne, quod nobis praefectis aerario consulatum ante, quam successorem dedisti! Aucta est dignitas dignitate: neque continuatus tantum, sed geminatus est honor, finemque potestatis alterius, tamquam parum

4 *onerosum*) Pudorem nostrum onerat. Sic 78, 6. *onerosa erit modestiae* etc. *G.*

6 *gloriam minuat*) Mirum enim non est, si homines simillimis moribus et consiliis inter se concordant. *E.*

7 *temporarium et subitum*) non casu quodam et fortuito factum est, ut uterque iterum collegae essemus, sed scil. tuo, Traiano, consilio, et praevia deliberatione ita institutum. In sequentibus documenta sunt aetatis Plinianae, qua ingenii laudem habebat, ex rebus utcunque miris aut repugnantibus acumina et argutias captare. *E.*

XCII, 1 *potestatis alterius*) Suspicor *potestatis altera alterius*. Quam facile potuerit *altera* excidere, nemo non videt. *S.*

eſſet excipere, praevenit. Tanta tibi integritatis 2
noſtrae fiducia fuit, ut non dubitares, te ſalva
diligentiae tuae ratione eſſe facturum, ſi nos poſt
maximum officium privatos eſſe non ſineres.
Quid, quod eundem in annum conſulatum no-
ſtrum contuliſti? Ergo non alia nos pagina,
quam quae te conſulem accipiet, et noſtra quo-
que nomina addentur faſtis, quibus ipſe praeſcri-
beris. Tu comitiis noſtris praeſidere, tu nobis 3
ſanctiſſimum illud carmen praeire dignatus es,
tuo iudicio conſules facti, tua voce renuntiati ſu-
mus: ut idem honoribus noſtris ſuffragator in
curia, in campo declarator exſiſteres. Nam quod 4
eum potiſſimum menſem attribuiſti, quem tuus
natalis exornat, quam pulchrum nobis! quibus
edicto, quibus ſpectaculo celebrare continget
diem illum, triplici gaudio laetum: qui princi-
pem abſtulit peſſimum, dedit optimum, meliorem
optimo genuit. Nos ſub oculis tuis auguſtior ſo- 5
lito currus accipiet: nos inter ſecunda omina, et
vota certantia, quae praeſenti tibi conferentur,
vehemur alacres, et incerti, ex utra parte maior
auribus noſtris accidat clamor.

XCIII. Super omnia tamen praedicandum
videtur, quod pateris conſules eſſe, quos feciſti:

2 *privatos eſſe)* Ut ad rationem reddendam ſuperioris muneris vocari poſſemus. *G.*

eundem in annum) Quo tu conſulatum geris nimirum, quod ea, quae ſequuntur, ſatis declarant. *Onuphrius Panvin. quod monet Schwarzius, in Faſtis h. l. ita refert, *eundem in annum conſulatus tui conſulatum noſtrum contuliſti.* Si e MSS. bene. *G.*

quam quae te) *Illud *quae* e Cod. Pariſ. inſerit Schwarzius. Abeſſe quidem poterat, ſed auget claritatem. *G.*

3 *carmen praeire)* Vid. ad 64, 3. *G.*

4 *eum potiſſimum menſem)* Septembrem. Nam XIV. Kal. Octobr. interfectum Domitianum refert Sueton. 17. *G.*

ſpectaculo celebrare) Antiquum hoc; itaque ſingulare illud Tiberii Sueton. 26. quod *natalem ſuum plebeiis incurrentem Circenſibus vix unius bigae adiectione honorari paſſus eſt. G.*

5 *currus accipiet)* Quo per circum vehebantur. Iam laudatus Iuven. 10, 36. *Quid ſi vidiſſet Praetorem curribus altis Exſtantem, et medio ſublimem in pulvere circi* etc. Add. 11, 191. ſqq. *G.*

quippe nullum periculum, nullus ex principe metus consulares animos debilitat et frangit: nihil invitis audiendum, nihil coactis decernendum erit. Manet manebitque honori veneratio sua,
2 nec securitatem auctoritate perdemus. Ac si quid forte ex consulatus fastigio fuerit diminutum, nostra haec erit culpa, non seculi. Licet enim, quantum ad principem, licet tales consules agere, quales
3 ante principes erant. Ullamne tibi pro beneficiis referre gratiam parem possumus? nisi tantum illam, ut semper nos meminerimus consules fuisse, et consules tuos; ea sentiamus, ea censeamus, quae consularibus digna sunt; ita versemur in republi-
4 ca, ut credamus esse rempublicam. Non consilium nostrum, non operam subtrahamus, nec disiunctos nos et quasi dimissos consulatu, sed quasi adstrictos et devinctos putemus; eundemque locum laboris et curae, quem reverentiae dignitatisque, teneamus.

XCIV. In fine orationis praesides custodesque imperii deos, ego consul pro rebus humanis, ac te praecipue, Capitoline Iupiter, precor, ut beneficiis tuis faveas, tantisque muneribus addas
2 perpetuitatem. Audisti, quae malo principi precabamur; exaudi, quae pro dissimillimo optamus. Non te districgimus votis. Non enim pacem, non concordiam, non securitatem, non opes oramus, non honores: simplex cunctaque ista complexum unum omnium votum est, SALVS PRINCIPIS. Nec

XCIII, 1 *auctoritate)* dum auctoritate nostra consulari utemur. *E.*

3 *rempublicam)* Minus recte post hanc vocem plene interpungitur. Sequentia enim item a superiore *ut* pendent. *S.*

XCIV, 2 *precabamur)* h. e. imprecabamur. Sic in Graeca lingua saepissime ἀρᾶι, ἀρᾶσθαι. *S.*

Non — districgimus) Non quasi fatigamus et obtundimus te votorum multitudine. *E.*

simplex — votum) Compara 23, 5. it. 72, 1. Lepidus est Martialis 7, 59. *Nil pro me mihi Iuppiter petenti Ne succensueris, velut superbo. Te pro Caesare debeo rogare: Pro me debeo Caesarem rogare.* Vid. ad 80, 6. *G.*

unum) Al. omittunt. male: vim enim sententiae auget. Quod

vero nova tibi iniungimus. Tu enim iam tunc 3
illum in tutelam recepisti, quum praedonis avidissimi faucibus eripuisti. Neque enim sine auxilio tuo, quum altissima quaeque quaterentur, hic, qui omnibus excelsior, inconcussus stetit. Praeteritus est a pessimo principe, qui praeteriri ab optimo non potuit. Tu clara iudicii tui signa misisti, 4
quum proficiscenti ad exercitum tuo nomine, tuo honore cessisti. Tu voce Imperatoris quid sen- 5
tires locutus, filium illi, nobis parentem, tibi Pontificem Maximum elegisti. Quo maiore fiducia iisdem illis votis, quae ipse pro se nuncupari iubet, oro et obtestor, si bene rempublicam, si ex utilitate omnium regit, primum, ut illum nepotibus nostris ac pronepotibus serves; deinde, ut quandoque successorem ei tribuas, quem genuerit, quem formaverit, similemque fecerit adoptato; aut, si hoc fato negatur, in consilio sis eligenti, monstresque aliquem, quem adoptari in Capitolio deceat.

XCV. Vobis, Patres Conscripti, quantum debeam, publicis etiam monumentis continetur. Vos mihi in tribunatu quietis, in praetura modestiae; vos in istis officiis etiam, quae e studiis nostris circa tuendos socios iniunxeratis, cuncti constantiae antiquissimum testimonium perhibui-

autem Gierigius en sublato minui cacophoniam opinatur, non meminit, huic vitio pronuntiationem per ecthlipsin mederi potuisse. *S.*

3 *praedonis avidissimi)* Domitiani bonis omnibus insidiantis. Vid. Ep. 4, 24, 4. *G.*

altissima quaeque), viri summi a Domitiano suppliciis affecti, exilio mulctati. Itaque mox *praeteritus* ab eodem Domitiano, h. e. supplicio non affectus. *E.*

4 *tuo nomine) Imperatoris.* Vid. 5, 3. *G.*

5 *tibi Pontificem Maximum)* Quod Pontificis Maximi dignitas imperio tum coniuncta, quod nummi omnes et inscriptiones loquuntur. *G.*

si bene rempublicam) Vid. 68, 1. *G.*

fato negatur) Sterile, quod scitur, Traiani cum Plotina coniugium. *G.*

XCV, 1 *publicis — monumentis)* Credo, quae senatus Plinio statuit: in actis certe senatus. *G.*

e studiis nostris) Pro facultate dicendi: v. g. ut Baeticis adessem, de qua re Ep. 3, 9, 1. *G.*

2 ſtis. Vos proxime deſtinationem conſulatus mei
his acclamationibus approbaviſtis, ut intelligam,
etiam atque etiam enitendum mihi, ut hunc con-
ſenſum veſtrum complectar, et teneam, et in dies
3 augeam. Etenim memini, tunc veriſſime iudicari,
meruerit quis honorem, nec ne, quum adeptus
4 eſt. Vos modo favete huic propoſito, et credite,
ſi curſu quodam provectus ab illo inſidioſiſſimo
principe, antequam profiteretur odium bonorum,
5 poſtquam profeſſus eſt, ſubſtiti; quum viderem,
quae ad honores compendia paterent, longius iter
malui; ſi malis temporibus inter moeſtos et paven-
tes, bonis inter ſecuros gaudenteſque numeror; ſi
denique in tantum diligo optimum principem, in
6 quantum inviſus peſſimo fui. Ego reverentiae ve-
ſtrae ſic ſemper inſerviam, non ut me conſulem, et
mox conſularem, ſed ut candidatum conſula-
tus putem.

2 *his acclamationibus)* Malim *iis acclamationibus*. *S.*

complectar, et teneam) tuear omni modo, conſervem. *E.*

4 *et credite)* intell. *propoſito*: credite verum, conſtans, perpetuum illud fore, ſi etc. *G.*

quodam) Al. *quondam*. quod melius. Mox Gierigius pro *ab* probabiliter coniicit *ſub*. *S.*

5 *quum viderem)* * Re iterum conſiderata non puto opus eſſe, ut contra libros omnes *ſi* praeponamus: quod Plinius ad propoſitionem modo capitalem adiecit; haec *quum viderem — malui*, incidens modo eſt, qua interpretatur illud *ſubſtiti*. *G.*

Ineptiſſime hic parentheſis interponeretur, ut quae vim impetumque orationis miſere ſufflaminaret. Itaque nullus dubito, *ſi* inſerendum eſſe, quod cur exciderit, facile patet. *S.*

diligo optimum) Acuta et elegans oppoſitio. Duae notae boni civis, una, *diligere optimum principem*; altera, *inviſum eſſe peſſimo*. *G.*

6 *candidatum)* *Quo quidem tempore omnia non modo, quae reprehendi palam, ſed etiam, quae obſcure cogitari poſſunt, timemus: rumorem, fabulam fictam, falſam perhorreſcimus: ora omnium atque oculos intuemur* etc. Cicero pro Milone 16. *G.*

INDEX

HOMINVM ILLVSTRIVM

in quo ii, ad quos scribit Plinius, dativo casu, scriptores antiqui *Italicis*, et, ubi ad eosdem scripsit Plinius, asterisco praefixo notantur.

D.

X.

Z.

INDEX

VERBORVM ET RERVM

quae literis exprimuntur *Italicis*, non ipſius Plinii verba eſſe intelligentur.

A.

E.

Bbb

F.

G.

H.

L.

Q.

R.

X.

Z.

INDEX *) GRAECORVM.

*) Loca maiora ex 9, 26. huc referre omnia supervacuum visum est.

Add. ad Epist. 4, 13, 8.

Vindicavi iam negationem Gesnero spuriam visam ad Epist. 5, 17, 6. tetigique hanc anomaliam etiam in Praefat. p. XIV. Locis illis Plinii nunc accedat plane geminus simillimusque Livii 4, 31, 4. *et quum ibi quoque religio obstaret, ne non posset nisi ab consule dici dictator, augures consulti eam religionem exemere.* ad quem locum Pliniana si recordatus esset Livii sospitator, non scripsisset, opinor, de Sigonio, quae perinviti legimus. *S.*

LIPSIAE

EX OFFICINA DÜRRIA.


HW 2MDB 0